LIBER II.
DECADIS I.
MISCELLANEORUM HISTORICORUM REGNI BOHEMIÆ,
POPULARIS;

QVI
DE BOHEMIÆ POPULO, ET VETERIBUS AC NOVIS INCOLIS,
ſolidè & nervoſè, ſed in ſumma brevitate diſputat :

DE

BOIIS, HERMUNDURIS, MARCOMANNIS ET CZECHIS;
Qvando & unde in has oras Czechus & Lechus Fratres
advenerint ;

TUM

DE WANDALIS, ADVERSUS SCRIPTOREM NOVITIUM,
Bohemos Czechos, à Wandalis ortos affirmantem ;
Multa in Hiſtorijs peccata refelluntur,
Controverſa diligenter examinantur,
& qvid tenendum in ijs videatur,

Authoritate & Fide probatiſſimorum Scriptorum
ſtatuitur.

AUTHORE
BOHUSLAO BALBINO, è SOCIETATE JESU,

Adjecta eſt in fine Libri, Tractatio de Origine Czechorum,
à pererudito Societatis noſtræ Viro conſcripta.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch,
cIↄ. Iↄc. LXXX.

Digitized by Google

Si qva eſt ullius gentis, aut ævi Hiſtoria, quæ cum admiratione obſervari, & ad poſteritatem cum cura conſervari mereatur, ea eſt profectò Gentis illius Slavicæ, quæ à Bojorum ſede antiquâ (Bojohæmo) occupatâ nomen ſumſit, &c. *Marquard. Freherus. Præfat. in editos abs ſe antiqvos rer. Bohemicar. Scriptores ad Chriſtoph: Radzivilium Ducem Birzarum, & S. R. Imperij Principem.*

Turpe eſt, Peregrinum eſſe in Patria; dicere ſolebat Chriſtophorus Beſoldus Juriſconſultus, & Politicus Clariſſimus; ut habet *Franciſcus Liber Baro de Sprinzenſtein in Facie Imperij Romani antiqva. præfat. ad Auguſtiſſ. Cæſarem Ferdinandum III.*

Digitized by Google

CAPUT I.

Unde Bohemiæ nomen? habitatam & notam fuiſſe antiqviſſimis hominibus Bohemiam. Boij Galliæ Populus in has oras advenit; eorum quædam illuſtria facinora. Boij in Bavariam recedunt. De Toliſtoboijs. An Tacitus nomine Hermundurorum Bojos vel Bojohemos intellexerit? quædam errata Novi Scriptoris.

Bohemiæ nomen Germanicum.

BOhemiæ vel *Bojemiæ* nomen conſenſu Scriptorum omnium, à *Boys* natum eſt, *Galliæ Celticæ* populis, ſed tum ut *Gallia* tota (præter *Romanorum Colonias* diu poſt deductas) Teutonico veteri ſermone utentibus; locupletes ejus rei habemus Authores quàm plurimos, adverſus *Gallos* pauculos (*Bodinum* præcipuè) qui ſuæ gentis amore & ſtudio, neque ſe è *Germania* veniſſe meminerunt, nomen ſuum, ut alia documenta prætercam, & primam *Franciam*, *&* *Francorum* nomen (*Franck* enim hodieque liberum hominem ſignificat) & *Magnum Carolum* in Germanorum lingva natum, & educatum ignorantes. *Bojohemia*, & *Bojohemum* (ut Veteribus placuit) & *Bohemia* idem ſonat; *Boÿheim* enim eſt *Patria Bojorum*. Unde verò ipſum *Boÿ* nomen natum ſit multis diſputat *Adlzreitter*, aut is, qui ſub illius nomine *Hiſtoriam Bojorum* vulgavit. Habitatam fuiſſe *Bohemiam* à quocunq; populo, ſub alio licet nomine, ut reliquam *Germaniam*, primis illis â diluvio ſæculis, etſi primâ fronte audax aſſertio videatur, mihi dubium non eſt: nam ſi primæ profectiones hominum ſpectentur, & terrâ, & pedibus, non mari itinera ſuſcepta ſint (quod cuiq; credere pronius eſt, quàm tentaſſe ratibus ignota, & periculoſa maria) ex *Aſia & Armenia* proficiſcentibus (priùs certè, quàm aut *Gallia*, aut *Hiſpania*) *Germania*, ejusque limen *Bohemia* ab ea parte occurrent; congruenter ſententiæ noſtræ immortalis ingenij & doctrinæ Vir *Athanaſius Kircherus* noſter, in edito nuper abs ſe doctiſſimo Opere de *Arca Noë* invictè demonſtrat: jam in ipſis propè mundi poſt diluvium renaſcentis cunabulis, *Noë filios ac Nepotes*, hanc Evropæ Septentrionalis partem (quæ poſtea *Germania* appellata eſt) occupâſſe, quod Tabulâ *Athanaſius* expreſſit. Quare

Dreſſer. in Iſagog. hiſtor. P. 5. init.
Theoph. Raynaud. in Indiculo SS. Lugd. in S. Ennemũdo.
In Methodo hiſtor. c. 7.
Rhenan: l. 1. rer. German.
Spiegel. Notis ad comment. Æneæ Silvij ad Panorm. n. 24.
Lehman: in Chron. Spir. l. 2. c. 45.
Sprenzenſt. in Facie Imper: p. 2. §. 40. 41.
De Carolo M.

Cuſpinian. in ejus vita.
Brun: in Ducibus Bavar.
Wimphelinus tract. Carolus M. Germanus.
Beſold. de Succeſs. & Elect. l. 2. diſſert. 1.
Adelzreit. in hiſt. Gentis Boicæ p. 1. L. 1.
Cuthen. in C. 1. Silvij.
Bohemia habitata pridem.

Kircherus in Arca Noë.

non

Digitized by Google

Tacit. comment. de Germania.

Wolf. Lazius in ll. de Migrat. Gentiũ.

Vohburg. in hiſt. Romano-Germ. fol. 21.

Adelzr. P. 1. lib. 4.

Velſer. l. 2. rer. Boic.

Cæſar. l. 6. de bello Gallico.

Septentrionalis Europæ incerta eſt hiſtoria.

Polyb. l. 1. hiſt.

non audiendus eſt *Tacitus* cùm ſcribit: *non terrâ olim, ſed claſſibus advehebantur, qui mutare ſedes quærebant*: contrarium enim ex vetuſtis *Gentium Migrationibus*, quæ plerumq; terrâ & pedibus peractæ ſunt, cognoſcimus, idq; evidens & perſpicuum eſt, de quo inter Scriptores omnes convenit. Inhabitata igitur primis illis temporibus *Bohemia* fuit, ſed incolas qui intraverint primos, raros adhuc in tam vaſto orbe Antiquitas, ut brevì dicam, oblivione ſepelivit; *Germanos* tamen fuiſſe, ideóq; *Bojos* poſtea ad cognatam gentẽ ex *Gallia* in has oras veniſſe *Vohburgius* (neſcio an ſatis probabiliter) conatur oſtendere. Illud certum: *Bojemiam*, aut *Bohemiam* antiquiſſimis Scriptoribus ſub *Hercynia*, aut etiam *Orciniæ* nomine, *Eratoſtheni* præſertim, ac *Græcis* cæteris notam fuiſſe, ut Vir clariſſimus *Velſerus* demonſtrat. Magnitudine ingenti & vaſtitate celebrabatur id temporis ſilva *Hercynia*, authórque eſt *Cæſar* tantò pòſt: *ejus latitudinem 9. dies patere, longitudinem incompertam eſſe, & ad 60. dierum iter proceſſiſſe quoſdam, nec tamen ad Hercyniæ exitum pervenire potuiſſe*, ingenuéque ex hiſtoriæ ipſius Genio magnus Author *Polybius* ſcripſit: à *Narbona*, verſam in *ſeptentriones* mundi partem inexploratam ætati ſuæ fuiſſe, & quæ de ijs memorantur, ſomniorum inſtar habere; auſim etiam *Tacitum de Germania* poſtea ſcribentem, huc trahere, qui etſi plurima, non omnia tamen compertiſſima adfert, & jam ſunt, qui lapſum eſſe demonſtrent.

Velſer. in Boicis l. 1. Cromer: hiſt. Pol. l. 1. Adelzr. P. 1. L. 1.

Boij ingrediuntur Hercyniã.

In Epit. hiſtor. Liv. l. 5. hiſt. Brunn. in Annal. Bojor. l. 1. n. 1.

Primi (quos nominare poſſimus) in *Bohemiam* raram cultoribus, *Boij* ante natum Chriſtum annis præterpropter ſexcentis ab Urbe Condita 150. *Sigoveſo* (qui *Ambigati Celtarum Regis* ex ſorore Nepos fuerit) Duce, ex *Gallia Celtica* advenêre; cauſam & occaſionem alibi narravi; quid egerint, quæ bella geſſerint, æquè ignotum eſt, præter pauciſſima, quæ *Adelzreitter* & ante eum *Brunnerus* noſter commemorant; in loco aperto, non tam ad fontes *Albis* (ut *Velſerus* voluit: id enim *Hermunduris* ſervatum eſt, ut ex *Tacito* conſtat, & tantæ atque in tantam amplitudinem provectæ genti ora illa undecim fontium nimis quàm anguſta fuiſſet) quàm inde ab ejus fluminis principijs, & primis per *Bohemiam* decurſibus, per univerſam occidentalem *Bohemiam* diffuſi, creduntur habitaſſe. *Vohburgius Bojemiam* veterem ſic habitatam exiſtimat: ut Orientalia, & Septentrionalia Bohemiæ, *Hermunduri*; Occidentalia *Nariſci*; Meridionalia *Marcomanni* ſint complexi. Cur Vohburgius *Bojos* hîc omiſerit, paulò pòſt in fine hujus capitis Lectores intelligent. Tria verò in tanto hiſtoricorum ſilentio illuſtria *Bojorum*, qui in hac Patria, nunc noſtra, conſederant, facinora poſſunt adferri: *primum* (quod multâ authoritate Scriptorum confirmant *Brunnerus & Adlſreitter*) audaciorem, & ferociorem ex *Boÿs Hercynienſibus* ſobolem (quos Antiqui *Toliſtobojos* appellarunt) unà cum *Trocmis* ac *Tectoſagis* è *Bojohemo* exiſſe, & *Pannoniâ* primùm, deinde *Thraciâ*, *Græciâ*, (poſt Annum urbis conditæ 471. ante Chriſtum natum 280) percurſis & pervaſtatis, *Aſiam* ingreſſos, denique in *Æolide & Jonia*, plurimis factis & acceptis cladibus conſediſſe, ibidémque *Gallogræcorum*, ut dicebantur, gentes fundaſſe. Omnia *Toliſtobojorum* itinera, clades, victorias, tum Regiones, Urbes, fines, Regum ex ordine nomina, aliáque his ſimilia, poſtea gentis univerſæ excidium, verbo: omnem eorum hiſtoriam breviſſimè ex probatiſſimis Authoribus excerpſit, & unum in locum conjecit antè laudatus *Brunnerus* & poſt eum *Adlſreitterus*; ego hæc, quòd parum ad *Czechicam Bohemorum* gentem pertineant nè otio abutar, omitto; quæ tamen ſi tractare vellem ex cauſa: (quòd à vetuſtis *Boÿs*, & ex noſtra *Bohemia* profectis geſta ſint) multis enimverò Capiti-

Brun. l. 1. n. 10.

Vohb. Tom. 1. f. 385.

Bojorum in Boh. tria facinora illuſtria.

Brunner. l. c. Adlzr. in Annal. Boj. p. 1. Lib. 1.

Circa A. U. C. 575.

De Toliſtoboijs.

Adlſer. P. 1. l. 3. & 4.

Capitibus hiſtoriam hanc meam redderem auctiorem. At ego naturâ & inſtitutione procul abſum ab eorum Genio, qui ſemel ab alijs bene tractata, ſuis licet verbis, exſcribunt, & priorum Scriptorum libros quodammodo abolere conantur, ijs neque nominatis, per quos profecerint; quod facinus *plagij* perſimile eſt, & *quale foret* (ut ait S. Syneſius) *ſepulchra Majorum effodere.*

S. Syneſ. in Epiſt. ex editione Dionyſij Petavij.

Alterum de Boijs ex Poſidonio (*Marij & Ciceronis* coævo) tradidêre Scriptores: *Cimbros*, gentem Romanis formidatam (ad trecenta pugnatorum millia) antè, quàm *Romanos* aggredi ſtatuiſſent, *Hercyniam* ſilvam, ſedésque in ea *Bojorum* ad habitandum intrâſſe, ſed rejectos fortiter, alias quæſiſſe terras; ergo quos *Romani* nonniſi ſerò, multis priùs affecti cladibus, vicerant, *Boij* noſtri, ut ita dicam, prævicêre.

Plin. l. 4. hiſt. nat. c. 13 et 14. Plutarch. in Mario. Vell. Paterc: l. 2. Strabo l. 7. Brun. Annal. Boi. l. 3. Ante Annum Chriſti 111.

Borbonij ex Boijs.

Tertium non minùs inſigne ad gloriam: *Heduis*, vel *Æduis* adverſus Jul. Cæſarem auxilio veniſſe *Bojos* (tanto intervallo terrarum!) ex qua gente deinde *Borbonij* ſint orti, quod hiſtoricos Galliæ habere, ait *Velſerus*: *ut*, inquit, *Regium totius Galliæ decus in Bôijs, ſeu Borbonijs regulis, hodiéque reſideat.* Eadem habet nobiliſſimus Scriptor *Brunnerus*.

An. V. C. 696.

Aventin. l. 1.

Annal. Boicor. Velſer: rer. Boicar. l. 1. & 2. Mathias à Sudetis de Origine Bohem. & Slavor. Brun. l. 3. n. 7.

Bavari ſunt veteres Bohemi.

Porrò *Bojos* noſtros ex *Bohemia*, *Bojoarijs*, *ſeu Bajoarijs*, *Bavaris* (aut quocunque alio nomine appelles) originem dediſſe, eóſque coloniam quandam eſſe veterum *Bojohemorum*, aut ipſos potiùs *Bohemos veteres* nimis quàm certum exiſtimamus; docent id disertè accuratiſſimus Boicæ Antiquitatis examinator *Velſerus*, *Brunnerus*, *Adelzreutter*, tum *Philippus Cluverius* conſignato etiam tempore, quo migratio illa acciderit: *Bojorum ex Bojohæmo ſub Auguſto Cæſare in Vindeliciam commigrationem hactenus aſſeruiſſe ſufficiat.* (probavit hoc multis antea) *Nomen eorum poſteà in Vindelicia variè ab inferioris ſæculi Scriptoribus formatum fuit, quibus paſſim dicuntur Bojoarij, Bojovarij, Bajoarij, Baibarij, Baivarij, & poſtremùm Bavari; ex quo quibusdam nugandi occaſio arrepta, nomen hoc ex Boijs & Avaribus eſſe compoſitum.* Hæc *Cluverius*, tacito nomine *Bonfinium & Aventinum*, ut exiſtimo, ſugillans, qui *Bavarorum* nomen ſic explicant. Hæc *Bavaris* omnibus (qui ſe *Bojos* & Patriam ſuam *Bojoariam* appellant) certa & indubitata hactenus fuerunt; ad *Bojos* in *Bohemiam* redeo.

Velſer. l. 1.

Cluver. in deſcrip. Vindeliciæ & Norici C. 3. in fine.

Bonfin. Decad. I. lib. 8. Aventin l. 1. Annal. Boi.

Bojorum in Bohemia hiſtoria muta & cur.

Cætera igitur *Bojorum* veterum illuſtria facta, latent ac ſemper latebunt; quid enim ſine præſidio literarum vivere, ac perennare poteſt? quibus cùm caruerint, neque niſi arma tractaverint, procul à Græcis & Latinis, quibus tum ſolis cura fuit poſteritati ſcribere, poſiti, nihil mirum eſt è memoria viventium, quæ in *Bohemia* geſſerant, perijſſe, *Bojóſq; à Marcomannis* regione depulſos, nihil niſi inane *Bojemiæ* nomen poſt ſe reliquiſſe.

Novi Scriptoris nova aſſerta.

Obiter hoc loco novus evellendus eſt error ejus Scriptoris, qui *Svevos* cum *Hermunduris* nuper confudit: *Svevi*, inquit, *Germani (apud nos Hermanduri dicti) per Bojos gentem Gallogermanicam ex Bohemia ſunt ejecti*; aſſerit hic Scriptor, ut apparet, primos *Bohemiæ* cultores ante ipſos *Bojos Svevos* fuiſſe; reliqua compendio, velut oracula ſolemus, exſcribam: *Svevi, & Gothi primâ origine idem eſt populus; Svevi è Gothia in has Bohemiæ oras erupêre. Tacitus pro Bohemis ſemper uſurpat vocem Hermandurorum.* Pergit deinde enumerare *Svevorum* in Bohemia populos, tantâ audaciâ, & ſecuritate, ut etiam diverſis *Svevorum* populis diverſos *Bohemiæ* Diſtrictus aſſignârit, limitéſque ſingulis præſcripſerit, quàm longè, quàm latè habitârint Svevi, nullius Scriptoris authoritate adductâ. Mirabar, cùm primùm videre librum contigit, tam procul fiduciam evaſiſſe! Inprimis *Hermanduros* nemo ante ipſum appellavit; Vete-

Hermunduri, non Hermanduri dicendum.

 res

res juxta ac novi Scriptores omnes *Hermunduros* perpetuò appellant; deinde *Svevi* apud ipſum, *Hermunduri* eſſe non poſſunt, cùm Svevis ejectis è Bohemia, *Hermunduri* manſerint, ut ipſe poſtea ſui immemor docet, & mille Scriptorum locis, ac nominatim *Taciti & Velleÿ* authoritate conſtet: eorum ætate *Hermunduros ad fontes Albis* ſediſſe. Et quamvis ſub *Svevis* tanquam primariâ gente, omnes olim *Germanos* comprehenſos, egregij quidam Scriptores (ut *Tacitus & Strabo* de Marcomannis agentes) docuerint, atque etiam à *Svevis Hermunduri* ſint orti, tamen cùm gentes ſemel ſeſe diviſère nominibus, non continuò quod de *Svevis* dicitur, ſolis *Hermunduris* imputatur. Optimè diſtinxit *Plinius*: *quartum* (inquit) *Germanorum genus Hermiones, quorum Svevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.*

Plin. l. 4. hiſt. nat. C. 14. Boij & Hermunduri diverſa gens.

Svevos è *Gothia* veniſſe, nec probo, nec improbo, ſed non parvam, quod dicitur, continet difficultatem; authorem tamen idoneum vel unum mihi produci cuperem, qui iſtud, & aliud (quod *Svevi è Gothia in Bohemiam* primi adrepſerint) affirmet. *Tacitum* pro *Bojohemis Hermundurorum* nomen ſemper uſurpare, id verò tam eſt ridiculum, ut omni ſponſione certare velim, quisquis hæc ſcripſit, *Tacitum* non legiſſe; vel duo teſtimonia ex Tacito adduxiſſe ſuffecerit: *inter Hercyniam ſilvam*, inquit, *Rhenúmq́*, *ac Manum Helvetÿ, ulteriora* (ad nos ſcilicet) *Boÿ, Gallica utraque gens tenuêre*) notet Lector, vocem *tenuêre*, non tenent) pergit Tacitus: *manet adhuc Bojohemi nomen* (Vellejus Bojohæmum appellat) *ſignificátq́ loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.* Cultores *novos* hoc loco *Tacitus Marcomannos* intelligit; ij enim, etſi ex gente *Boica* orti non fuerint, ſed è *Svevica* (ut poſtea dicam) in *Bojohemiam à Marobodeo* ſunt tranſlati, mutatisq; cultoribus, *Bojemia* tamen, vetus nomen retinuit. At de *Hermunduris* idem *Tacitus*: *in Hermunduris* ait, *Albis oritur flumen inclytum.* Brevì poſt ſcribit, *pulſos eſſe virtute Marcomannorum Bojos, manſiſſe Hermunduros,* qui poſtea Duce *Vibilio Catavaldam* ex Gotonibus ortum profligavère. ergo amittunt veteres ſuas ſedes *Boÿ, Hermunduri* ſuas retinent; non igitur *Hermundurorum* nomine *Boÿ*, aut *Bojohemi* (nam *Bohemorum* vocabulo nunquam *Tacitus* utitur) intelligi poſſunt, niſi omnia permiſceantur: nam ſi ijdem *Svevi* origine *Gothi* ſunt, & rurſus *Svevi Hermunduri, Hermunduri* verò *Boÿ & Bojohemi, Bohemi* verò *Vandali*, neceſſe eſt omnes has gentes eundem populum fuiſſe, quod nemo unquam conceſſerit. Videat *Lector* hunc novum Scriptorem ſuo ſe gladio confodere; ita nimirum ſolet accidere, cùm legitimis, & authenticis Veterum teſtimonijs neglectis, aut omnino non lectis, Hiſtoriam poëtico more architectamur, & ab authoritate deſerti, conjecturas pro hiſtorijs obtrudimus. Ad extremum ſcire oportet *Vohburgium* in *Idea hiſtoriæ* ſuæ *Vohburgicæ* (initio) multis demonſtrare conari: *Bojos à Marobodeo* pulſos *Bohemiâ* non eſſe, contrà quàm *Tacitus*, aliique veteres ac novi Scriptores tradiderint, ſed ultro & longè priùs quàm *Maroboduus* advenerit, non apud *Nariſcos*, ſed ad *Danubium* ſedes fixiſſe, ideoque tacito nomine *Brunnerum* noſtrum conari refellere; Porrò *Bojos* cùm ad *Danubium* ſederent à *Germanis & Dacis* pro hoſtibus habitos, exciſos & conſumtos adeò fuiſſe, ut gente universâ deletâ, ager paſcendo pecori attributus, nihil præter veterum Incolarum nomen retinuit, *Bojorum deſerta* dictus, ut eſt apud *Strabonem*. hæc *Vohburgius*. Ego regiam viam ſequor, & violentas Scriptorum veterũ detorſiones, ut novi aliquid adferamus factas, amare nõ poſſũ; ipſa claritas, & minimè obſcura veterũ authoritas, quid tenere nos oporteat, docet; de hac depulſione agemus in ſequentib⁹.

Tacit. Comme. de Germania.

Vellei. l. 2. hiſtor.

Tac. l. 2. Annal.

Vohburg. ad A. C. 181. & init. Tom. 1. f. 41.

CA-

CAPUT II.

Maroboduus Bojohemiam invadit, & occupat. Marcomanni gens Svevica. De Regia Marobodui in Bohemia. Marcomanni in Bohemia habitarunt. Paprocij Errores Chronologici.

BOijs in *Bojohemo* ſuo pacatè, jam annos propè ſexcentos degentibus, improviſus hoſtis, aut hoſpes parum gratus *Maroboduus* exoritur. Erat hic *Marcomannorum Rex*, ex vetuſta *Sveviæ* nobilitate ortus, ipſi *Marcomanni Germani, & pars Svevorum*, ut clarè Annalem ſecundum *Taciti* legentibus patet, cùm is *Marobodui, & Arminij* bellum deſcripturus, ait: *Svevos externo metu vacuos in ſe arma vertiſſe*, rectéque *Lipſius* ad hoc bellum in *Tacito* adjecit in margine: **Germani inter ſe diſcordes*. vide Cap: IV. hujusce Libri, in quo Capite *Marcomannos Svevorum populum* fuiſſe probabo. *Maroboduus* ergo *Romæ* ſub *Auguſto* educatus, domúmque ad ſuos reverſus, cùm Romanorum propinqua arma timeret, ſeſéque mox ab ijs petendum videret, ſtatuit (ut *Vellejus* loquitur) *procul à Romanis avocare gentem ſuam*. Habitaſſe verò *Marcomannos* inter *Danubium & Dravum* diſſertiſſimè affirmat in Epitome ſua *Rufus*: *Marobodus vim regiam animo complexus, raptos populares ſuos in ſaltuoſa Hercyniæ loca duxit, Boiiſque oppreſſis, finitimos omnes, aut bello domuit, aut conditionibus ſui juris fecit*. Ex hoc loco *Velleij* colligunt *Welſerus & Adlzreitter*, *Bojos* non regione, ſed regno tantùm & dominatu pulſos in unam propè gentem cum *Marcomannis* coaluiſſe, quosdam verò novæ dominationis odio profugos, *Bavariam* fundaſſe; mihi *Brunneri* noſtri rerum *Boicarum* peritiſſimi Scriptoris ſententia placet: qui Boios à *Maroboduo* exactos in *Nariſcis* conſediſſe (quæ fuit *ſexta* Bojorum *migratio*) ac diu pòſt (Anno Chriſti 508. videlicet) in *Vindeliciam & Noricum ſeptimâ Tranſmigratione Theodone Agiloſingo Duce* tranſiſſe, & B*ajoariorum* ſeu B*avarorum* (quas hodiéque incolunt) ſedes deſignaſſe probabiliſſimis argumentis demonſtrat. Potuêre tamen Bojorum aliqui à *Maroboduo* illecti in *Bohemia* remanere: atque hæc cauſſa fortaſſis fuerit: cur *Maroboduus* novam ſibi regiam in *Hercynia* ſilva extruens, ut antiquæ B*ojorum* genti aliquid deferre videretur, popularis favoris captandi gratiâ, B*ojaſmum*, aut ut legit Lipſius, B*oyhemium*, Regiam illam nuncupârit, *Cuthenus* Baub*ipum* appellat.

Marobod. & Marcomanni ex Svevis orti. *Adlzr. P. 1. l. 4. Annal. Bojor. Brun: l. 3. Annal. Boj. n. x1.*

Dio Caſſ. l. 54. hiſt. Rom.

Vellei. l. 2. hiſt. Tacit: l. 2. An. Lipſius in Tac. ibid.

Boij Bohemiâ pulſi à Marcomannis.

Brun. l. c. & l. 4.

Marobodui Regia.

Cuth. in C. 1. Silvij citato Strabone. Goldaſt. l. 1. de Bohemia Iurib. C. 30.

Goldaſtus cùm malè legi putet B*u*-*bienum*, *Bojohemum* ſupponit, *Pragámq;* Bojo*hemum* appellat. Res mira! *in Praga* (juxta Goldaſtum) *eſt* B*ohemia aut* Bojo*hemum*; hyſteron proteron! B*ojohemum* ut ex *Ptolemæo & Velleio*, aliiſque Scriptoribus patet, regionis, & Provinciæ, non Urbis nomen fuit; at *Praga* fortaſſe eadem *Marobodum*, quæ *Marobodui* regia apud *Ptolemæum*. audiatur *Aventinus*: *Maroboduus Rex* B*ubienum, Caput* B*ojemiæ, Marobodum à ſe agnominavit, quam nunc Pragam dicimus*; idem habet *Spanbergius*. Regiam *Marobodui* Urbem in altiſſimo monte è regione *Cænobij Zbraslavienſis* ſtetiſſe, quo in loco poſtea *Caſſin Caſtrum* conditum ſit, *Hagecius* & *Weleslavinus* affirmant.

Cluver. l. 3. Germ. anti. C. 30. Aventin. l. 2. Annal. Bojor.

Spanberg. in Chron. Saxon. C. 34.

Weleſl. præfat. in Silv. Cuthe.

Paucis annis pòſt (Anno à Virginis partu XIX. circiter) *Maroboduus ab Arminio* cæſus eſt, quod prælium latè

Taci-

Tacit. l. 2. Annal.

Tacitus deſcribit; quæ verò pòſt ſecuta ſunt, ſtultúmque *Marobodui* conſilium ad Romanos *Catavaldæ* timore, confugientis, tum *Ravennæ* detentionem, narravit *Svetonius.* Ex quibus ſatis colligitur (quod alibi diximus, probántque *Dreſſerus & Goldaſtus*) *Marcomannorum Regnum* eo tempore *Bohemiam* complexum eſſe, ac proinde, quæ de *Marcomannis* uſquè ad *Czechum* memorantur, ad eos *Marcomannos*, qui *Bohemiam* incolebant, non ad ſolos *Moravos*, ut hodie imperiti exiſtimant, pertinere. Eadem de *Marcomannis in Bojemia* longè etiam ante *Marobodui* tempora habitantibus, omnibus hiſtoriæ ſuæ locis inculcat & probat eruditus ætate noſtrâ Scriptor *Vohburgius*, docétque *Bohemiam* totam inter *Hermunduros & Marcomannos* quodammodo diviſam fuiſſe, ex quibus *Hermunduri* ad fontes *Albis* ſederint, ſic, ut *Cattos* ab occidente, *Romanos* & Danubium à meridie, *Nariſcos & Marcomannos* ab Oriente, *Semnones & Longobardos* à Septentrione habuerint; *Marcomannos* verò reliquam *Bohemiam* poſſediſſe, & per hodiernam *Auſtriam* uſquè ad *Danubium* porrectos fuiſſe; *Quados* his inferiores, & ipſos uſq; ad Danubium ſed proximos *Daciæ* adhæſiſſe, & Regnum *Vannianum* comprehendiſſe. *Goldaſtus* (quanquam alioqui ſubleſtæ fidei Scriptor, ſed ubi aliorum authoritate nititur, non omnino aſpernandus) de *Marcomannis* ex Authorum veterum fide hæc habet: *Marcomanni Sveviæ gens* (audíſne *Svevos*, non *Slavos* nominari?) *ab Arioviſto ex oris Saxonicis evocati, à Julio Cæſare cæſi, in Styriam inferiorem ceſſerunt, quæ Valeria dicta;* (hæc unde Goldaſtus acceperit, neſcio) *inde abeuntes* Bojos *bello aggreſſi, Quadis ſocijs in Moravia relictis, Bojohemi principia occuparunt. Quibus deinde auxilio venit Maroboduus ex eadem gente, &* Bojos *in Noricum expulit; imperabat Maroboduus* Bohemiæ, *Luſatiæ, Sileſiæ, Poloniæ, Marchiæ, Pomeraniæ, Litvaniæ,* Boruſſiæ, *Croatiæ, Dalmatiæ, Stiriæ, utrique Saxoniæ, Holſatiæ, &c.* (tot Regionibus imperaſſe *Maroboduum* difficile eſt credere, neque tum nata & nota erant hæc Regionum nomina, niſi ad prolepſin hiſtoricam confugiamus) *Bohemiam tamen elegit, tum Marcomanniam à novis Incolis ſic vocatam, & ſedem Regiam jam antè in media Germania collocatam, ibidem quoque fixit.* Idem ex *Velleio Paterculo* intelligi poteſt, qui apertiſſimè ſcribit; *Marcomannos Hercyniâ ſilvâ incingi*; ſed altiſſimum hoc loco cachinnum meretur *Paprocius*, qui ut *Regum Moravorum* numerum auctiorem, & antiquitate venerabilem ſibi redderet, *Arminium* primum *Marcomannorum* Regem, poſt eùm *Maroboduum*, tum *Trudum*, pòſt *Arioviſtum* (cum quo videlicet *Cæſar* bella geſſit in Gallia) ac tandem *Svvatoplucum Reges Marcomanniæ* facit, qué ipſa Chronologia & temporum ratio Sole clarius refellit: nam *Arioviſtus* (ut hoc unú opponam, cùm cætera omnia æquè falſa ſint) *Julio Cæſari* negotium fecit, *Maroboduus*, qui ante *Arioviſtum* regnâſſe ponitur, ſub *Tiberio* Ravennæ delituit; igitur, juxta *Paprocium Tiberius* Imperator *Julio Cæſare* Imperij Romani fundatore fuit antiquior; *ridete quidquid eſt domi cachinnorum!* diceret *Catullus.*

Sveton. in Tiberio C. 37.
Dreſſer. in Iſagoge hiſtor. p. 5. init.
Goldaſt. l. 1. de Boh.
Vohburg. ad A. C. 98. Tomo 1.
Marcomanni in Bohẽ:
Goldaſt: l. 1. de Boh: C. 5.
Velleiꝰ l. 2. hiſt:
Paproc. in Speculo Morav.
Páproc: an hiſtoriſta.

Porrò ut aliquam *Marcomannicæ* gentis (quæ in *Bohemia* noſtræ regione vixit) notitiam *Lectori* demus, referemus breviter quædam *Marcomannorum* geſta per indicem, uſq; ad *Czechi Ducis* noſtri adventum, *Weleslavino & Welſero* Viro Clariſſimo potiſſimùm, ex optimis quibúſque Romanorum ejus ætatis Scriptoribus, velut accenſam facem præferentibus. Qui plura de *Marcomannis* noſſe cupit, legat *Adelzreitterum*, ac præcipuè *Vohburgium* latiſſimè hæc bella tractantes, ex quibus cæteri deſcripſerunt.

Welesl: & Welſer: locis cit:
Brunner: in Boicis l. 3. & 4. Adelzreit: in hiſt. Bojor: Vohburg: in hiſt: Romanogermanica.

CA-

CAPUT III.

Marcomannorum præcipua geſta poſt Marobodui fugam ad Romanos. Marcomanni cælitùs victi Chriſtianis orantibus. Marcomannorum pars in Italiam translata. Novæ eorum ſedes. Iterum adverſus Romanos rem gerunt. Marcomanni Chriſtiani. Reliquiæ Marcomannorum per Attilæ Regnum abolentur.

Marcomannorum Principes pulſi.

M*Aroboduus* igitur deſertus à ſuis (ut paulò antè dicebam) ab *Arminio Cheruſcorum* Principe inter Annum Chriſti 12. & 19. victus eſt; at neque *Arminius* diu regnavit, ſed ob Tyrannidem affectatam à ſuis occiſus. Arminij cæde reſpirabat paulùm *Maroboduus*, cùm novus hoſtis *Catvalda* exoritur, *qui validâ manu* Bojohe*miam ingreſſus, corruptis Marcomannorum Primoribus, regiam Marobodui, Caſtellúmq; juxta ſitum irrupit;* hæc *Tacitus. Unde Maroboduus* ad *Romanos* confugit, & *Ravennæ* conſenuit. In *Catvaldam* inſurrexit *Jubillius*, qui pulſus, ad *Romanos* quoque confugit, & in *foro Julij* deſertus & contemtus conſedit. *Jubillius* apud *Marcomannos* uſque ad An. C. 52. circiter imperavit. Qui *Jubillio Reges* ſucceſſerint, non conſtat: *Vannius*, ejúsque Nepotes, *Vannio* & *Sido* à *Tiberio* & *Claudio Imperatoribus* impoſiti in *Marcomannia* regnarunt. Poſt hæc *Domitianus Imperator* circa An. C. 83. *Marcomannos* bello aggreditur, ut habet *Dio Caſſius*. *Trajanus* quoque ex hac gente laurum quæſivit, *Marcomannósq; & Quados* debellavit, ut *Volaterranus* commemorat; ſed famâ potiùs, quàm cæde debellatum oportuit, cùm paulò pòſt *Populo Romano* negotium faceſſere potuerint.

Velſer: in Boicis.

An. C. 168. *Marcomanni ex Bohemia & Moravia* exeuntes, *Vindicem* cum exercitu Romano profligant.

Brun: l. 3. annal: Boic:

An. C. 171. *Marcomanni* quorum adhuc natio à ripa *Danubij* per *Bojohemum* fuſa in his oris regnabat, iterum adverſus *Romanos* inſurgunt. Imperator *Antoninus* de Imperio anxius Mago cuidam *Alexandro* temere fidem habuit, pollicenti: ſi *geminos Leones Danubio* flumini cum certis ritibus immitteret, ſine dubio victorem de *Marcomannis* futurum. Factum ut imperârat; at *Marcomanni*, Leones nunquam antè viſos, lupos aut canes rati, cùm ad eos adnataſſent, falcibus contudêre; ſecutum prælium, quo 20. Romanorum millia ſunt peremta. Quinquennio pòſt renovatum bellum, & memorabilis è cælo Victoria à Chriſtianis in Romano Exercitu militantibus, de *Marcomannis* & maximè *Quadis*, qui poſtremi reſtiterant (utraque Germanicâ gente) reportata, fulminibus verberati ſunt; unde Legioni Chriſtianæ datum nomen Κεραυνοβόλη, id eſt *fulminatricis*. Hoc illud eſt prælium quod Chriſtianæ Religioni apud Romanos authoritatem maximam conciliavit, & *Chriſtum Dominum, Deumq; noſtrũ* colendi attulit libertatem; ſupervacaneum eſt deſcribere omnibus Scriptoribus nota. Legatur *Baronius;* id unum obſervare convenit: hoc prælium non apud *Marcomannos*, ut ſcripſêre quidam, ſed apud Quados (*in Quadorum finibus* ait *Europius*) geſtum eſſe. Hujus Victoriæ monimentum adhuc *Romæ* ſupereſt columna Antoniniana cochleæ inſtar, artis & operis admirandi, quam in ſua *Roma Jacobus Laurus* expreſſit. Tranſtulit poſt victoriam idem Imperator

Oroſ: l. 7. c. 15

Lucian: in Pſeudomante.

Marcomannos vincunt ope divinâ Chriſtiani.

Tertul: in Apologet: C. 5. & ad Scapulam C. 4.

Baron: in Annal: Eccleſ:

Eutrop: in Epitom:
Henel: in Sileſiogr: C. 1.
Dio Caſſius in hiſt:
Capitolinus, &c.

Marcomanni imminuuntur à Romanis.

Zoſimus lib: 1: Weleſ: præf: in Silviũ. Cuthe: Epitome Trebellij. Victor &c.

rator *Antoninus* plurimos *Marcomannorum* in Italiam, ac deinde iterum, cùm *Marcomannis Hermunduri, Sarmatæ & Quadi* arma ſociaſſent, triennali bello, tantis eos cladibus concidit ac fregit, ut jam nulla apud *Marcomannos* juventus armis ferendis idonea, neque victus ex agris, quos perpetuæ populationes *Romanorum* vaſtârant, ſuppeteret; ac debellari ſine dubio potuiſſet, niſi *Antonini* mors interceſſiſſet, & *Commodum* filium ad conficiendas belli reliquias voluptates domeſticæ tenuiſſent. Spatium inter hæc *Marcomannis & Quadis* reparandi damna conceſſum, ſatiſque jam firmatis rebus, iterum Romanos aggreſſi *Italiam & Græciam* ipſam tenuêre, ut narrat *Zoſimus*; de his rebus conſulatur *Vohburgius*.

Weleſ: loc: cit: Vohburg: Tomo 1.

Lamprid: in Heliogab:

Anno Chriſti 222. *Heliogabalus* Bellum cum Marcomannis moliens, falſo oraculo à bello revocatus eſt.

Herodian: & Lamprid:

Anno C. 235. *Alexander Severus* bellum *Marcomannis* illaturus erat, fatum obſtitit.

Zoſimus. Eutropius.

Anno C. 252. *Marcomanni* cum *Quadis & Sarmatis* in *Imperium Romanum* incurrunt, atque etiam *Pannonias* occupant.

Idem.

A. C. 262. *Attalus* apud *Marcomannos* regnabat, cujus filiam *Saloniam Piparam*, cùm *Gallienus* Imperator in Conjugem accepiſſet, & *Auguſtam* appellaſſet, *Pannoniam ſuperiorem*, Attalo pactione conceſſit.

Vopiſcus in Aureliano. Entrop: & alij.

A. C. 271. ſub *Aureliano Marcomanni* in Italiam irruunt, & victores primùm, deinde ter vincuntur. Sub *Diocletiano* A. 284. cæſi iterum repelluntur.

Sext: Aurel: Victor: C. 34.

A. C. 304. *Marcomanni & Quadi Diocletiani* Imperatoris (qui ſe Imperio eo anno abdicavit) auſpicijs, victi & triumphati ſunt. *Carpi* (*Quadorum* pars & natio) in ſolum Romanum tranſlati.

Ammian: Zoſimus.

A. C. 358. *Marcomanni* cum *Quadis & Sarmatis* Pannoniam incurſantes, à *Conſtantio II.* Imperatore, & *Juliano* Cæſare ſuperantur.

Welſer. ponit A. C. 356:

Curæus in Annal: Sileſ: init. Welſerus in Boicis. Ammian. lib. 29.

Sub *Valentiniano I. & Valente*, *Marcomanni & Quadi* à Romanis irritati, quòd ultra *Danubium* in *Quadorum* ſolo præſidia excitaſſent, & *Gabinium* Regem ſuum, qui in *Brigotio* (ridiculè *Curæus* ſuſpicatur *Bragam*) A. 364. regnaverat, *Marcellinus Valeriæ* Dux per inſidias trucidaſſet, *Danubio* trajecto, omnia ferro & igni per *Pannoniam*, *Illyricum*, & *Iſtriam* depopulati *Aquileiam* obſident, & vix ab ingreſſu Italiæ arceri potuerûnt, tandem à Duce *Theodoſio* repulſi. id accidit A. 373. *Welſerus* habet Annum 370. circiter.

Ammia: l. 31. Welſe: l. a. rer: Boicar:

Anno Chriſti 376. ſub *Valente, Gratiano, & Valentiniano II.* Imperatoribus, *Marcomanni, & Quadi* receptâ innumerabili multitudine Barbararum gentium (*Goldaſtus* addit de ſuo, *Germanorum & Sarmatarum*) quæ cis Danubium (rurſus *Goldaſtus* addidit: à *Bohemia & Moravia*) ad Pontum uſque Evxinum habitabant, exitium Romano Imperio machinari cœperunt, ut Romanos Urbibus & Regionibus quantum valerent, depellere poſſent.

Paulin: in vita S. Ambroſij. Baron: ad A. C. 396.

A. C. 396. *Fritigil* vel *Fritigildis* Regina *Marcomannorum* à *D. Ambroſio* per Epiſtolas Chriſtianis Sacris initiata, non modò ſeſe, ſed maritum etiam cæleſti *Chriſti* jugo ſubjecit, gentémq; ſuam *Marcomannorum* conciliatam Romanis addixit ſic, ut poſtea *Marcomanni*, velut ſocij, ac propè una gens inter *Romana* auxilia equo & pedibus mererent, præcipuâ in hanc gentem Imperatoris *Honorij* benevolentiâ, in cujus honorem *Honoriani Marcomanni* in *Notitia Imperij* Occidentalis appellantur. Trajecerant *Marcomanni* jam pridem *Danubium*, & acceptis aliorum exemplo agris, *Romanam* ripam videlicet cis Danubianam, nobis ulteriorem coluêre.

De Marcomannis Chriſtianis.

Welſerus quoque Vir Clariſſimus hoſce *Marcomannos* (quorum Regina

Fritig-

Digitized by Google

Fritigil) non ampliùs apud nos habitâſſe ſcribit, ſed in *Illyrico* (cui tum attributæ erant *Noricum*, *& Pannonia*) ab Imperatore *Honorio* collocatos, in fidem Populi Romani conceſſiſſe; atque ita faciliùs ex alterutra Provincia *S. Ambroſium* Archiepiſcopum *Marcomanni* conſulere potuerunt; certè *Sirmium*, inferioris *Pannoniæ* Civitatem, ad *Archidiæceſin Mediolanenſem* aliquando pertinuiſſe, vel ex eo ſuſpicari poſſumus, quòd *Ambroſius* (ut in ejus vita legimus) *Avennium Sirmij* Epiſcopum initiârit, & conſecrârit. Hæc Marcomannorum diviſio multum ejus populi potentiam debilitavit. Qui domi manſerant *Marcomanni* cum *Quadis*, per hæc tempora, *Regem Hermanricum* vel *Ermanricum* habuêre. Hic *Radagaiſo* vel *Radagaſto* Venedorum Slavorum Regi (quem pro *DEO Slavi Vinidi* ſeu *Obotriti & Polabi*, ubi nunc *Mechlburg* eſt habitantes, poſtea coluerunt) adverſus *Romanos* bellum gerenti militavit, eóque in *Italia* cæſo *Alarico Gotho* adhæſit, cum quo in *Hiſpaniam* penetrans *Regnum* ibi *Suevorum* (nam *Marcomannos & Quados Suevicam* gentem fuiſſe conſtat) fundavit, ac poſtea A. 440. deceſſit. Notet, obſecro, Lector, ex *Radagaſto*, jam eo tempore *Slavos Regnum in Germania* habuiſſe.

Marcomanni dividuntur.

Brotuff. in Chronico Marsburgenſi ſeu Merſeburgenſi.
Cromer: l. 3. hiſt: Pol:
Iſidor: & Proſper: in Chronico.
Iornandes &c.
Ximenez in hiſt: Hiſp:

Secuta brevì pòſt *Hunnorum*, aliárumque barbararum Gentium ex *Aſia* in *Europam* transgreſſio; quæ ut cæteras omnes Danubianas & Albinas gentes præcipuè, tum *Suevos*, *Bojos*, *Quados*, *Herulos*, ſic etiam *Marcomannos*, qui in noſtra ripa inter *Bojos* adhuc remanſerant, velut tempeſtas quædam turbinis corripuit. Alij *Marcomannorum*, Militiam Romanam ſequebantur, ut dixi, alij nobis propiores *Attilam* adjuvabant, atque ita neceſſe fuit (Oraculo Chriſti Servatoris) *Regnum deſolari*, quod diſcordia civilis diviſerat. Has omnes gentes, pluréſque alias, ut *Hunnos* ipſos prætercam, *Attila* circa A. C. 444. in Imperij Romani perniciem eduxit, ſed pleroſque eorum cladibus & victorijs ipſis confectos, vel attritos amiſit in hoſtico: ut mirum nulli eſſe debeat, cur *Czechus* in has oras veniens (quamvis ante hæc tempora eum veniſſe probabiliùs ſit, ut brevì dicetur) tantam ſolitudinem populi invenerit: ibi ipſa veterum Populorum nomina extincta ſunt, ut à *Draconibus*, minuti ſerpentes & colubri devorantur; certè poſt hæc tempora neque *Marcomannorum* ampliùs, neque *Quadorum*, neque *Hermundurorum* nomen in Scriptoribus, niſi fortaſſis in Populi prioris memoriam inveneris. *Attilâ* igitur mortuo, cùm ex filijs ejus nemo tot & tam varijs & diſcordibus ac Militaribus Populis regendis ſufficeret, Monarchiâ laceratâ, nova paſſim *Regna* & *Provinciæ*, ut *Welſerus* loquitur, *exoriri cæperunt*, ut *Sarmaticum* ſeu *Slavicum* apud *Moravos*, *Germanicum* apud *Suevos*, item apud *Bojos* ſeu *Bavaros*; alibi quoque *Rugiorum*, *Herulorum*, *Hunnorum*; imò adeò *Zechorum* natio (quos hoc nomine diſertè appellat *Welſerus*) jam eo tempore tenebat *Bohemiam*; quod pauló pòſt accuratiùs comprobabo.

Solitudo Bohemiæ in Czechi adventu.

Bonfin: in hiſt: Ung:
Proſper in Chronico.
Jornandes de Gothis. de Hunnis.
Ammia: l. 31.

Paul: Diac: l. 4. C. 7. Herman: & Sigebert: in Chronico.

CAPUT IV.

Maroboduus Svevus, & Marcomanni Svevica gens fuerunt. Idem aſſeritur de Quadis. Objectiones ſolvuntur. Attilæ temporibus plurimæ Gentes extinctæ; ut Quadi.

Marcomanni fuêre Germani, item Quadi &c.

Marcomannorum Populo deleto, & ęrerum natura penè amiſſo, ipſum etiam nomen in hac hiſtoria cœpit amitti, cùm ecce *Cynthius* aurem vellit & admonuit: non deforé forſitan, imò jam eſſe, qui *Marcomannos*, & Regem *Maroboduum*, non ut nos ſcripſimus, *Svevicæ* Gentis, ſed *Slavicæ*, & *Marcomannos Slavicam* fuiſſe gentem affirment, quo nihil eſſe poteſt inſulſius. *Paproctus* in eorum eſt numero, tum propè omne *Moravorum* vulgus, qui ob illuſtria *Marcomannorum* facinora, certatim illud ſibi adoptant nomen, id geſtiunt, id triumphant, id ſibi glorioſum ad omnem memoriam ducunt, *Marcomannorum* appellationem pro virtutis maximæ titulo ſumentes; quibus nimirum *Moraviæ & Moravorum* nomen immeritò ſordet. Ego contrà nitor, & omni aſſeveratione affirmo: *Marcomannos*, *Quados*, *Hermunduros*, *Germanicas* Gentes fuiſſe & nihil ad nos, & ad *Slavicas* gentes pertinere, non ſecùs atque ad *Czechos* (qui Bohemi nunc vocantur) *Bojorum hiſtoria*. Id inprimis omnes, quos unquam legerim Scriptores vetuſti & illius ævi, tum quicunque poſtea hiſtoriam fæliciter, & ex authoritate Veterum* (non ex conjecturis inutilibus ſuis) tractarunt, uno ore diſertè affirmant. *Strabo* lib. 7. *In hac Germaniæ parte eſt etiam Hercynius ſaltus, & gentes Svevorum, quarum alia ipſam incolunt ſilvam, in quibus eſt & Boviaſmum Marobodui regia &c.* Tacitus l. 2. Annalium, de Maroboduo & Arminio loquens: *Svevi*, inquit, *prætendebantur, qui æmulatione gloria &c. arma in ſe verterant.* Poſt: *è Regno Marobodui Sveviæ gentes Semnones ac Longobardi*; poſt plurima, eodem Annali: *Catvalda validâ manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptiſq; primoribus ad Societatem, irrumpit regiam* (Boviaſmum in Hercynia ſilva, ut annotat *Lipſius*, at *Cluverius Pragam & Wiſſehradum*, poſtea ita dictas intelligit) *caſtellúmque juxta ſitum; veteres illic Svevorum prædæ reperta &c.* rurſus: & *Maroboduus quidem Ravennæ habitus, ſi quando inſoleſcerent Svevi, quaſi rediturus in patriam oſtentabatur.* Eutropius in hiſtoria Romana: *Tiberius Marobodum Svevorum Regem callidè circumvênit &c.* quid hâc ſententiâ apertius eſſe poteſt? eadem de *Marcomannis* V. Cl. M. *Velſerus*, *Philippus Cluverius* cùm Antiquam Germaniam deſcribit, eadem habet *Claudius Ptolemæus*, & qui in eum commentaria edidêre: *Joſephus Moletius & Antonius Maginus*, Geographi præſtantes; eadem *Cromerus & Goldaſtus*, & *Curæus & Dalecampius* & recentiſſimè inſignis Scriptor *Vohburgius* affirmant, & ipſa appellatio *Marcomannorum*, quod dicimus, evincit: *Marck* enim Germanis *limitem*, & *Marcomanni* Limitaneos homines ſignificant.* *Dreſſerus* in Iſagoge: *Marcomanni* Marckmänner / *quaſi cuſtodes limitum versùs Ungariam & Sarmatiam, incolæ Bojemiæ, Moraviæ & Auſtriæ*; & poſt pauca: *Marcomanni gens Svevica à Marchia, quâ limes ſignificatur: eſt enim Moravia una ex quatuor Marchijs Imperij, quæ ſunt Miſnia, Brandeburgum, Moravia, Badena.* Idem loquens de Quadis: *Quadi Svevi (Germaniæ populi) partem Moraviæ & Sileſiæ,*

Paproc. in Speculo Moraviæ inst.

Marobodum decipit Tiberius.

loc: antè cit: Crom: l. 2. Dalecamp: l. 4. annot: in Plin. C. 14. lit: Z.

Unde Marcomannorum nomẽ natum. Parte V.

Marcomanni gens Svevica.

Dreſſ: P. 4. Iſagoges in Svevia.

Digitized by Google

ſiæ, ubi nunc eſt Epiſcopatus Niſſenſis (Wratislavienſem dicere voluit) *partem etiam Poloniæ circa Cracoviam tenuerunt;* & in Iſagoge hiſtorica, *Svevorum populi Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi.* hactenus *Dreſſerus.* Videamus nunc quibus argumentis & quàm futilibus *Maroboduum* Slavum & Marcomannos Slavicam gentem nuper quidam Scriptores evincere ſint conati: Si *Marcomanni* inquiunt, *Slavi* non erant, cùm *Czechus* in has oras advênit, quò *Marcomanni* abierunt? facilis reſponſio: primùm ut ſuperiore Capite dixeram, *Marcomanni* multis cladibus attriti, quidam eorum in Italiam translati, ſedes ibi novas acceperunt; quidam in ripam Danubij adverſam ad Romanos tranſitione factâ, Regnum ipſi ſuum ſic extenuarunt, ut ægrè Majeſtatem illam veterem nominis imperiíque ſui tuerentur; deinde certum eſt ab *Attila*, cùm ejus arma ſequerentur, cum natione univerſa *Quadorum* (ut egregij Scriptores memorant) abductos in militiam, maximè poſt *Attilæ* mortem, in illo quindecim dierum continuato prælio amiſsâ vitâ & patriâ, ipſóque etiam nomine perijſſe; reliquias verò eorum, partim *Hunnis*, partim *Slavis Moravis*, partim etiam ipſius *Czechi* populo ſeſe addidiſſe, & immixtos in unam gentem coaluiſſe. Eodem fato innumera propè ſub *Attilæ* tempora, populorum nomina ſunt extincta, quæ diligenter recitavit *Bonfinius.*

Objectiones diluuntur.

Marcomannorum excidia.

Olahus in Attila C. 13. & C. 17. & priùs C. 4. Callimachus in Attila. Adelzreiter P. 1. lib. 5. hiſt: Boj: num: 19.

Bonfin: Decade lib: 1. & 2.

Alterum ex ipſo *Marobodui* nomine argumentum petunt; quòd *Marobud* Sarmaticum quiddam ſonare videatur, *non minùs*, inquiunt, *quàm Koribut;* hinc *Marobodui* ſucceſſores *Vannius, Sidon, Vangio, Turſius* (ex quo genere *Stanislaum Turſonem* Epiſcopum Polonum deſcendere quidam opinatur) *Vibilius, Jubilius, Tudrus &c.* unde *Drabomira de Todor.* DEUS immortalis! tam levibus conjecturis induci quempiam, ut ob eas, omnibus ſuæ, & noſtræ ætatis Scriptoribus derogare fidem auſit? quid enim *Sarmaticum*, amabò, ſignificat *Maroboduus*, quàm aut *Catavalda*, aut Regina *Fritigil*, aut poſtea *Marobaudes Conſul Romanus*, aliáque ſexcenta nomina Germanorum à Romanis Scriptoribus corrupta? quid alia quæ adfert nomina? *Vibilius* inquit, ʒe ge **Nepřátely wybil.** Conficta hæc eſſe in vocis gratiam, quisque prudens intelligit, non minùs, quàm poſtea idem Scriptor, cùm *Genſerici Vandalorum* Regis nomen (quod etiam conſtat omnibus Germanicum) Slavicum eſſe ſuſpicatur; *Genſericus Genſerich*, **genʒ gſy Rek** (qui es heros) non facilè riſi ſonantiùs, quàm cùm hæc legeré, neque refutationem profectò, ſed riſum iſta merentur. Nomen *Koribut* quod adducit, neque ipſum Slavicum eſſe *Lithuani* ſciunt, ſed diſtinctæ à noſtra linguæ Lithuanorum; *Turſonem* Epiſcopûm à *Turſio* deſcendere quis unquam quæſo ſomniavit? *Turſonum* ſtirps *Ungarica* fuit, non *Polonica*, cujus originem longè diverſam attulêre Scriptores Ungarici. Ejuſdem eſt farinæ illa de *Todor* conjectura: nam ſi ex nominibus una aliqua & nuda probatio, ad evertendam omnium Scriptorum authoritatem disertè contrariam partem ſtatuentium ſufficit, profectò ego me Cæſareâ ſtirpe genitum eſſe probabo, cùm nomen congruat & in *Indicibus Cæſarum*, & in *Nummis* legatur.

Maroboduus non eſt nomen Slavicum.

Nominum deductio, ſi abſint cætera, nihil, vel parum probat.

Objicitur & illud: ſi cum *Maroboduo* Slavi in *Bohemiam* non venerunt, non apparere, quis eos alius in has oras induxerit? reſpondemus: ſi adverſarius hic noſter cum omnibus *Bohemiæ, Poloniæ, & Germaniæ* Scriptoribus *Czechum & Lechum Duces* (quos ille contra conſenſum omnis ævi *imaginarios* appellat) admittere voluiſſet, haberet ſine dubio, qui in *Hercynios* ſaltus, & in Poloniam *Slavicas* gentes inducerent.

Ultima objectio, eáque potiſſima eſt:

Digitized by Google

Ex ſocietate armorũ non infertur lingvæ cõmunio.

eſt: quòd *Maroboduus* multorum populorum *Rex* fuerit, & ſine dubio etiam *Vandalorum* (quos Scriptor *Slavos* fuiſſe falsò exiſtimat) quomodo igitur eum, ſi *Germanus* fuiſſet, toleraſſent? item quod *Julius Capitolinus* narret: *Marcomannos & Quados* bellum cum M. *Aurelio Antonio* gerentes, habuiſſe inter auxilia *Pencinos*, *Baſtarnas*, *Oſtrogothos*, *Roxolanos*, qui ſine dubio *Sarmatici* populi fuêre, *non poteſt autem præſumi*, inquit, *adjuturos fuiſſe Marcomannos, niſi ejusdem linguæ Marcomanni fuiſſent, id eſt Sarmatici.* Hic eſt *Achilles!* ſed hunc *Achillem ad Trojam* non modò *Phryges Trojani*, & ejusdem ſermonis populi, ſed etiam *Amazones* repulerunt. An exempla deſunt ætate noſtrâ, ſub iiſdem ſignis adverſus communem hoſtem diverſis lingvis militantium nationum? nupero tricennali bello, quot ſe populi *Svecis* addidêre? tales tum erant *Romani*, qui cùm ſeſe *rerum Dominos* dicerent, & univerſum orbem armis ſubjicere fas eſſe ducerent, repellebantur ab omnibus, arma ſociabantur ſeptentrionalium populorum, ut poſtea in Attila patuit, qui ut loquuntur Scriptores, *Germanicum & Scythicum Imperium conjunxit;* Si *lupi raptores atra in nebula, quos improba ventris exegit rabies*, impetum in ſtabula fecerint, & paſtores, & coloni, & canes, pecudésque cæteræ generoſiores ad arcendam vim concurrunt; ita fiebat, cùm *Romani*, aut *Rhenum*, aut *Danubium*, aut *Albim* transgreſſi nunciabantur; ſed *Maroboduum Vandalos* in Exercitu habuiſſe nondum legi, & quanquam ita eſſet, ex diverſis gentibus conſtituiſſe ſibi Regnum, & *Strabo*, *& Caſſius*, *& Vellejus*, *& Tacitus* teſtantur. *Oſtrogothos* certè (ut alios prætercam) *Germanicos Populos* fuiſſe, plusquam certum eſt, quos idem *Author* inter *Marcomannorum* auxilia numeravit. Alia quæ adducit argumenta longè debiliora ſunt, quibus plerumque ipſa Authoris ſententia, ut patebit poſtea, jugulatur. Sed quis miretur, *Marcomannos* inter Slavorum populos ab hoc Scriptore cenſeri, cùm etiam *Wandalos*, *Quados*, *Vindelicios*, *Herulos*, *Pannonios inferiores & ſuperiores*, imò adeò ipſos *Hunnos* (quod omnino ſuſtineri nequit, ut poſtea ſuo loco patebit) nullâ authoritate, ſed ſolâ conjecturâ & nominum remotiſſimâ derivatione *Slavos* fuiſſe contendat?

Virg:

Tacit. l. 2.

Quadi ex Svevis orti.

Quados certè *Gentem Germanicam*, & ex *Svevis* ortam Sole meridiano clarius, ex optimorum Scriptorum ſententia *Goldaſtus* demonſtrat, & adjicit: *voce* inquit, *germanicâ Quaden*, *qui aliis ſunt moleſti, nuncupantur.* Videat, amabò Lector, *Vohburgii* hiſtoriam *Romano-Germanicam*, in qua omnia quæ docui, tantâ authoritate (*Vandalos*, *Marcomannos*, *Quados Germanos* populos fuiſſe) probata inveniet, ut obſiſti nullo pacto poſſit. De *Quadis* eadem habent *Cluverius*, *Meibomius*, *Spangenbergius*, & ut ſemel dicam, omnes qui de *Quadis* egerunt, vetuſti juxta ac novi Scriptores.

Gold. l. 1. de Juribus Bohemiæ C. 12.
Cluver: l. 3. Germ. antiq. C. 30.
Meibom: in Witik.
Spangenberg. in Chron. Saxon. C. 13.

CA-

CAPUT V.

Defenſio Majorum noſtrorum Slavicæ Gentis Originem à Turri Babel petentium adverſus Silvium; idem feciſſe olim & facere alias omnes nationes: Sinas, Græcos, Hunnos, Germanos, Romanos, ac cæteros. Putidum commentum Curæi & Schickfuſij. An Sclavi, aut Slavi dicendum? Slavos à Moſcovitica Urbe Sklovv appellationem non habere. Slavorum nomen poſt A. C. 500. primùm in hiſtorijs legi.

MAgnam authoritatem & fidem hiſtoriæ noſtræ conciliavit *Æneas Silvius* Piccolominæus, poſtea *Pius II.* ac neſcio, utrùmne alicujus gentis profana hiſtoria ab aliquo è Pontificibus Romanis, & an diligentiùs, & majore fide ſit tractata; illud tamen permirum & verò etiam nonnihil injurioſum ſemper viſum eſt *Æneam* legenti, quod acerbiùs gentem noſtram perſtringere, & irridere Majores noſtros videatur ex eo capite, quòd tam altè gentis ſuæ primordia, ab ipſa ſcilicet confuſionis turre, dum labium univerſæ terræ confuſum eſt petant. *Vana*, inquit, *laus & ridenda!* Ego quid rideri poſſit, non video. dicere voluerunt Majores: linguàm ſuam (quâ, maxima *Septentrionalis Europæ*, nonnulla etiam *Aſiæ* pars hodiéque utitur, ut *Vaticana Bibliotheca*, Liber Romæ editus, demonſtrat) *primigeniam* eſſe, atque inter duas illas & Septuaginta Orbis univerſi lingvas cenſeri; quod veriſſimè dici, quisquis amplitudinem ejus lingvæ, Nationum in ea diverſitatem, lingvæ ipſius elegantiam & ſanctitatem (nam in ſacris eâ uti etiam apud *Moravos & Bohemos* olim licebat, & hodie apud *Ruthenos*, pluresque alios licet) ac cæteras ejus prærogativas examinârit, facilè conceſſerit; hæc gloriatio certè vana nô evadet, ſi nonnullas alias lingvas ex corruptione & confuſione gentium barbararum natas ſpectemus; videatur *Melchior Inkoffer* in laudibus Lingvæ Latinæ. addit Æneas: *nondum ego quempiam legi Authorem, cui fides adhibenda ſit, qui tam altè ſuæ gentis initium reddiderit.* Ego contrà ajo: nullam fuiſſe nationem, aut potiùs nullum alicujus gentis Scriptorem, qui gentis ſuæ antiquitatem non examinârit, aut ſi id nôn poſſet, unde illa nata ſit, unde à prima origine deſcenderit, quâ ratione, quo tempore, quibus Ducibus, quibus cauſſis, aut in *Africam*, aut in *Europam*, advenerît, non explicârit; ut taceam quòd omnibus ijs quicunque Matricem, ut ita dicam, lingvam aliquam eſſe ſtatuunt, ut fecit *Theophilus Raynaudus*, eâdem operâ ad *Turrim Babel* confugere ſit neceſſe. *Sinarum* natio nimium glorioſa, tribus annorum millibus ante *Chriſtum* natum, hiſtoriam ſuam inchoat, ut oſtendit *Martinius*; legantur *Græciæ* populorum de antiquitate certamina apud *Plutarchum*, ac præſertim *Pauſaniam de Athenienſibus, Arcadibus*, ac cæteris; Prætereo *Sveciæ, Daniæ, Gothiæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæq;* Scriptores, ſuarum gentium Originem à primis hominum colonijs arceſſentes; alios à *Phœnicibus & Tyrijs* antiquiſſimis hominibus, alios à *Teucris*, alios aliunde; quidam cùm homines deeſſent, & non ſatis antiqui viderentur, ad Deos ipſos primordia retulêre, & *Martem & Jovem, & Neptunum*, authores gentis

fecêre

Bohemiæ hiſtoriam ſcribit Pontifex Summus.

Æn. Silv. in hiſt. Boh. C. 1.

Cromer. l. 1. hiſt. Pol. C. 1. Lingva Slavica inter primigenias eſt habenda.

Æn. Sylv. in hiſt. Boh.

Pleræq; gẽtes lingvæ ſuæ antiquitatem jactant.

Theoph. Raynaud. in Tabulis Chronogr.

Mart. in Atlante. præfat. ad Lectorem & in Epitome hiſtorica extremæ Aſiæ.

Dionyſ. Halicarn. in hiſt. Rom. Liv. Decade. 1. init. Bonfin. Dec. 1. lib. 9.

fecêre; vide quæ de Romanis *Dionyſius*, *& Livius*, de *Germanis Corn. Tacitus* tradidêre. *Bonfinius* homo Italus totus in eo eſt, ut antiquiſſimam *Hunnorum* eſſe gentem demonſtret; habétque Genealogiam quandam, per quam *Reges Ungariæ* continuâ ſerie à *Noë* deducit; mitto de Germanis & primâ Hominum linguâ *Teutonicâ*, *Goropij Becani* ſomnia, quæ ipſis *Germanis*, *& Lipſio Batavo* benignam riſûs materiam præbuerunt: putidè in hoc argumento verſati ſunt *Curæus*, *& Schickfuſius*: hic, ut antiquitatem gentis ſuæ aſſereret, antiquiſſima & obſoletiſſima quæque gentium nomina, ubiubi, temere in marginibus hiſtoriarum reperta, non magis ad *Sileſiam*, quàm ad aliam quamcunque gentem pertinentia, *Sileſijs* impoſuit; alter verò ridiculè DEO grates agit, quòd ſingulari ejus providentiâ factum ſit, ut ſemper *Judæi*, ſuæ genti permixti eſſent, ut aliquam cognationem cum electo populo haberent, *ut* inquit, *iſtæ gentes jungerentur*; alibi aſſerit eoſdem *Iſraelitas* ductores fuiſſe ſuæ gentis *Cimbricæ*, ideoque ejus beneficij gratiâ, quot annis *Hieroſolymam* ad templum Majores ſuos munera & quædam tributa miſſitaſſe; ſtultiſſimum ab homine hæretico commentum! rectiùs *Henelius* nobiliſſimæ gentis nobilis Scriptor, ait: *eas, qui Sileſiæ, & Civitatum, ac locorum in ea origines aliunde, quàm ex Slavica lingva petant, graviter inſanire;* conſignat etiam annos, quibus alieno populo, præcipuè ex *Marchia Brandeburgica*, *Sileſia* cœperit impleri, neque dubia eſt *origo Sileſiæ* nominis, quod & *Hagecius & Cromerus & Henelius* ipſe à Populorum qui in ea conſederint, diverſitate natum eſſe ſignificat. Pleriquе Germanicæ hiſtoriæ conditores ab *Japheto Noë* filio & *Gomero*, & neſcio quo *Aſceneze*, Noëmi pronepote, *Celtas* (quo nomine *Gallos & Germanos* comprehendunt) proveniſſe ſcripſerunt, idque ſuperbum nulli eſt viſum; quò ignoſcendum magis eſt nobis, ſi modeſtè linguam *Slavicam*, quæ propè dimidium *Septentrionalis Europæ*, nonnullam etiam *Aſiæ* partem complectitur, cum linguis cæteris primoribus in illa confuſione prima gentium à DEO infuſam affirmemus, quomodocunque ea poſtea ſit vocata (nam id nihil refert) *Sarmatica*, an *Venedica*, an *Heneta*, an *Balthica*, an *Slavica*, *Ruſſica*; hæc enim nomina multis poſt ſæculis ex regionibus & ſedibus quas natio hæc incoluit, ſunt enata; *Slavica* tamen hodie, & *Slavorum* lingva paſſim à Scriptoribus appellatur. Notandum eſt vernaculâ lingvâ non *Slavos*, ſed *Slovacos* dici; quod nomen Externi lingvæ noſtræ ignari nobis indere non potuerunt, neque credibile eſt Majores noſtros novum nomen contumeliæ cauſsâ aſſumſiſſe. Porrò, *Slavos* non *Sclavos* appellari invictis argumentis pridem demonſtravêre *Miechovius*, omnis hiſtoriæ & lingvarum peritiſſimus *Poſtellus*, *Decius*, *Bibliander*, *Borek*, & à *Sudetis* peculiari tractatione *de Origine Bohemoſlavorum*, *ac deniq; Goldaſtus*, qui poſtremus ſi hanc *Etymologiam Sclavorum*, vel probabilem eſſe credidiſſet, nõ prætermiſſet caput hoc, unde calumniæ argumentum tam facilè petere potuiſſet. *Sclavos* ab urbe *Moſcovia Sklovv* dictos recens quidam Scriptor (qui conjecturis ſuis futilibus totam nobis patriæ hiſtoriam pervertit) exiſtimat; at illum quàm plurima, quæ *Cromerus* adducit (*Slavos* non *Sclavos* dici oportere demonſtrans) tum etiam illud imperitiæ arguit, quòd *Sklovv Urbis* non niſi ſerò, poſt conſtitutum *Moſcorum* principatum condi cœpit; *Moſcorum* autem ſeu *Moſcovitarum* Principatus (nam nomen antiquiſſimum fuit) annos trecentos antiquitate non ſuperat, ut probavit diligentiſſimus & illuſtris Scriptor in ſua *Moſcovia Sigiſmundus Herberſteinius*. *Sarmatæ* igitur & *Venedi*, *Vendi*, aut *Heneti*, ſub quorum nomine primis illis temporibus *Bohemica*

Margin notes:

Curæus in hiſtor. Sileſ. init. f. 14. Schickfus. in hiſt. Sil. l. 1. C. 1.

Curæi & Schickfuſij ſomnia.

Henel. in Sileſiogr. C. 1.

Crom. l. 1. hiſt. Pol. C. 1.

Slavíne an Sclavi dicẽdum?

Miech. in hiſt. Pol.

Poſtell. Comment. de linguis varijs & in tract. de orbis concordia.

Goldaſt l. 1. de Bohem. C. 9.

Crom. l. 1. hiſt. Pol. C. 13.

Slavorum nomen quãdo primùm invaluerit.

mica & Polonica natio latebat, quando *Slavorum* appellationem aſſumſerint (à *Slavo* vel *Slovvo*, gloriâ vel verbo, voce deductâ) dubium controverſúmque eſt; primi, quod ſciamus, *Jornandes*, & *Procopius Slavorum* vel *Slavinorum* nomen in hiſtorijs uſurparunt paulò ante A. C. 550. ſcribentes: tum *Paulus Diaconus* ſæpius, præſertim An. 603. agens de ingenti multitudine *Slavorum à Cacano* Rege *Avarum* in Italiam ad *Agilulphum Longobardorum* Regem immiſsâ. Sed hæc omnia, & quidquid à quoquam quæſtionis de *Slavis*, *Venedis*, *Sarmatis*, *Vandalis* moveri poterat, tantâ diligentiâ & authoritate Veterum *Cromerus* Varmienſis Epiſcopus tractavit, & diſſolvit toto I. hiſtoriæ ſuæ libro, ut omnes, qui novare aliquid in *hiſtoria Slavica* velint, ſilere, digitúmque ori imponere oporteat. Unum illud de *Czecho* & *Lecho*, unde & quando in has oras venerint, nondum ſatis expeditum à quoquam, gravem controverſiam continet, de qua (etſi definire in ſilentio Veterum nihil auſim) quid probabiliter tenendum ſit breviſſimè aperiam; videat *Lector* obſecro, quæ de *Czechi* adventu, ex accuratiſſimis tribus Scriptoribus, *Cromero*, *Welſero*, *Weleſlavino* decerpta in *Epitome hiſtorica* quondam attulimus.

Jornand. de rebus Geticis. Procop. de rebus Gothicis l. 1. & 3. Paul. Diacon. l. 4. C. 29. de geſtis Longob:

CAPUT VI.

Slavorum populi ex Sarmatia Aſiatica, & Europæa, in Europam interiorem aſcendunt. Bulgari, Sorabi, Roxolani, Moſci, Venedi. Venedorum in has oras multæ & variæ immigrationes; præcipuæ tres: maxima circa Attilæ tempora. Quàm latè olim Slavi, ſeu Venedi dominati ſint.

Slavicorum populorum primæ ſedes.

Jornandes de bello Getico. Blond. Dec. 3. lib. 9. Pomp Letus in hiſt. Rom. Imperij lib. 2. Crom. l. cit:

PRincipio habetur pro comperto: ex *Jornande*, *Blondo*, *Pomponio*, *Cromero*: Slavorum Majores in *Europæa & Aſiatica Sarmatia* habitâſſe; præcipuè *Bulgari*, *Serbi* vel *Sorabi*, & *Roxolani*, & *Venedi* celebrantur. *Bulgari* relicto in Aſia patrio flumine *Rhâ* ſeu *Volgâ* in *Myſiam* commigrarunt, tenéntque eas ſedes etiam nunc ad *Pontum Euxinum*, & *effluentem Danubium*. *Serbi* (quos *Ptolemæus in Sarmatia Aſiatica* collocat) poſtea non ſolùm *Bulgaris*, & *Raſcijs*, & *Croatis* proximi in *Europa* conſedêre, verùm etiam in *Miſniam* & vicina *Albi* loca pervaſêre, ubi nunc quoque idem nomen retinent (Srbi vel Sorabi) quos Germani *Wenden* appellant. *Roxolani* ſeu *Roxani*, ſeu *Ruſſi* eaſdem hodiéque incolunt ſedes, quorum finitimi in *Sarmatia Aſiatica*, *Modoces*, in Europa verò *Amaxobij* Ptolemæo, Pomponio Melæ *Hamaxobitæ* vocabantur; pleroſque *Sarmatiæ veteris* populos unum *Moſchorum* Imperium (qui vetus Moſchenorum nomen, ut dixi, primùm ante 300. circiter annos recepêre) hodie complectitur. *Moſchenorum & Moſciorum Ptolemæus*, *Plinius*, *Solinus & Strabo* meminêre, canitque de illis *Lucanus* ſub *Nerone* ſcribens:

Ptolem. l. 5. Geogr. C. 9. & 13. Pomp: Mela lo de ſitu Orbis. Ptol. l. 5. C. 6. Plin. hiſt. Natur. l. 5. C. 27. & l. 6. C. 9. & 19. Solin polyhiſtor C. 20. Strabo l. 2. Geogr.

Sæviſq; affinis Sarmata Moſchis.

Lucan. l. 3. Pharſal. Jornand. in Geticis.

Ex *Moſcis* quàm plurimi *Slavorum* Populi prodiêrunt, eámque ob cauſſam *Jornandes Ruſſiam & Moſcoviam*, *Vaginam Populorum vocavit*.

Venedos permagnam *Sarmatiæ Europææ* partem antiquitus obtinuiſſe, & per totum *Venedicum ſinum* maximas gentes *Venedas* habitaſſe, maximus author eſt *Ptolemæus*. *Jornandes* Ptolemæo

Ptolem. l. 3. Geogr. C. 6. Jornand. de bello Getico.

Sarmatæ antiquiſſimũ Slavicarum gentium nomen.

Crom. toto l. 1. hiſt. Pol. Welſer. l. cit.

Tacit. commẽt. de Germania.

Item Venedi vel Heneti.

Dreſſer. in Iſagoge hiſtor. P. 4. in Brandeb.

Migratio ſecunda Slavorum.

mæo longè poſterior, *Venidorum* nationem populoſam ad ſiniſtrum latus *Sarmaticarum Alpium*, quæ *Daciam* claudunt, à Civitate nova & *Slavino Rummanenſe* (notet Lector illud *Slavino*, unde fortaſſe *Slavorum* nomen) in Septentrionem, & ab exortu *Viſtulæ*, *ad Danaſtrum* (hodie *Neſter*, ſive *Dneſter* ab accolis dicitur) conſediſſe ſuo tempore, indéque ad *Pontum*, ac *Danubium* extendi, memoriæ prodidit. Has omnes modò memoratas gentes, *Sarmatiæ & Sarmatarum* nomine ab antiquis comprehenſas demonſtrat *Cromerus*; Ab hac ergo Sarmatica gente, (diſertè *Venedos Velſerus & Cromerus* nominant) jam pridem relictis primis ſedibus, ſive abundante domi multitudine, ſive mitioris cœli cupiditate, ſive aliâ de cauſa, ad *Auſtrum & Evrum* migrationes & profectiones fieri cœpère. Nôta jam erat *Tacito Venedorum* gens, meritóque ille dubitat, utrúmne *Venedos Germanis*, an *Sarmatis* adſcribat. Dixi *jam pridem migraſſe*; nam cùm *Ptolemæus* qui A. C. 300. vixit, *Venedos ad Venedicum ſinum* ætate ſuâ habitâſſe ſcribat, & maximam gentem appellet, neceſſe eſt dicere longè antè *Chriſti* ortum, eam *primam Sarmatarum migrationem* contigiſſe; ac proinde in Chronologiam impegiſſe cenſendus eſt *Dreſſerus* cùm Ann: Chriſti 500. nominavit: *Heneti*, inquit, *Sarmatæ magnis agminibus neſcio quo fato, in Marchiam infuſi à Danubio ad fontes Albis, uſq. ad Cimbricam Cherſoneſum, cũ toto tractu Balthici maris compleverunt, fermè ab A. 500. inde factũ ut Heneti totũ tractum à Viſtula uſq. ad Albim & Salã Añus 400. tenuerint.* quâ ratione A. 500. cùm ibi, juxta *Ptolemaũ Venedi* vel *Heneti* coñmq; maximæ gentes jam A. 300. habitârint? ac fortaſſe ante alios Germaniæ populos advenerint? De *Migratione prima*, ſatis dictum videtur.

Proceſſu temporum, majore multitudine (anguſtiis fortè domi rebus) paulatim *Venedi* in ulteriorem *Europam* ſeſe infudère ſic, ut verſùs *Meridiem in Daciam*, *Myſiam*, *Pannoniam*, *Dalmatiam*, *Illyricum & Iſtriam*, & verſùs *Occaſum* ultra *Viſtulam* in ipſam *Germaniam* penetrarent, & opportunè (ut notat *Dreſſerus*) limitaneæ iſtæ Germanorum nationes habitatoribus quadam ex parte nudatæ erant, quòd *Vandali Germani* qui ea loca tenuerant, ut ex optimis Scriptoribus toties laudatus *Cromerus* oſtendit, impetratis à *Conſtantino Magno* Imperatore ſedibus in *Pannoniam* (ut etiam antè ex *Bonfinio*, alijsque Ungaricis Scriptoribus dictum eſt) populariter commigraſſent. Id factum poſt Annum 300. à Chriſto nato annotant modò laudati, & laudandi poſtea Scriptores. Jam & Germanicis, & Romanorum Provincijs ſatis innotuerat *Sarmatica* natio *Venedorum*, cùm ecce *Gothi* gens cultu fœda, & barbara, ex *Aſiatico Mæotidis litore* in Romanum Imperium Anno 376. ſeſe inſinuare cœperunt: *Valentiniano defuncto* inquit, Ammianus, *exitiabile conſilium, quo Romanum Imperium jam tunc nutans præcipiti ruinâ concideret, ſub Valente, & Gratiano erupit, receptâ cis Danubium* (nota) *innumerabili barbararum gentium multitudine à Marcomannis & Quadis longiſſimo terrarum tractu ad Pontum uſque, cujus numerum comprehendere illi ipſi qui tranſvexère ſæpius conati, nunquam potuerunt; cùm diligens* (antea) *navaretur opera, nè quis everſurus rem Romanam in adverſa ripa relinqueretur.* Permiſſi ſunt igitur (ut apud *Spondanum Baronius* loquitur) à *Valente Imperatore*, magno Reipublicæ damno, barbari *Gothi* (ab Hunnis ex tranſdanubiana ripa depulſi, & jam tum Chriſtiani) *Iſtrum* tranſire, quem & aliæ proximæ nationes ſe ijsdem adjungentes tranſmiſère, Romanis licet invitis. Anno 378. *Stridonem* patriam ſuam à *Gothis* everſam ſcribit *D. Hieronymus*; quos poſtea An: 379. in amicitiam populi Romani receptos, etiam in militia Romana inveniſſe

Dreſſ. in Iſagog. hiſto. P. 5. in voce Slavi.

Crom. l. cit.

Ammian. l. 30 & 31. Jornand. de reb. Geticis. Velſer. l. 2. rer. Boic.

Hunnorum & Gothorum migrationes.

Spond. in Annal. Eccl. ad A. C. 376.

Apud Sponda: ad A. 378. n. 8.

Digitized by Google

Zoſimus l. 4. Ammian: l. 31. Iornand: l. cit: Proſp. in Chronico.

niſſe locum *Zoſimus* teſtatur. Major tempeſtas in Imperium tam Orientale, quàm Occidentale detonuit: quippe *Attila* cùm circa Annum 428. apud *Hunnos* regnare cæpiſſet, ſibique omnes propè ſeptentrionales populos, verbo: univerſa Germaniæ & Scythiæ regna adjunxiſſet, ſeptingentorum millium Exercitum ducens, An: 451. ad demoliendum *Romanum Imperium* animum adjecit, & *Galliam* ingreſſus

Attilæ in Rom. Imperiũ incurſus.

eſt (decies centies millia in *Attila* caſtris fuiſſe, præter auxilia affirmat *Bonfinius*) inter ſubjectos populos, qui eum ſecuti à coævis Scriptoribus memorantur præter Hunnos, *Boij*, *Marcomanni*, *Quadi*, *Turcilingi ſive Rugi*, *Thuringi*, *Sarmatæ*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Alemanni*, *Pannonij*, *Heruli* cum ſuis Regulis, *Gepidæ* cum Rege ſuo *Ardarico*, *Oſtrogothi* ſub Rege ſuo *Valamiro*, ac innumeri alij Septentrionales Populi fuêre. Pugnatum eſt in campis *Catalaunicis*, & centum octoginta millia hominum in prælio cecidêre; *Attila* victus in *Illyricum* ſeceſſit, ſed Anno ſequenti reverſus, plurimas *Italiæ* civitates expugnatas delevit. Hoc anno Venetiarum Civitas ante annos 30. fundata, confluentibus ad eam ſecuritatis gratiâ ex *Italia* populis, maxima cepit incrementa; fabulari enim eos affirmat *Spondanus*, qui eam longè antè hæc tempora conditam ſcripſerunt. Ad Annum Chriſti 454. Imperium ab *Attila* vexatum, tandem ejus morte ſecutâ reſpiravit, perſequitur ea omnia latiſſimè *Bonfinius*, tum cæteri *Ungarici*, qui de *Attila* egerunt, Scriptores; poſt eius mortem cùm filij (quorum ingens erat turba) patri pares ad imperandum animos, ac cætera non haberent (ut jam antè C. 5. monui) ſciſſo in partes Imperio, & prælijs ex ea diſcordia Ducum (duorum præcipuè *Ardarici* ſeu *Alarici*, quem *Quadi & Marcomanni* ſectabantur, & *Chaba* ſeu *Ellaci Attilæ* filij, qui ad *Sicambriam* ſeu *Budam* victus eſt) ſecutis, formidatum illud *Hunnorum*

Bonfin. Decade 1. lib. 3. Welesl. præf. in Cutheni Sylvium. Proſp. in Chronico. Caſſiod: in Chronico. Zoſimus l. 6. Miſcella hiſto: l. 15. Velſer: l. 2. Baron: ad A. C. 451. Oroſ. l. 7. C. 38. Hieron. Epiſt. 11. Welesl: l. cit: Sigebertus. Aimoinus. Paulus Diaco: Jornandes. Sidonius. Apollinaris. Bonf. Decade 1. l. 6.

Venetiarũ origo.

Spond: l. cit: Bonfin. l. cit. Mich: Ritius l. 1. rer: Ungar: Olahus in Attila. Callimachus in Attila. Herolt in Chronolog. Ungar.

nomen contemtui eſſe cæpit; eò demum perventum eſt, ut ex tanto exercitu pauciſſimi ſupereſſent, mutuis cladibus ſuis, & vicinorum armis deleti, & in *Aſiam* ipſam ex Pannonia rejecti; unius Regni interitu multa paſſim nova regna exorta *Welſerus*, *Adelzreutter*, omnéſque qui hæc tractarunt Scriptores affirmant. Ab eo tempore & *Marcomannorum*, *& Quadorum*, *& Bojorum* in ipſa *Bohemia* nomen ægrè niſi in marginibus hiſtoriarum, ut ita loquar, inveneris; etſi paulò antè latè in Imperio Romano terrorem ſparſerint, & arma circumtulerint: nam (ut eſt in *Zoſimo*) *Vandali aſſumptis Quadis, & Marcomannis ad Rhenum progreſſi A. C. 406. omnia pervaſtarunt*; ac paulò pòſt, ijdem *Wandali* duce *Caroco*, repetito cum *Marcomannis Quadisq;* fœdere, Romani Imperij Provincias invaſerunt, ut *Sigegebertus & Aimoinus* teſtantur; nimirum ad pauciſſimos redacti, à *Slavorum* populis novam iterum coloniam ducentibus, ſunt vel depulſi, vel in unum cum advenis pluribus corpus redacti: *illud*, ait, V. Cl. & omnis hiſtoriæ ſcientiſſimus *Velſerus*, *dubitationem non habet*: *Marcomannos, ſocioſq; populos pulſos eſſe interiore Hercyniâ à Slavis Sarmaticâ gente, quæ Zechi Ducis nomine dicta, nunc appellationem retinet, ſed temporis ratio in controverſia. Nobis probabilis viſa, Cromeri accurati Scriptoris multiplex ad Attilæ ævum derivata ratiocinatio, niſi credibilius Attilâ demum mortuo, Sarmaticis primùm irruptionibus viam patuiſſe*; hæc Welſerus; confirmat ſententiam ſuam ex neſcio quo vetuſto *Boico* Scriptore (quem non nominavit) aſſerente, per ea tempora (ſub *Attila* ſcilicet) *Venedos* in Germania interiore cæpiſſe invaleſcere, finitimóſq; populos *Svevos* & *Bojos* præcipuè, infeſtaſſe, qui cùm *Bojohemo pulſi cederent, Zechum & Crocum Venedorum Reges ſucceſſiſſe, Bojos ad Nariſcos abijſſe.* De hac ſecunda Slavorum in has oras immigratione intelli-

Welſer: l. 2 rer. Boic: in fine. Adelz. p. 1. l. 5. n. 19.

Zoſ: l. 4. hiſt.

Marcomanni à Czechis Slavorum gente, Bohemiâ pelluntur.

Welſ. l. cit.

Nota.

Cromer: l. 1. rer: Polon. C. 4. 9.

Lib: de Origine Bohem:

telligendus eſt Joannes Matthias à Sudetis: *hunc in modum*, inquit, *miſere deſolata & deſerta Germania, atque Attilâ quoque ipſo jam vitâ functo, filijs preterea inteſtinis & Gothorum armis denuo oppreſſis, Sarmatæ* (ſeu Slavi) *perrexerunt, & primò vicinam Poloniam, mox ipſam Bohemiam, rejectis in veterem ſedem Marcomannis, quorum vires Attila quoque bello, & tot longinquiſſimis expeditionibus ſunt attrita, occupârunt; cùm quidem in Germania nulla eſſet potentia, quæ illos impediret. Auctâ deinde paulatim multitudine, cætera quoque Germaniæ loca ad Albim, & Salam, totúmque tractum maritimum, qui eſt ad mare Balticum uſq; ad Viſurgim, ultra terminos etiam Veterum Svevorum, in ditionem ſuam redegerunt.* hæc Mathias. Quæ de *Bohemia* & *Polonia* vera quidem eſſe poſſunt, at quod de maritimis terrarum tractibus, & de *Balthico mari* dicitur, ſuſtineri difficulter poteſt; cùm longè ante hæc tempora, ut paulò antè ſcripſi *ex Ptolemæo, ad Venedicum ſinum Venedi* habitârint.

Cuthen: in Silvium C. 9.

Reliquiæ Marcomannorum in Boh.

Cuthenus rem novam, & nulli, quod ſciam, priorum Scriptorum traditam commemorat: cùm *Czechorum* natio in *Bohemiam* adveniſſet, non vacuam omnino reperiſſe provinciam, ſed quibusdam ex priore Germanorum populo reliquijs & familijs inſeſſam, immixtos in *Bohemia Slavis Germanos* uſquè ad *Vogeni* Ducis tempora habitaſſe, *Vogenum* pacis ſtudio *Czechos à Germanis* ſeparaſſe, atque his *Luſatiam* inhabitandam dediſſe, impoſito ijs Principe filio *Wratislao*, *Winislaum* apud Bohemos regnaſſe; atque inde factum ut *Sirbij* ſeu *Luſatij*, quàm à Bohemis olim didicerant linguam, Tevtonicis vocibus admixtis corruperint. Quæ ſi vera ſunt, facilè apparet, cur *Wratislao* impuberi filio Præfectus Germanus homo, ex Thuringia, petitus ſit (ut in Scriptoribus noſtris legimus) videlicet ut ejus populi linguam puerulus addiſceret, cui olim erat imperaturus.

Penetraverant, ùt ſæpius jam dixi, *Slavicæ* gentes in intimam uſq; *Saxoniam* præſertim *Megapolenſes Reregi*, reſértque ex *Adamo Bremenſi* pervetuſto Scriptore *Henricus Meibomius*, *Slavos* poſtea militaſſe ſub *Carolo Magno* (quo tempore *Neklan*, *Wogeni*, de quo paulò antè dixi, pronepos, apud Bohemos imperitabat) & cùm *Carolus Magnus Saxones* quoſdam *trans Albim* poſitos in *Franciam*, velut inquietos & pacem publicam turbantes, transtuliſſet, veniſſe ad *Carolum Slavos Reregos*, & ab eo pagos *Saxonum* deſertos poſſidendos accepiſſe. Nomina *Principum Slavorum gentis*, in Antiquis Annalibus extare, videlicet: *Wizanus, Cedrugus, Slamir* ſeu *Slavimir*, *Tabamvizil*, *Traſco*, *Treſſugus*; quæ nomina *Slavicum* aliquid, ut apparet, ſonant, ſed à vetuſtis illis Germaniæ Scriptoribus corrupta ſunt. Clariùs longè ac diſtinctiùs, partitis omnibus *Slavorum* ad uſquè *Mare Balticum* regionibus, ut tum erant, dum hiſtoriam deſcriberet, idem *Adam* explicuit priùs; quem, ut conſtet omnibus, quàm latè *Slavi* dominati ſint, deſcribam: *ipſo tempore* (id eſt A. 971.) *magnus Otto ſubjugatis, Chriſtianáque fidei copulatis, Slavorum* (nunquam *Adam* vetuſtiſſimus Author aliter ſcribit, neque unquam *Sclavos*, ſed ſemper *Slavos* nominat) *gentibus, inclytam Urbem Medenburg* (Slavis dictam *Dievvin* quaſi dicas *Urbem puellarum*) *ſuper ripam Albiæ* (Albis) *fluminis condidit, quam Slavus* (notandum diligenter) *Metropolin ſtatuens, Adelbertum ſummæ ſanctitatis virum ibidem conſecrari fecit Archiepiſcopum. Is primus in Magdeburg ordinatus, duodecim annis ſtrenuè Pontificatum adminiſtravit, multóſq; Slavorum populos prædicando convertit; cujus ordinatio facta eſt anno Imperatoris & Archiepiſcopi trigeſimo quinto, & ſunt anni poſt ordinationem S. Anſgarij* centum

Adam: l. 2. C. 10. & l. 3. C. 22.

Meibom: in T. 2. Vitikindi.

Slavorum populi uſq; ad Mare Balticum.

Adam: l. 2. C. 7. 8. 10. 11. Baron. in Annal: Eccl: ad An. 971.

Nota chronologiam.

Digitized by Google

centum triginta ſeptem; Magdeburgenſi Archiepiſcopo ſubjecta eſt tota Slavonia uſq; ad Penem fluvium. Epiſcopatûs Suffraganei quinq;, quorum Merſiburg (Tiſca) ſuper Salam flumen condita, Miſna ſuper Albiam, Brandeburg & Hevelbierg interiùs vadunt. Sextus Epiſcopatus Slavoniæ eſt Aldinburg (Staregradum Slavis) *quòd vicinior eſt nobis, Imperator Hamaburgenſi* (Hamburgenſi ſeu *Bremenſi* quos duos Epiſcopatus in unum conflaverat jam pridem A. 858. *Ludovicus Imperator* ùt habet *Baronius*) *Archiepiſcopatui ſubjecit, ibique Archiepiſcopus noſter primum ordinavit Archiepiſcopum Curaccum vel Edvardum, quem Latini dicunt Evagrium.* Pergit Adam Provincias Slavorum ſuo tempore enumerare: *Slavonia igitur ampliſſima Germaniæ Provincia Vinulis incolitur, qui olim dicti ſunt Vandali* (notet Lector vocem *olim*, non igitur hoc tempore; deinde dicti ſunt, quòd *Vandalis* ſucceſſiſſent, non quòd *Vandali* eſſent) *decies major eſſe quàm noſtra Saxonia fertur, præſertim ſi Bohemiam, & eos qui trans Oderam ſunt Polonos, quia nec habitu nec linguâ diſcrepant* (nota Veterum habitum Bohemorum) *in partem adjeceris Slaviæ. Hæc autem regio cùm ſit viris, armis, & frugibus opulentiſſima, firmis undique ſaltuum & fluminum terminis clauditur. Ejus latitudo eſt à Meridie in Boream, hoc eſt ab Albia fluvio, uſquè ad mare Scythicum, longitudo autem illa videtur, quæ initium habet à noſtra Hamburgenſi parochia, & porrigitur in Orientem, infinitus aucta ſpatijs uſquè ad Bengvariam* (forſitan Bulgariam intelligit) *Ungariam & Græciam. Populi Slavorum multi: quorum primi ſunt ab occidente confines Tranſalbinis, Vagri, eorum civitas Aldenburg* (Starogradum) *maritima; deinde ſequuntur Obotriti, qui nomine Reregi vocantur, & civitas eorum Magnopolis. Item verſus nos Polabingi, quorum Civitas Razisburg: ultra illos ſunt Lingones & Varnagi. Mox habitant Chynici & Circipani, quos à Toloſantibus & Rheteris ſeparant fluvius Penis & Civitas Dymin, ibi eſt terminus Hamburgenſis Parochiæ. Sunt & alij Slavorum populi, qui inter Albiam & Odderam degunt ſicut Helveldi, qui juxta Haloam, ſive Heilam fluvium, & Doxani, Leubuzi, Vilini, Stoderani cum multis alijs; inter quos medij & potentiſſimi omnium ſunt Rhetarij, civitas eorum vulgatiſſima Rethre, ſedes Idololatriæ. Templum ibi magnum conſtructum eſt dæmonibus, quorum Princeps Redigaſt, Simulacrum ejus ex auro, lectus ex oſtro paratus (civitas ipſa novem portas habet undique lacu profundo incluſa) pons ligneus &c. &c.* tum deſcribit admirandam Civitatem Slavorum *Jumne* dictam. Hæc ex vetuſtiſſimo Chronographo *Adam*; cujus authoritate quàm frequentiſſimè niti ſolet *Baronius*; fuit *Adam Bremenſis Canonicus*, & proximus temporum illorum, utpote qui A. C. 1067. ſe in *Eccleſiæ Bremenſis Matriculam Clericorum* inſcriptum teſtatur. In eandem ſententiam longè *Adamo Bremenſi* antiquior *Witichindus* Ottoni Magno à ſacris, docet: *Saxones adventitium eſſe populum*, & navibus in illas oras advectum, qui cum à *Thuringis* arcerentur, quòd terram non haberent, *Saxonem* ingenioſum adoleſcentem, multo auro oblato, à quodam *Thuringo* pugillum terræ emiſſe, cujus pulverem per agros ſparſerit *ſubtiliſſimè*, ut loquitur, eâque ratione terram *ſuam* à ſe emtam dixiſſe, caſtriſque poſitis, prælio cum *Thuringis* inito, viciſſe, ac terram illam obtinuiſſe. Eadem inſinuat *Siffridus* Presbyter Miſnenſis; adjicit: hos *Saxones* ſub Veſpaſiano Imperatore, Exercitum in *Britanniam* miſiſſe, qui ibidem conſederint, & *Anglo-Saxones* hodièque vocentur. Hæc ideo adduxi, ut quiſq; intelligat, quàm alia ſit hodie, ac olim fuerit, in iis regionibus rerum facies, & aliqua ex antiquitate lux affulgeat ijs, qui hodiernam tantùm ætatem reſpiciunt, aut mirantur; ſed ad *Czechos* noſtros redeamus.

Bar. in Annal. Eccl.

Termini Veterum Slavorum.

Witich. l. 1. Annal. Saxon.

Saxones adventitius populus.

Siffrid. in Epitome lib. 1.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Ulterior Migrationum Slavicarum probatio.

Weleslavini de his Migrationibus, & de Czechi adventu prima ſententia prioribus congruens. Attila Slavorum nationi peramicus. Svvatoplucus Moraviam obtinet.

Bojemia ab Germanis ferè deſerta fuit, cùm Czechus advenit.

EX his quæ modò attulimus, ſatis intelligitur cauſſa, quæ *Czechùm & Lechum* Fratres permovere potuerit, cur contemtis fertiliſſimis utriusque *Pannoniæ*, *Italiæ*, cæterisq; beatis regionibus, ſed iisdem inquietiſſimis, & bello tum ardentibus, *Bohemiam* elegerint; ceſſabit pariter *Jodoci Decij* egregij Scriptoris admiratio, quâ ratione fieri potuerit, ut veteres Bojemiæ Incolæ (*Boij, Hermunduri, Marcomanni*) à tam parva *Czechi & Lechi* manu potuerint ſuperari. Jam nimirum Slavorum multitudo pridem, non modò in *Moraviam & Bohemiam*, ſed procul in *Saxoniam*, & inde uſq; ad mare Balthicum ducebant colonias, deinde *Bohemia*, ut antè probavimus, populo carebat; denique *Decio* hiſtorico Poloniæ *Cromerus* reſpondeat: *Non eſt incredibile* ait Cromerus, *id quod antiquitatis famâ & conſenſu celebratur, Lechum cùm fratre Czecho è Croatia in has terras veniſſe, non novas quidem colonias deducentes, ſed ad conſanguineos populos, qui jam antè hac loca habitabant ſeſe conferentes. Nec multum refert, ſuâne ſponte, an neceſſitate, nempe pulſi vel formidantes vim domeſticam id fecerint, an acciti ſint.* Ab hac ſententia non multum diſſentit *Dubravius*, faciléque id mihi perſvadeo ex *Jornande*, qui ſub Regno *Attilæ* Venedorum ſeu Slavorum regionem ſic deſcribit, ut omnia (provoco ad Lectores) *Bohemiæ* noſtræ congruere videantur.

Decius l. de Antiquit. Polon.

Crom: l. cit:

Jornand. de rebus Geticis f. 140.

Progreſſiones Slavorũ in German:

Non erit abs re *Weleslavini* patrij Scriptoris, & viri maximæ Lectionis, audire ſententiam, qui ſe ex Authoribus optimis quæ ſequuntur, deſcribere gloriatur. Anno C. 451. *Slavi* vel *Vindi* ad *Viſtulam* habitantes repulêre reſiduos *Wandalos* apud *Oderam & Salam*; occuparunt etiam loca, quæ nunc ſunt *Mechlburgum*, & *Pomerania*, paulò pòſt etiam inſederunt *Marchiam, Brandeburgum & Miſniam*. Tandem *Hermunduros*, inter *Albim & Salam* habitantes, extruſêre *Slavi*, eisque ademêre *Salem*, ubi nunc *Hallæ* ſunt, cui loco nomen dedêre *Dobroſul* vel *Dobribor*; unde multi hodiéque pagi circùm ea loca *Slavicis* appellantur nominibus. Quæ ſequuntur in *Weleslavino* notatu ſunt digniſſima: An. 495. regnabat ad *Albim Alaricus* Svevorum Rex; hic Slavorum & Vindorum potentiâ quotidie creſcente animadversâ, cùm inſuper regiones iſtæ ab *Hunnis & Gothis* non ita pridem propè in ſolitudinem redactæ eſſent, relictâ *Bohemiâ, Sileſiâ, Luſatiâ*, gentes ſuas ad *Danubium* Rhenum & Neccarum tranſtulit, ibique ſedes fixit. Idem, paulò pòſt, *Bavari* (qui inter *Bohemicos* montes ad *Danubium* habitârant) egêre, ac in *Voitlandiam*, ac regiones circa *Noribergam* ſitas conceſsêre. Ea res opportuna viſa eſt *Czecho & Lecho* Slavorum Principibus, *Bohemiámq;* ingreſſos eſſe, ac *Populos*, qui Bojohemo claudebantur, cùm antea Vindi, Venedi, Slavi, Slavini appellarentur, amore Ducis *Czechorum* ſibi nomen indidiſſe; hæc *Weleslavinus*. Quæ narratio plurimum probabilitatis, atque etiam authoritatis continere videtur; quam ille ex *Aventino, Lazióq;* deſcribit, eadem

Weleſl: præfat: in Silv: Cath:

Svevi ab Albi diſcedũt.

Boij vel potiùs Marcomañi diſcedunt è Boh:

Czechus Bohemiam ingreditur.

Aventin. l. 3 Annal: Bojor.

dem

Digitized by Google

Lazius l. 8. de Migrat: Gentium.
Curæus in Annal. Sileſ. init.
Thuanus l. 56. hiſt: ſuor: tempor.

dem omnino memorantibus. Tres igitur egregij Scriptores *Welſerus*, *Cromerus* & ex noſtris *Weleslavinus* (quibus *Aventinus*, *Lazius*, *Curæus*, *Thuanus* ſubſcribunt) plures *Slavorum* in has oras noſtras immigrationes, & præcipuam *Czechi & Lechi*, *Attilæ* temporibus factam, conſentiunt, quod ampliùs in ſequentibus Capitibus diſcutiemus.

Ritius l. 1. de rebus Ungar. in fine.

Attila Slavis peramicus.

Porrò *Attilam* Slavorum genti multum tribuiſſe varijs argumentis poteſt oſtendi, & *Michaël Ritius* locuples teſtis eſt: *Poſt Attilæ mortem, & bella internecina, non magna manus Hunnorum in Pannonia ſubſtitit (qui appellantur Siculi) deinde, ſive quòd ea regio vacua cultoribus, ob ingentes belli clades fuit, ſive quòd Marotus miles Polonus* (hoc per prolepſin hiſtoricam accipiendum, cùm adhuc *Polonorum* nomen Scriptoribus ignotum eſſet) *bellicâ virtute clarus, ab Attila Mæſiæ, Bulgariæq; & Santepoluck Ungariæ impoſitus imperarint aliquandiu, proprium non habuit Regem, donec diu pòſt relictis Hunni ſedibus ſuis, rurſus effuſi cum liberis, uxoribúsque in Pannoniam redierunt. Ubi primo adventu benignè recepti nihil hoſtile moliebantur, poſtea tamen Santopoluchum* (ſine dubio Swatoplucum Regem) *armis ejecerunt.* hæc Ritius. *Svatoplucus* depulſus regni parte, alteram partem, ſcilicet *Moraviam* regionem à *Moravâ* fluvio (vel aliunde, vel à *Marotho* Rege, ſic dictam) retinuit, & familiam ſuam regiam (qua de re externi & domeſtici Sciptores conſulantur) fundavit. Sed hæc longè pòſt geſta mittamus, ad principia redeundum eſt.

Moraviæ regno infeſti Hunni.

Fabric: in Annalibus Miſnæ l. 1. habet aliquid de Swendopoido Duce Moraviæ.

CAPUT VIII.

Petri Codicilli ſententia de Aureolo Tyranno à Czecho & Lecho apud Illyrios interfecto proponitur, & refellitur. Weleslavini Codicillo conſentientis ſecunda ſententia. Alexandri Gvagnini improbabilis opinio. Piaſecij conjectura, quam nec probamus, nec rejicimus.

Codic: l. de Czechi adventu.

IAm *Petri Codicilli* Viri ætate atavorum percelebris, & qui eum poſteriùs, Curis ſecundis in Genealogico ſuo opere ſecutus eſt, *Weleslavini*, ſententiam breviſſimè examinemus: ait ergo *Codicillus*: *Czechum*, fratrem *Lechi* natu majorem, in *Illyrico*, ſeu apud *Illyrios*, qui *Croatæ* poſtea dicti ſunt (quamvis *Bonfinius Valeriæ & Croatiæ*, ſeu, ùt ipſe vult *Corvatiæ* nomen non eſſe recens, ſed jam *Auguſti* temporibus notum & uſurpatum conetur oſtendere, à *Valerio Meſſala Corvino*, qui *Pannonias Auguſti* auſpicijs vicerat, impoſitum) *Czechum* inquam, in *Croatia Illyrici Provincia*, Virum Principem, ac fortè etiam Regionis *Croatiæ Ducem*, cùm capto à Perſis *Valeriano* Imperatore, *Aureolus* An. C. 262. in *Illyrico* à Militibus oblatum ſumſiſſet imperium (de quo *Trebellius Pollio & Baronius*) & ſingulari immanitate & crudelitate in ſubjectos populos graſſaretur (unde etiam inter *triginta Tyrannos* numerâtur) tumultu populariùm excitato, Ducem ſe præbuiſſe, & interfecto immaniſſimo Tyranno, eâdem operâ *Legiones Romanas*, quæ in *Aureoli* nomen jurârant, deleviſſe; addunt quidam (quos in *Epitome* citavi) raptam tum à *Czecho Romanam Aquilam* argenteam magnâ

Weleſl: in Genealog: Ducũ & Regum Boh. & in præfat. ad Sil: Cutho:

Croatia quibusdam quaſi Corvatia.

Trebell: Pollio in 30. Tyran: Baron: ad A. C. 262.

Codicilli de adventu Czechi ſententia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Florus l. 4. Epitome. Lipſ: l. de Militia Rom: & in Coment ad 2. Annalem Taciti.

gnâ ſemper Romanorum militum Religione, nè in manus hoſtium veniret, occultatam, ut ex *Floro & Lipſio* diſcimus; ob id poſtea *Czechum* in clypeo ſuo (ut hiſtoriæ noſtræ omnes teſtantur) *Aquilam* geſtaviſſe. *Czechi* in *Croatia* ſedes & ditio propria fuit *Pſary*, ad amnem *Crupinam*. Ergo cæde perpetratâ, cùm & ipſe *Czechus* non hoc ſibi ſic abiturum ſciret, *Romanóſque* ultores timeret, circumſpicere fugam cæpit, & commodùm in aliqua *Bojorum & Moravorum* parte *Zalmaninus* quidam *Circipani* filius *ex Slavorum gente*, imperabat, cui cum Romanis frequentia bella intercedebant; invitati ab eo in ſocietatem belli *Czechus & Lechus* cum popularibus ſuis, & cum tumultuario illo, quem adverſus legiones Romanas collegerant, exercitu, raptis etiam Uxoribus ſuis & parvulis circa A. C. 278. adveniſſe, ac ſedibus auſpicatò in Bojemia fixis, *Zalmanino & Turskoni* ejus filio fidam in omnibus bellis operam præſtitiſſe.

Czechus ad populares ſuos in Bohē: venit.

Turskone in victoria *Conſtantini* adverſus *Licinium* peremto, univerſi populi Veteris & Novi conſenſu, ad *Czechum*, quanquam jam ſeniorem, atque ætate invalidum, ſummam rerum delatam, qui ſe *patri* in gubernando, quàm *Domino* ſimilem eſſe voluerit, ſummóque dolore amantis, & amati populi, ætatis An. 86. deceſſerit, cùm longè antè *Lechus* in ſeptentrionem diſceſſione factâ, *Poloniam*, ſeu dictam à ſe *Lechiam* fundaſſet, *Czechum* in *Ctinioves* tumulatum; *Klenium* unicum filium reliquiſſe inutilem imperando; decennium *Czechos* ſine Ducis imperio vixiſſe, dum *Crocus* denique ab Optimatibus An. 345. legeretur. Principes conſequentes, eorúmq; geſta tam accuratè, tanto ſemper ad Chronologiam reſpectu ſuis diviſa temporibus uſquè ad *Borzivoium* primum Chriſtianum in Bohemia Ducem, ex authoritate Veterum Codicum apud *Weleslavinum* leguntur, ut hæc ipſa diligentia maximum Veritatis cuique prudenti præbeat documentum: unum illud de *Aureolo* ſuſtineri quomodo poſſit non video.

Aureoli hiſtoria ſummatim recenſetur.

Fuit *Aurelius Flavius Claudius*, natione Dalmata, Vir bello egregius, neque unquam crudelitatis ullius, maximè in ſuos *Illyrios*, ac *Dalmatas* à Scriptoribus accuſatus; deinde non eſt à popularibus ſuis, aut *Illyriis*, ſed in acie commiſſo prœlio à *Claudio* qui ſucceſſit & à Romanis occiſus; tandem & locus non congruit: non enim in *Illyrico*, ſed circa *Mediolanum* perijt ad eum locum, qui nunc ab eo *Pons Aureoli* nuncupatur, recitátque Epigramma ſepulchrale à *Claudio* ſcriptum *Pollio* in 30. Tyrannis, quod exſcripſit *Vohburgius*. Ex quibus omnibus colligimus: *Illyrios*, ſi adverſus Romanos inſurgere voluiſſent, pro *Aureolo* potiùs contra *Gallienum*, qui ab *Aureolo* anno poſt Chriſtum 268. cæſus eſt, quàm adverſus *Aureolum Dalmatam* & apud ſe natum pugnaturos fuiſſe. Cæterùm ſolo *Aureoli* nomine prætermiſſo, in *Weleslavini* narratione, Chronologiæ nulla vis fiet, cùm ex Scriptoribus eorum temporum ſatis conſtet: *Sarmatas* hoc tempore An. C. 263. & ſequentibus vehementer in *Illyrico* Romanā vexaſſe militiam; quos *Vohburgius Gothos* fuiſſe putat, *Scytharum* nomine à Scriptoribus Romanis appellatos; at meliores è Romanis, & qui bellum hoc geſſerunt, non *Scythas*, ſed *Sarmatas* nominant, qui tum *Illyricum* infeſtârint, & *Slavi* poſtea ſunt dicti: certè *Claudius* in Epiſtola ad *Regillianum*, quam recitat *Trebellius*, gratias agens ob ſervatum *Illyricum*, monet eum, ut cautiùs vincat *Arcus Sarmaticos*. De eodem *Regilliano Trebellius* ſcribit: eum contra *Sarmatas in Illyrico* multa fortiter geſſiſſe, & authoribus *Roxolanis* fuiſſe interfectum. Rurſus *Gallienum* Imperatorem *Cecropii Dalmatarum Ducis* gladio (niſi error ſit in *Cecropii* nomine) interemtum immiſſis percuſſoribus; idem ipſe *Vohburgius ex Pollione & Zonara* commemorat.

Adverſus Codicillū.

Vohburg: ad A. C. 260. & ſeq.

Adverſus Vohburgium.

Trebell. in 30. Tyrannis 9.

Vohburg. ad A C. 366. Trebell. in Regilliano.

Digitized by Google

Fohlberg: ad A. C. 268. Vopiſcus in Probo.

morat. De *centum Sarmaticis Virginibus* captis, & fœdâ *Proculi* gloriatione, videatur *Vopiſcus*. His igitur annis, quibus tota *Sarmatarum natio* in Romanos ab imo commota eſt (ùt omnes eorum temporum Scriptores ſignificant) potuit *Czechus ex Illyrico* re aut malè, aut bene geſtâ, Romanorum arma fugiens, cum prima *Sarmatia* nobilitate in *Hercyniam* cultoribus magnâ parte vacuam, penetrare ſeſe, & apud populares ſuos *Sarmatas* (Slavos) ſeu invitatus, & in auxilium vocatus, ſeu alijs de cauſis, novas ſedes quærere, ac fœliciter invenire. Tantùm de *Codicilli* ſententia.

Gvagnini ſententia.

Alex. Gvagn: in Compendio Chronicor. Polon. in[illegible]

Alia de *Czechi* in has terras adventu ſingularia quædam profert *Gvagninus* Veronenſis, quæ unde acceperit neſcio: *Czechum* videlicet, & *Lechum* non cædis alicujus reos, ſed domeſticæ ſeditionis in *Illyrico & Dalmatia* pertæſos, uno conſilio, unâque mente in *Germaniam* procul abijſſe, & haſce omnes regiones transgreſſos, condidiſſe in *Veſera* ripa Civitatem *Bremie* (quæ vox Slavicâ lingvâ *onus* ſignificat) quo indicarent hîc ſe miſeriarum onus depoſuiſſe; *Czechum* poſtea in *Bohemia* conſediſſe; at *Lechum* fratré ultra progreſſum Regulum quendam Germaniæ duello viciſſe, Regnúmque illius cum tota *Pomerania* occupâſſe; *Lecho* mortuo, ad faſces Imperij *Polonici ex Bohemia* evocatum eſſe *Cracum*, cum fuiſſe Nepotem *Czechi Principis Bohemorum*, qui de ſuo nomine *Cracoviam* condiderit. Multa nova, narratio iſta *Gvagnini* continet; quæ an ſuſtineri poſſint alijs diſputandum relinquo; id tamen improbabile videtur mihi, tot intermedijs ſpatijs relictis, primo, ut ſic dicam, pedatu, *Czechum, & Lechum Bremam* uſquè per omnium Germanorum capita tranſſcendere potuiſſe; ijs aſſentior, qui lentè iſta peracta, & terras illas occupatas à *Slavis* paulatim, & temporis aliquâ intercapedine, docuerunt, videtúrque ipſe locorum & terrarum ſitus adverſari *Gvagnino*. Ad extremum jam nuper ex *Ptolemæo* docui An. C. 300. *Venedos* incoluiſſe *maris Venedici litora*, atque ita *Gvagninum* ſuos *Slavos* nimis tardè in *Pomeraniam* adduxiſſe.

Adverſùs Gvagninū.

Piaſecius in Chron. ſuor. tempor: init. f. 55.

Poſt hæc ſcripta venit in manus meas *Chronicon Pauli Piaſecij* ex Polona gente, Epiſcopi Præmislienſis, qui novam quandam ſententiam de *Czechi & Lechi* adventu aut commentus eſt ipſe, aut ab alijs inventam Chronico ſuo inſeruit; docet ergo *Piaſecius*: *Lechum & Czechum* nullas colonias novas, in haſce oras (quas nunc Slavicæ gentes, *Bohemi, Poloni &c.* incolunt) adduxiſſe, ſed cùm ſæpe *Germanis* adverſus Romanos ſuppetias tuliſſent, noviſſimè in clade *Quintilij Vari*, inter Auxiliares Germanorum ſub *Sarmatarum* nomine comprehenſos, duas *Romanas Aquilas* (ſigna Romana *Piaſecius* intelligit) intercepiſſe, & *Albam* quidem Aquilam *Lecho*, *nigram Czecho* obtigiſſe; veniſſe igitur ad populares ſuos *Czechum & Lechum* gloriâ plenos, ac *Sarmatarum & Slavorum* communi appellatione relictâ, bellicæ virtutis gratiâ *Czechos* ſe & *Lechos* (ſeu Czechitas & Lechitas) qui prælio interfuerint, & *Romanas Legiones* proſtraverint, appellari voluiſſe. Porrò jam pridem ante hæc tempora, *Sarmatas* ex finibus ſuis egreſſos, ſuperato in Dacia *Iſtro*, per *Mæſiam*, *Thraciam*, *Illyriam* diffuſos, ibidem veteribus incolis commixtos (qui fortè à primis ſæculis eodem idiomate, & habitu utebantur, & eâdem gente prognati erant, qui & ſub *Alexandro Magno* olim militaverant) conſediſſe, & magnum *Romanis* negotium faceſſiviſſe: *bella*, inquit *Piaſecius*, *& clades Romanorum, à Sarmaticis gentibus in Thracia, Pannonia, Dalmatia, Illyrico illatæ, legi poſſunt in Ammiano, Vopiſco, & Blondo. Ad hoc facit quod Tacitus narrat: à Roxolanis Sarmaticâ gente in Mæſia cohortes Romanas, proximâ poſt Neronis mortem hieme, cæſas, & ſub Ottone prælia cum ijs commiſſa fuiſſe, quódque Evtropius habet: ſub Domitiano in Sarmatia ejusdem Imperatoris Ducem*,

Piaſecij nova ſententia de Czechi advētu.

Ammian. l. 17. Vopiſcus in Aureliano. Bland: Dec: 1. Tacit l. 2. hiſt.

Eutrop. l. 7.

& Legionem deletam periſſe, & in Dacia ſeu Mæſia Sabinum, & Cornelium Fuſcum cum ſuis copijs, ab eiſdem oppreſſos fuiſſe, quod etiam Svetonius commemorat. hæc Piaſecius. ex quibus colligitur I. *Piaſecium* exiſtimare longè ante Chriſtum natum *Sarmaticas* gentes in *Thracia, Mæſia & Illyrico* habitâſſe, ac proinde fieri potuit, ut *Czechus & Lechus* inde orti, in *Bohemiam & Poloniam* ad populares ſuos advenerint. II. *Czechi & Lechi* in has oras adventum poſt A.C. 12. contigiſſe exiſtimat, cùm enim eo anno, *Quintilij Vari & Legionum Romanarum* clades, & cædes patrata ſit, neceſſariò cogitur *Piaſecius, Polonicæ & Bohemicæ* gentis originem, ad illud tempus referre. Huic ſententiæ *Piaſecij* aliquam authoritatem ex *Cromero* adjicere poſſumus, qui dubitâſſe videtur, an in *prima* (jam ante Chriſtum natum) an in *ſecunda* (circa A. C. 300.) *Slavorum* migratione, an in *tertia* poſt *Attilæ* tempora (de quibus capite ſexto & ſeptimo) *Czechorum & Polonorum* appellatio cœperit, illud enim ſtatuit: non ſtatim cum *Czecho Czechorum*, & cum *Lecho Lechorum* (quæ recentiora eſſe videntur) nomina extitiſſe, ſed poſteriore aliquo tempore *Czechitas & Lechitas* (quòd primi fortè apud eos *Czechus & Lechus* regnârint, cùm antè, ùt cæteri Slavi apud Procopium, *plebejâ, communiq; libertate viverent*) appellari cœpiſſe.

Sveton. in Domitiano.

Baron: in Annal. Eccl. A.C. 13.

Procop. l. 3 de bello Gotico.

CAPUT IX.

Accumulantur Authores de ætate Czechi.

Pauli Diaconi authoritas diligenter attendenda, quæ eſſe debet pro Cynoſura. Sabini de re tota ſententia adducitur. Noſtra conjectura, in quam plerique Authores inclinant. Grande aliquod meritum Czechi & Lechi in has gentes. Æneas Silvius refellitur.

Cuperem ego hoc loco Lectoris mei ſenſum intelligere, quid veriſimile exiſtimet, aut cui ſeſe parti velit addicere. jam ex optimis Scriptoribus magnum ſine dubio ad cauſam præjudicium fecimus; exorietur aliquis ſine dubio noſtris ex oſſibus, qui majoribus præſidijs inſtructus, rem totam ad liquidum adducet, tandémq; malè conciliatam litem definiet. Nihil ego certè unquam legi in *Bohemiæ Chronologia* controverſum magis: *Lazius & Rhenanus* annum adventûs *Czechi* poſuerunt vel ſub *Mauritio* (600.) vel ſub *Heraclio*, qui regnare cœpit An. 611. *Chytræus & Blondus* poſuêre Annum C. 600. *Welſerus* ævum *Attilæ* qui obijt 455. *Hagecius* 644. *Cuthenus* 639. *Sethus Calviſius* 645. *Cario* 450. *Spangenberg* 451. *Joannes Mathias à Sudetis* 407. vel 457. *Reuſnerus* 496. *Vapovius* 550. Audacter nimis litem hanc definire auſus eſt nobis Dictator unicus *Theobaldus*: A. inquit, 644. *Conſtante Orientis Imperatore, Rothario Longobardorum & Dagoberto Gallorum Rege, ſub Theodoro Pontifice Romano,* XV. die Julij (unde iſtud quæſo?) *Czechus & Lechus cum fratribus ſuis ſex (ut habet Pulkava, & Boleſlavienſe Chronicon) cum multitudine Heneta ſexcentorum numero in Bohemiam advenit &c.* ab his annis longiſſimè diſceſſerunt *Codicillus & Weleſlavinus* qui An. C. 278. adventûs *Czechi* probabiliter poſuerunt. *Piaſecius* adhuc

Chronologia Czechi incerta.

Theobald. in Huſſitic. init. & l. de Genealog: & Chronolog. Regum Boh.

Digitized by Google

huc maturiùs (ut antè dixi) poſt An: C. 12. cùm in clade *Quintilij Vari Czecho & Lecho Sarmatis*, qui erant inter auxilia Germanorum, duæ Aquilæ Romanæ captæ (nigra & alba) obtigiſſent. Ego neminem hoc loco refello, illud modò obiter adjicio: quicunque poſt annum 500. *Czechum* adveniſſe ſcripſerunt, ex *Paulo Diacono* à Welſero refutari, qui jam A. 595. magnam fuiſſe *Zechorum nationem* & vicinis formidabilem ſcripſit (ùt infrà dicemus) excreſcere autem nationem in peregrino ſolo, ut Exercitus ſcribere & ipſa metui poſſit, ſine dubio non unam ætatem, ſed fortaſſe etiam plura ſæcula requirit. Unde optimè *Carrio: Ego*, inquit, *exiſtimo Henetos etiam ante Gothica tempora mixtos fuiſſe Gentibus Teutonicis. Georgius Sabinus* Poëta nobilis, idémque Hiſtoriæ omnis ſcientiſſimus de *Gentis Polonæ* (quæ fraterna Bohemis eſt) *Originibus* ſcribens, plurima paucis perſtringit, quæ ad controverſiam finiendam faciunt, cujus verba hoc loco adferre magnum operæ pretium exiſtimo: *Non dubium eſt Polonos Henetam gentem eſſe, quæ & in Aſia, vicina fuit genti omnium laudatiſſimæ Jonicæ, & poſtea Duce Antenore, in Europam ducta, propinquas Græciæ ſedes in Illyrico occupavit, ac tenet etiamnum ad hoc tempus poſt bellum Trojanum annos circiter bis mille ſexcentos. Inde progreſſi ad Septentrionem omnia ad Iſtulam compleverunt. Nec de Henetis obſcura ſequor indicia: Gentium origines præcipuè appellationibus, & linguâ indicantur; quos verò hodie dicunt Venetos ſeu Venedos, hos eſſe Henedos oſtendunt appellatio, & locus: nam Henedos in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, conſediſſe affirmat Herodotus; deinde linguam Polonorum congruere cum Illyrica manifeſtum eſt, & cæterarum Urbium appellationes cognationem cum Polonis oſtendunt. Cùm autem in Aſia Genti Jonicæ, quæ ſine ulla dubitatione omnibus nationibus toto orbe terrarum omni civili cultu antecelluit, admixti fuerint Heneti, & paſſim in Europa Græcis, conſentaneum eſt & propter cæli ac Regionum temperiem & conſvetudinem humanæ vitæ idoneos ad Virtutem ſemper fuiſſe &c. Sæpe ego Scriptoribus illis ſuccenſeo, qui nec nomen Henetum, nec linguam conſiderantes, fingunt recens effuſam eſſe veſtram gentem ex horrida aliqua Septentrionis regione. Illud enim verius eſt: Vos & Joniæ, & Græciæ genti vicinos, progreſſos ex Illyrico ad Carpathum, bonam Germaniæ partem* (Bohemiam, & inde uſquè ad Oceanum terrarum tractus intelligit) *quondam occupaſſe, repreſſis ad ortum & Septentrionem barbaris, qui hæc loca mitiora appetebant. Inde Venedicus Sinus, in quem Iſtula influit, nominatus eſt. Hanc meam de veſtra gentis origine narrationem, video veram, & perſpicuis teſtimonijs confirmari poſſe.* Multa profectò paucis complexus eſt *Sabinus*, eáque ſcitu digniſſima. Si quis quid ego ſentiam, in re tam difficili & intricata, ac inſuper defectu Veterum Monimentorum incerta, ſcire, velit, huic ego animi mei ſenſum candidè aperio: procliviorem eſſe me in *Codicilli* ac *Weleslavini* hominum noſtrorum ſententiam, ſed majorem me in ijs Scriptorum authoritatem, præcipuè *Veterum* deſiderare; quamvis aliqui non deſint in tam denſis ſæculorum barbarorum tenebris, & tam multiplicibus & inexplicabilibus tot & tam variorum ſibique ſuccedentium Populorum migrationibus, quæ *Wolfgango Lazio* viro pereruditο ingens confecêre volumen; utinam *Lazius*, qui ſibi ſolas gentium Teutonicarum migrationes propoſitas habuit, *Venedicarum* quoque & *Slavicarum* gentium profectiones, & colonias utro citróque à *Slavorum* populis ductas proſequi voluiſſet, profectò volumen ſuum plurimum locupletaſſet, omnéſque ſibi hujus linguæ populos non parum obſtrinxiſſet! *Weleslavino* & *Cromerus* & *Velſerus* (ut ex eorum Monimentis

c. 11.

Carrio in Chronico.

Sabin. l. de nuptijs Sigiſmundi Auguſti Regis Polon. in præfat.

De origine Gentis Henetę, eámq; fuiſſe Aſiaticam.

Sententia noſtra de Czechi adventu.

Digitized by Google

mentis apparet) non multum adverſantur: quippe ut certum ſtatuunt, à *Czecho & Lecho Polonorum & Bohemorum* primordia ſumſiſſe, de tempore quo id acciderit, dubitare videntur. *Welſerus* temporis rationem, ait, eſſe in controverſia, *Cromerus* quoq; poſtquam diu fluctuaſſet ultimis primi libri Capitibus, eámque anxietatem ſuam manifeſtè prodidiſſet, tandem Librum concludens, *utroq;*, ait *tempore* (ſeu primo illo ante 300. Chriſti annum, ſeu poſtea ſub *Attila*, vel paulò poſt *Attilæ* regnum) *Slavi & Venedi, Sarmatiam, Vandaliam* (terras intelligit quas deſeruêre *Vandali*, ut Cap: X. probaverat) *Dalmatiam, Illyricum, Pannoniam, & intermedias Jazygum, Dacarúmque oras ditione tenuerunt;* quibus verbis innuere voluit, quocunque tempore dixeris *Czechum & Lechum* ex regionibus illis adveniſſe, perinde ſibi futurum, atque id contingere potuiſſe. Eadem eſt de *Piaſecii* ſententia, ratio: optarem Authores laudaſſet, qui in clade *Variana Czechum & Lechum* adfuiſſe, & *Romanas Aquilas duas legionum* eripuiſſe teſtarentur; deinde, fateor, in Romanorum ſignis, *Aquilas, Dracones*, aliáque ſimilia picta volitaſſe, at ipſa apud *Romanos Legionis Aquila*, priùs *argentea*, poſtea (luxu etiam in militia creſcente) *aurea* fuit (non *alba*, aut *nigra*) modicâ magnitudine, ut *Dio Caſſius* deſcribit, quæ ſummæ haſtæ inſiſtebat expanſis alis, pede fulmen aureum tenens; ſed ad poſtremum hoc quod objicitur facilè reſpondere poteſt *Piaſecius*: non tantùm *Aquilas*, ſed etiam ipſa *ſigna Romana* in prælio illo erepta fuiſſe Romanis. *Flori* verba ſunt de clade iſta loquentis: *Signa & Aquilas duas adhuc Barbari poſſident; tertiam ſignifer priùs quàm in hoſtium manus veniret, evulſit, merſámq; intra balthei ſui latebras gerens, in cruenta palude ſic latuit.* Exiguam hanc animadverſionem adjicio: potuit fateor, *Czechus* in ſecunda illa *Venedorum* in has terras immigratione circa Annum Chriſti 300. cum populo, in *Bojohemum* advenire (ut ſentiunt *Weleslavinus, & Petrus Codicillus*) potuit etiam, ut *Piaſecius* putavit An. C. 12. *Czech & Lech* poſt *Vari* cædem, hîc ſibi ac ſuis commilitonibus ſedē ſtatuere; at cùm de *Czechis & Lechis* altiſſimum ſit apud eorum temporum Scriptores ſilentium, cúmque adhuc eo tempore *Bojorum & Marcomannorum*, quaſi in his terris commorantium nomen legatur, exiſtimo *Czechi & Lechi* adventum inter A. C. 400. & 454. veriſimiliter (dum certiùs aliquid adferatur) ac etiam probabiliùs collocari. Obſervandum & illud eſt: grande neceſſariò meritum in *Slavicas* gentes (quæ poſtea per *Bohemiam, Poloniam*, tótque latè provincias ſeſe effuderunt) fratrum iſtorum *Czechi ac Lechi* præceſſiſſe, ut abolito, ſeu *Vendorum* ſeu *Sarmatarum*, ſeu *Slavorum*, aut quocunque alio nomine, *Czechitas* ſe, aut *Lechitas*, non aliter, appellari voluerint; id amori ipſorum Ducum, mitiſſimè, ſummâ populi voluntate regnantium, aut quòd commodè ingentia auxilia adverſus vicinos *Germanos* genti ſuæ attulerint, aut quòd lectiſſimâ nobilitate (id enim etiam traditum legimus) ſtipati advenerint, & *Bohemiam & Poloniam* generoſâ illa ſobole (quod alibi probabimus) impleverint, aut quòd *Patriam* ab hoſtibus purgârint, aliòve nomine bene mereri de patria ſtuduerint, tributum exiſtimo. *Silvius* non ſatis probabili invento: *Czechum*, quòd primus *Bohemiæ* incolas arare, & terram colere docuerit, *Principem* à populo nominatum ſcripſit. An credibile eſt, quod omnes tum populi, vicini æquè ac remoti nôrant, Terram ad ſegetes præparare, id *Bohemos* ignorâſſe, & niſi à *Czecho* docerentur, etiam *Pane* carituros?

de Aquila Romana Alex. ab Alex. l. 2. C. 2. Lipſ. in Tacit. & de Militia Rom.

Dio Caſſ. l. 40. & 43.

Flor. l. 4. Epitom. C. 12.

Czechi & Lechi grande meritum in Gentes Slavorum.

Silv. in hiſt. Boh. init.

Supereſt ultima, eáque ut antè dixi, non tam difficilis, quàm incerta quæſtio; an revera è *Croatia* per *Pannoniam*, ac *Moraviam*; an rectâ è *Sarmatia*

An Czech & Lech ex Illyrico, an ex Sarmatia advenerint.

Sabellicus Enneade 8. l. 2. et de vetuſtat. Aquileiæ l. 4 fin Goldaſt. l. 4. de Boh. C. 9.

matia per Getas, Dacas, Myſos, an aliunde ex *Wandalorum* ſedibus occupatis, *Czechus & Lechus* prodierint? *Sabellicus* diſertè ſcribit, in ſecunda *Slavorum* migratione, *Slavos à Cimmerio Boſphoro per Tanain & Mæotidem paludem* (ut etiam *Vadiano & Decio* adductis *Goldaſtus* exiſtimat) bipartitò digreſſos, partem unam ad dextram deflexiſſe, ſciſsámque eſſe in duos populos, *Bohemos & Polonos*, alteram transmiſſo *Danubio*, ſecundùm *Savum* amnem ad *Dalmatiam* uſquè ſedes tenuiſſe, nihil mutato nomine; *Blondus* verò, & *Crantzius* tradunt: *Slavos è Polonia* demum, & *Bohemiâ* profectos, Orientales illas Romani Imperij Provincias invaſiſſe. Ego non magnopere pugnabo, modò ſuum *Czecho & Lecho* advenientibus tempus tribuatur de totius antiquitatis conſenſu. *Dreſſerus* Slavos *Illyricum*, & mari *Adriatico* propinquas oras, *Juſtiniano & Mauritio* imperantibus invaſiſſe tradit. Congruit *Rhenanus*, aitque (ſed tempus non addit) *Slavos* cùm finitimis ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratiæ, tandem populariter tranſeuntes in *Illyrico* conſediſſe, & ex his partem aliquam deinde *Bohemiam*, & regionem proximam, quàm à fluvio *Maravaha Maravaniam* appellant, occupâſſe; nam *Marcomanni* cum *Hermunduris* jam pridem in *Noricum & Vindeliciam* tranſierant. Citatur in hanc ſententiam & *Suidas*. Idem ſenſiſſe poſtea videtur *Bonfinius*, cùm *Slavoniam Ungaricam*, *Bohemorum Coloniam* appellat. Clariùs id expreſſit alio loco: *Slavi*, inquit, *è regionibus tranſiſtrianis* (Bonfinio ſcribenti *trans*, nobis *cis Danubium*, ex noſtra videlicet ripa) *promanarunt, atque Iſtriam, & Dalmatiam occuparunt, eámq; à ſe Slavoniam dixêre. Primas ſedes* (pergit Bonfinius) *trans Danubium non relinquêre: ex quibus Bohemi, Poloni, Amaxobij, ſive Rutheni, & Roxolani adhuc permanent.* Videat Lector *Bonfinium* clarè docere, conſtitutâ jam *Bohemiâ* in his noſtris ſedibus, *Bohemos* noſtros coloniam duxiſſe, & *Slavoniam Provinciam* fundâſſe, ac populo impleviſſe. Idem, ut antè dixi, habet *Crantzius*, & *Blondus*, & *Ungarici* plerique Scriptores, ac ferè omnes, qui de *Slavonia* egerunt, ipſíque incolæ ex Majorum traditione à *Bohemis* ſe ortos gloriantur. *Beſoldus* id factum eſſe putat An. C. 526. citátque in eam rem *Sabellicum*; at *Sabellicus de ſecundo* in has oras *Slavorum* adventu loquitur, non de *colonia Bohemorum*. *Crantzius* Annum ponit 583. quo Bohemi in *Dalmatiam è Bohemia* tranſierint. Chronicon Mundi incerti Authoris An. C. 1492. Norimbergæ Typis expreſſum de *Dalmatis* agens, diſertè adjicit: *Slavos Dalmaticos è Bohemis ortos eſſe*; annus quo id geſtum ſit, non additur. *Bollandus* noſter Vir omnis hiſtoriæ ſacræ ac profanæ ſcientiſſimus ex *Procopio & Fredegario* demonſtrat apertiſſimè: Slavos An. C. 547. & ſequentibus, *tranſito Danubio* inter alias Provincias *Carinthiam* quoque obtinuiſſe, diúq; ſine Rege fuiſſe, gravi deinde ab *Hunnis* ſervitute oppreſſos, Regem ſibi elegiſſe *Samonem* natione Francum, cujus induſtriâ libertatem recuperârint. Electum eſſe *Samonem* An. C. 623. regnaſſe Annis 35. hiſce Slavorum gentibus *S. Amandum* Epiſcopum Trajectenſem Evangelium Chriſti prædicâſſe. Similia habet idem *Bollandus* in vita S. *Domitiani* Slavorum Ducis ac Martyris ad 5. Februarij, docétque à *Slavis Venedis* regnante *Dagoberto*, *Francos* eſſe repulſos circa An. C. 637. contrà quàm *Aventinus*, *Lazius & Megizerus* tradiderant, videlicet: *Slavos cum Semone* Rege à *Dagoberto* ſuperatos, & ſervitio ſubactos eſſe, quod verum non fuit. Ex his quæ *Bollandus* adducit, & invictis argumentis comprobat, habemus: *Slavorum & Czechi* in has oras adventum, longè ante annum Chriſti 600. imò ſi ſpectetur ratio, etiam ante 500. & 400. ponen-

Blond. hiſt. Dec. 1. l. 1. Crantz. in Wandalia. Beſold. in Synop. hiſt. univ.

Dreſſ: P. 5. Iſagog. hiſt.

Rhen. l. 1. rer. Germanicar.

Suidas in Lexico. Bonfin. hiſt. Ung. Dec: 1. lib. 10. init. Id: Dec. 1. l. 8.

Bohemi Slavi Coloniã duxêre in Slavoniam.

Beſold. in Synop. hiſt. univ.

Bolland. in Vitis SS. Febr. Tomo I. ad 6. Feb. Comment. prævio §. 9.

Adventus Slavorum in Bohemiã prius quàm cæteri ſtatuant, ponendus.

ponendum eſſe. Quâ enim ratione *Novus* & recens tum *Slavorum* Populus ex *Bohemia* & ſedibus hiſce transdanubianis in *Slavoniam*, *Carinthiam*, *in Dalmatiam* & reliquum *Illyricum* tam numeroſos exercitus, & tot colonias ſuorum emittere potuiſſet? conſulatur *Epitome* noſtra *hiſtorica*, in qua hanc dubiam, & multum controverſam quæſtionem ventilavimus & quid veriſimile videretur ex authoritate optimorum Scriptorum ſtatuimus; aliqua etiam ad hanc quæſtionem facientia, ſeqventibus Capitibus adferentur.

CAPUT X.

Wandalorum migrationes breviſſimè percenſentur. Wandalorum geſta Czechorum genti nullâ ratione poſſunt adſcribi. Wandali nunquam habitârunt in Bohemia. Eorum ſedes, quas poſtea Slavorum populi occupârunt.

W*Andalorum* Gens quàm fortis, tam barbara, maximis rebus in Evropa bello geſtis, poſtquã diu *Orientale & Occidentale* Imperium fatigaſſet, & rem Catholicam in ſum-
Wandali quamdiu regnârint, & ubi. mum diſcrimen adduxiſſet (propterea quòd Gens univerſa *Arij* impietatem ſequeretur) tandem in *Africa* (in quâ ex *Hiſpania* An. 428. transgreſſa fuit) Annos præterpropter 95. in Eccleſias debacchata, etiam ipſa, ut omnia Regna cætera, fatali temporum periodo, & lege urgente concidit, victo *Gilimere Wandalorum* Rege, quem *Beliſarius* Vir præſtantiſſimus à ſe captum in triumpho An. 534. *Conſtantinopoli* duxit, ut *Procopius*, qui interfuit, narrat. Legantur & alij, qui de rebus *Wandalorum* ſcripsêre, eâque ætate vixêre, ut *Victor Uticenſis*, *Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus*, *S. Proſper*, *Zoſimus*, *Oroſius*, *Caſſiodorus*, & alij antiqui, noviq; Scriptores, *Lazius*, *Baronius*, plurésque alij. Hanc *Wandalorum* gentem à *Slavis* Bohæmiæ incolis, verbo *Czechis & Lechis* toto cælo lingvâ & moribus truculentis diverſam (quod nullus unquam Authorum prioris ævi ſomniârat, & nos antea, ne fando quidem audieramus) Nuperus quidam Scriptor *Bohemiæ* conjungere tentavit, etiam Chimærâ in nomine ipſo inventâ & excogitatâ, ut poſthac *Vandalobohemi* dicamur. *Wandalos* igitur in *Bohemiam* neſcio quando veniſſe, & pulſis *Marcomannis* gentem maximam fundaſſe affirmat. Ajo: etſi *Wandali*, Wandali nunquam
Slavica gens fuiſſet, (quod, ùt brevì dicam, falsò aſſeritur) tamen nè unum incoluêre
quidem vetuſti, & probati Scriptoris Bohemiã.
teſtimonium proferri poſſe puto, quo *Wandalos* intraſſe, & incoluiſſe *Bohemiam* demonſtretur. Peto mihi tempus quo id contigerit, conſignari! unicus atque is non antiquus Scriptor ex noſtris, ſuperiore ſæculo, *Cuthenus* in C. I. hiſtoriæ Bohemorum Æneæ Silvij, poſtquam narraſſet: *Maroboduo* Ravennæ detento, populum ejus *(Marcomannos)* vexatos à vicinis, qui regionem eorum occupârint, ſubjicit: *Wandalos quoque circa An. C. 368. & 480. in hac terra conſediſſe, ac propagatos fuiſſe*, addit tamen continuò *Cuthenus: errant verò qui nos à Wandalis ortos putant: nam ij Germani fuerunt, & diverſi ſunt lingvâ:* idem *Cuthenus* initio Capitis docet: Regem Octavum à *Tuiſcone* (à quo *Teutones* dicti ſint *Tuitzen*) *Wandalum* appellatum,

Digitized by Google

tum, à quo *Wandali* nomen acceperint. Equidem fateor *Wandalos* eas tenuiſſe ſedes ad fontes *Viſtulæ*, quas poſtea (*Wandalis* in *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Africam & Italiam* migrantibus) *Slavorum* populi obtinuerint; at id in *Bohemia* factum, & *Wandalos* apud nos habitâſſe nego, pernegóque. *Jornandes* vetus Author libro de *Bello Getico* memoriæ prodidit:

Wandali ubi locorum habitârint.

Wandalos ea loca tenuiſſe, quæ ab *Oriente* quidem *Gothos* (quos tum in *Dacia* habitâſſe ſcribit) ab *Occidente Marcomannos*, *à Septentrione Hermunduros*, *à Meridie Danubium* finitimum habuerint. Conferat oro Lector, hodiernum *Bohemiæ* noſtræ ſitum, & videbit, Solis ipſius teſtimonio, *Marcomannos*, (qui tum magnam Moraviæ, Bohemiæ & aliquam Auſtriæ partem cis Danubium implebant, ùt nuper dixi) Marcomannos inquam, & qui eis ſucceſsêre *Moravos*, non occidentales nobis, ſed prorſus *Orientales* eſſe.

Goldaſt. l. 1. de Boh. C. 9.

Goldaſtum audiamus: *Wandali fuêre Germani, & habitârunt in inferiore Saxonia & Polonia: Welſerus, Cromerus, Theobaldus, Meibomius, Sudetu.* hucuſquè Goldaſtus, ſed falsò citatis Authoribus, qui *inferiorem Saxoniam* nunquam nominârunt.

Vohburg. ad A. C. 180.

Voburgius diligentiſſimus Germanicæ Antiquitatis Indagator, poſtquam *Wandalos* ſeu *Vandilos*, Germanorum populos fuiſſe probâſſet, duplicem *Vandalorum* ſedem oſtendit, primam circa *Viſtulam* flumen; poſtea promovêre ſeſe, ùt cæteræ gentes *Vandali*, & ad *Danubium*, vel non longè ab eo, conſedêre.

Cromer. l. 1. hiſt. Pol. C. 5.

Cromerus ait: *Wandalos* cùm è *Scania*, ſive è *Mari Balthico*, ſive aliunde, ad *Mæotin* paludem priùs veniſſent, inde versùs meridiem, & Occidentem profectos, inter Sarmaticos Montes & *Iſtrum*, ſeu *Danubium in Jazygum Metanaſtarum* finibus, & in *Pannonia* conſediſſe. Sed neque hîc inquietiſſima, & ſemel natalibus locis mota Natio, diu quieſcere potuit: collectâ enim universâ ſuorum multitudine, conjugibus, & parvis liberis, ſuperato *Rheno*, A. C. 406. pridie Calend. Januarij, partem *Galliarum*, & *Rhætiam* ſupra *Lycum* occupavit, indéque in *Galliam & Hiſpaniam*, deinde in *Africam & Italiam* commigravit; quod *Procopij* (qui de bellis Wandalicis eodem tempore ſcripſit) *Jornandis & Blondi* apertiſſimis teſtimonijs *Cromerus* evincit. *Dalecampius* in Plinium ad caput Viſtulæ *Vandalos* habitaſſe annotavit; *Antonius* quoque *Bonfinius*, etſi *Wandalos Slavos* eſſe falsò putârit, eos tamen cum pleriſque alijs, ab ortu *Viſtulæ* fluminis, quà in Aquilonem vergit, per immenſa ſpatia olim diffuſos fuiſſe teſtatur; quâ igitur ratione *Bohemiam* inhabitâſſe dici poſſunt, *Bohemia* certè *Viſtulæ* ejúsque fonti, non *Aquilonaris*, ſed prorſus *Occidentalis* eſt, Aquilonares verò *Hermunduri*, ad quos in Septentrionem *Wandali* porrexêre ſeſe, ùt modò ex *Procopio* dicebamus; atq; inde factum exiſtimo, ut *Albim* fluvium, quem *Tacitus* apud *Hermunduros* oriri ſcripſerat, *Dio Caſſius* ex *Wandalicis montibus* dixerit oriri, quòd videlicet in utriusque gentis limitibus naſceretur.

Procop. lib. duobus de bello Vãdalico. Victor Uticenſis de perſecut. Vandalica. Salviã. in lib. de Provident: S. Proſper in Chronico l. 6. Oroſi: in hiſt. Caſſio: in Epiſt.

Lazius l. 8. Baron. in Annal. Ecc. Dalecamp. in l. 4. Plinij C. 14. Bonfin. Dec. 1. l. 1. Lazius l. cit.

Wandali nunquam Bohemiam ingreſſi.

Adde quòd *Chronologia* ipſa, & temporum ratio, quæ omnis hiſtoriæ purum & *virgo ſolum* (ùt ita loquar) cenſetur, huic *Wandalorum* in Bohemia commorationi repugnet: quo enim anno *Wandalos Bohemiam* ingreſſos à *Mæotide* illâ palude faciemus? ante Chriſtum dicere nó poſſumus, *Boijs* (à quibus *Bojemiæ* nomen) omnia occupantibus, *Tacito* ſilente, & omnibus qui de *Boijs* egerunt; at neq; poſtea: ná paulò poſt Chriſtum in terris natum *Marobodus Bojemiam* (non Wandaliam) *Marcomannis* popularibus ſuis implevit, ùt ex *Tacito* patet, Romanis imperante *Tiberio*; deinde *Bojemiam Marcomanni*, ùt ſuperiori Capite oſtendi, & ex *Zoſimo*, *Victore*, *Trebellio*, *Vopiſco*, *Ammiano*, *Paulino*, ac cæteris liquet, ultra annum à Chriſto nato 260. cum *Boijs*, aut ſine illis (utrum velimus, non

Brunnero. Velſero. Adelzreit: &c.

Zoſimus l. 1. Chron. Epitom. Treb: Vopiſcus in Aureliano. Victor &c. Ammian. l. 29. hiſt.

Digitized by Google

non refert) tenuêre. Si poſt hæc tempora veniſſe dixeris, victus es, neq; tempus invenies. Conſtat enim circa annum *Chriſti* 336. *Vandalos* degentes ad caput *Viſtulæ* ſedibus ſuis à *Gothis* depulſos, *Conſtantini Imperatoris* in Oriente permiſſu, *Pannoniam* intrâſſe, eámque annis fermè quadraginta, aut 60. (rectiùs 70. ùt patet ex *Baronio*) inhabitâſſe. Inde vocatos à *Stilicone* Magiſtro Equitum Conſulari, Patricióque Viro in *Gallias*, atque inde in *Hiſpaniam & Africam* immigrâſſe. Ita *Antonius Bonfinius*, & in Chronologia Ungariæ *Joannes Heroldus*, in hiſtoria Poloniæ *Cromerus*, & vetuſtiſſimi Authores *Jornandes & Procopius* (qui diſertè *Vandalos Germanos* & ex *gente Gothica* ortos affirmat) aliíque innumeri. De *Wandalorum in Galliam* incurſione audiamus *Baronium*, invictâ Scriptorum ejus temporis authoritate munitum: *Hoc ipſo Anno* (videlicet 406.) *Wandalos & Alanos tranſito Rheno Gallias invaſiſſe & deprædatos eſſe S. Proſper horum malorum inſpector tradit in Chronico, Caſſiodorus, atq; etiam Zoſimus, qui iiſdem Wandalis permixtos fuiſſe Svevos tradit. Porrò omnes has barbaras gentes proditione Stilichonis ex Wandalis ducentis originem, accitas eſſe & immiſſas in Gallias Oroſius horum temporum Scriptor diſertis verbis affirmat.* hæc *Baronius*. Quando igitur *Wandali Bohemiam* noſtram ingreſſi ſunt, dic ſodes, quisquis tibi *Wandalos in Bohemia* confingis, & ex *Wandalis Bohemos*, ex *Bohemis Wandalos* conaris efficere? *dic aliquem ſodes, dic Quintiliane colorem!* ſæculum (ſi annum nô potes) nomina! hîc hæret, & hærebit quisquis eſt! & malè hiſtoriam ſine authoritate, ſolis conjecturis ſcribi neceſſe eſt, ſerò tandem fateatur.

Bonfin. Dec. 1. lib. 2. Herold. in Chronologia Ungariæ. Jornand. de bello getico. Procop. de bel. Wandalico. Crom. l. 1. C. 5.

Baron. Tomo V. Annal. Ecc. A. C. 406.

Zoſimus l. 6. Oroſ. l. 7. C. 38.

CAPUT XI.

Graviſſimis Authorum maximorum teſtimonijs particulatim oſtenditur: Wandalos Germanicam gentem fuiſſe, & Germanicâ uſos lingvâ. Gothorum gentes Religionem Chriſtianam amplexæ, demum Arrianiſmo corrumpuntur.

Wandali Germanicè locuti.

AD alterum quod propoſueramus dicere: utrúmne *Wandali Slavica* natio (ùt quidam volunt) an contrà *Germanica* fuerit, & an *Slavico* ſermone ſit uſa, veniamus; nam ſi conſtet, probatúmque fuerit, *Wandalos Teutonicè* locutos, conſequens erit, *Slavorum* populos ab ijs deſcendere non potuiſſe. Quæſtionem hanc tractavit pridem *Martinus Cromerus* in hiſtoria Polonorum, tantâ diligentiâ, támque claris & evidentibus Scriptorum Veterum teſtimonijs, *Wandalos Germanicam* fuiſſe gentem oſtendit, ut quid reſponderi ab adverſarijs poſſit, non videam; ex látere tamen, ut ſic dicam, velut ex inſidijs excurſu aliquo petitus eſt à nupero Scriptore, qui rectâ fronte & acie non auſus concurrere, latera carpſit. Ac primùm authoritatem allegat *Münſteri*, *Crantzij*, *Fabricij*, *Blondi*, qui *Wandalos Wendos & Slavos* nullo diſcrimine, pro eadem gente ſemper acceperint. Miror Scriptorem novitium, nunc demum, hiſce authoribus paucis, tantum tribuere, qui alioqui omni authoritate contemtâ, adverſùs ætates omnes, & integrarum nationum conſenſum, & memorias à Majoribus traditas, conjecturis pugnat, quas non aliter ferè, quàm imbecillimo ex Nominibus

Digitized by Google

nibus quibuſdam argumento, tuetur; Authoritati inprimis authoritatem, deinde invictas rationes opponam, ut Lectores Romanum illud dicere poſſint: *hac pars major*, (imò & ſanior & eruditior) *videtur.*

Authoritas Welſeri.

Welſerus agmen ducat *Boicæ* hiſtoriæ princeps libro quarto diſertè affirmans: erráſſe *Crantzium*, qui *Slavos*, hoc eſt (ùt ait ille) *Venedos*, *Wandalos* appellârit. Hæc affirmat hiſtoriæ noſtræ non ignarus aliquis, ſed peritiſſimus, qui Veterum *Bojemorum* in hac regione Noſtra degentium hiſtoriam accuratè examinavit, & quinque eruditiſſimis libris complexus eſt, in quibus nihil traditum invenias, quod non multiplici Veterum Scriptorum, Romanorum æquè, ac aliorum authoritate & teſtimonijs confirmet.

Raderi, Brũneri.

Eandem ſententiam etſi perpaucis expreſſit doctiſſimus *Raderus*: *vaſtabant* (inquit) *hâc tempeſtate Boicam Slavi ſeu Venedi, quos ex vulgi errore Wandalos appellabant &c.* Audiamus & *Brunnerum* Virum omnis hiſtoriæ ſcientiſſimum, totidem propè verbis loquentem: *hac tempeſtate Slavi Venedi (quos vulgus Scriptorum communem errorem errantium Vandalos appellat) ſedibus ſuis effuſi, factâ in Boicam irruptione, &c.*

Rader. in Bavaria S. in S. Marino f. 54.

Cuthenus quoque patrius Scriptor, qui *Æneæ Silvij* Bohemiam An. C. 1539. Notis quibuſdam illuſtravit, *Octavum à Tuiſcone* Germanorum Regem *Wandalum* nominat, à quo nimirum *Wandali Germaniæ* populi nomen acceperint, ùt ſuperiore Capite dixi.

Cuth. in C. 1. Silvij.

Sed majus, ùt reor authoritatis pondus, tum ob vetuſtatem, tum hiſtoriæ omnis ævi ſcientiam ex *Nicephoro Calliſto* ſententiæ noſtræ accedet. Is ergo in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quam *Joannes Langus* ex Græco primus in Latinum convertit libro 14. C. 56. ſic habet: *Eâ tempeſtate plurimæ, maximéque Gothicæ Gentes in ſeptentrionali parte ad Iſtrum paſſim diſperſæ erant. Inter quas præcipuæ quatuor judicio ipſarum celebres fuêre: Gotthi ſcilicet, Wiſſegotthi, Gepides & Wandali non aliâ re quàm nominibus ſolis inter ſe diſſidentes: omnes enim lingvâ unâ, & eodem vivendi inſtituto utebantur, deteſtandam Arij doctrinam ſequentes; ſicuti in hiſtoria Valentis commemoravimus.*

Brun. Annal. Bojor. l. 5. n. 8.

Nota.

Nicephori Calliſti Græci in re noſtra authoritas.

Hi Honorio & Arcadio imperantibus, Danubium transgreſſi, in finibus Romani Orientalis Imperij conſederunt; pergit poſtea narrare, ſedes ſingulorum, & quam Imperij partem invaſerint: *Gepides quidem, qui in duos populos diviſi ſunt Longobardos & Avares, oram eam, quæ ad Singidonem, & Sirmium eſt, incoluêre. Wiſſegotthi autem Alarico de quo ſuprà diximus, duce, Romam & Italiam populati, atque in Galliam inde profecti, cùm omnia iſthic in poteſtatem ſuam redegerunt, tum Conſtantinum Britanniæ tyrannum occiderunt. Porrò Gotthi, qui antea Pannoniam, eique circumquaque vicina loca occupaverant, Theodoſij junioris decimum nonum annum imperantis permiſſu, in finitima Thraciæ regione habitârunt; atque ubi iſthic annos 58. tranſegêre, Zenone Romanum Imperium adminiſtrante atque jubente, Theoderici Principis eorum ductu, tranſeuntes inde, occidentale Imperium occupârunt. Wandali verò Alanis ſibi & Germanis qui Franci dicuntur conjunctis, Gongidiſclum Ducem tum habentes, Rhenum tranſierunt, atq; in Hiſpania ſedes fixerunt, quæ prima ab Heſperio Oceano Europæ regio eſt &c. Wandali freto transmiſſo, ex Hiſpania in Africam venêre, &c.* vide quàm accurata, & quàm diligenter ſuis diviſa, & conſignata temporibus narratio ab homine græco, cui genti, eorúmq; Orientalibus Imperatoribus dum adhuc ad *Iſtrum* ſederent *Gothi* (longè antequam Occidentale Imperium proculcâſſent) cum ijs gentibus ſæpe negotium fuit, quæ bella idem *Nicephorus* libris prioribus, & maximè libro undecimo à C. 48. perſequitur, & *Cæſar Baronius* integro ferè volumine quinto Eccleſiaſticorum Annalium. Quâ ratione autem ad *Chriſtum Gothorum*

Gepidi.

Longobardi.

Avares.

Wiſigothi.

Wandali.

Alani.

alij Modogiſclum vocant.

Digitized by Google

Gothi Arriani.

rum gentes jam inde à *Conſtantini Magni* temporibus acceſſerint, quâque ratione agente *Ulphilâ* eorum Antiſtite corrupti, Arij impijſſimam ſectam, amplexi ſint, vide eundem *Nicephorum* libro XI. Capite 48. & hæc ipſa, an de *Gothis* omnibus intelligenda ſint,

Baron. Tomo IV. ad A. 370.

Baronius alio in loco prolixè ſatis explicuit, oſtenditque non de univerſis, ſed de aliqua *Gothorum* parte accipi oportere; nam totam gentem pridem Chriſtianam fuiſſe, multóſque ex Gothis pro eadem Religione poſt An. C. 370. acerbiſſima ſupplicia, ipſámque mortem pertuliſſe (quos Eccleſia colat ût *Martyres*) luculentè demonſtrat. Porrò à *Gothis* ſocietate lingvæ conjunctis, probabile eſt Chriſtianam religionem *Wandalos* didiciſſe, illud ex omnibus eorum temporum Scriptoribus conſtat, docétq; *Baronius*:

Idem ad An. 427.

Wandalos cùm per *Germaniam*, *Galliam*, ac cæteras *Europæ* provincias arma circumferrent, jam tum hæreticos & *Arianos* fuiſſe; ût etiam *Nicephorus* paulò antè citatus affirmat.

Wandali fuêre Ariani.

Ad propoſitam principio quæſtionem de *Vandalis*, quos *Germanicam Gentem* fuiſſe aſſerimus, revertamur: Veteres omnes *Romani Scriptores* nobiſcum faciunt: *Tacitus in Germania ſua* ipſo libri initio Germanæ gentis, ſeu veras, ſeu fictas origines à *Tuiſcone* & *Manno* filio recenſens, *quidam*, inquit, *licentiâ vetuſtatis plures DEO ortos, pluréſque gentis appellationes Marſos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant.*

Wandali Germani.

Plin. l. 4. hiſt. nat. C. 14.

Sequatur Plinius: *Germanorum genera ſunt quinque: Vindili, quorum pars Burgundiones &c.* in quem locum *Dalecampius* Vir eruditiſſimus: *Vindili, ſeu Wandali à vocabulo germanico* Wandelen/ *quod peregrinari ſignificat.*

Dalec. in Notis.

In eadem nobiſcum ſententia *Philippus Cluverius* Geographus ætate noſtrâ præſtantiſſimus fuit, qui inter Germaniæ Veteris populos, *Wandalos* nominavit, *Godefridus Viterbienſis* in rem noſtram aptiſſimè narrat: *Vandalos* ad idolum ſuum *Godam* acceſſiſſe, victoriam de *Vinnulis* poſtulantes, tum ſubijcit: *unde uſque hodie Got Teutonicâ linguâ dicitur DEUS.*

Cluverius in Germ. antiq.

Godefridus.

Audiamus etiam *Dreſſerum* Hiſtoriæ Septentrionalis peritiſſimum, cujus apud me maxima eſt authoritas (niſi cùm affectu ſiniſtro in Romanam Sedem & Catholicos incitatus in tranſverſum rapitur) ita ſcribentem: *Vandali Germani populi à* Wandelen *hoc eſt à vagando dicti, olim ad Viſtulam in Polonia conſederunt. Hi circa A. C. 400. adſcitis Svevis ad 300. millia hominum coëgerunt, & transmiſſo Rheno impreſſionem in Galliam fecerunt, omnia inflammârunt, & diripuerunt. Inde peragratâ, direptâque Hiſpaniâ irruerunt in Africam circa Annum Chriſti 430. eámque in poteſtatem ſuam redegerunt: imò ipſam quoq; Carthaginem occupârunt; nec inde expelli ſeſe paſſi ſunt, niſi facto fœdere amicitiæ. at poſtquam multos annos ibi dominati fuiſſent, deleti ſunt.* Hæc Dreſſerus.

Dreſſ. in Iſagoge hiſt. p. 5.

Wandalos quoque *Germanos* fuiſſe non Slavos *Goldaſtus* ex *Theobaldo Meibomio*, *Joanne Mathia à Sudetis* oſtendit, ût antè dixi.

Gold. l. 1. C. 9. Theobald. l. de Geneal. Reg. Boh. Meib in Notis ad Leopoldi chronicon. Sudetis tr. de origi. Czecho:

(✠)

CA-

CAPUT XII.

Ex Colonia Wandalorum in Burgundiam deducta probatur: Wandalos Slavicè non eſſe locutos, ac proinde Bohemis originem non dediſſe. Novitij Scriptoris in Wandalorum hiſtoria plurimi Errores breviſſimè refutantur. Venetiæ non ſunt à Wandalis conditæ, ſed à Venetis, vel Henetis, neque Vindelici à Wandalis prodiêre, cùm ipſis Wandalis ſint antiquiores. Wandali Chriſti fidem amplexi, longè antè quàm Bohemi Czechitæ. Plura alia argumenta, ex quibus clarè evincitur Wandalos, nihil ad Bohemos pertinere. Piaſecius pro nobis, non adverſùs nos facit. Lingvæ multùm tempore immutantur.

SCriptorum graviſſimorum teſtimonijs, quę in ejusmodi *quæſtione facti*, ùt vocant, vim maximam obtinere meritò debent, ſuccedant probabiles, ac propè dixerim inexpugnabiles conjecturæ, eæque argumentorum vicem in re procul ab hominum memoria poſita occupabunt: affirmant Scriptores uno ore omnes, *Wandalos* (aut potiùs unam aliquam *Wandalorum* partem ad 80. millia) aliquo tempore (ſub *Auguſto* id factum putat *Bonfinius*) ſuis ſedibus egreſſos *Burgundiorum Regnum* fundâſſe (nam etiam Plinius *Burgundiones Wandalorum* partem affirmat) cúmque extra Urbes & oppida à *Tiberio & Druſo* disjecti) citat in eam rem *Tacitum Bonfinius*) vicatim more patrio habitarent, & vicos quos patriâ linguâ *burgos* vocant incolerent, *Burgundiones* ùt ait *Oroſius*, dictos eſſe. Hæc certa ſunt, quæ nemo quòd ſciam hucuſquè vocârit in dubium; at quod ex inde quidam conficiunt: *Wandalos Slavos* fuiſſe, id tam ridiculum eſt, ut hoc telo maximè, qui vibrant, vulnerentur. Quæro inprimis quæ lingua vocabulo *Burg* utatur, an *Germanica*, an *Slavica*? Slavicæ omnino inuſitata *Burgi* vox eſt, quam apud *Germanos* audimus quotidie, ſedémque apud illos & habitationem ſignificat; hinc tot Urbium Germanicarum vetera, & nova nomina *Augspurg*, *Auguſtiburgium*, *Strasburg*, *Uraniburgum Tichonis* aliáque innumera, cùm nè unum dare poſſis à *Slavis* conditum oppidum quod in *burgum* deſinat (nam *Nymburgum à Bohemis* conditum & Wicemilow appellatum, cùm *Germani* deinde inſtaurâſſent, *Nimburgum* vocaverunt) ex hac igitur univerſæ *Burgundiorum* gentis appellatione, quid aliud colligere poſſis, quàm nationem, quæ nomine *Tevtonico* vel à ſe, vel à vicinis *Svevis & Vandalis* ipſis coloniam ducentibus, appellata ſit, *Tevtonicam* ipſam etiam fuiſſe? de *Bojohemis* vel *Boÿs* diverſa ratio eſt; neque enim *Czechitæ Slavi*, *Bojorum* Gallici populi colonia ſumus, ſed *Boÿs* aliò migrantibus, vetus *Bojohemorum* nomen (quòd eandem terram noſtri Majores occupâſſent) retinuimus, atque ita non à nobis, ſed à vicinis populis *Bohemorùm* nomine appellamur, etſi ipſi nos privatim patriâ voce *Czechos* eſſe dicamus; illud adjice de *Burgundis*: Nomina omnia veterum *Burgundiorum* prorſus origine & ſignificatione *Germanica* eſſe, ùt *Sigiſmundi*, *Gondemari*, ac cætera. quæ nomina nobiliſſimi Germaniæ Scriptores *Piſtorius*, *Fre-*

Bonf. Dec. 1. l. 1.

Plin. l. cit.

Wandalorum colonia ſunt Burgundi.

Bojemia vel Bohemia retinet nomen antiquum mutatis cultoribus.

Onomaſticon Veter. Vocum Germ. apud Meib. Freher. Piſtor.

Freherus & Meibomius latinè interpretantur. Scriptor quidam nuperus (Vir nobilitate, ingenio, doctrinâ, dignitate, ſtyli cultu præſtans, mihi dum vita manebat, familiariter ſemper addictus; qua de cauſſa ejus illuſtriſſimum nomen, nè apud rerum imperitos in aliquem contemtum veniat, involvam ſilentio: nam eum ſemper veneratus ſum ùt patrem, & hoc loco ſolius veritatis amore çum omni debita dignitati tantæ modeſtia refutabo) Scriptor inquam, nuperus, poſtquam *Burgundos Coloniam Wandalobohemorum* (ùt loquitur) ſtatuiſſet, addit inſuper: *Wandalos impoſuiſſe nomen in Pomerania fluvio Pani, unde Circipani dicti ſint, Latinis Heruli, Slavorum populi* (ex quibus poſtea *Odoacer Herulorum* Rex, Bohemis *Przemyslus*, Bohemiæ Princeps, *Libuſſæ* noſtræ maritus, Romam An. 476. ſi Dijs placet, occupârit) ab his *Herulis* impoſitum nomen eſſe *Panoniæ* (ſcribit contra omnium Grammaticorum leges *Panoniam* n. ſimplici) deinde *Wandalos* inſediſſe ante Chriſti adventum *Adriaticum* ſinum, & *Venetias* condidiſſe; item *Rhætiam* totam, & inde appellatos eſſe *Vindelicos;* occupâſſe etiam *Britanniam* inſulam ſub nomine *Vitorum*, quaſi dixeris *Venetorum*; ad extremum *Wandalos* affirmat à *Scythis* (quam gentem mirè commendat) prodijſſe. Somnia hiſtorica te legere putes, cùm nullâ Veterum authoritate nitantur, adeóque etſi ea ſilentio transmitteremus, nobis præjudicare non poſſent. De *Herulis & Odoacre* dicemus poſtea ex eorum temporum hiſtoricis; *Pannoniam* neque à *Wandalis*, neque ab *Herulis* nomen accepiſſe vel ex eo patet, quòd *Pannonia* nomen ipſo *Wandalorum & Herulorum* nomine ſit antiquius, ac Græcis vetuſtiſſimis & latinis Scriptoribus, ùt ex *Bonfinio* id probante patet, pridem uſitatum ac celebratum; *Venetias* à *Wandalis*, aut *Herulis* çonditas, probare difficile eſt, aliam ejus invictæ & Sereniſſimæ Reipublicæ originé adferunt

Errores quidam in hiſtoria Wandalorum novi Scriptoris.

Bonf. Deca: 1. hiſt. Ung. l. 1.

eruditi, & quamvis à *Venedis*, vel *Henetis*, & *Slavica* gente conditas fateantur *Venetias*, nullus tamen, quod ſciam, à *Vandalis* (hoc nomine) *Venetias* eſſe conditas ſcripſit; de *Rhætorū & Vindelicorum*, ſeu *Vindeliciorum* origine alij diſputent, à *Wandalis* quidem eos proficiſci, nemo eſt qui ſcripſerit, optiméque *Bonfinius* dixit: *ſi alterutrum credendum ſit, potiùs Wandalos à Vindelicis, longè celebratioribus, vetuſtioribúsque populis, quàm Vindelicos à Wandalis denominatos ſe exiſtimaturum*: Porrò *Bojos* ex *Bojohemo* rectâ, aut à *Nariſcis* in *Vindeliciam* progreſſos *Auguſti* temporibus, genti *Bavarorum* ſeu *Bojoariorum* & originem & nomen dediſſe jam antè ex *Velſero & Cluverio* narravi. De *Britannia*, in ea quidem multa Germanicæ linguæ ſuperſunt veſtigia, at nullum *Slavicæ*; ſed neq; poſtremum illud de *Scythis* probari ulli poterit, quos à Sarmatis prorſus diverſos, & hodie *Tartaros*, vel ùt vult Henelius, *Tataros* eſſe, ſciunt omnes.

Spondan. in Annal. Eccleſ. ad A. 378.

Bonfin. Decade 1. lib. 8.

Eſt & illud non leve argumentum; *Wandalos* non *Slavicam* gentem, miniméque omnium *Bohemicam* fuiſſe, quòd *Wandali* omnium Scriptorum teſtimonio, cùm ſedibus ſuis egreſſi ſunt, *Chriſtianam fidem* (quamvis *Arianâ* impietate corrupti) jam An: 405. coluerint, imò ante id tempus A. 370. ùt ſuperiùs ex *Nicephoro & Baronio de Gothis* notavi, Chriſto nomen dederint; at *Bohemos* noſtros ea cæleſtis fælicitas longè tardiùs reſpexit, Sanctiſſimis Slavorum Apoſtolis *Cyrillo & Methodio* per *Bulgaros & Moravos* in *Bohemiam* aſcendentibus, quòd ſub *Nicolao I. Adriano II. & Joanne VII.* Pontificibus primùm circa An. C. 860. & 870. contigiſſe, cùm jam in *Africa Wandalorum*, nomen prorſus eſſet extinctum, omnes Sacri, profaniq; Scriptores confirmant.

Wandali Arrianiſmo corrupti priùs quàm Bohemi Chriſtianam fidem ſuſceperunt.

Quid? an etiam hæc probatio infirma cenſebitur? quòd *Wandalis* nunquam alios *Sarmatarum* populos, ſed *Germanos* ſemper à Scriptoribus eorum temporum adjungi videamus?

ubiq;

Digitized by Google

ubique *Svevos*, *Alanos* cum *Wandalis* leges, aliquando etiam, ſed rariùs *Gothos*, quos inter *Germaniæ* populos cenſos eſſe aut ſaltem eâ lingvâ uſos eſſe nemo dubitavit: adferamus unum alterumve exemplum. S. Proſper: *Arcadio VI. & Probo Coſſ. Wandali & Alani, & ijs permixti Svevi &c.* eadem habet *Caſſiodorus*, eadem *Oroſius* horum temporum Scriptor, & ùt ait *Baronius*, *homo Hiſpanus, res patrias non ignorans.* Præter *Wandalos*, *Alanos* quoque, nec non *Svevos* in Hiſpanias ingreſſos eſſe *Iſidorus* affirmat, ùt eſt in *Baronio*. Hi verò ſic *Hiſpanias* inter ſe partiti ſunt: *Alani Luſitaniam & Carthaginenſem Provinciam, Wandali autem cognominati Silingi*, (*Silingos Dreſſerus* eſſe dictos putat à *Sala* flumine in *Mœnum* defluente, à quibus *Salingeſtadium* nuncupatum ſit) *Baticam ſortiuntur &c.* inde *Bonfinius* Gothalaniam (hodie Catalauniam) à Gothis & Alanis dictam Hiſpaniæ Provinciam docet, cui omnes ejus Regionis hiſtoriæ ſubſcribunt. Memini olim (neque ea in re falli me puto) dum Annales Hiſpaniæ legerem, multa me in ijs deprehendiſſe *Germanicæ* lingvæ veſtigia, pluráque *Gothorum & Wandalorum* monumenta vetuſtam linguam ſapere *Germanicam*, ſed vel nomina ipſa Regum *Gothicorum & Wandalicorum, Genſerici, Hunnerici, Alarici, Gilderici, Gundarici, Gundamundi, &c.* quod diximus, luce meridianâ clariùs demonſtrant; quæ nomina *Germani* Scriptores, ùt paulò antè dixi, interpretantur, & *Germanica* eſſe nemo ſanus unquam dubitavit. Ac ſi unum aliquod Regis nomen tantùm adferri poſſet, diceremus forſitan aſſumſiſſe *Wandalos & Gothos* nomina ab *Germanis*, notâ tum & æquè *Septentrionali* quondam gente, at cùm nomina Regum & privatorum omnia, nil niſi Germanicum ſonent, & unâ illâ tantùm lingvâ aliquid ſignificent, quis erit, obſecro, cui vehemens ſtatim ſuſpicio non oriatur (præſertim tantos authores ſequenti) *Wandalos, Gothos, Alanos, Germaniæ* populos *Germanicâ* etiam lingvâ uſos fuiſſe? plures in hanc ſententiam, qui *Wandalos Germanicam* gentem adſtruant, optimos, vetuſtæque & probæ notæ Scriptores adducit *Cromerus*, ùt *Eutropium*, *Paulum Diaconum*, *Procopium*, quémque ego nuper laudavi *Corn: Tacitum*; at ego *Cromerum* deſcribere nolui, ea ſola adfero argumenta, quæ ab illo video prætermiſſa. *Piaſecius* Polonus Scriptor in *Chronico* ſuorum temporum commemorat, ſe ſummâ diligentiâ uſum, operam præſtante Illuſtri viro *Andreâ Makovio Sigiſmundi Poloniæ Regis in Hiſpania Legato*, ut monumenta *Wandalorum & Gothorum*, quæ in *Hiſpania* ſupereſſent, colligerentur, eo fine, utrum aliquid *Svedicæ* lingvæ in ijs veſtigium deprehendi poſſet, ac nihil eſſe omnino deprehenſum quod cum lingva *Svecorum* congrueret, iſtud inquam non contra nos, ſed pro nobis facit; quippe *Piaſecius* lingvam *Wandalicam & Gothicam* non congruere *Svedicæ*, conatur oſtendere, de *Germanica* nihil dicit. at nos nihil de *Svedica* vel *Svecica* lingva quæ longè diverſa à *Germanica* eſt, dicimus; illud tantùm ex optimis Scriptoribus jam oſtendimus: *Wandalos* Germaniæ populum fuiſſe, & *Slavicè* non eſſe locutos, neque cum *Bohemis* quidquam habuiſſe commune; & quanquam id *Piaſecius* diceret, tamen ex *Cromero* gentili ſuo, quid verum & veriſimile ſit, facilè poſſet doceri. Deinde mirum nulli eſſe debet, ſi ætatibus & longiſſimi temporis tractu vel eædem lingvæ mutentur; clarum id eſſe poteſt, vel ex *Germanica* lingva, quæ ſic tempore immutata eſt, ut literas ante 400. vel 600. annos *germanicè* ſcriptas ægrè intelligere poſſis; adde quòd *Gothi & Vandali* procul à natali ſede in *Hiſpania & Africa* verſantes, nullum cum prima patria in *Septentrionibus* commercium habuerint, & cùm jam immigrâſſent ad *Me-*

de Gothis Baronius apud Spõdam. An. C. 430. n. 9.
S. Proſper in Chronico.
Zoſim. l. 6.
Caſſiodor. in Chron.
Oroſ. l. 7. C. 38. & C. 40. & C. 43.
Baron. ad A. C. 409. n. 38.

Svevi, Wandali, Gothi, Alani Germaniæ populi fuêre.

Bonf. rer. Ungar. Dec: 1. l. 2.

Crom. l. cit.
Eutrop: hiſt. l. 10. & 14.
Paul. l. 1. C. 1: de geſtis Longobard.
Procop. de bello Vandalico.
Piaſec: in Miſcellis mihi fol. 57.

Piaſecius adversùs nos non facit.

Lingvæ têporibus immutantur.

Digitized by Google

otin deinde ad *Iſtrum*, tum illis *Gothicas* literas *Ulphilas Antiſtes* invenerit, poſteáque per tot populorum capita, ut ita loquar, in *Hiſpaniam & Africam* euntes peregrinitatem aliquam ex alienis lingvis contraxerint, quod præcipuè in *Gallia*, *Hiſpania*, *& Africa* factum eſſe *Hiſpani Scriptores* oſtendunt. Ad extremum, quæ monumenta *Wandalorum* requiras, gentis ad arma & ſangvinem, non ad bonas literas, & atramentum natæ, quæ in *Hiſpania* non ampliùs quàm annis novemdecim ſedit? quid tantillo tempore ſcribi, aut ſi quid à barbara gente ſcriptum fuit, quàm facilè potuit aboleri?

CAPUT XIII.

Cauſſæ, cur Venedis (Slavorum populo) ab aliquibus Wandalorum nomen ſit impoſitum. **Wenden** non ſunt Wandali, ſed Venedi, vel Wendi. Crantzij grandis error de lingva Slavica. Item Fabricij & Blondi. Vohburgij & Trithemij invictâ authoritate, noſtra ſententia ſtabilitur.

Quæ cauſſa ſit, quòd Vẽdos vel Venedos cum Wandalis quidam cõfundant.

VNde autem natus ſit error, ut *Wandali Slavorum* populi à quibuſdam exiſtimati ſint, breviſſimè aperiam: *Primùm*, cauſam erroris præbuit, Nominis vicinitas *Wendorum* ſeu *Venedorum & Wandalorum*; illos *Slavorum* populos fuiſſe certiſſimum eſt, & irrefragabilibus argumentis eruditiſſimi demonſtrant, hos contrà Germanos; ergo qui moroſiùs nomen non examinârunt, præſertim *Itali* Scriptores procul à nobis poſiti, & lingvæ utriuſque ignari, ùt *Bonfinius*, *Blondus* & ſi qui ſunt alij, (quanquam de *Blondo* poſtea aliud dicemus) inter *Wandalos & Wenedos* nullum fecère diſcrimen. *Secundò*: non parum ad eum errorem contulit locorum vicinitas: cùm enim *Wandalis* juxta nomen ſuum (**Wandeln** *peregrinari*) maximè vaga vita placeret, & primùm, ùt *Demeſippus* apud *Bonfinium* loquitur, ab *Oceano* (utique Germanico) *prodijſſent*, *& intra annum ad Gothorum fines perveniſſent*, poſtea (ùt *Procopius* coævus *Wandalis* author teſtatur) ad Mæotidem paludem aliquando conſediſſent, inde fame exacti eam regionem occupârunt, quam poſtea *Gepidæ* incoluerunt ad *Oſtia Viſtulæ*, qui fluvius ab illis *Wandalus*, ùt etiam habet *Bonfinius*, eſt vocatus; hinc etiam à *Gothis* pulſi, *Pannoniam* ab Imperatoribus impetrârunt; in ea annos aliquot commorati, eàdem fame urgente in *Francos Germanos*, ùt idem *Procopius* habet, irruère; addit *Salvianus*, & ipſe ejus temporis Scriptor, eos inde in *Gallias*, mox in *Hiſpanias* ac tandem in *Africam* penetrâſſe; cùm ergo vagus ille *Wandalorum* populus ſedibus omnibus ſuis in Septentrione relictis cum uxoribus & parvulis, prorſus *Europâ* exceſſiſſet, quaſi ex rerum natura amiſſus, cúmque in eorum ſedes *Wendi*, vel *Heneti*, ſeu *Venedi* ſucceſſiſſent (de quorum adventu jam ante egimus & agemus in ſequentibus) factum eſt, ut locorum & nominum ſimilitudine decepti Scriptores, *Venedos Wandalos* appellârint, ac fortaſſe ipſimet *Venedi* appellationem hanc non recuſavère, ùt faciunt *Czechitæ* noſtri à *Boijs* & nomen & patriam mutuati, ut Bojemi aut Bohemi dicamur. Neque de nihilo eſt, quòd *Germa-*

Cromer. l. 1. rer. Polon. C. 3.4.5.6.7.8. maximè C. 9. 10. 13. Welſer. in Boicis l. 2. & 4.

Bonf. Dec. 1. l. 2.

Procop. l. 1. de bello Wandal.

Wandali vagabundi populus.

Proc. l. cit. Salv. in lib de Providentia. Spondan. ad A. C. 428.

Germani hodiernos illos quos oppreſsêre, ùt in *Epitome* diximus, *Slavos*, paſſim per *Luſatiam*, & aliquâ forſitan adhuc parte *Saxoniæ*, *Uckermarchiæ &c.* per tuguria ſparſos Wenden appellant, *Wenedos* ſcilicet, non *Wandalos* vocantes; ùt & *Bohemi* qui nomen etiam *Wandalorum* in ſua lingua non habent, ſed *Venedos* (*Wenden* Slavicam gentem) *Srbos*, aut *Sorabos*, ùt notât *Fabricius*, hodiéque indigitant. In eandem ſententiam *Goldaſtus*: *Venedi*, inquit, *ſunt Pomerani Sedini, Megalopolenſes, Caſſubij, Rugij, Vagrij &c. quorum Principes origine ſunt Slavi, Civitate Germani.*

Wendi & Wandali res eſt diverſa.

Gold. l. 2. de Jurib. Boh. C. 18.

Hæc ferè ſunt, quæ *Münſterum*, & quoſdam alios non contemnendos alioqui Scriptores deceperunt, ut *Vendos & Wandalos* confunderent, unámque ingentem cogerent; de *Crantzio* nihil eſt mirum eum ita ſenſiſſe, ſentire enim ita debuit, cùm priùs (prorſus ridiculè) ſtatuiſſet: *Slavos ex Germanis ortos, quódq; fœdius eſt, lingvam Slavicam ex corrupta Germanica, ortam eſſe;* cæcus ſcilicet de coloribus judicabat lingvam ignorans, argumento pauciſſimorum verborum, quæ, cum Germanicis artibus & artificibus, in *Slavicum* ſermonem irrepſerant; itaque apud eum & *Wendi*, *& Wandali*, *& Slavi* omnes (*Bohemi*, *Poloni* & cæteri) origine *Teütones* ſunt; quâ opinione nihil eſſe poteſt abſurdius, *Crantzij* ſententiam egregiè refellit *Cromerus*, atque ipſa, quâ utimur *Slavorum* lingva demonſtrat per *Evropam* uſque & *Aſiam* diffuſa, ſic ut illi amplitudine terrarum pauciſſimæ lingvæ æquiparentur, quam eſſe *primigeniam* (ùt in *Epitome* diximus) conſentiunt Eruditi. *Fabricium*, quem pro ſe Adverſarius adducit, nihil moror, correxit eum gentilis ſuus itidem Saxo, *Mattheus Dreſſerus* Vir omnis hiſtoriæ, ùt editi ab eo libri loquuntur, ſcientiſſimus, deinde in hac quæſtione nutâſſe *Fabricium*, & quid potiſſimum ſequeretur, neſcîſſe, aliquòt ejus loca oſtendunt; ùt cùm irridet *Carolum IV.* ejus nominis Imperatorem, quòd *Slavicæ* gentis amore *Sancti Sigiſmundi* ſacrum corpus ex *Burgundia Pragam* attulerit, *cùm Sanctus ille nihil pertineret ad Slavos.* Atqui, ô *Fabrici*, ſi *Wandali Slavi* fuêre, cùm *Burgundiones*, pars *Vandalorum*, & colonia fuerint (quod poſtremum conſenſu omnium Scriptorum, & te authore diſcimus) neceſſe eſt dicere: *S. Sigiſmundum* magnopere ad *Slavos & Bohemos* pertinuiſſe; at *Carolus*, non ùt *Fabricius* putabat, propter *Wandalos*, vel *Slavos*, ſed privatâ Gentis ſuæ *Lucemburgicæ* pietate, quæ *Burgundiæ* Regibus vetuſtis eſſet cognata, hoc in S. *Sigiſmundum Martyrem* ſtudioſo amore exarſit.

Adverſus Crantziū.

Theoph. Raynaud. in Chronologia.

Fabricij dubitatio de Wandalis.

Blondum, qui ultimus ab adverſarijs ponebatur, errare ſinamus; at eum *Cromerus* nobiſcum ſenſiſſe manifeſtè probat: ait enim, *Vandalis* ad invadendas Romanorum provincias abeuntibus, paulò pòſt ſuperveniſſe *Slavos;* igitur *Vandali*, ſi *Blondum* audiamus, *Slavi* non fuêre; at quod adjicit *Blondus* de ſuo, maximùm errorem continet: *credendum* inquit *eſt, quando Vandali profecti ſunt ad invadendas Romanorum Provincias, partem gentis in Patria reliquiſſe; quare Slavi ſupervenientes ita locutiones commiſcuêre, ut ex utraque tertiam linguam effecerint.* Putabat *Blondus*, homo Italus, & *Slavicæ & Germanicæ* lingvæ rudis, de *Italia* ſe ſcribere, in qua ex corrupta à barbaris *Longobardis* ac cæteris advenis, lingvâ latinâ, tertium loquendi, genus (*Italica* lingva ſcilicet) emerſit; at *Slavica* lingva ſine adminiculo aliarum conſtat, omnibus numeris abſoluta; eadem eſt in *Polonia*, *Bohemia*, eadem in *Moſcovia*, *&c.* omnibus *Slavicis* populis communis; quod non ita eſſet, ſi tertia quædam apud nos lingva ex *Germanicis & Slavicis* vocabulis compoſita prodijſſet. Ad extremum denique cùm (ùt probatum eſt nuper) apud nos non habitârint *Wandali*, nullam gentis ſuæ partem, ùt modo

Blondi error ex ignorantia lingvæ Slavicæ

C. 10.

Digitized by Google

modò dicebat *Blondus*, apud nos relinquere potuerunt; præſertim cùm ibidem probaverimus, *Wandalorum* ultimam in hac Septentrionali Europa ſedem Pannoniam ad Danubium fuiſſe, unde ad Rhenum profecti Galliam, Hiſpaniam, & denique Africam inundârint.

Vohburgij authoritate res tota definitur.

Satis arbitror oſtenſum eſt: *Bohemos & Polonos Slavicam* gentem, cum *Vandalis Arianis* nihil habuiſſe commune, nec lingvam, nec terram, auſim dicere; nec aërem, nec cælum, ac proinde *Vandalo-Bohemicam* illam chimæram ad ſpatia imaginaria, & *Epicuri* intermundia relegandam eſſe. Poſt hæc jam ſcripta, & authoritate Scriptorum utcunque firmata, inſpicio *Vohburgium* multis voluminibus *Romano-Germanicos Annales* complexum; is verò minimè dubiè, aut obſcurè multis in locis Hiſtoriæ ſuæ de *Wandalis* loquens, diſertè aſſerit: *Vandalos ſub Svevis apud Tacitum contineri (quòd nempe Tacitus univerſaliori Svevorum genere producto, minùs univerſale Vandalorum ſubjecerit)* item ex *Vandalis Gothones*, ſive ùt à *Tacito* vocantur *Gothones & Burgundiones* ortos eſſe. Clariùs locutus eſt ad A.C. 180. nam cùm *Dionis* locum ex L. 72. attuliſſet de *Commodo* Imp. qui *Marcomannos* vetuit cum *Vandalis* bellum gerere, mox adjicit: *Notet Lector: hic circa Danubium Vandalorum mentionem, cùm aliàs in deſcriptione Germaniæ, eos circa & ad Viſtulam invenerimus, ut hinc eos ſedes ſuas promoviſſe convincatur, & quia cum Quadis, & Marcomannis in Germanico hoc bello commemorantur, eos conſideratis & alijs textibus revera Germanos fuiſſe nemo ampliùs dubitare debeat.* hæc ad verbum *Vohburgius*. Pluribus argumentis *Vandalorum* Gentem *Germanicam* fuiſſe Tomo II. idem *Vohburgius* ex optimis Scriptoribus demonſtrat. gemina omnia habet author gravior & antiquior *Trithemius* Abbas Spanheimenſis: *Wandali* inquit, *qui remanſerunt in Gallia cum Alanis, Regem ſibi conſtituerunt Godgiſicht vel Godogiſilum, & audientes Gothorum adventum, quamvis ex una eſſent natione Scanziana procreati* (notanda ſunt hæc verba de origine *Wandalorũ* gothica, ſeu Germanica ex Inſula Scandinavia) *nihilominus terrore perterriti Gallias deſeruerunt, &c.* Clariora ſunt quæ ad An: 422. ſcripſit idem *Trithemius*: *ſunt autem Wandali, Alani, Svicij, ſive Svedi, Gothiq; Longobardi & Nortmanni origine pares, quantum ad patriam nationis pertinet primitivã ex Germaniæ finibus & Inſulis Scanzianis, ſeu Scandianis (quæ ſcilicet Gothia) ſub quatuor aut quinq; disjunctionibus à principio transmigrationis ſuæ oriundi.* hæc *Trithemius*; quibus & tot alijs maximorum & coævorum Scriptorum authoritatibus, quid reſpondere Adverſarij poſſint, equidem non invenio.

Vohburg. Tomo I. f. 383. At C. 98.

Ad A.C. 273. Trith. in Gem baldo.

Trithemij Abbatis authoritas.

Spero apud *Lectores* meos plus corroboratam, & omnium ſæculorum & Scriptorum, & nationum conſenſu firmatam authoritatem ponderis habituram, quàm unius, alteriúsve Scriptoris infirmiſſimam conjecturã, qui ſtudio res novandi, confinxêre quædam *Populo ut placerent, quas feciſſent fabulas.* at cùm omnis novitas ſuſpecta & periculoſa ſit, tum potiſſimùm in hiſtorijs, invalida, vana & odioſa cenſetur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Paradoxa, vel potiùs, ut ita dicam, Pravidoxa hiſtoriæ Bohemicæ novi Scriptoris breviſſimè refelluntur; quæ ſi vera forent, univerſam Annalium Noſtrorum Oeconomiam, & omnium veterum Scriptorum authoritatem everterent.

De Libro novo Wandalobohemia inſcripto.

INcidi nuper in juſtum volumen Manuſcriptum, de rebus Bohemicis, in duas diviſum Partes; quarum prior generatim ad univerſam *Bohemiam* pertinentia tractat; poſterior, *Illuſtrium Bohemiæ Familiarum Origines* complectitur; de poſtremo quid ſentiam, aperiam alio loco (non enim meum eſt, neque ullius Viri probi, ſine probationibus adductis, ullum hominem, nè dicam Scriptorem, qui publico bono laborat, damnare) *Partem primam* ad legendum avidiſſimè arripui, ſed invêni tot *Paradoxis* (ut leviſſimè dicam) ſcatere, ut omni ſponſione certare poſſim, nunquam ab ullo magis in hiſtoria *Patria* erratum eſſe, nullum qui longiùs ab omnibus Scriptoribus vetuſtis, & veritate diſceſſerit! ipſa hiſtoriæ, ipſa gentis noſtræ fundamenta convelluntur, & oppugnantur primordia; ac ſi quæ adfert ille, Veterum authoritate aliquâ ſanciret, tolerabile foret negotium; at cùm ipſâ præfatione *ad univerſam Inclytam Nationem Bohemicam* fateatur ſe *veriſimilia* tantùm allaturum, quis ſatis ſanus non commoveatur, & patienter ferat: omnes *Bohemiæ* Scriptores Vetuſtos æquè, ac novos irrideri, & *palmariter* (ut ipſe loquitur) *hallucinantes adſtrui*, conſenſum totius Antiquitatis, & omnem authoritatem elevari, omnes Majorum traditiones, imò Exteros etiam Scriptores, qui aliquid de *Bohemia* unquam ſcripſerint, ſúsque déque haberi, & abjici, ídque fieri, non authoritate aliquâ impetrabilis, vetuſti, & probati Scriptoris, aut ratione aliquâ, aut *Chronologiâ* (quod acerrimum telum eſſe ſolet) poſcente, aut deductâ ex his probabili aliquâ ratiocinatione, ſed ſolâ conjecturâ, & paucorum nominum, ut videbimus, argumento. Satis ſcio neminem, qui vel à limine, *Bohemiæ* hiſtoriam ſalutârit, futurum, cui Scriptoris illius novitas placere poſſit; nè tamen hiſtoriæ noſtræ ignaris illudatur, aut nè Novitatis amantes (cujus generis hominum hoc ſæculo vilis habetur annona) etiam in hiſtoria (quod eſt nefas) fingere, & quid fieri potuit, non quid factum ſit, licere ſibi exiſtiment ſcribere, quamvis ad tot errores hiſtoricos decutiendos grandi Volumine opus eſſet (defenſio enim longè plus verborum, quàm accuſatio, & criminatio poſtulat) conſilium cepi pauciſſimis (dum alius me ætate, annis, viribus, & ingenio vegetior, id ſibi negocij ut proprium aſſumat) per indiculum & Compendio *Paradoxa* quædam, & inanitatem ejus libri adferre, additis in loco refutationibus Laconicis, quæ multa paucis, ut Lector facilè intelliget, complectentur, cùm in ſuperioribus Capitibus ſatis ſint refutata.

Quâ cauſſâ induci potuerit Scriptor ut ad Miſniam Origines Bohemorum referret.

Addam in hujus tractationis principio cauſſam, cur hic Scriptor ab authoritate vetuſta; ad hanc Novitatem deſciverit: nam cùm *Miſnius* eſſet origine, & *roſas* geſtaret in clypeo, ſi oſtendere potuiſſet (quod voluit maximè, ſed malo, ùt videbimus, ſucceſſu) *Bohemos à Miſnijs* & à *Wandalis* deſcendere; Item *Odoacrem Herulorum Regem*, *Przemyslum Libuſſæ maritum fuiſſe*, *& Roſas in Clypeo geſſiſſe*, *& ex Miſnia*

nia in Bohemiam veniſſe; Czechum & Lechum nullos fuiſſe, aliáque ejuſmodi; cùm ex ejus *Przemysli* (quem ille *Odoacrem* fuiſſe, ſed falsò, ùt videbimus, putat) familia, omnes *Bohemiæ Principes* ac Duces deſcendant, conficere nimirum voluit, ſe non modò eſſe *Roſenſem* (quos omnes ex *Miſnia* prodiiſſe affirmat) ſed ſe quoque eſſe *Regiæ ſtirpis*, *ſurculum Bohemiæ Principum* antiquorum, imò omnes *Bohemiæ Reges* ex ſua gente deſcendere. huc omnis tendit probatio, *hìc Rhodus, hìc ſaltus, hìc anguis in herba!* hìc ulcus! quod ego non modò video, ſed etiam manu tango, & quisque ſagax *Lector*, involucris hiſce conjecturarum malè tectum deprehendet.

Vandalobohemiæ nomen chimæricum.

I. Vandalobohemia Libri titulus, monſtrum eſt verbi: *deſinit in piſcem mulier formoſa supernè*, & Horatianum illud: *Humano capiti cervicem pictor Equinam &c. Vandali* enim nihil ad Bohemos; nunquam *Vandalos in Bohemia* habitaſſe, neque *Slavicam* ſed *Germanicam* gentem fuiſſe luce meridianâ clarius ſuperioribus Capitibus oſtendimus. *Vendo* vel *Venedobohemiam* ſi ſcripſiſſet, excuſatiùs peccaſſet.

In Præfat.

II. Vandalos à fluvio *Vandalo*, qui *Viſtula* nobis eſt, appellatos putat. Hoc ſuſtineri non poteſt, cùm *Jornandes & Procopius* (*Wandalus* propè adhuc in *Africa* dominantibus ſcribentes) diſertè affirment, primas *Vandalorum* ſedes *Scaniam*, & terras ad *Mare Balticum & Oceanum* jacentes, fuiſſe; inde ad *Mæotin* eos veniſſe, ac poſtea primùm ad *Montes Sarmaticos*, & ad caput fluminis, qui hodie *Viſtula* eſt, profectos. Eadem *de Vandalis Cromerus & Bonfinius*, docuerunt. Ignotus ergo primùm *Vandalis* erat *Viſtula*, ac dare genti tam remotæ nomen non poterat; atque ita non *Vandali* à fluvio, ſed contrà fluvius à *Vandalis*, nomen accepit, alij certè, iique nobiliores hiſtorici, *Vandalos* à Rege Svevorum *Vandalo* nominatos dixerunt.

Jornand. de bello Getico. Procop. l. 1. de bello Wandal:

Vandali an à fluvio appellati.

Crom. l. 1. C. 5. Bonfin. hiſt. Ung. l. 1. c. 2.

Jam ad Librum ipſum, & ſingula ejus Capita veniamus.

Boij & Hermunduri diverſi.

III. Ait, *Tacitum* pro *Bohemis* ſemper uſurpaſſe vocem *Hermandurorum. Tacitus* nè ſemel *Bohemiæ* vocabulo uſus eſt, *Bojos* ille aut *Bojohemum* ſemper appellat, neque nationes illas confundit, ſed apertiſſimis verbis *Bojos Gallicam gentem, Hermunduros Svevicam* fuiſſe docet, ùt ſuperiùs citatis ejus verbis oſtendimus; ad extremum nunquam *Hermanduros* nec *Tacitus*, nec Veterum ullus dixit, ſed *Hermunduros*, qui hodie *Miſni* vel *Miſniaci* dicuntur, ùt oſtendunt *Münſterus & Dreſſerus*.

Munſter. in Coſmogr. C. 2. Dreſſ. in Iſagoge hiſt. P. 5.

Ac in Bohemia reliquiæ ſuperſint Bojorum vel Marcomannorum.

IV. Arces & oppida, quæ apud nos *Germanicis* inſigniuntur nominibus, ea à *Boijs* autumat accepiſſe nomen, ac etiamnum retinere; item pagos quoſdam *Germanicos in Moravia* limitibus *Litomiſſlium* versùs, reliquias eſſe *Bojorum*, vel *Marcomannorum*. Primum univerſaliter verum eſſe non poteſt, cùm plurimæ arces diu pòſt, Regum noſtrorum tempore, conditæ ſint, eíſque tum in recenti re impoſita ſint nomina, ut *Waldſtein*, *Wartenberg*, *Guttenſtein*, *&c.* quædam earum, antè ſemper *Slavica*, Regibus è Germanica ſtirpe imperantibus nomen mutaverunt, ùt de *Haſenburg* ſatis conſtat; quædam à Ducibus nominatæ vetuſtam *Hermundurorum* originem non habent, ùt *Brandeis à Boleslao Sævo* conditum, ùt *Carlſtein à Carolo IV.* ùt *Lichtenburg*, *Rabſtein*, *Pernſtein*, *Landſtein*, *Grünberga*, *Helffenburgum duplex*, innumeræq; aliæ, quorum conditores nominare poſſumus. De *Pagis Germanicis* eadem eſt ratio: promovêre ſeſe ad nos *Germani* confines (quod hodiéque fieri videmus) ùt *Sileſij*, *Luſatij*, *Bavari*, *Saxones*, *Miſnij*, *Voitlandi*, terræ bonitate & frugum copiâ allecti; *Svevorum* etiam coloniæ à *Roſenſibus*, & *Novodomaeis Proceribus* ſæpius in *Bohemiam* adductæ.

Quod de *Pagis* quibusdam *Litomiſſ-*

lenſibus

Digitized by Google

Hermunduro rorum vetuſtæ ſedes apud nos quædam, retinent nomina.

lenſibus adjicitur, omnino falſum videtur, *reliquias eſſe Bojorum*, aut *Marcomannorum*: nam *Boij* occidentalem *Bohemiam*, *Marcomanni* meridionalem & occidentalem etiam, pulſis *Boijs* tenuerunt, ùt antè dixi, & docent *Vohburgius & Cluverius*, locis pridem citatis; *Hermundurorum* reliquias dicere oportebat: ibi enim *Grulich*, ibi *Landscrona* in proximo, Urbes Regiæ *Hermundurorum*, in quarum altera *Corona* ſervabatur, alteram *Reges* ipſi incolebant, ut ex ipſo *Hagecio* datur intelligi; ſed ægrè illud quoque defendi poteſt, *Hermunduris*, ùt pridem dixi, cum *Attila*, vel deletis, vel in alterius gentis nomen tranſeuntibus.

Præf. in Annales Bohem.

DeMaroboduo an fuerit ex gente Slavica.

V. Marcomannos, & Marobodum Regem, Sarmaticæ, (eu *Venedicæ*, ſeu *Slavicæ* gentis fuiſſe; hoc jam *ſecundo & quarto* Libri præſentis *Capite* refellimus, ſed argumenta, quibus rem omnibus alijs ante ſe ignotam aſtruat, audiamus:

I. Non apparet, quò *Marcomanni* pulſi abierint, ſi *Slavorum* populi non erant; neq; enim eſt credibile tam fertilem *Bohemiæ Regionem* deſertam & incultam jacuiſſe.

Jam nuper reſpondi: *Marcomannos* partim ſedes mutaſſe, & à *Romanis* accepiſſe, partim *Romanorum* armis deletos, quoſdam in *Bojos, & Gothos, & Wandalos* communione ejuſdem lingvæ tranſiſſe, quoſdam cum *Hunnis, & Attila* adverſus Romanos pugnantes periſſe, quoſdam cum Novo *Czechorum* populo in unum coaluiſſe. Poteſt etiam nimis quàm probabiliter, & veroſimiliter dici: *Maroboduo* per *Arminium, & Catavaldam* Bojemiâ exacto, multos ex *Marcomannis*, qui cum Rege ſuo olim advenerant, *Bojemiâ* ejectos. Neque magnoperè mirum videri poteſt, illis ſæculis, quibus omnes *Septentrionales Populi*, quaſi ab imo commoti, huc atque illuc vagabantur (ùt oſtendit *Wolfgangus Lazius*) *Bohemiam* aliquo tempore, ob bella, & clades propè deſertam jacuiſſe. *Boij, Marcomanni, Hermunduri*, videlicet abierant, aut ad paucos redierant, *Venedi* ſeu *Slavi* paulatim ſuccedebant.

Laz. in lib. 8. de Migrat. gentium.

II. Argumentum, ùt *Marcomannos, Slavos* fuiſſe demonſtret, adducit: *Codex*, inquit, *M. S. Vetus in Collegio Pragenſi repertus habet: An. 350. elegiſſe ſibi Bohemos Slavos Ducem Crocum Hledij filium; igitur debuêre jam antè Bohemiam intrare, ergo ſub Maroboduo, nam Czechum juxta Hagecium primùm An. 644. veniſſe.* Claudicat argumentum, nam ſi A. 278. advenit *Czechus* cum Nobilitate, & Veteres in *Bohemia Slavos* invenit, non video cur An. 350. Veteres novique Bohemiæ Coloni, (quos unum *Bohemorum* nomen conjunxit) eligere ſibi *Crocum* non potuerint, ùt antè diximus; deinde ex eo quòd An: 350. *Crocus* ſit electus, non continuò ſequitur ſub *Maroboduo Czechos* in *Bohemiam* veniſſe, cùm *Marobodnus* ſub *Auguſto & Tiberio* Imp: vixerit, & An. Chriſti 19. ab *Arminio* ſit cæſus, ùt omnes Scriptores *Romani* conſentiunt; poterat igitur in *Bojohemum* venire An. 300. poterant An. 250. poterant 200. poterant Anno Chriſti 100. diu pòſt obitum *Marobodui*. Tandem cùm ille vetuſtus Codex *Hagecio* adverſetur, & longè citiùs tribus ſæculis *Czechi* in has oras adventum ponat, (cui ſcilicet poſtea *Crocus* ſucceſſit) neceſſariò alteruter vel Scriptor Codicis, vel *Hagecius* ipſe fallitur. Ergo quâ ratione utrumque ſibi adverſantem conjungere tentat, cùm veritas falſo fundamento non poſſit inniti? nam ſi admittimus *Crocum Czechi* ſucceſſorem electum An. 350. ergo *Czechus* ante id tempus venit; ſi verò contrà cum *Hagecio* affirmemus veniſſe 644. ergo *Crocus* nõ A: 350. ſed poſt A. 644. vixit, ſiquidè *Czecho* (ùt & hi duo Scriptores, aliiq; omnes docent) ſucceſſit. Non poteſt igitur pro *Maroboduo* argumentum ullum ex illo Codice & Hagecio, ſibi adverſantib⁹ ſumi.

Argumenta ſolvuntur & oſtenditur Maroboduum Regem fuiſſe Svevorum.

 III. Ar-

III. Argumentum ex nominibus petit: *Marobod enim aliquid Sarmaticum ſonat*, (inquit) *uti etiam Koribut, ſucceſſorum item Marobodui nomina, ùt Vannius* (quem ipſe *Wanniam*, ridiculè, quaſi *Wañam* ruſticis *Wenceſlaum*, appellat) *Sidon, Vangius, Turzius*, aliique. Ego in *Moroboduo* nihil Slavicum video, non magis quàm in Conſule Romano *Marobaude*, An. C. 377. & iterum An. 383. aut in *Plinta* itidem Romano Conſule An. C. 419. vel in *Artaburio* & ipſo Conſule, vel in *Hormiſda* Pontifice Romano An. C. 515. quos è *Slavica* gente ortos non eſſe, omnes ſciunt; etiam *Koribut* quod adducit, *Slavicum* non eſt. Et quæſo an non Regum Vandalorum nomina: *Genſericus, Geiſericus, Hildericus, Gundabundus, Traſamundus, Godaiſus, & Gilimer Teutonicum* aliquid ſonant? nihilominus tamen idem Scriptor *Wandalos Slavicam* fuiſſe gentem contendit. Tædet, pigétque plures ejuſmodi futilitates, refellere. Ad extremum objicit ipſe ſibi, quod non poteſt refellere: quâ ratione *Tacitus, Maroboduum Svevum, & Marcomannos Svevos* appellare potuerit? hîc hæret, hîc viſco tactus tenetur! denique poſtquam *formas ſeſe verſavit in omnes*, ait: *Tacitum quid diceret, neſciviſſe, & ignoràſſe Germaniam.* Mirifica reſponſio! via perfacilis ad graviſſimorum etiam Scriptorum authoritatem proſtituendam: *neſcivit, lapſus eſt, fallit, & fallitur.* innumeri, quos antè Cap. 2. & 3. laudavi Scriptores disertè cum Tacito faciunt (*Vellejus, Svetonius, Dio, Strabo, Brunnerus, Velſerus, Lipſius, Vohburgius, Cluverius, Dreſſerus, &c.*) de quibus omnibus ferenda erit cenſura: *neſcierunt, lapſi ſunt, fallunt, & falluntur.* at profectò *Maroboduus* pluribus annis vel juvenis *Romæ*, & poſtea ſenior inglorius in *Italia* vixit, conſenuit, ibiq; *Ravennæ* extinctus eſt; neque ejus gentem, aut genus, *Tacitus*, aut *Romani* potuerunt ignorare, etiamſi ipſam *Germaniam* (quanquam quî iſtud fieri potuit?) ignoràſſent.

Tacitus defenditur.

CAPUT XV.

Rurſus alia ejuſdem Scriptoris Paradoxa proponuntur, ac refutantur; præcipuè quæ ex detortis in Slavicam linguam nominibus conficta ſunt. Vitæ, vel Viti Populi, Slavis annumerari non poſſunt; Hunni, Vindelici, Saxones, Rhæti, Alani, è Slavis vel Venedis non prodiêre. Enumerantur Venedorum populi ad Mare Oceanum. De Sileſijs, de Oſis & Quadis.

Refelluntur quædã derivationes ex lingva Slavica.

VI. QVando huc perventum eſt ut de *Nominibus* diſceptetur, adducam hoc loco Authoris hujus novi *Vandalica, Græca*, & aliarum gentium ignotarum, nomina, in quibus ipſe (quod ante ipſum nemo alius) *Slavicam* lingvam latentem probare conatur; quorum nominum interpretationes pleræque tam inanes profectò ſunt, ut riſum, non refutationem mereantur. *Liburnia* inquit, *provincia (quæ eadem eſt cum Croatia) nomen à voce noſtra Liby natum eſt.* In primis examinandum relinquo Chorographis, utrúmne *Croatia, Liburnia* dici poſſit; illud certum eſt, *Liburniæ* nomen longè antè quàm *Slavi* in *Illyricum* veniſſent, *Romanis* cognitum & uſitatum fuiſſe. *Ibis Liburnis inter alta navium Amice propugnacula*, canit *Horatius*. *In Præfat.*

Vibillius & Jubillius Marcomannorum P. 1. C. 3.

rum

Digitized by Google

rum Reges, ille quòd hoſtes expulerit
𝔚𝔶𝔟𝔦𝔩, iſte quaſi ℨ𝔲𝔟𝔦𝔩, appellantur.
Modigiſilus, ait nomen eſt *Slavicum*
(non explicat originem vocis Scri-
ptor) atqui *Germanicum* alij agno-
ſcunt, æquè ùt *Villegiſus, Radegiſus* &c.
Vide *Meibomium* hæc ipſa nomina,
plurimáque alia ex *Germanica* lingva
ſine omni controverſia fœliciſſimè in-
terpretantem, & explicantem. *Sti-
lico Vandalus dici poſſet quaſi* 𝔖𝔱𝔦𝔥𝔩𝔦𝔨;
*Czechus & Lechus dicti ſunt ab Iſthmi
Corinthiaci duobus oppidis Cenchreis &
Lecheis; quodſi inde non velis, proba-
bile eſt Lechum à Lyco fluvio in Vindeli-
cis appellatum.* quid? opúſne eſt, ut
omnia Ducum nomina à fluvijs pe-
tantur? DEUS immortalis, quò res
C. 6. evadet! *Pannonia ex Pomeranico flu-
vio Pan nomen accepit, id eſt Dominus;
unde Circipani ſunt dicti, Latinis Heru-
li.* Nolo conſultò, quod proniſſi-
Lazius in libr: de Migrationibus Gentiũ. mum eſt, refellere, *Lazius* conſulatur.
*Vindelici & Rheti, Slavi fuerunt, unde
etiam Veneti, & Venetia; vicinum
C. 7. enim eſt nomen Vandalis. In Burgun-
dia Divio & Dola, voces ſunt Slavica.*
Jam quæ ſequuntur admiranda ma-
gis, quàm refellenda ſunt: *Lydia, in-
quit, Bithynia, Myſia, Lycia, Caria à Sla-
vicis vocibus* 𝔏𝔦𝔡 (populus) 𝔅𝔶𝔱 (ſe-
des) 𝔪𝔦𝔰𝔶𝔱𝔦 (miſcere) 𝔨𝔞𝔯𝔞𝔱𝔦 (mone-
C. 8. re) *nomen acceperunt. Sclavi ab Urbe
Moſkovitica Sklovv dicuntur; Venzo-
na in Italia, quaſi* 𝔚𝔢𝔫𝔱𝔷𝔬𝔴𝔞𝔫𝔶 */ ditio
quadam ad Litomericium; Coniano ab
aliquo noſtro* ℜ𝔲𝔫𝔞𝔫𝔶, *Verona à Beraun;
Cadubrium per metatheſin* ℜ𝔩𝔞𝔡𝔯𝔲𝔟𝔶;
C. 9. *Udeno,* 𝔘𝔡𝔦𝔫; *Tarviſium, Tarviſie, Sa-
cile,* ℨ𝔞𝔠𝔞𝔩𝔦𝔠𝔢; *Patavium, quaſi* 𝔅𝔞-
𝔱𝔬𝔴 *vel* 𝔅𝔞𝔱𝔢𝔩𝔬𝔴, *qui ad Telczium pa-
C. 11. gus eſt. In Germania rurſus Anhalt, quaſi*
𝔄𝔫𝔥𝔬𝔡. *Wittenberga* 𝔚𝔶𝔱𝔬𝔥𝔯𝔞𝔡.
ℭ𝔥𝔞𝔯𝔴𝔞𝔱𝔦𝔠𝔢, *pagus eſt in Diſtrictu Sla-
nenſi,* 𝔏𝔲𝔱𝔦𝔠𝔢 *in Zatecenſi; hi dedêre
nomen Luticio monti, iſti Croatarum
Regioni. Luſatij à* 𝔏𝔞𝔫𝔷𝔢 *dicti; Hun-
nos Slavicam gentem eſſe nomen arguit,*
ℌ𝔲𝔫𝔢 *enim vel* ℌ𝔞𝔲𝔫𝔢 *tegmina ſunt
craſſo filo, quibus Slavi conteguntur.*
Frater Attila Bleda, ſine dubio Slavis
𝔅𝔩𝔢𝔡𝔶 *id eſt pallidus*; ſed *Budam*, *Bonfin. Ritius. Callimachus. Olahus. Herold. Samburcus &c.*
non *Bledam* Attilæ fratrem nominant
omnes *Ungarici Scriptores* à quo Urbs
Buda nomen accepit. ℨ𝔢𝔪𝔞𝔫 *vox*
(quæ virum nobilem ſignificat) *eſt* C. 15.
Germanica Seeman; atqui *Zeman* à
terra dicitur, qui terræ Dominus eſt,
Italis Gentilhuomo. *Neklan Bohe-* C. 17.
*miæ Princeps hinc appellationem ſorti-
tus eſt: Germanis enim objicientibus,
quòd eſſet Princeps* ℜ𝔩𝔢𝔫 *vel* ℜ𝔩𝔞𝔫, *id eſt
parvus, reſpondêre Bohemi: non eſſe
parvum; inde vocabulum Neklan.*
Tolerari poſſet ſi vel unicum autho- C. 25.
rem haberet, at ultra ſuſpicionem ad-
fert nihil. Omitto alias non minùs
audaces Nominum derivationes, in
quibus omnibus ſaceta inventio mihi
ſæpius riſum movit: habet ergo *Bohe-
mia* ſuum *Goropium*, qui omnia Scri-
pturæ ſacræ nomina (ut *Adã, Tubalca-
im* &c.) *ad Germanicam* (noſter nomi-
na looorum & populorum ad *Slavi-
cam* lingvam) revocare conatur. Sa-
nè ſi conjecturæ hujusmodi infælices
in hiſtorijs locum habeant, nullum mi-
hi propè Nomen dederis, quod ego
non continuò *Slavicum* eſſe, detortâ
aliquâ & defractâ ſignificatione, pro-
bare poſſim.

VII. Aſſerit *Alanos & Hunnos Slavi-* *C. 6. & C. 13.*
cos fuiſſe populos, & *Slavicâ* uſos lin-
gvâ. De *Hunnis* tam falſum, quàm Alani & Hũni Slavorũ populi non fuêre.
quod falſiſſimum; vel unâ *Bonſiny* &
cæterorum, qui de *Ungaris & Hunnis*
egerunt, inſpectione tota cadet aſſer-
tio. De *Alanis* videatur antiquiſſi-
mus belli Vandalici Scriptor *Procopius*,
qui eos unà cum *Vandalis Gallias*, de-
inde *Hiſpanias* petiviſſe narrat, ſed bre-
vi & ipſos à *Gothis*, quibus *eandem ori-
ginem & lingvam fuiſſe* ait, (quod no-
tare oportet) expulſos regnum amiſiſ-
ſe. Plura de his in *Procopio*, & qui
eum compendio retulit *Volaterrano*, Vandalorũ diverſi populi ſinè fũdamento fiunt.
legi poſſunt, & jam antè Cap: XI. pro-
bavimus.

VIII. Incipit *Vandalorum* diverſos e-
numerare populos: inprimis *Herulos*, C. 24.

ex

Digitized by Google

ex quibus *Odoacer Herulorum Rex* Romam occupârit: deinde *Vitos* qui in *Britanniam* penetrârint; ſupereſſe in Anglia *Vandaliſmi & Slavicæ* lingvæ non pauca veſtigia. Tum *Hunnos*, *Burgundiones*, *Vindelicos*, *Saxones*, qui cum *Carolo Magno* bella geſſerint: *Vilſos*, *Obotritos*, *Tolenzos*, *Polabos*, *Sorabos*, *Glomacos*, *Luſatios*, *Slezacos*, ſeu *Sileſios*, *Moravos*, *Rhedarios &c.* De *Herulis & Odoacre Italiæ Rege* peculiariter agemus in ſequentibus. De *Vitis Dreſſerum* ex communi omnium eruditorum ſenſu ſcribentem audiamus: *Vitæ, maris Germanici accolæ, quorum pars cum Angris in Angliam commigravit, pars in Helvetiam ſe contulit, & propè Tigurinos ſedem rerum ſuarum collocavit. Hi poſtea Suita, & ab exteris Svviceri ſunt dicti; Regio denique ipſa ab his nomen adepta eſt. Sunt qui ſcribant, Carolum Magnum decem millia Anglorum, & Saxonum Albingorum, quibus abſque dubio etiam Vitæ interfuerunt, ablegaſſe in Brabantiam, Flandriam, & id genus alia loca vicina, multa item millia collocaſſe in Tranſilvania.* Hæc Dreſſerus. De *Hunnis* jam antè dixi, & provoco ad rerum Ungaricarum Scriptores. Moribus, & ſtudijs, lingvâ, religione, ſedibus, totâ denique origine, & natione à *Slavis* imò & à *Vandalis* diverſi fuêre, idq; nemo unquam aut dixit, aut dicturum confido, quisquis tres, quatuórve paginas *hiſtoriæ Ungaricæ* percurrerit. Terentianus jocus eſt: *qui utramvis gentem* (ſcilicet *Slavicam*, & *Hunnicam*) rectè nôrit, *ambas noverit.* De *Burgundionibus* jam antè docui, eos nihil *Slavonicum*, nec nominetenus quidem habuiſſe; *Vindelici* ipſis *Vandalis* antiquiores ſunt, & quanquam à *Vandalis* orti forent, ſi *Vandali Germaniæ* populus fuit (ut oſtendimus) *Vindelici inter Slavorum* populos cenſeri non poſſunt. De *Saxonibus* nihil volo dicere: res ipſa, quid tenendum ſit, & quàm hæc malè ſcribantur, oſtendit. Reliqui, quos enumerat populi, fateor, ex *Slavis* prodiêre; at non ex *Vandalis*, etſi aliqui ex ijs deſertas à *Vandalis* terras poſſederint, ſed ex *Vendis*, vel *Venedis* (unde *Venedicus ſinus* hodiéque) vel *Henetis*, ùt jam ex *Dreſſero, Cromero, Velſero* aliisque optimæ notæ Scriptoribus eſt probatum: *Vilzi*, vel *Vilzieni*, Wlcy (id eſt *Lupi*) *Slavi*, olim ultra *Salam* verſus *Mansfeldiam* habitârunt, à Saxonibus pulſi; *Obetriti*, vel *Obotriti Slavi*, ubi nunc *Mechlburg*; *Tolenzi Slavi*, in Marchia Brandeburgica; *Polabi* Slavi ſecundo flumine *Albi* habitantes; *Sorbi* vel *Sorabi*, vel *Srbi*, *Slavorum populi* inter *Salam & Albim*, qui & *Dalemantij* nominati ſunt, à quibus *Serbia* vel *Sirbia*, item *Glomatia*, vel *Lomacia*, illa regio fuit appellata; à *Ludovico* Rege Romanorum Anno 874. prorſus oppreſſi. Alij ſunt *Serbi pars Slavorum* ad dextram ripam *Albis* inter *Witebergam & Magdeburgum*; *Luſatij* Slavorum populi inter *Sileſiam*, & *Miſniam.* De *Slezacis*, vel *Sileſiis* ex *Dreſſero* ipſa verba annumerabo: *Sileſij*, *Tacito Lygij, Ptolemao & Straboni Luji, Svevica Gens nobiliſſima in Germania, quæ complexa eſt Arios, Helverones, Manimos, Elyſios & Naharvalos. Ac Arij quidem proximi fuerunt Carpato in prima ora Poloniæ majoris, Helverones & Manimi ad ripam Borealem Viadri ſive Oderæ conſederunt. Elyſij ultra Viadrum ad montes Bohemicos. Naharvali Maſoviam incoluerunt. fuêre igitur Sileſij veteres Quadi, (habitatione videlicet, non ortu nationis vel lingvâ) tum Lygij, Elyſij & ex parte quadam etiam Manimi.* Item alibi: *Quadi Svevi Germaniæ populi in parte Moraviæ & Sileſia ad Niſſam, partem etiam Poloniæ, ubi nunc eſt Cracovia, tenuerunt. Oſi Svevi Moravis vicini verſus Sileſiam, & Poloniam, ubi ſunt Oppolium & Niſſa.* Et paulò antè: *Lygij vel Luij Svevi, inter Oderam & Sudetos montes circa Wratiſlaviam, Legnicium, partem etiam trans Oderam ad Boleslaviam Sileſiæ, & Gneſnam.* hæc Dreſſerus. at poſtea maxi-

mam

Dreſſ. Iſagog. hiſt. P. 5. in Germaniæ Populis.

Burgundiones, Vindelici & Saxones nihil Slavicum habuêre.

Dreſſ. l. cit. in voce Wilzi.

Dreſſ. l. c.

Digitized by Google

Sileſiæ mutationes.

mam mutationem *Sileſia* ſubijt, cùm *Venedorum* populi ſuccesſêre, & prioribus Incolis ſponte, vel vi adactis & alio migrantibus, qui remanſerant in unum populum coaluêre; poſt hæc rurſus *Germani* potiſſimùm ex *Marchia in Sileſiam*, ut Sileſiæ hiſtorici fatentur, immigrare cœperunt. Ex quibus omnibus quæ antè, & modò allata ſunt, & authoritate optimorum Scriptorum, *Welſeri*, *Dreſſeri*, *Lipſij*, *Bonfinij*, *Cluverij*, & antiquorum omnium, *Strabonis*, *Ptolemai*, *Taciti*, *Velleij*, conficitur & illud: malè *Sileſios ſuperiores*, *Quados* appellari, cùm *Quadi* conſenſu omnium Scriptorum *Svevica & Germanica* gens fuerit, quæ pridem eſt extincta; at *Sileſij* ſuperiores, *Sarmatica* gens eſt, & colonia ducta *Slavorum*, vel *Polonorum*.

CAPUT XVI.

De duabus Dalmatijs; nulla fuit Miſnica; nec Dalmatia, ſed Daleminzia, vel Dalamantia. Malè Croatia, & Dalmatia confunduntur. Miſniæ nomen non eſſe improvidè, aut per errorem impoſitum. Crantzius refellitur. Miſnia, & Bohemia nunquam fuit una Provincia; neque Auſta Civitas Bohemiæ unquam pars Miſniæ fuit. Berkarum illuſtriſſima Stirps non habet ortum ex Miſnia, neque Perenſteinij; Sanctus Adalbertus in Bohemia natus, non in Miſnia.

Alia eſt regio Daleminzia, alia Dalmatia.

IX. Quæ decimo ſexto Cap: adferuntur, omnia adverſus Scriptorú omnium torrentem nituntur, ſed propoſito Authoris, quod initio Capitis XIV. allatum eſt, mirè conducunt, & congruunt. Duas ibi facit *Dalmatias*, alteram, quam ipſe vocat *Illyricanam* (Dalmatiæ Regnum) alteram *Miſnenſem*, ſeu in Miſnia ſitam; ex hac *Miſnenſi* prodijſſe *Slavos Bohemos* affirmat, non ex *Illyricana Dalmatia*; omnes ante ſe Scriptores erraſſe, qui decepti voce *Dalmatia*, *Illyricanam* acceperint, cùm *Dalmatia Miſnica* fuerit intelligenda. Hic diſputat unde *Miſnia* ſit dicta, aut *Dalmatia Miſnica*; ab *aliquo*, inquit, *ſciolo, qui cùm per errorem Miſnios Myſos eſſe putaverit, conſequenter penes illos Dalmatas eſſe dixit*; novum paradoxum ſequitur: *Miſniam & Bohemiam olim ſub una Regione comprehenſas eſſe, cujus rei evidens ſit argumentum, quòd Auſta vel Uſta regia Civitas ad Miſniam aliquando ſpectârit*, pro qua defendenda *Miſnij* adverſus *Huſſitas* Exercitum adduxerint A. C. 1426. quo tempore à *Bohemis* ad *Auſtam* ſunt cæſi.

C. 16.

quædam nomina Arcium & Oppidorum adducit, *Bohemis & Miſnijs* communia; *unde (*inquit*) apparet ex hac Dalmatia, non ex altera, Bohemorum (quam ille vocat Wandalorum)* gentem prodijſſe. quot lineæ, tot ut modeſtiſſimè dicam Paradoxa! quæ ſanè absque omni authoritate prolata, à nemine tolerari poſſunt, niſi qui unâ liturâ omnem memoriam Scriptorum extingvere & funditus delere, omnémq; antiquitati fidem ſemel auferre ſtatuerit. Aio inprimis figmentum eſſe geminam *Dalmatiam*, unica tantùm eſt: nam *Miſnenſis*, non *Dalmatia*, ſed *Daleminzia*, aut *Dalamantia Witikindo* dicitur, nec unquam ab ullo authore quod ſciam *Dalmatas Miſnenſes*, ſed *Daleminzos*, aut *Dalamantos*, vel *Dalmanticos* appellatos invêni; idque

que uno tantùm vel altero ſæculo ab Anno 800. uſque ad 1000. & paulùm ultrà, ita *Ditmarus & Witikindus* eorum temporum Scriptores, ita *Meibomius, Fabricius, Dreſſerus, Cluverius, Cromerus*, omnesque eruditi ſentiunt; fateor errore librariorum aliquando pro *Daleminzia Dalmatiam* in *Siffrido*, aut in *Abbate Urſpergenſi* reperiri, ſed hunc errorem pridem *Meibomius, Piſtorius, Fabricius & Freherus* correxerunt, ac docuerunt: *Daleminzia* eſſe legendum. Proferam hoc loco ex *Meibomio* plagulam: *Sigebertus* inquit, *Urſpergenſis, & qui hos ſequuntur, ex vocabulo ignoto Dalminciorum, gravi errore fecerunt Dalmatas, quod neque Crantzium, neque Cuſpinianum animadvertiſſe miror.* Eadem proſus habet *Fabricius: Urbs Miſna condita eſt in regione, quæ olim dicta Daleminciæ, ut apparet è literis Joannis XIII. Pontificis, appellata à Boëmis Sirbia, ut ſcribit Coſmas, à Slavis Lomacia, ut legitur in Ditmaro; antiquiſſimis nominibus Terra Senonum, & Soraborum, quam Svevi olim inhabitarunt; has terras ad Albim antiquitus coluiſſe Hermunduros, Svevorum portionem, teſtatur Strabo. Dalamantici tamen potiùs dicendi, quàm Dalemicij:* quod poſtremum *Meibomius* non probat. Præterea ijdem Authores duo, & ſi qui ſunt alij, qui *Dalmatiam* vocant, nunquam Miſniæ populos *Dalmatas*, ſed *Daleminzios* ſemper appellant; unde quisque prudens intelligit ſubeſſe amanuenſis errorem, & cùm *Daleminzij* populi ſint, *Daleminziam* quoque eorum provinciam appellatam fuiſſe. Alterum illud aſſertum: *Slavos ex Miſnia Daleminziâve in Bohemiam* veniſſe unius *Crantzij* & pauciſſimorum qui eum ſequuntur, ſomnium eſt: qui cùm *Vendos Vandalos* eſſe ſemel crediderit, & (ignorantiâ lingvæ noſtræ) *Slavicam lingvam* nihil aliud eſſe, quàm *corruptam Germanicam* affirmârit, *Vandalósque* à Maris Oceani litoribus ſeſe in *Pannoniam, Italiam*, ac reliquas Meridionales partes diffudiſſe legerit, (ùt jam ſæpius hoc libro dixiſſe memini) neceſſariâ quadam conſecutione adſtruere debuit, intermedias quoque regiones (*Miſniam, Bohemiam, Moraviam &c.*) ab ijsdem *Vandalis* populo impletas eſſe; ſed quàm iſtud *de Vandalis falſum*, tam etiam hoc conſectarium: *Slavorum populos ex Vandalia in Bohemiam adveniſſe;* ut ſileamus ſinè omni cauſſa, ſine authoritate Veterum, ſine ratione hæc confingi, quæ traditioni & conſenſui univerſæ gentis *Polonæ, Bohemicæ*, & univerſim *Slavonicæ*, ac deinde omni antiquitati, & hiſtoricis noſtris & Germanicis omnibus è diametro adverſantur; adde quòd *Czechum & Lechum* non ex *Dalmatia*, ſed ex *Croatia* (nè ſimilitudine vocis deceptos putes) veniſſe plerique tradiderint; quod aliud longè eſt; duo enim diverſa regna confunduntur: quippe *poſt Dalmatiæ campos* (verba ſunt Chronici veteris) *aperitur Iſtria, tum alba Croatia; inde à dictis campis Dyrrhachium uſquè, Croatia rubea, & verſus montana à flumine Drino, trans flumen ipſum, uſquè Macedoniam, Raſciam, & circa flumen, Boſniam vocavêre; Raſciáq;, & Boſnia pro Regni Croatiæ regionibus habebantur;* videantur Tabulæ Geographicæ Italiæ (in cujus conſpectu jacet *Dalmatia*) aut *Illyrici*, aut *Græciæ*, aut *Ungariæ*, aut *Turcarum Imperij*. Fingenda itaque erit huic Scriptori nova *Croatia in Miſnia*, ut inde primordia *Bohemiæ* arceſſantur, cùm *Daleminziæ* nomen, ùt videmus, non ſubſiſtat. Et quamvis è *Dalmatia Czechum* veniſſe antiquitas diceret; Quis quæſo ex ignota *Daleminzia* pauciſſimis cognita, *Dalmatiam* ſibi finxiſſet? non enim ex nova *Daleminzia* vetuſtiſſimum *Dalmatiæ* nomen, ſed contrà ex *Dalmatia Daleminzia* nomen veriſimiliter (ſi alterutrum dicere oporteat) profluxit. Quanquam ſecum ipſe pugnat hic author: cùm enim antè docuerit (quod tamen defendi non poteſt) *Marobodu-*

um

Meibom. in Notis ad l. 1. Annal. Vitikindi. Fabric. l. 1. Annal. Urbis Miſnæ & in Origin. Saxon. l. 2. init. in Henrico I.

Strabo lib. 7.

Crantzium clariſſimè refutat Cromerus l. 1. hiſt. Polon. C. 2. 3. & 6.

Czech è Croatia, nō ex Dalmatia venit.

Chron. Vetus in ſexta ætate Mundi f. 171. in Europa.

Ex Miſnia Czechus in has oras advenire non potuit.

um Slavicæ gentis Regem fuiſſe, & populares ſuos *Marcomannos* (utique ex Moravia) in *Bohemiam* transtuliſſe, atque ita in *Bohemia Slavicam* gentem plantaſſe; quâ ratione nunc dicere poteſt, ex *Miſnia & Daleminzia* in *Bohemiam Slavos* veniſſe?

Miſnenſes unde dicti; nô à Myſia.

Jam Origo nominis *Miſniæ* (quam per errorem ſcioli alicujus, *Myſiæ* loco appellatam docet) prorſus eſt inveriſimilis; quis enim Sciolus tantâ authoritate pollebat, ut integræ Provinciæ, quod unus ipſe vellet, tanquam Dictator, *Nomen* imponeret? *Crantzius* (quem hic Scriptor tantopere miratur, laudat, ac velis remiſque ſequitur) ſibi ipſi adverſatur: nam *Miſnios* à flumine Bohemiæ *Miſa*, *Saxones* verò ab ejuſdem Bohemiæ fluvio *Sazava* derivat: quòd videlicet ad hos fluvios degentes Populi ex *Bohemia*, illi *Miſniam*, iſti *Saxoniam* colonijs compleverint. Quàm igitur improbabile, *Miſnios* ex *Miſnia* ſurſum in *Bohemiam*, viciſſim verò *Bohemos à Miſa & Sazava* in *Miſniam & Saxoniam* deſcendiſſe? hæc certè ſibi non congruunt, & nullo vetuſti alicujus authoris teſtimonio nituntur. *Saxones* unde appellati ſint habes apud antiquiſſimum Saxoniæ Scriptorem *Witikindum*. Rectiùs *Dreſſerus* (Scriptor egregius, Miſnenſium rerum ſi quis unquam peritus, ejuſdémque nationis) *Miſnenſes*, inquit, *Miſa fluvio infra arcem Miſnenſem delabente in Albim, nominati ſunt ab Imperatore Henrico Aucupe An: C. 928. eo in loco ubi oppidum Lupfurt, & trajectus per Albim fuit: Cùm enim devictis Venedis, qui Dalamantici dicebantur, & inter Salam ac Albim conſidebant, Brandeburgum & Grünam infra Ilenburgum ad Muldam, in ſuam poteſtatem redegiſſet, arcem & Marchiam Miſnæ condidit, quam Comiti Wetini commendavit, ut perpetuum eſſet adverſus hoſtes præſidium. Ita compreſſis Venedis, Hermunduri denuo hanc oram ad Albim frequentarunt, admixtis haud dubiè Venedorum reliqvijs, quæ illic remanſerant.* Hæc narratio cùm ex omni parte veriſimillima ſit, facilè quivis intelligit non *Myſos*, ſed *Miſnenſes* regionis hujus incolas nuncupari. Habet Lector eruditus ex *Dreſſero*, compendio, quidquid de origine *Miſnenſium* latè ſcribi potuiſſet; eadem de Origine *Miſnæ Urbis*, *Fabricij* fuit ſententia. *In Originibus*, inquit, *legitur, victos à Diterico I. Dalemincios & eorum regionem tum primùm eſſe Miſniam appellatam.* Hinc neceſſe eſt dicere, *Bohemiam & Miſniam* unâ gente comprehenſas non fuiſſe: *Miſnij* enim *Germani*, & Germanicâ uſi ſunt utuntúrque lingvâ; *Bohemi* poſt Bojos depulſos, & Marcomannos aliò translatos, *Slavicâ*; *Miſnij* Marchionibus ſuis paruêre ſemper, *Bohemi* Ducibus ſuis, ac Regibus omnino diverſis; & quamquam Regibus noſtris, ùt in *Annalibus Bohemicis*, & *Miſnicis* legimus, pars aliqua Miſniæ à Cæſaribus donata ſit, ex eo tamen minimè ſequitur, unâ provinciâ Bohemos, ac Miſnios comprehenſos eſſe, non ſecùs ac nunc, cùm ſub *Bohemiæ Regno Sileſiam, Moraviam* (olim etiam *Luſatiam*) comprehendimus, quæ omnes Provinciæ origine, juribus, legibus, Magiſtratibus cæterisque omnibus diſtingvuntur. De *Auſta* quod objicitur inſcitiæ pleniſſimum eſt: *Sigiſmundus* enim Imperator & *Bohemiæ Rex*, ùt omnes hiſtorici ſciunt, & *Transactio* ipſa verſatur in manibus, cùm pecunia bello gerendo non ſuppeteret, *Duci Miſnenſi* quaſdam Bohemiæ Civitates, *Auſtam*, *Commotovium*, *Pontum*, *Nymburgum* oppignoravit, triginta millibus ſexagenis Bohemicis redimendas; quarum duæ priores, eodem ferè anno à Bohemis ſunt receptæ; nunquam aliàs poſt hæc tempora *Auſtam* ad *Miſnios* pertinuiſſe invenies, oppignoratio verò ipſa argumentum præbet, *Miſniæ Principes*, *Auſtæ* veros Dominos non fuiſſe, adeóque *Auſtam* inter *Miſniæ Civitates* nullo pacto poſſe cenſeri. Ac ſanè miror, cur non

Witik. l. 1. Annal. Saxon.

Dreſ. Iſag. hiſt. P. 5. in Miſnia.

Bohemia, & Miſnia nunquam una Provincia fuêre.

Fabr. l. 1. in Annal. Urbis Miſnæ.

Auſta quâ ratione ad Miſniæ Duces pervenerit.

Fabric. l. 7. Orig. Saxon

Digitized by Google

non antiquiorem Urbis *Auſtenſis* oppignorationem (non hanc recentem An: 1425.) novus hic Scriptor attulerit: nam ex *Chronico Aulæ Regiæ* ad A. 1283. diſcimus: *Ottoni Brandeburgico* Tutori ſuo, *Wenceslaum II.* ejus nominis Regem, non tantùm *Auſtam*, ſed & *Brixiam*, & arces *Dieczin & Bezdiezy* pro 20. vel (ùt alij volunt) pro 60. millibus marcarum argenti) oppignorâſſe; at exinde, ùt dixi, nullum poteſt probari Dominium.

X. De *Familia Roſenſi in Miſnia*, tam mira in hoc Manuſcripto novi Authoris libro leguntur, ut omnem fidem exſuperent:

C. 5. Vandalo boh. & C. 18.

Przemyslum Stadicenſem Libuſſæ maritum ex *ſtirpe Roſenſi* ortum, Principéſque omnes ac Reges Bohemiæ ex illa ſtirpe *Roſarum* deſcendiſſe, & *Roſas* in Clypeis geſtaviſſe (quod in ſequentibus refellemus)

Errores alij Scriptoris novi.

C. 19.

Boleslaum Dalmanziorum Principem, qui ſuppetias *Henrico Aucupi* tulit, *Roſenſem* itidem fuiſſe;

C. 19.

Odoacrem Herulorum Regem in Roſenbergica familia natum, *Urſinos Roſenſes* in Italiam intuliſſe;

C. 20. & C. 6.

Urſinos ipſos ſic dictos quòd in familiam *Beringerorum* adoptati fuiſſent;

C. 22.

ab his verò *Beringeris Berkas & Berenſteinios* noſtros deſcendere, qui unum tantum *Urſum* geſtârint in Clypeo; at quàm inſigniter fallatur hic Scriptor cùm de Illuſtribus Bohemiæ familijs agemus, liquebit; nunquam enim ab omni memoria, & nullo Scriptore aſſentiente, *Bercæ* noſtri *Urſum* geſtârunt, & *Berenſteinij* non Urſum, ſed *Urum* cum aureo in naribus *Circulo* vel *Anulo* ferebant, ideòque Veteribus non *Berenſteinij*, ſed per τὸ P *Perſteinij* vel *Prſtenij* ab Annulo (qui nobis eſt Prſten) appellabantur; ſerò, primùm ante Annos forſitan centum aut ducentos proximos, appellationem Slavicam *Prſtenij* in Pernſteinios detorſêre, ut ex *Paprocio*, aliiſque Stemmatographis ſuo tempore & loco probabo.

Paproc. in Speculo Morav: init.

Sed ille prorſus intolerabilis, & genti noſtræ nimium injurioſus eſt error, quo nobis *S. Adalbertus* eripitur, & *Miſniacus* indubiè fuiſſe aſſeritur, contra omnes omnino Scriptores etiam S. *Adalberto* coævos, quales erant, qui vitam SS. Præſulis ſcripsêre, *Silveſter Papa*, & alter S. *Adalberti* ipſius in Cœnobio Condiſcipulus apud *Surium*, nec non vicini eorum temporum *Leo Oſtienſis*, *S. Petrus Damiani &c.* ut noſtros omnes, *Germanos & Polonos* Scriptores prætercam, qui omnes unà cum *Cardinali Baronio*, S. *Adalbertum* in Bohemia natum affirmant, ejúſque fratres *Libicij in Bohemia* ab Ethnicis peremptos teſtantur.

S. Adalbertum in Bohemia natũ defendim⁹.

C. 19.

At Scriptor novitius errorem accumulans erroribus, negat ullum in Bohemia *Libicium* inveniri, & apertè *Libicij* loco, vel *Lubecam* maritimam Urbem, vel aliud aliquod in Miſnia *Libicium* ſubſtituit: Quid igitur toti antiquitati, quid *Coſmæ* vicino illorum temporum & alijs *Libicium*, & fluvium *Cydlinam & Templum Beatiſſimæ Virginis* diſertè nominantibus (quæ omnia hodiéq; unà cum Oppido ipſo *Libicio* non procul *Podiebradio* ſuperſunt, viſuntur, & nos ipſi vidimus) quid ipſi Sanctiſſimo Præſuli *Adalberto*, qui in Victoria *Sobieslai* adverſus Cæſarem *Lotharium* Vexillum Patris ſui Slavonici ex *Libicenſi* Eccleſia in Bohemia afferri juſſit ad prælium, quid omnibus noſtris Hiſtoricis reſpondebit? nolo tam fœdam hallucinationem refellere, nè quid ſuſpicionis certæ veritati ipſa aſpergat refutatio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Czechorum Bohemorum à Czecho denominatio breviſſimè defenditur. Adſeruntur novæ Novi Scriptoris de Origine noſtræ Gentis ſententiæ; videlicet: Czechum & Lechum imaginarios & fabuloſos eſſe; ſi veri ſunt, vixiſſe circa A.C. 814. Neklanum Ducem Bohemiæ, ipſum fuiſſe Czechum; Przemyslum Stadicenſem Libuſſæ maritum Odoacrem Herulorum Regem fuiſſe, qui Romam occupârit; Stadicium eſſe Arcem Statz in Auſtria; eundem Przemyslum ex ſtirpe Roſenbergenſi Miſniaca ortum, & omnes Bohemiæ Reges ex Miſnia & ſtirpe Roſenſi deſcendiſſe, & Roſam geſtaſſe in Clypeis; aliáque hujusmodi pronunciata contra omnium omnino Scriptorum torrentem.

Czechi cur à Czecho dicti.

MAjores noſtros à *Czecho, Czechitas*, ſeſe aut *Czechos* appellare ſolitos, atque etiam hodie appellari, nemo unus eſt qui neſciat: ſeu quòd à *Czecho* Duce primitus inducti in *Bohemiam* ſumus, ſeu quòd *Czechus* primus apud nos regnârit, ſeu quòd adducto novo *Slavorum in Bohemiam* populo, Veteres, Novósque colonos Imperio conjunxerit, amantiſſimus ſubditorum, & æquè ab ijs amatus; quo merito gens univerſa chariſſimi Ducis nomen aſſumſerit, *Czech* enim quisque dici patriâ voce gaudet, hoc ſeſe nomine jactat, hoc magnificè gloriatur. Et ſanè genti novæ novum aliquod nomen neceſſarium fuit, ut à *Boijs* (qui ex Gallia venerant) *Bohemiam* olim incolentibus diſcerneretur; itaque ſub *Czechorum*, aut *Czechitarum* appellatione à prima gentis origine ad hæc usquè tempora, nullo litem movente, continebamur; repertus eſt tandem (ùt antè dixi) qui *Czechus* ipſe, ſed origine *Miſnius*, appellationem hanc à *Czecho* ortam oppugnaret, novúmque nomen inderet (vide monſtrum verbi!) *Wandalo-bohemorum*, quam vocem in nullo unquam Scriptore inventam, neque fando auditam, primus ipſe confinxit; ſed hæc jam ſatis refutata mittamus. Neque unum illud nomen dediſſe contentus (ut fæcunditatem inventionis in hiſtoria poſſis noſcere) *Herulos* deinde fecit ex nobis, & *Przemyslum Stadicenſem Bohemiæ Principem*, *Odoacrem Herulorum* & Italiæ Regem creavit. Non opus clamores tollere, res enim vel propoſita, velut turris aut paries, ad perpendiculum non exactus, ſponte concidat neceſſe eſt; ſententiam igitur novitij Scriptoris (hiſtoriam ſine ulla Veterum authoritate, ſolo ingenio, velut poëma conderet, ſcribentis) adferamus. *Czech ſi quis unquam fuit* (vellet hic author, ut apparet, Czechum nullum fuiſſe dicere, ideo ſæpe *Czechum imaginatum* barbarè vocat, & *Lechum* fratrem ejus fabuloſè nuncupatum, poſtea tamen quaſi victus univerſæ gentis conſenſu, quæſivit, cui aptè hoc nomen tribueret: *Czechus* inquit, *ſi quando in has oras advenit, non ex Illyricana Dalmatia, ſed ex Miſnenſi veniſſe cenſendus eſt*; *ignarus aliquis pro Daleminzia Dalmatiam accepit*; unicum pro re tanta Scriptorem adducit, cúmque innumeris alijs ſcatentem erroribus (ut notum eſt) *Crantzium*, qui in *Vandalia* ſua Bohemos irrideat, quòd ſe è *Dalmatia* ortos exiſtiment,

C. 5.

Digitized by Google

ſtiment, cùm ipſi contrà in *Dalmatiam* poſt A. C. 583. tranſierint. *Czech, & Lech* pergit, *non fuêre propria virorum nomina, ſed agnomina tantum ab Iſthmi duobus oppidis Cenchris & Lecheis derivata* (in hanc rem nulla ratio, nulla authoritas adfertur) *Czechus & Lechus paulò ante Annum Chriſti 814. vixêre, cùm enim Reüſnerus affirmet: Vitikindum Magnum Saxoniæ Ducem (quem Carolus Magnus bello vicit) ſecundam uxorem habuiſſe Svatavam Czechi Itrziceſcorum, ſeu quòd idem eſt Bohemorum Ducis filiam, neque alius in hiſtoriis noſtris Czechus reperiatur, & Witikindus circa illa tempora vixerit, hoc probato conſequens eſt: Czechum ejúſq; fratrem Lechum paulò ante An. C. 824.* (nota C. 17. ponit annum 780.) *vixiſſe; idq; ex eo confirmatur maximè, quòd Bohemi nunquam ante Caroli Magni Imperium (qui ab anno 768. uſq; ad 814. regnavit) Czechitæ, aut Czechi ab ullo Scriptore nominati leguntur. Itaque & Lechus ille Bohemorum, in bello adverſus Carolum, ductor, ſine dubio frater Czechi fuit. Porrò cùm Czechus ille, Bohemiæ Ducis titulum habeat, ac circa An. C. 814. Neklan Bohemiæ imperitârit, verſimile omnino haberi debet, Neklanum Bohemiæ Ducem alio nomine Czechum appellatum, eundemq; omnino hominem fuiſſe;* ſed in hoc poſtremo Novitius hic Author ſibi non ſatis conſtat, cùm enim ante Cap. 5. dixerit, ſuſpicari ſe: *Czechos & Lechos* in bello contra Carolum Magnum, per teſſeram militarem nuncupatos, tum primùm hoc nomen accepiſſe; ſi *Czechus* ſeu *Neklan* Bohemiæ imperavit, ab eò *Czechitæ* dici poterant *Bohemi*, nec opus erit ad teſſeram militarem confugere.

In Præfat. & P. 1. C. 5.

Nova de Ducib⁹ Czecho & Lecho ſententia.

C. 16. & C. 17.

Jam ex hoc uno ingenti errore in alium ut fit, longè etiam graviorem Scriptor noſter delatus eſt, cùm ex *Przemyslo* Bohemiæ Principe Stadicenſi *Libuſſæ* marito *Odoacrem Italiæ Regem*, Primus ſine ulla authoritate tentavit efficere; omnem decumani hujus erroris apparatum evolvam breviſſimè: Principiò Cap. 3. certum & fixum eſſe vult: *Przemyslum* Stadicenſem Bohemiæ Principem, fuiſſe aliquem *Dynaſtam* illuſtrem *Miſniæ*. Hoc loco (quia authoritate deſtituitur) rationé adfert unicam, quòd *Principes Bohemiæ* olim aliquas habuerint in *Miſnia* ditiones, ſine dubio à *Przemyslo* ſuis ſucceſſoribus Bohemiæ Principibus hæreditate relictas. Nec minùs indubitatum, & certum facit: *Herulos Slavicam* gentem fuiſſe, & in *Auſtria* inferiore habitaſſe (iſtud ab eo nullo argumento uſquam, aut teſtimonio probatum invêni) eoſdem *Herulos* cum *Vandalis* Cap. 18. confundit, qui olim *Pomeraniam* incolentes à fluvio quodam *Pan, Pani* ſeu *Heruli* dicti ſint, poſteáque nomen dediſſe *Pannoniæ*.

Odoacer Italiæ Rex nõ fuit Przemyslus Stadicenſis.

C. 18.

C. 6. & C. 20.

Negamus Herulos Slavicam fuiſſe gentem.

Item perſvaſiſſimum ſibi eſſe: *Ottokarum* ſeu *Odoacrum* etſi aliàs Regem Herulorum, ex *Roſenbergica* ſtirpe in Miſnia prodiiſſe, qui An. 476. Italiam, & *Urbem Romanam* occupârit, ibíque *Romæ*, ſuæ ſtirpis veſtigia reliquerit, gentem clariſſimam *Urſinorum*; id ante ipſum ſenſiſſe *Petrum Albinum*; adducit etiam pro hac ſententia *Blondum & Crantzium*; ſed omnes hi tres, tam dubiè ea de re loqvuntur, ut interpretatione, & ratiocinatione opus ſit, ſi velis eos in hanc ſententiam detorquere, ùt jam dixi. *Bohuslai Lobkovicii* verò, quam pro ſe allegat, authoritas, ad rem propoſitam minimè pertinet, cùm id quod de *Ottogaro V.* Bohemiæ Rege *Bohuslaus* ſcribit: eum ſcilicet gloriari ſolitum: *quòd Regni ſui limites ab Adria uſquè ad Oceanum in Pruſſiam protuliſſet*, & ùt ajunt Sacræ Literæ, *dominaretur à mari uſquè ad mare* (quam Regis Ottogari vocem referunt plurimi Scriptores) iſte de *Odoacre Herulorum Rege* interpretandam neceſſariò exiſtimet, cùm *nullus veriùs & juſtiùs iſtud dicere & gloriari potuerit*, inquit, *quàm Odoacer Rex Italiæ & Herulorum*. Tum conatur oſten-

C. 18.

Odoacer Herulorũ Rex an Roſenſi ſtirpe ſit ortus.

C. 20.

Hagek. Dubravius. Stransky Campan. &c.

dere

Digitized by Google

dere *Przemyſlum* (ut quidam Scriptores docuerant) ruſticum non fuiſſe, & *Stadicium* (quod *Przemyslo* hiſtorici tribuunt in Bohemia, velut ſedem natalem) eſſe ſine dubio arcem in *Auſtria* ſitam *Statz* nomine (ille de ſuo addit: ante fortè vocatam eſſe *Staditz*) unde *Breineri* (quod ad propoſitum nihil omnino facit) ejus Arcis poſſeſſores die Edle Herren von Statz appellentur; Ex his conjecturis denique confici *Przemyslum Stadicenſem* Bohemiæ Principem ex familia *Roſenbergica* ortum, qui & in *Miſnia* & in *Auſtria* plurimas terras ditione tenuerit, eundémque *Herulorum Regem* fuiſſe, & altero nomine *Odoacrem* appellatum: congruere ipſa tempora: nam noviter repertas quaſdam Memorias affirmare *Przemyslum Stadicenſem* Bohemiæ

C. 20. Principem obijſſe circa An. C. 499. & circa ea tempora quoque *Odoacrem Herulorum* & Italiæ Regem è medio eſſe ſublatum. Non procul ab hac ſententia abludere *Petrum Albinum*, qui *Odoacrem Miſniacum* fuiſſe ſuſpicetur, *Crantzium* verò dubitaſſe, & vel *Auſtriacum*, vel *Bohemum* ex conjectura affirmaſſe. Cùm autem à *Przemyslo* certum ſit omnes *Bohemiæ* Duces ac Reges deſcendere, & *Odoacrem*, ſeu Przemyslum ex Roſenbergicis fuiſſe ſit probabile, ſequitur *Bohemiæ Reges* & Principes proculdubio ex *Stemmate Miſnico Roſenbergicorum* & ipſos prodijſſe; hinc aliquos ex Regibus noſtris *Odoacres* ſeu *Ottogaros* appellatos vel eo nomine genus *Odoacri* profitentes; neque ſe dubitare, quin Veteres *Bohemiæ*

Reges Bohemiæ Roſas in Clypeo tuliſſe nemo unquã dixit.

Reges Roſas in Clypeo tulerint; id apparere in *Brzevnovienſis Cœnobij* Fundatione, ubi in Sigillo *tres Roſæ* conſpiciantur, quæ S. *Adalberti* Fundatoris eſſe non poſſunt. (nam ille unam tantùm *Roſam* ferebat, ùt habet *Paprocius*) reliquum eſſe, ùt illæ *Roſæ tres* ad *Boleslaum* Pium Bohemiæ Ducem pertineant. Hanc Regum noſtrorum cum Roſenſibus cognationem agnoviſſe tacitè *Wenceslaum VI.* Bohemiæ Regem cùm *Juditham* filiam *Rynaldo Urſino* in conjugem petenti dare non recuſaret.

Hactenus tota illa fabuloſæ & poëticæ inventionis Œconomia, quam ego multis Capitibus comprehenſam, & non ſatis cohærentem, ex varijs libri illius *Vandalobohemici* locis excerpſi & ordinavi, ex qua illud conficitur tandem (quod artificiosè diſſimulatur) Reges Bohemiæ ex Miſnia ortum habuiſſe, & ab ea familia, quæ in Miſnia Roſas geſtat deſcendiſſe, adeóque familiam Scriptoris, quòd ex ea Reges prodierint, regiam eſſe, & hac prærogativâ pleraſque alias illuſtres familias dignitate exſuperare. Jam ad refutationem accedamus: duo præcipuè affirmantur: *primo* de *Czecho* præpoſterum: eundem *Neklanum* vocatum; *alterum Odoacrem Herulorum Regem* Przemyslum fuiſſe Libuſſæ maritum, quod utrumq; ita paradoxum (nè dicam magis) eſt, ut putem nemini unquam hiſtoricorum rem tam ridiculam in mentem veniſſe, ac ſi etiam veniſſet, quin continuò velut apertum errorem, judicio damnâris; à *Czecho* faciamus initium.

CAPUT XVIII.

Czechus non fuit Neklan Princeps Bohemiæ, neque eſſe potuit; quod Pauli Diaconi (qui ante Neklanum vixit) invicto teſtimonio probatur. Czechi jam Anno C. 520. magna Gens, Romani Imperij Provincias ac nominatim Illyricum fatigant bellis. Slavi è Sarmatia primùm effuſi in Dalmatiam (non Daleminziam) exinde Bojohemiam tenuerunt. Crantzij & Blondi nulla eſſe debet in rebus Bohemorum percenſendis authoritas.

Czechum non fuiſſe Neklanum Ducem Bohemiæ probatur.

PRimum, quod intorquebo telum, tam penetrabile & tam certum eſt, ut eo univerſa illa Conjecturarum Acies configatur: Si Czechus Bohemiæ Princeps (à quo gens noſtra appellationem Czechorum, vel Czechitarum accepit) unus & idem Princeps fuit cum Neklano; igitur Czecho ſeu Neklano apud nos circa An. C. 814. regnante, Czechitæ primùm dici cœperunt: hæc propoſitio quam adfero, ab illo ipſo authore primùm eſt prolata, ut Capite ſuperiore dixi, & rejici nullo pacto poteſt; at verò Czechitarum nomen ex Hiſtorijs longè eſſe antiquius oſtenditur; igitur etiam Czechum (à quo genti nomen) antiquiorem eſſe oportebit, ac proinde non Neklanum, ſed à Neklano diverſum.

Pauli Diaconi authoritas facit pro nobis.

Paul. Diac. l. 4. C. 7. de geſtis Longobar: Velſ. l. 3. rer. Boicar. Munſter. in Coſmogr. l. 3. C. 365.

Iſtud igitur, ſi demonſtravero, vici. *Paulum Diaconum* apud *Welſerum* audiamus: An. 595. *Thaſſilo Rex Bojorum* (ejus nominis primus, Thaſſilonis II. abavus) *Slavos graves perpetuò, & infeſtos vicinos, bello aggreditur: quorum, præter Zechorum nationem (quæ aliquando Sarmatiâ effuſa Bojohemum tenuit) alia Quarentanorum, ſeu Carentanorum Dalmatici oris progreſſa, Norici partem ad Hadriaticum ſinum vergentem inſidens, Boicam premebat. Partâ victoriâ, maximam omnis generis prædam domum retulit.* Audiſne *Zechorum*, vel *Czechorum*, ut nos ſcribimus, Nationem? Eadem habent de hoc bello *Hermannus*, eadem *Sigebertus*, quamvis illi *Behemannos, Bohemos* noſtros appellent.

Herman. & Sigeb. in Chro.

Audiamus *Adelzreitterum: hos qui à Thaſſilone devicti ſunt Paulus Diaconus Slavos appellat, quos* (Nota) *trans Iſtrum ortos, in Illyricum, aliásq; Romani Imperij Provincias, Juſtiniani Imperatoris avo* (qui An. C. 527. Imperium auſpicatus eſt) *irrupiſſe Procopius & Jornandes meminerunt.* Ergo jam in tantum Slavi trans Danubium ad hanc partem noſtram creverant, ut ſuperato Danubio, paulò pòſt An. 527. in Illyricum transferre bella poſſent? quid hoc *Pauli Diaconi* ampliſſimo teſtimonio evidentiùs eſſe poteſt? *Czechitas* nominat An. C. 595. ampliùs ducentis ante *Neklani* Principatum annis; nam inter omnes conſtat, ipſo etiam Novatore affirmante: *Neklanum* circa An. C. 814. *Bohemiæ* primùm imperitaſſe. Quo igitur pacto, ſi *Neklan* idem cum *Czecho* fuit, ante *Czechum Czechitæ* ſunt appellati? ac nè *Pauli Diaconi* authoritatem elevare, & in dubium revocare quiſpiam poſſit, noverit is: ipſum *Paulum Diaconum* ante *Neklanum* vixiſſe, & circa annum Chriſti 760. hiſtoriam Longobardorum *Ticini* concinnâſſe, & longævum ætate, poſt An. 774. ut ex *Leone Oſtienſi* probat *Cæſar Baronius, in Cœnobio Caſſinenſi* in Dominio quieviſſe. Præter ea notari à Lectoribus meis cuperem: inprimis *Paulum* antiquiſſimum Scriptorem dicere: *Zechitas è Sarmatia* adveniſſe,

Adelzr. p. 1. l. 6. n. 15.

Procop. l. 1. de bello Gothico. Jornand. in reb. Geticis.

Pauli Diaconi ætas antiquior Neklano.

Leo Oſtienſ. in Chron. Caſſin. l. 1. C. 17.

Baron. in Annal. Eccl. ad A. C. 774.

non

non ex *Miſnia;* deinde diſertè nominare *Dalmatiam*, unde *Slavi* progreſſi ſint & oram ad Hadriaticum ſinum vexarint, non *Daleminziam*; deniq; jam tunc ijs annis) etiam ante Annum 590.) magnam fuiſſe in ijs partibus Slavicarum nationum potentiam, qui premere potentiſſimos *Reges Bojorum* auderent; & ſub *Juſtiniano* poſt An. C. 527. Romani Imperij Provincias infeſtare; undè meritò *Zechorum* nationem, & aliam *Carentanorum* appellat; ſanè intra paucos annos, nè intra ſæculum quidem, nationem aliquam fundari, ac tantùm populi viribus augeri, & multiplicari poſſe exiſtimo, ut ſub ipſum adventum, & primis initijs, vicinos vexare, & tantum timorem incutere poſſit, ut ad eam coërcendam bellum ſuſcipere *Rex Taſſilo* cogeretur. Rectè igitur, ut in ſuperioribus ex *Cromero*, *Velſero*, *& Weleslavino* docuimus: *Czechi* in Bohemiam adventus longè priùs, & ſæculis aliquot ante *Neklanum* ponendus eſt, ac proinde *Neklanus à Czecho* neceſſariò dividendus. Quid ad hoc *Pauli Diaconi* teſtimonium Adverſarius reſpondere poſſit, equidem non video: ſubtracto ſolo tota moles, quæ ſuper incumbit, concidat neceſſe eſt: *Chronologia* omnis hiſtoriæ Lydius quidam eſt Lapis, cujus examen ſi malè hiſtoria ſuſtinet, ex hiſtoria fabula, ex obryza veritate metallum adulteratum, & aurum comicum eſſe agnoſcitur. Id quod in omnibus libris meis eâdem ſententiâ, ac propè ijſdem verbis jam ſæpius inculcavi. Videant Lectores, quæ in fine Capitis noni, hoc ipſo libro de *Slavorum* noſtrorum (& *Zechorum in Slavoniam*, in *Carinthiam*, in *Illyricum*) colonijs jam ante annum Chriſti 600. deductis ex optimis Scriptoribus, ac præcipuè *Bollando* noſtro recitavimus, quibus omnia hæc, quæ novus author confinxit, confodiuntur, & prorſus jugulantur.

Hiſtorica demonſtratio de Czechorum natione.

II. Sed neque leve apud nos pondus habere debet totius Slavicæ gentis conſenſio, & à Majoribus relicta per manus traditio; nullus unquam Majorum alio ſe nomine quàm *Czechum* aut *Czechitam* jactavit; hunc genti noſtræ nomen dediſſe, hunc in Bohemiam magnâ Nobilitate Slavicâ ſtipatum, Viriſque militaribus, qui ei Socij in victoria adverſus Romanos fuiſſent ſequentibus, adveniſſe, hunc primum apud nos paternè prorſus imperaſſe, & immortale ex eo nomen in poſteris omnibus & ſingulis (nam *Czechum* ſe quiſq; Bohemus appellat) meruiſſe, pueri audiebamus. Ejuſmodi certè unius gentis, quid unius dixi? omnium *Slavorum* (nam idem *Poloni*, quorum eadem eſt origo, idem *Ruſſi, Moſci*, verbo: omnes qui *Lechos Polonos* fraternam nobiſcum gentem indigitant, & nos *Czechos* agnoſcunt) conſenſus repudiari non poteſt, niſi graviſſima & peremtoria, ut ſic loquar, adferantur documenta; at noſter hic Scriptor ultra conjecturas, attulit nihil.

Traditio & conſenſus totius gentis gravem continet probationē

III. Jam ſi etiam ſpectanda Scriptorum authoritas eſt, quem obſecro Novus Scriptor præter ſe ipſum torrenti tot Scriptorum opponet? ac ſi etiam *Crantzium*, *& Blondum* haberet in partibus (quorum verba ut ei conſentiant, interpretanda priùs ſunt ùt ſæpe dixi) tamen quid duo illi de aliena republica, in qua minimum, ùt apparet, fuêre curioſi, ſcribentes, linguæ noſtræ ignari, ſic ut *Slavos ex Germanis ortos*, *& Slavicam ex Germanica lingua natam* fabulentur (qui decumanus eſt error) ijdem plurimum aliorum errorum pridem convicti, ùt oſtendit multis in locis *Meibomius*, nóſq; antè probavimus, quid, inquam duo illi ad totam antiquitatem, & omnis ævi, etiam noſtri, Scriptores? cuperem Lectores meos *Epitomen* noſtram inſpicere, ac potiſſimùm Notas in Libri 1. C. 10. ubi quæ de *Czecho & Lecho*, & eorum in has oras adventu ſcribuntur, innumeris antiquiſſimorum, aut alio nomine clarorum Scriptorum

Meibom: Notis ad l. 2. Witikindi & in l. 3. cùm Crantzius Corbejā & Fuldam confundit.

Authoritas Veterũ Scriptorum facit pro nobis.

ptorum teſtimonis ita firmavimus, ut non impetrare, ſed fidem forſitan exigere poſſimus. *Czechum & Lechum Pulkava, Pius II. Dubravius, Hagecius, Cromerus, Velſerus, Weleslavinus, Cuthenus, Stransky*, omnes denique alij, Noſtræ *Gentis Authores & Duces* fecerunt; quis ſatis ſanus ſeſe ab hac regiâ Scriptorum omnium Veterum & novorum viâ, unius Scriptoris voce, & conjecturis deduci patiatur? at quia non magis fabella cognoſcitur, quàm ſi examinetur per partes, ſingula ad examen rationis, & authoritatis vocabimus, altero abhinc Capite; nunc *Hagecium* ab eodem novo Scriptore injurioſè ſæpius appellatum, & nullo ſuo merito vapulantem purgare & exculpare aggredior.

Animadverſio in Caput XVIII. Libri II.

Paul: Diac: l. 4. de geſt: Longobard: C. 7.

Welſer: in Boicis l. 3.

Defenſio Welſeri.

Adelzr: P: 1. hiſt: Bojor: l. 6. n. 15.

loc. cit: C. 9. in fine.

M*Ultum in hoc Capite, ut par erat, tribuimus* Pauli Diaconi *teſtimonio ex* Longobardorum hiſtoria *petito, quod ad verbum ita exſcripſi, ut in* Welſeri Boicis *inveneram, nihil dubitans optimâ fide citatum; at ecce cùm jam præſens* Liber *ad Typum datus eſſet, ac typotheta in eo exprimendo ſudaret,* Pauli Diaconi *hiſtoriam diu antè quæſitam, in Bibliotheca SS. Patrum lætus invêni, ac propere locum à* Welſero *adductum inſpexi. Res mira! nullum ibi* Czechorum *nomen, ſed* Slavorum *tantùm, cum quibus An. 595.* Thaſſilo *bellum geſſerit, deprehendere licuit. Itaque nè* Welſero *V. Cl. fraudem aliquam impingamus (præſertim cùm ejus nihil intereſſet fraudem aliquam ea in re, quæ ad Bojorum hiſtoriam nihil attineret, commiſci) neceſſariò dicendum eſt: aut* Welſerum *aliud Exemplar* Pauli Diaconi, *idque copioſiore ſtylo conſcriptum habuiſſe, aut ejuſdem Scriptoris ſententiam à* Welſero, *claritatis gratiâ, paulò latiùs, & copioſiùs adductam & explicatam eſſe. Cæterùm omnia congruunt, & ab alijs quoque Scriptoribus ſic intellectum eſſe* Paulum Diaconum, *vel* Adelzreitter, *cujus verba nuper attulimus, demonſtrat, atque inſuper ex eo validè ſatis probatur: quod Scriptores antiqui juxta ac novi, ut* Procopius, Jornandes, Suidas, Hermannus, Sigebertus, *ipſéque adeò* Paulus Diaconus, *tum ex recentioribus* Blondus, Crantzius, Bonfinius, Dreſſerus, Brunnerus, Beſoldus, Wohburgius, Adelzreitter, Bollandus (*quos in Capitis 9. fine adduxi*) *ac tandem omnes* Ungarici Scriptores, *& qui de* Slavonia Ungarica *egerunt, diſertiſſimè doceant*: Slavos ex Bohemia, *colonias circa An. C. 526. in Illyricum duxiſſe, ac fundaſſe* Slavoniam. *Unde ſi poſt hæc tempora diu (ùt novus ille Scriptor ponit An. C. 814.)* Czechus *primò in* Bohemiam *in auxilium ſuæ gentis, cum nova* Sla- *vorum ſuorum multitudine & populo aſcendiſſet, non apparet ratio, cur* Czechum *hactenus ignotum* Bojohemi Slavi *recipere voluerint, qui prægravante domi multitudine, ſuos ad nova regna fundanda foras mittebant? deinde quî fieri potuit, ut Gens* Slavobohemorum *vel ante* Czechum *ſic multiplicari potuerit, ut maximas colonias in* Illyricum *deduceret, ut Exercitus conficeret, ut in medio hoſtium Provincias, quas populo priùs impleverat (puta* Caranthaniam, Dalmatiam, Slavoniam) *armis propugnaret, ut potentiſſimum* Francorum Regem Dagobertum, *circa An. D. 637. ut* Bollandus *oſtendit, glorioſiſſimè commiſſo nobiliſſimo prælio profligaret; ac paulò poſt tamen, nullo prælio, quod ſciamus, attrita, nè quidem bello petita, tantùm exhauriri, & ad paucos redigi potuerit, ut à* Czecho *& ejus populo, nè penitùs periret, defenſionem petere, aut ultro oblatam accipere cogeretur?*

Czechus longè ante An. C. 814. in Bohemiam venit.

Ex Slavorũ Bohemorũ potentia Czechum citiùs advenisse probatur.

Jam ſi primò poſt Annum C. 814.

(ut

(*ùt vult unus ille Scriptor, contra omnem torrentem Scriptorum*) in Bohemiam *cum novo populo appulit, tantámque multitudinem adduxit, ut priorem* Slavorum *gentem, ut ita dicam, devorârit, & in ſuum corpus, & nomen* Czechitarum, *converterit, éſtne ſatis credibile rem tantam in medio* Germaniæ *geſtam, omnes Authores*, Germanos, Francos, Saxones, *jam apertâ eo tempore Exercitibus* Caroli M. *& filiorum ejus* Saxoniâ & Bohemiâ, *ſilentio præterituros fuiſſe? cur* Hermannus Contractus, *cur* Anonymus S. Galli Monachus, *cur* Sigebertus, Regino, *& qui* Caroli M. *& filiorum geſta perſecuti ſunt, & de rebus* Bohemannorum *&* Marahenſium ſeu Moravorum *ſingulis propè annis jam ab A. C. 789. diligentiſſimè faciunt mentionem, & bella omnia conſignant, tam inſperatè per* Czechum *novo Populo auctos eſſe* Bohemannos *tacuerunt?*

Ex ſilentio authorum idem probatur.

Tandem ſi Czech *primò An. C. 814.* in Bohemiâ *vênit, quomodo* Chriſtannus de Skala Brzewnovienſis Monachus (*in vita* S. Ludmillæ *quã* S. Adalberto *Epiſcopo Pragenſi circa An. C. 990. dedicavit, quæ in* Epitome *noſtra excuſa legitur, in qua primordia noſtræ gentis attingit) ignorare potuit, quæ priore ſæculo geſta fuerunt? at* Chriſtannus (*primus Bohemiæ Scriptor*) *maximum tempus interceſſiſſe ſignificat à* Libuſſa *Croci II. filia* (*qui omnium hiſtoricorum teſtimonio longo poſt* Czechum *tempore in Bohemia regnavit*) *uſq; ad* Borzivoium primum Ducem Chriſtianum, *qui circa An. C. 850.* (*ùt in Epitome probatum eſt*) *à* S. Cyrillo *ſacris undis ablutus eſt. Audiamus* Chriſtanni *verba*: Poſthæc invento quodam ſagaciſſimo atque prudentiſſimo Viro (*Przemyslo Stadicenſi*) reſponſione Pythoniſſæ (*Libuſſam intelligit*) Principem ſeu Gubernatorem ſibi ſtatuunt (*Bohemi*) vocitatum cognomine Przemysl, junctâ ei in Matrimonio memoratâ Pythoniſſâ Virgine; dehinc à ſuprà memorato Principe ex ſobole ejus Rectores ſeu Duces impoſuêre ſibi ſervientes dæmoniorum ſimulacris, donec ad extremum dominatus ejusdem Regni pervênit ad unum ex ijsdem Principibus ortum, vocatum Borziwoy &c. *Videat quæſo, prudens* Lector, *an hæc tam multa, tam exiguo tempore confici potuerint? videlicet: ut* Czechus *An. 814. adveniret, ùt regnaret, ut poſt ejus mortem decennio vacaret Principatus, ut poſt* Czechum Crocus I. *pòſt*, Crocus II. *Pater Libuſſæ, deinde ipſa* Libuſſa *aliquamdiu ſola, poſtea verò cum Conjuge* Przemyslo *aliquot annis imperaret, eâque mortuâ rurſus viduus* Przemyslus *per complures annos gubernaret;* tum ex ejus ſobole *non unus, ſed* plures Rectores ac Duces, donec ad extremum Dominatus perveniret ad Borzivoy (*quem irrefragabiliter ex Annalibus Eccleſiaſticis & ex ætate* SS. Cyrilli & Methodij *conſtat circa An. C. 850.* Bohemiæ *imperaſſe*) *hæc omnia conſenſu omnium Scriptorum probatiſſima, non unum ſæculum, ſed plura tempora & ſæcula (præſertim ſi cum Scriptoribus noſtris omnibus* Undecim Duces Bohemiæ Ethnicos *ante* Borzivojum *numeremus) neceſſariò requirunt; quæ poſtea in fine Capitis XX. collatione Chronologicâ Bohemiæ & Poloniæ Ducum magis eluceſcent.*

Ex narratione Chriſtãni valida cõjectura eſt Czechum citiùs adveniſſe.

Chriſtan. in vita S. Ludmillæ init.

Maneat igitur Welſeri Viri Clariſſimi *ex* Paulo Diacono *allata authoritas inconcuſſa; maneat, quod alio loco* Welſerus, *& ante eum* Cromerus, *& plerique meliores Scriptores probarunt, & ad* Attilæ *ævum, vel etiam paulò citiùs, (ùt* Codicillus & Weleslavinus *ſenſerunt)* Czechi *adventus in* Bohemiam *referatur; modò tamen & illud ſemper maneat*: plures Slavorum in has oras migrationes fuiſſe, *& ad* Venedicum ſinum, *etiam ante Chriſtum natum* Venedos ſeu Slavos *habitaſſe, ùt ex* Ptolemæo *conſtat) adeunt à* Danubio *uſque ad* Oceanum *certas Regiones & Provincias (non enim omnes: nam &* Wandalis & Thuringis & Saxonibus, & Herulis *ac cæteris, ſuus aſſignan-*

loc. citatis C. 8. & 9.

Multæ & variæ Slavorũ in has oras migrationes neceſſariò admittendæ.

Digitized by Google

gnandus eſt locus) Populi Slavorum *occupârint. Ita nulla vis inferetur hiſtoriæ, ſuum* Czecho *& cæteris Bohemiæ Ducibus tempus tribuetur, denique conciliabuntur omnia; quæ ſi* Czechum *An. 814. primò veniſſe ponimus, neceſſariò concident, & ipſa Principum nomina delebuntur, contra omnium Scriptorum torrentem, & ſententiam.*

CAPUT XIX.

Hagecij Annalium Bohemiæ conditoris multiplex, & juſta defenſio. Hagecius ſibi Czechum & Lechum non confinxit. Falsò Hagecio affingi plurima, quæ tantum abeſt ipſe docuerit, ut etiam prorſus contraria tradiderit. Vinum tardè in Germaniam & Bohemiam allatum. Accuſatio Hagecij in accuſatorem retorquetur. Chronologiæ cura maxima hiſtorico eſſe debet. In migrationibus Gentium noſtrarum tria maximè tempora obſervanda ei, qui hiſtoriæ Bohemorum prima fundamenta noſſe cupit; Venedi in Septentrione quando & quibus fraudibus deleti. Geronis Marchionis maleficia & injuria in Slavos.

Cùm Scriptor noſter, quicum mihi nunc negotium eſt, præter *Hagecium* paucos, imò veriùs *nullos* Patriæ hiſtoriæ Scriptores legerit (quod quàm turpe ſit, & errori proximum hiſtoriam architectanti, prudentibus judicandum relinquo) ab uno *Hagecio*, qui primùm ſub *Ferdinando I.* Annales *Bohemiæ* ſcripſit, omnia de *Czecho* conficta exiſtimat, hunc omnibus telis petit, qui *fabulando pro more*, ut loquitur, *omnem Bohemiæ hiſtoriam perverterit*: adferamus in exemplum, quæ *Hagecio* imputet, hominique bene de hiſtoria noſtra merito defenſionem aliquam comparemus. In Præfatione: *Hagecius & hiſtoriæ omnes noſtræ de Czecho & Lecho palmariter hallucinantur; (*alibi *Czechum imaginatum & Lechum fabuloſè nuncupatum* appellat) *j*am in ſuperioribus probatum eſt, non hallucinari; magnos duces ſecutus eſt *Wenceslaus Hagecius*. ut vel ſi erraſſet, honeſtari ejus error poſſit; at novi Scriptoris conjecturæ ſui ingenij auſpicijs hiſtoriam fingentis, quem habent, quo nitantur, authorem? cur in unum *Hagecium* invehitur, quod in Antiquiſſimis Authoribus repererat, deſcribentem? fateatur igitur, aut *Hagecium* ſine cauſſa, & injurioſè à ſe peti, aut ſe *Hagecio*, nullum vetuſtiorem legiſſe, aut calumniam, quam impingit *Hagecio*, in vetuſtiores convertat. Certè ante *Hagecium*, id eſt ante *Ferdinandi I.* tempora, *Czechovve & Zechitæ* natio noſtra gaudebat appellari, ut nè tantillum quidem ad *Czechi & Czechitarum* nomen *Hagecius* contulerit.

Hagecius omnes vetuſtos Scriptores ſecutus oppugnari non poteſt.

Eodem C. 3. ait, *confinxiſſe ſibi Hagecium, quæ de Beſſovv ſeu Bſſovv* (quod nunc Mielnikum dicimus) ſcripſit. *nam Bzovv vel Bziovv eſſe in Polonia, non in Bohemia; Patriam ſine dubio Abrahami Bzovij.* De Polonico *Bzovv* nihil poſſum dicere; quod de *Bzovio* dicitur, vereor ut verum ſit: potuit à ſtirpe Bzovius, non à patria nomen accipere; at quod *Hagecius* ſibi id confinxerit, palmaris eſt in ſacrum illum Scriptorem, & *Boleslavi-enſem*

enſem Præpoſitum calumnia, cùm eadem omnino de *Bſſovv*, & de *Mielniko* tradat *Chriſtannus in vita S. Ludmillæ S. Adalberto* nepoti ſuo dicata circa A. 990. cùm agit de *Comite Slavibore S. Ludmillæ patre Mielnicij Domino*, ex qua eadem ſtirpe prodière *Comites de Mielnik*, quod pridem oſtendi. Eadem de *Bſſovv & Mielniko* apud *Coſmam* antiquiſſimum Scriptorem leguntur, eadem in *Pulkava* ſub *Joanne* Rege Caroli IV. Patre ſcribente; eadem in *Dubravio*, eadem in *Silvio & Cutheno* aliiſque, *Hagecio* vetuſtioribus, quid igitur commeruit unus *Hagecius?*

In Originibus Comitum de Guttenſtein. C. 2. 3. 4. & ſeq.

Cap. 5. rurſus peracerbè perſtringit *Hagecium*, quòd non animadverſo duarum Provinciarum diſcrimine, *Czechum Dalmatarum* Principem nuncupârit, & *Czechum è Dalmatia* Illyricana veniſſe, cùm è *Daleminzia* id eſt *Miſnenſi Dalmatia* ſcribere debuiſſet. Nullus hic *Hagecij* error; ſcripſit is quod ante eum omnes *Poloni & Patrij Scriptores* tradiderant, cur unus iſte luat, ſi communis omnium culpa fuit? deinde optimè id dici, nuper probavi, & nemo unus cùm *Dalmatiam* nominari audit, *Miſniam* unquam intelliget, ſed *Dalmatiam* coronatam & regnum. Denique *Hagecius*, nè ſemel dixit, *Czechum è Dalmatia* veniſſe, ſed ex *Croatia* (quod apud diligentes Scriptores diverſum eſt) eodem igitur quem alteri impingit, errore novus Scriptor tenetur, qui *Croatiam à Dalmatia* non diſtinxerit.

In fine ejuſdem Capitis 5. unum inceſſit probris *Hagecium & ignorantia puerilis* incuſat in *Czecho*, quod tamen ante *Hagecium* omnes Scriptores, nullo prorſus excepto, fecerunt, quos innocenter *Hagecius* eſt ſecutus, excuſatione, vel ſi erraſſet, dignus; taceo, quòd verum ſcripſerit, neque poſſit niſi cum tota Antiquitate reprehendi.

De bohemica voce Wjtati.

Capite 14. vapulat *Hagecius*: quòd *Czechum* in hiſtoria ſua, *Bohemiam* ſic alloquentem induxerit: **Wjteg Zeme preſwatá!** *cùm*, inquit, *S. Vitus Bohemiæ nondum eſſet illatus.* Quid hoc tandem negotij eſt? an verbum **Wjtati**, niſi *S. Vitus* foret, *Bohemia* non haberet? certè Veteres, noviſque Scriptores vocem **Wjtati**, non à *S. Vito*, ſed ab idolo **Swentowito**, cujus religio latè per omnes Septentrionales provincias eâ tempeſtate fuſa fuit, appellant; ſed iſtud ipſum non tam certum eſt, neque mihi ſatis probatur, cùm ex *Chronico* Corbejenſi (quod vulgavit *Meibomius*) Cœnobio illi primùm An. 822. 8. Cal. Septembris initium datum eſſe conſtet, & novæ Corbejæ etiam poſteriùs.

Narratio de Inſtitutione novæ Corbeiæ edita ab H. Meibomio.

Capite 17. rurſus vellicatur *Hagecius*, quaſi aſſereret *Czechum* primum *Bohemiæ* fuiſſe cultorem; at alia *Hagecij* aliorúmque mens fuit, ſciúntque omnes *Bohemiam à Boijs* Galliæ populis nomen mutuari; diſertè *Hagecius* Reges ipſos qui ante *Czechum in Bohemia* regnaverint, nomine quemq; ſuo appellat.

Hagec. præfat. ad Annales ſuos.

Similis oſcitantia eſt in hujus Capitis fine: *Hagecium*, cum *Czecho Illyricano Dalmata*, *Przemyſlum Stadicenſem videri confundere;* verba ipſa Scriptoris hujus recito. Admiratione defixus, hæſi, cùm iſta primùm legerem: quippe nihil alienius ejus hiſtoriæ objici potuiſſet: *Czechum Hagecius* ex Croatia adveniſſe putat A. C. 644. at *Przemyſlum* ab aratro ex *Stadicenſi Villa* arceſſitum An. 722. Duces diverſos, ipſæ Ducum effigies in *Hageko* diverſæ, ſatis oſtendunt, verbum nullum addam.

Hagecio alius eſt Czechus, alius Przemyslus Stadicenſis.

Capite 19. *Ottogari* nomen (quòd totus *Ottoni* ſtuderet) ab *Hagecio* confictum exiſtimat; atqui non modò illam vocis originem coævus *Hagecio Dubravius* Olomucenſis Epiſcopus, ſed etiam *Cuthenus*, & longè antiquior *Pulkava*, pluréſque alij retulerunt, ùt *Hagecio* inventio illa nullo pacto tribui poſſit.

Dubrav. l. 15. hiſt. Boh. Cuth. in Silv.

Capite 21. *Hagecius* reprehenditur, idque duabus ex cauſſis: *Prima*, quòd Bohemiam cùm *Czechus* ingrederetur

vacuam cultoribus repræſentet; *Secunda*: quòd *vini* uſum, *Borzivoij* primi Ducis Chriſtiani temporibus in *Bohemiam* primùm inductum affirmârit. Reſpondemus pro *Hagecio*: nihil ab eo tale ſcriptum, imò contrarium: *raros enim incolas Bohemiæ Czecho veniente fuiſſe* dixit (quod eſt veriſſimum, & cauſſam nuper attuli, cùm de *Marcomannis* agerem) narrâtque ad *Czechum* veniſſe, qui referrent, habitari certis locis *Bohemiam* à gente, quæ peregrinâ linguâ utatur; inde natam vocem *Niemecz*, quaſi *mutos* diceres &c. ibidem reſponſum etiam *Czechi* Ducis refert *Hagecius*; igitur à *Czecho* primùm habitatam *Bohemiam* non ſenſit *Hagecius*. De *Vino* Bohemis ad id tempus ignoto pura puta veritas eſt: tardè in *Germaniam* interiorem vites venêre; à *Romanis Colonijs* in Germaniam ſerò invectas, & primùm ad *Rhenum Domitiani* tempore (qui ab An: C. 83. uſquè ad 98. rexit imperium) plantatas docet *Mylius*; ſuâ ætate caruiſſe *vino Germanos Tacitus* oſtendit, cùm potu ex hordeo, & frumento eos uti, & raros ac tantùm ripæ Romanæ proximos *vinum mercari* ſcribit; à Rheno, ac fortaſſe ſi lubet ex *Græcia*, ut omnis humanitas, perinde *Vites* in *Pannoniam*, ac deinde ad *Moravos*, ab his ad nos propagatæ, colonias paulatim duxêre.

Hagec: præfat. ad ſuos Annales.

Hagec. in Annal. ad C. 657.

De Vino tardius in has oras invecto.

Mylius in horto Philoſoph. C. de Vite. Tacit. in comment. de Germania.

Capite 23. Novum in *Hagecium* telum torquetur: *nugari illum*, quòd *Roſenſium* Stirpem per *S. Adalberti* fratrem in *Poloniam* illatam confinxerit, *cùm*, inquit *ex Paprocio conſtet plenam fuiſſe Poloniam Proceribus Roſarum.* In promtu reſponſio: plena fuit *Polonia Proceribus Roſarum*, poſtquam eſt per *S. Adalberti* fratrem illata Stirps, non antè; nam ante *Porejum* nullam in *Polonia Roſarum Stirpem* fuiſſe, ac nullam nominari poſſe, ex eodem *Paprocio* conſtat; ac miror *Paprocium* adverſum *Hagecium* citari, qui disertè ex *Papovio*, *Miechovio*, *Dlugoſſio*, cæteriſque *Poloniæ* Scriptoribus demonſtrat: omnes illas Vetuſtas ſtirpes quæ in Polonia *Roſas* ferunt in clypeis, à *Porejo S. Adalberti* fratre deſcendere, quod ipſimet *Roſarum Proceres* ultro concedunt; lege *R. P. Simonem Okolsky* Ordinis Prædicatorum de *Stemmatibus Poloniæ*, & vitam & mortem *R. P. Alberti Miecinsky S. J. Cracoviæ* recèns vulgatam.

De Roſarũ familijs in Polonia.

Hactenus accuſatio, & defenſio brevis *Hagecij*, quem etſi nos in Chronologiam peccantem, aliquando non ſequamur, tamen in his, quæ allata ſunt, innocenter accuſari, & vapulare, neque (cujus inſimulatur) finxiſſe, ſed ex antiquis Scriptoribus accepiſſe, ſatis, ut reor luculentè demonſtravimus. Certè in hac *Hagecij* accuſatione illud præſtitiſſe videtur hic Scriptor, quod alicubi Tullius dixit, quódque in conſvetudiné proverbij venit: *Navim perforare, in qua ipſe naviges;* dum enim accuſat *Hagecium*, ſe accuſat, & incredibiliter ſeſe licentioſum (nam audacem nolo dicere) oſtendit, quòd nullo præterea lecto patrio authore ad *Wandalobohemiæ hiſtoriam* ſcribendam, & ad omnes *Bohemiæ*, *Poloniæ*, & totius *Slavonicæ* gentis Scriptores *palmariter*, ut loquitur, *errantes emendandos*, accedere non dubitaverit.

Hoc unicum & poſtremum adjicio in his tam varijs, tam antiquis, tam diverſarum Gentium migrationibus, quas hoc & proximis Capitibus attulimus, ut *Bojorum*, *Vandalorum*, *Marcomannorum*, *Herulorum*, *Venedorum*, *Slavorum*, *Gothorum*, *Hunnorum*, & ſi qui ſunt alij, ut diſcrepantes Authorum ſententiæ concilientur, ſummam ſemper (quando iſtuc fieri & obſervari poteſt) habendam Chronologiæ & Temporum rationem; hæc unica Cynoſura eſt, hæc libella, & virgula quædam divina, quâ æquantur & componuntur omnia: Tria maximè tempora (quod hoc loco rurſus repeto) memoriâ tenenda ſunt: Ante Chriſti Servatoris adventum *Boij in Bohemia* habitabant; *Slavi ſub Sarmatarum*

Chronologica fundamenta ſpectanda in hiſtoria Bohemorum.

rum nomine ad Paludem Mæotidem, non procul ab his *Hunni*; at *Vandali*, aliique Germaniæ populi ab *Oſtio Viſtulæ verſus Mare Balthicum*; tum alij populi *Slavorum*, *Venedorum ad Venedicum Sinum*, ut ex *Ptolemæo* diximus

Ptolem. in Geogr.

(ſive iſti à *palude Mæotica* proceſſerint, ſive contrà à *Venedico ſinu ad Mæotidē* migrarint, quod non æquè exploratum eſt) Septentrionalia Maris littora obtinebant; *Marcomanni Moraviam, & Bohemiam*, ripámque Danubij; *Quadi, Moraviæ & Sileſiæ* partem; *Hermunduri* Miſniam & *Bohemiæ* ſeptemtrionalis partem; *Heruli* Megalopolitanam provinciam inſidebant, omnes hi populi (præter *Venedos & Slavos) Germani, & Germanicâ* lingvâ utentes. Succeſſit paulò pòſt tempus *Migrationum* novarum & variarum: *Vandali, Gothi, Alani &c.* deſertis terris ſuis, intravêre *Galliam, Hiſpaniam, Africam, Italiam &c.* Septentrionales verò terras deſertas, (certum tempus defectu hiſtoriæ dicere & definire non poſſumus) *Slavicæ Sarmatarum nationes* (ſive rectâ ex *Sarmatia*, quod probabile eſt, ſive per *Croatiam*, quæ tum *Illyrici pars* erat, proceſſerint, ſive à ſinu Venedico ſeſe extenderint) occupavêre! occupatis jam his terris tertia *Slavorum* migratio admittenda eſt, eáque Vetuſti Authoris, qui de Converſione Carenthanorum circa An. D. 854. ſcripſit, teſtimonio confirmatur, verba ejus ſunt:

Summariū Slavicarum Migrationum.

Author Anonymus de Converſ. Carenth. apud Marquard: Freher.

Poſt Annos Nativitatis Domini 377. & ampliùs, Hunni ex ſedibus ſuis in Aquilonis parte Danubij, & indeſertis locis habitantes, transfretantes Romanos expulerunt & Gothos, atq; Gepidas. Tunc verò Slavi poſt Hunnos inde expulſos venientes, cœperunt iſtis partibus Danubium diverſas regiones inhabitare &c. vide rurſus novam *Slavicæ gentis* migrationem non ab *Oceano*, ſed ab *Aquilonari parte Danubij* aſcendentium, ùt jam minùs incredibiles priores illæ, de quibus modò diximus, videantur. Porrò in hac tertia *Migratione Hunni* primum *Gothorum* reliquijs loco depulſis in *Pannonias*, poſtea *Attilâ* duce in *Italiam* irruerunt, Slavis novis *Hunnos* ſequentibus, & propiùs ad Nos accedentibus. Tantæ verò inundationes *Slavorum* ut ita loquar, in *Septentrionalem Germaniam* tribus hiſce *Migrationibus* factæ ſunt, ut præter *Illyricum, Moraviam, Bohemiam*, quidquid vacuum fuit, & *à Danubio, Viſtulâ, Albi ad Septentriones* porrigitur, Slavorum populi impleverint; *Slavi* erant, ſuâ, non Germanicâ lingvâ utentes, & quia in Septentrionalibus terris olim *Vandali* (Germani) habitârant (ut *Czechi* quoque à *Boijs*) ſic *Slavi* iſtarum Regionum, à prioribus cultoribus *Vandali* cœperunt appellari,

Cromer. l. 1. hiſt. Polon. C. 15.

præſertim quòd nativum ipſorum nomen *Venedi*, vel *Vendi*, *Veneti*, *Heneti*, *&c.* à nomine *Vandalorum* non procul abluderet. Ita aucti *Slavi*, Ducibus ſeſe quàm plurimis diviſère (conſtat aliquando *triginta Slavorum Duces* uno tempore populis illis Slavicis in Septentrione præfuiſſe) addita etiam nomina ſunt populis *Hevellorum*, *Obotritarum*, *Tolenzorum*, *Glomaciorum ſeu Daleminciorum*, *Vulzorum*, *Redariarum*, *Ucrorum* (qui *Ucrana* Marchiæ nomen dedêre) & innumera alia, quę *Meibomius & Dreſſerus* enumerant. Iidem *Slavi* in his tribus migrationibus condidêre Urbes pulcerrimas, *Bremam*, *Vinezzam*, *Roſtochium*, *Stetinum &c.* quæ *Slavorum* geſta in *Pomerania*, *Marchia*, *Mechlburgo*, terriſque illis, tum *Miechovius*, tum *Cromerus*, ſed omnium accuratiſſimè *Helmoldus*, & *Adamus Bremenſis*, ac in Wandalia ſua & Metropoli *Albertus Crantzius* & *H. Mutius* in Germania perſequuntur, plurimis Urbibus earum regionum *Slavicè* nominatis.

Hactenus pacificè *Venedi* ſedebant, nullo propè niſi *Danis* hoſtibus pacem inquietantibus uſquè ad *Henricum* cognomento *Aucupem*; hic *Slavos* non omnes, ſed aſtutè paucos primùm deinde alios atque alios oppugnavit, ſibi-

Meibom. in l. 3. Vitikindi.

que ſubjecit. Uno in bello *Henrici* adverſus *Slavos Rhedarios* geſto, *ducenta Slavorum* millia peremta *Witikindus*, qui ex *proxima Saxonia* hæc videbat, affirmat. Idem fecère *Othones* ac reliqui è Saxonica Domo Cæſares, idem alij vicini Principes, & Germaniæ populi, ac præcipuè *Gero Marchio* triginta Slavorum Regulis ad convivium, vocatis, & turpi dolo circumventis & necatis (unde illi veteres Rhythmi apud *Meibomium* de Gerone:

Witik. l. 1. & l. 3.

Slavi à quo primùm oppugnari cœpti.

In Notis ad l. 2. Witikindi.

Zu Laußnitz erſter Fürſt war ich,
Dreiſſig Wendiſch Herren tödte ich)

sed juſtas fraudis ſuæ pœnas dedit *Ulrico* Bohemiæ Principi An. 1015. qui aperto Marte (non ſicarij inſtar) commiſſo prælio, *Geronem* manu ſuâ interfecit, *Slavisq;* popularibus ſuis, ab illo turpiter necatis, ejus ſangvine parentavit, rectè *Martem Ultorem* agnoſceres. Quanquam an idem ille *Gero* fuerit, dubium me reddit *Chronicon Mansfeldenſe* apud *Weleslavinum*, quod duos *Gerones Marchiones Luſatiæ* nominat, priorem qui An. 965. deceſſerit nullâ prole ſuperſtite relictâ, alterum qui ab *Ulrico* occiſus ſit An. 1015. unà cum filio, quod peritioribus, & in hiſtoria *Saxoniæ* verſatis dijudicandum relinquo. *Geronem Fabricius* primùm accuſat, poſtea rurſus excuſat; aſtu tamen *Geronis factos eſſe Slavos tributarios* ait, eásque fraudes explicat; denique fatali inclinatione omnes *Vendici* (vel populari errore Wandalici) Principes deleti, ac populus Slavorum ſimplex, hoſtiū qui ſucceſſerunt artibus (ùt loquitur *Cromerus*) oppreſſus, ſervitutis jugū accepit, de qua re eſt inſignis querela Gallici Antiſtitis *Henrici Spondani*. Conſulatur etiam *Dreſſeri Iſagoge* hiſtorica, qui omnium diſertiſſimè, & diligentiſſimè *Slavorum Henetorum & Obotritarum* cruentos interitus, & totum gentis tantæ excidium explicuit; neque modò *Saxones, & Miſnios & Thuringos ad Slavos* extingvendos conſpiraſſe invenio, ſed *Hollandos* quoque, & *Flandros* adjuviſſe; qua de re *Dreſſerus* hæc habet: *Albertus Urſus* (ex familia Principum Anhaltinorum) A. C. 1142. *factus eſt Marchio Brandeburgenſis, qui cum Sorabis ad Albim in Marchia Brandeburgenſi & Saxonia ſuperiore de omnibus fortunis dimicavit; Przemislaus autem Obotritarum Regulus qui Marchiam tenebat, hunc Albertum hæredem inſtituit. Ab hoc conditæ, vel inſtauratæ ſunt Urbes Berlinum, Bernavum & aliæ; à colonis verò novus Flandris & Hollandis, quos, expulſis Henetis, prope Miſnenſes & Hercynios ad Albim & Havelum collocavit, appellationes oppidorum Cameraci, Neomagi, Brugæ circa Wittebergam ſunt natæ. Pomerania, ſeriùs paululùm Germanis ceſſit Anno ſcilicet 1222. Bogislao II. Stetinenſium primo Duce extincto, tum domiti Slavi & Winiti, lingvâque eorum & mores deleti, & Saxones* (verba Dreſſeri refero) *pro ijs in Pomeraniam infuſi.* Atque ita Slavi dominatu dejecti omnes illas Septentrionales plagas ſuccedentibus Germanis amisère; idem ante 400. accidit Sileſiæ, idem alijs accidet ſi quando exterorum multitudine prægraventur. Non dubia tamen Slavi habitationis ſuæ ad *mare Balthicum* monimenta reliquerunt, & quædam gloriæ ſuæ trophæa fixerunt: hinc *Pomeranorum Wartislai*, (ſeu Wratislai) *Svvantipolci, Sobieslai, Radiborij*, & qui poſtremus Ducum Stetini fuit noſtrâ memoriâ *Bogislaus*, in *Mechlburg Primislai* (unde Prinslaviæ in Marchia nomen) *Pribislai, Miecziſlai, Mieſtevoij &c.* ſed de his alius erit ſcribendi locus, cùm *Pietatem Slavicæ gentis, liberalitatem in ſacris*, & quendam *Magnificentiæ* Genium pluribus exemplis adſtruemus.

Fabric. in Annalibus Urbis Miſnæ l. 1. & in Origin. Saxon. l. 2.

Weleslav. ad 18. Junij in Calend. hiſt. Chron. Mansfeld. C. 142. & C. 164.

Fabric. l. 2. Origin. Saxon.

Crom: in hiſt: Polon.

Spondan. in Annal: Eccl. ad A. 1228. N. 12.

Slavorum Populi in Saxonia extincti.

Dreſſ. P. 4. in March: Brandeb. & in Princip. Anhalt. & in Megapolitanis & in Ducib. Pomeraniæ.

Crantz: l. 2. Wandaliæ, & in Metropoli.

Notabile.

Hæc igitur, ùt dixi, *tria tempora* Curioſis Lectoribus obſervanda ſunt, alioquin chaos tam involutum in hiſtoricis, legentibus occurret, ut explicare, & quid tenendum ſit, ſcire non poſſint; valet enim in hiſtorijs illud Juris Conſultorum: *diſtingvenda eſſe tempo-*

tempora, ut concordentur jura, videlicet, ut tam variæ & in ſpeciem contrariæ Scriptorum concilientur ſententiæ. Omnia quæ modò attuli, ſi id nunc ageretur, probatiſſimorum Authorum teſtimonijs firmari poſſent; ſed mihi propoſitum non fuit, de *Slavis* generatim ſcribere; quanquam facilè animadvertent Lectores, hæc quæ dixi modò, probatis Scriptoribus, quos citavi, quóſque adhuc in ſequentibus adducam, congruere.

CAPUT XX.

Quidam hiſtorici Errores iterum decuſſi.

Fundatur Regnum Slavicum Dalmatarum. Somniant qui Czechi & Lechi nomina ab oppidis duobus Græciæ Cenchreis & Lecheis deducunt. Expenditur nomen Itziceſcorum. Svvatavva Witikindi Conjux Lechi Principis Filia. Series Veterum Bohemiæ Principum. Piaſecij anhiſtoriſia.

PRomiſeram duodeviceſimi Capitis fine, particulatim ſeu per partes recitaturũ me & breviſſimè refutaturum hallucinationes novi illius, & incerti Scriptoris; eluceſcet hac ratione magis opinionum inanitas, & refutationibus oppoſitis evaneſcet.

Czechum & Lechum è Daleminzia (quæ regio inter *Albim & Chemnicium* jacet, ut ait *Ditmarus*) ſeu ex *Miſnia* veniſſe, non ex *Illyrico* aut *Dalmatia*, ſcripſit nuperus Author, ùt jam toties dixi. Quàm hoc audacter aſſeritur ab illo, tam prudenter & pudenter (quia cum authoritate omnis ævi) negatur à nobis; non opus eſt quenquam nominare, ſtant pro nobis omnes omnino, Veteres, Novi, Patrij non patrij, Sacri, & profani Scriptores & quisquis unquam hiſtoriam noſtram attigit.

Unde primùm Slavi advenerint.

Sunt fateor egregij Scriptores, qui *Slavos* ſtatim è *Sarmatia* in has oras veniſſe ſuſpicantur (in quam ſententiam *Cromerus*, & à *Sudetis* inclinant) neq; ego multum repugnaverim id primitus factum (ut primis hujus Libri Capitibus docui) ijdem tamen concedunt fieri potuiſſe (quod disertè *Cromerus* admittit) ut poſtea ex *Croatia* ad populares ſuos in *Bohemiam Czech*, & *Lech* advenerint; ſed nullus Scriptorum *Miſniam*, aut *Daleminziam* nominavit. Certum & illud eſt: Si *Slavorum* gens ex *Sarmatia* in has terras rectâ advênit, illis migrantibus, *Poloniam, Sileſiam, Moraviam, Bohemiam* longè priùs quàm *Miſniam* occurriſſe. Quid igitur obſtat, quò minùs, ut tota ſenſit Antiquitas, & nos ſentiamus? ſed *Crantzius* Bohemos poſt A. C. 583. in *Dalmatiam è Bohemia* tranſiſſe ſcripſit: quid iſtud ad rem facit? ſcio *Slavos Bohemos Dalmatiam* (vel Slavoniam rectiùs) fundaſſe, ante An. C. 600. armis occupaſſe, Populo impleviſſe, vicináſque regiones *Italiæ ad Foroiulium* multum ac diu vexaſſe, ut tradit *Sigonius*; at inde nihil ad ſummam conficitur; quin pateſcet potiùs antiquiorem eſſe apud nos *Slavorum* originem: utpote qui jam Anno 583. imò & maturiùs, ut Capite IX. probavimus, colonias ex *Bohemia* deducere, armatos Exercitus in hoſticum tam procul mittere, ac regiones vaſtiſſimas occupare potuerint; quàm ſæpe videmus & vidimus, rebus cum tempo-

Crom. in fine libri 7. hiſt. Polon.

Sigon. de regno Italiæ l. 2. A. C. 640. & 705.

Slavi priùs advenêre in has terras, quàm exiſtiment Hageciani.

Digitized by Google

tempore mutatis, homines priora ſua vota damnare! quid ſi ad defenſionem Veteris Patriæ vocati è *Bohemia in Illyricum* properarunt, ad Veteres Socios, Amicos, & fratres? erant tum tempora, cùm avium æſtivarum more, jam huc, jam illuc, terræ melioris amore, aliiſque de cauſſis, contenderent Populi, ut ex *Wolfgangi Lazij* Libris datur ſatis intelligi. Quò non deductæ ſunt olim coloniæ Romanorum? quot ſuppetunt exempla eo ſæculo ad primas, ſecundas, ac tertias ſedes remigrantium Populorum? vide quæ Capitis noni fine attulimus.

Czech & Lech non fuêre propria nomina, ſed agnomina. Unde iſtud quæſo probari poterit? equidem ſúsque déque rem habeo; at illi res hæc non vana eſt viſa: nimirum viam ſibi Author munire voluit, ut veriſimilius ex *Czecho Neklanum* faceret. quem igitur ex *Lecho* faciet, quem intactum præterivit? raró certè, illo rudi ſæculo præſertim in Gente noſtra præter nomen, agnomen aut cognomen inveniet.

Fabuloſa nominum derivatio Czechi & Lechi.

Czechi & Lechi nomina, à duobus oppidis Iſthmi Cenchreis & Lecheis derivata videntur. Dicam cum Plauto: *ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio; Apollini autem brachium.* Quomodo hæc ex tam remoto & intimâ Græcia nomina accepêre? ac ſi ex *Illyrico Czehus & Lechus* veniſſet, propiores ſaltem *Iſthmo Corinthiaco* erant futuri, nunc, cùm ille *Czechum ex Miſnia* in *Bohemiam* aſcendiſſe confirmet, an probabiliter ſatis hæc affirmentur, ipſe viderit; hæc certè ipſa nomina etiam Eruditiſſimi hodiéque ignorant.

Czechi Chronologia.

Czechus & Lechus Polonæ & Bohemæ gentis authores paulò ante A. C. 814. vixêre. Nè unus quidem Scriptorum poterit adduci, qui iſtud hactenus docuerit, nè illo quidem ſæculo tradunt vixiſſe; qui tardiſſimè *Czechum in Bohemiam* adveniſſe ponunt, Annum Chriſti 644. opinantur, qui citiſſimè An. 278. alij omnes mediâ gradiuntur viâ, & inter 300. vel 400. & 644. divinant; vide *Cromerum*, & quos in Epitome hiſtorica nominavimus. At *Reuſnerus* affirmat *Witikindum Svatavam Czechi Itziceſcorum filiam* in conjugio habuiſſe. Quid inde? an plures *Czechi* eſſe non poterant, præſertim ſi cum Novitio Scriptore dicamus *Czechum* agnomen eſſe? ſed jam pridem nodum hunc alibi diſſolvimus, oſtenſúmque eſt illis ſæculis *Bohemiæ* non unum, ſed quàm plurimos parvos Duces imperitâſſe; hinc apud *Coſmam* ſæpiſſime plurali numero *Bohemias* leges, & *Provinciam Slavonicam Bſovv* ſeu *Melnicenſem*, *Provinciam Lucenſem*, *Provinciam Slavorum Caurzimenſem*, *Provinciam Lippenſem*, *Provinciam Liticenſem &c. Provinciam Pragenſem*, *Provinciam Varenſem*, quas ſinguli Principum regebant, qui tandem omnes à *Pragenſibus Principibus*, ut ſic dicam, ſunt devorati. Qui bella *Caroli M.* & filiorum ejus deſcripsêre, quos inter *Hermannus Contractus*, *Sigebertus*, aliique, commemorant quatuordecim *Bohemannorum Principes Chriſto* nomen dediſſe; ad A. 847. Eadem ratione *Czech* ille *Itziceſcorum*, regiunculæ alicujus in *Bohemia* Princeps eſſe potuit, ut opus non videatur *Neklanum* quaſi is ſolus regnârit apud nos, reſpicere. Ac certè, aut vehementer fallor, aut hoc ipſum nomen huic Scriptori adverſatur: notet obſecro, Lector ultimam hujus vocabuli partem *Ceſcorum*: nam ut à *Lecho Leſcus*, ita à *Czecho*, vel *Cecho Ceſcus* & plurali numero *Ceſci* Latinè (Bohemis Cʒechowe) derivantur. Vel hodie, cùm adjectivum *Bohemicus* patria voce reddimus, *Czeski* vel *Czeſci*, & nos Cʒeſky / id eſt bohemicè loqui, dicimus: audiatur in re ſimili *Cromerus*: *Przemyslus*, inquit, *omninm acclamationibus Princeps renunciatur, & blandum Leſci nomen, gratioſum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam, oblatum accipit.* Credibile

Cromer. l. 2. init. Beſold. in Synopſi hiſt. univ. ex Calviſio.

Examinatur nomen Itziceſcorũ Ducis.

Cromer. hiſt. Polon. l. 1. A. 760.

bile eſt igitur primum illud dimidium vocis *Itzi* (ita enim ſcribit *Reuſnerus*) ſignificaſſe differentiam gentis alicujus *Bohemoſlavicæ*, aut ipſum Ducis illius nomen, alterum verò dimidium, Generale fuiſſe nationis vocabulum *Slavo-Bohemorum* ſeu *Ceſcorum. Svvatavva* igitur *Ceſcorum* Ducis *Itzi* filia fuit, eorum ſcilicet Slavorum Ducis qui *Ceſci* dicebantur; ita & hoc tempore *Gallobelgas* nominamus, & olim *Wiſigothos*, *Oſtrofrankos*, *Oſtrogothos* ac cæteros nominabant; æquè in rem noſtram *Ditmarus*, & *Witikindus*, *Hevellos Slavos*, *Tolenzos Slavos*, *Bohemos Slavos* junctim appellant. Quod ſi jam tum *Ceſſi* vel *Ceſci* (quæ facilis eſt apud Germanos Scriptores Slavica nomina pervertentes mutatio, nam & *Czechos Fabricius* ex Veteribus Codicibus Germanorum *Zeſchos* & *Ceſcos* appellat) *Bohemi* dicebantur, cuique apparet antiquius fuiſſe *Czechi* nomen, à quo videlicet univerſa gens appellabatur *Ceſci*, ac proinde cùm *Czechus* antiquior ille univerſæ Bohemicæ gentis Dux fuerit, & longè ante 814. vixerit, ut pridem ex *Paulo Diacono* probavi, & omnes omnino Scriptores conſentiunt, hic verò alter *Itzus Dux* fuiſſe legatur, facilè apparet, hunc ab illo diverſum neceſſariò fuiſſe.

Fabric. in Origin. Sax. l. 2.

F. XIX. M.S.

Eſt in Bibliotheca Domus Profeſſæ Societatis JESU Viennæ grandis M.S. Codex plenus Genealogiarum authore *Joanne Ludovico König J.U.D.* in quo *Witikindi Magni Conjux Svatava* filia *Itzi Czeſcorum in Bohemia Principis* fuiſſe dicitur. Notandum inprimis illud *Itzi Ceſcorum*, ita ab hoc Genealogiſta expreſſum (nullo alio addito nomine) quaſi *Svvatava* filia cujuſdam *Itzi* Principis *Ceſcorũ in Bohemia* fuiſſe dicatur; deinde, non affirmare Königium *Bohemiæ*, ſed in *Bohemia Principem*, quod (niſi fallor) longè diverſum eſt. Idem habet ipſemet *Reuſnerus*: *Svatava vel Svvaterna Czechi Itziceſcorum in Bohemia* (non Bohemiæ) *Principis filia*; nihil denique illa *Czechorum* pluralitas continet novitatis: nam ſi ille Princeps quiſquis fuit, ex *Bohemia* fuit, *Czech* fuit, neque aliter reſpondere poterit novitius Scriptor, ſi natio ejus exquiratur, quàm ſe *Czechum* & Cžeſſy ſcire, *Bohemum* eſſe, & *Bohemicè* loqui; nullum igitur ex *Czechi* vel *Ceſci* nomine (cujus illa *Svatava Witikindi Magni Conjux* filia fuiſſe dicitur) peti poteſt de *Cechi* ætate argumentum; atque ita univerſa illa de *Neklano* fabella, quam primus excogitavit, omnino concidit; præterea ut à *Lecho* primi Poloniæ Principes *Leſci* dicebantur, ita à *Cecho*, *Ceſci Bohemiæ* imperitantes Principes appellari potuerunt, idque fateri adverſarius ipſe cogitur, cùm *Czechum*, & *Lechum*, non propria nomina, ſed agnomina, & quæ pluribus convenirent, exiſtimet fuiſſe, atque ita ſubtracto quaſi ſolo, ruunt omnia. Quid ſi autem neque tum eo tempore *Czechum* ullum *Principem* vixiſſe probemus, & falsò citari? tum profectò in ipſis ſuis, ut ita dicam, caſtris, adverſarius cæderetur.

Reuſner. in Baſilico. in ſtirpe Witikindæa.

Lechi non Czechi filia conjux Magni Witikindi fuit.

Etſi enim *Reuſnerus Svvatavam Czechi* filiam, qui adverſus *Carolum Magnum*, ejúſque filium itidem *Carolum* pro genero ſuo *Witikindo* pugnârit, appellet; alij tamen longè diligentiores, non eum *Czechum*, ſed *Lechum* nominant. *Weleslavinus* accuratiſſimus rerum Bohemicarum Scriptor narrat: *Neklanum* Bohemiæ Principem bellum cum *Carolo M.* ejuſque filio geſſiſſe, ſed cùm imbecillior & ignavior eſſet, Duces ſuos, Principem *Lechum*, vel *Leſchum* & quendam *Mildruchum* ſibi ſubſtituiſſe; ambos verò Duces in diverſis prælijs perijſſe. Cum *Weleslavino* facit Vetus Scriptor *Hermannus Contractus*, qui dum hoc *Caroli* junioris bellum annotat, nullum *Czechum* aut *Czechonem*, ſed Regem (*Regulum* ſine dubio aliquem) Bohemiæ Anno 805. occiſum *Lechonem* vocat, cui Anno ſequenti, Dux Bohemorum dictus *Miloduch* ſucceſſerit, iſque etiam in prælio ſit occiſus. *Fabricius* non minùs

Weleslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. init.

Fabric. in Origin. Saxon. ad Ducem Sabaudiæ l. 4. init.

nùs diligens Saxoniæ Scriptòr, diſertè *Svvatavam* non *Czechi*, ſed *Lechi* filiam appellat. *Genealogia Witechindiana* Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ dedicatæ, fragmentum eſt hoc:

Witechindus Magnus. { Uxores ejus duæ I. *Geva* Siwardi Regis Daniæ Soror.
II. *Svvadava Lechi* Ducis Bohemiæ filia. ex hac

Witechindus author ſtirpis Budſeciæ.

Et pòſt: *Svvatava Lechi Ducis Bohemiæ, item Soraborum & Daleminciorum Principis filia; ex qua prodijt Witichindus prima ſtirps Marchionum Miſnenſium.* Quid apertiùs dici potuit? nec iſtud affirmat Genealogiſtes aliquis, ſed *Saxoniæ* nobiliſſimus Scriptor. quid ſi *Lechus* iſte ex *Bohemiæ Ducibus* ortus, non tamen *Bohemiæ* toti imperârit, ſed *Dalemınciæ*, eâque de cauſſa ejus nomen Annales noſtri prætereant? confirmatur ſuſpicio hæc mea, vel ex eo, quod adjecit *Fabricius* (Orig. L. 5. in *Witechindo* Juniore) *hic* inquit (ſcilicet Witechindus Junior) *factus eſt Præfectus Soraborum, & poſſeſſiones maternas* (Nota *maternas*) *Zorbecam, & Budſeciam, inter Salam & Albim* (his igitur in locis *Lechus Svatavæ Pater* imperabat) *retinuit, ſéque Soraborum Landvoitum, Zorbecæ Burgravium, & Budſeciæ Dominum nuncupavit.* *Bunting* in Hiſtoria Brunſwicenſi: *Svvatavam* alteram Magni *Wedekindi* conjugem natam ex *Bohemiæ* Ducibus agnoſcit, ſed patrem non nominat; eam verò genuiſſe *Wedekindum*, vel *Witikundum* Juniorem, *Wenedorum & Soraborum Dominum, Comitem in Wethin, Purgravium in Zorbek*, à quo *Hugo* magnus, & hodierni Reges *Franciæ*, item *Landgravij Thuringiæ, Marchiones Miſniæ*, & hodierni Duces *Saxoniæ* deſcendant. Antiquiorem *Saxonum* cum gente *Vendorum* conjunctionem adducit idé author, *Dieterici Saxoniæ Regis* conjugem *Dobram* Duciſſam *Vendorum* appellans, cujus *Dobræ* gentilitius Clypeus *Uri Caput* coronatum cum Anulo haberet; ſed hæc poſtrema nihil ad Bohemiam. *Dlugoſſus* Polonus & *Gvagninus ex Martino Gallo* referunt: *Lechum*, ſeu *Lechonem* principem in cruento prælio cum *Carolo* (*Caroli* M. Imperatoris Romani filio, *Notho*) quem pater contra *Polonos & Bohemos* Saxoniam bello vexantes cum exercitu miſerat, in *Sileſia ad Oderam* occubuiſſe, idque actum eſſe anno primo, quarto vel quinto poſt octingenteſimum; neque illum *Lechum Czechi* fratrem appellant, ſed *Cromerus* ſecundum, *Gvagvinus* tertium ejus nominis *Leſconem* vel *Lechum*. Suffragatur omnis hiſtoriæ ſcientiſſimus *Beſoldus*, neq; in hoc bello ullum *Czechum*, ſed *Lechum*, vel *Lechonem* nominat, qui à *Caroli M.* filio Carolo ſit occiſus; citátque in eâ ſententiam *Reginonem* ex Vetuſtis, *Calviſium* ex recentibus hiſtoricis. *Blondus, & Sabellicus Leonem Bohemorum Ducem* ab hoc *Carolo* interfectum eſſe ſcribunt, ſed nullum per ea tempora, ait *Cromerus*, *Leonem apud Bohemos regnaſſe comperio, nè Lechonem quidem.* Apud Polonos *Leſcus* regnavit, quem *Gallus & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis eſt autem Lechonis in Leonem commutatio. Nihil vetat credere, Polonis pariter & Bohemis* (*Exercitibus videlicet*) *eum præfuiſſe.* Hæc poſtrema ex *Cromero* deſcripſi. Nullus iſtorum quos modò nominavi Scriptorum, nè ſemel quidem, *Czechum* in his *Caroli M.* bellis adverſus *Slavos, & Saxones* geſtis nominavit. Habet igitur *Lector* quod dubitet, addo: & quod miretur, tam dubio ſcilicet & labili fundamento, Scriptorem, contra quem nunc agimus, totam illam Inventionis ſuæ machinam, quâ luminibus omnium primorum Scriptorum obſtruere conatus eſt, inædificâſſe.

Bunting. in Wedekindo Magno.

Bunting. in hiſt. Brunſwic. in Dieterico.

Gvagnin: in Leſcone III.

Lechus nō Czechus occiſus in prælio.

Beſold. in Synopſi hiſt. Univ.

Blond. Dec. 2. lib. 1. Sabellic. Ennead 8. lib. 9. Cromer. lib. 2. hiſt. Pol. in Leſcone II. Mutius de German. l. 9.

Bohemi nunquam ante Carolum M. Czechi aut Cechitæ ſunt appellati. Iſtud

C. 18

Cap. 18. dirui *Pauli Diaconi* ante hæc tempora viventis authoritate, quem *Welſerus* citavit. Hæc una probatio, victoria eſt, & ut abſint alia omnia, ſole meridiano clariùs oſtendit: malè *Neklano* timidiſſimo, & ſtolido Principi tribui, quæ *Czecho Duci* primo gentis univerſæ, viro fortiſſimo & ſuorum amantiſſimo tribuuntur; ob quam cauſſam gens univerſa ex ejus nomine *Czechitarum* appellationem ſibi ſumſit. Cæterò *Neklan* (nihil pugno) *Czech* dici potuit, quia *Czechia* id eſt Bohemiæ imperavit; ſed non *Czechus* ille de quo agimus, *Lechi frater, Dux gentis & author;* quem longè ante hæc tempora vixiſſe certiſſimum eſt ex Ordine *Poloniæ & Bohemiæ Principum*, quem ſubjungo ex optimorum Scriptorum authoritate, uſque ad *Neklanum Caroli M.* tempore (ab An. C. 804. imperantem) deductum:

Brevis Genealogia Poloniæ & Bohemiæ Principum vetuſtorum.

Weleslav. in Geneal. Prin. Boh. Dubrav. Hagek. Sylvius. Cuthenus. Miechov. Decius. Cromerus. &c.

Czech Bohemiæ Princeps, ſenior *Lechi* frater ⊖ 85. vacavit Imperium Annis X.

Crocus I. Dominus in Wladorz Bohemiæ Princeps.

Crocus II. Bohemiæ Princeps.

Libuſſa Croci filia ↓ Przemysli I. Domini Stadicenſis.

Nezamysl Princeps Bohemiæ.

Mnata Princeps Bohemiæ.

Vogen Princeps Bohemiæ.

Wnislaus Princeps Pragenſis. — Wratislaus Princeps Lucenſis.

Neklanus Princeps Pragenſis.

Hoſtivitus Neklani filius, Princeps Bohemiæ, cujus ↓ *Miloslava.*

Borzivoius I. Chriſtianus Princeps Bohemiæ, ↓ *S. Ludmilla* Comitiſſa de Mielnik.

Wratislaus Princeps Bohemiæ ↓ ejus Drahomira.

Boleslaus Sævus. ⊖ 967. S. Wenceslaus Princeps & Martyr.

Daubravvka vel Dambrowka ↓ Mieczislai Principis Poloniæ.

Lechus Princeps Poloniæ; *Czechi* Frater junior.

Duodecim Duces, ſeu *Palatini* ſimul imperantes Poloniæ.

Crocus Poloniæ Princeps.

Lechus ſecundus Princeps Poloniæ.

Venda Principiſſa Poloniæ.

Duodecim Palatini iterum.

Przemyslus ſive *Leſcus I.* Princ. Polo.

Leſcus II. Princeps Poloniæ. (hic Leſcus, vel ejus filius Lechus III. à Carolo Notho occiſus circa An. C. 804.)

Leſcus III. Princeps Poloniæ.

Piaſtus Civis Cruſſwicenſis Princeps Poloniæ, ⊖ ætatis ſuæ anno 120.

Semovit vel *Zemovit* Princeps Poloniæ imperavit annis 32.

Leſco imperavit 30. annis, Princeps Poloniæ.

Zemomysl Princeps Poloniæ Anno 921.

Mezek ſeu *Meczislaus* Princeps Poloniæ Chriſtianus ↓ Daubrawka.

Boleslaus Chrobry I. Rex Poloniæ Anno 999. ab hoc deſcendunt *Veteres Poloniæ Reges* uſq; ad Caſimirum II. qui ⊖ ſine poſteris virilis ſexûs A. 1370. hinc etiam ortum trahebant *Duces Sileſiæ, & Mazoviæ.*

Reliquos *Principes Bohemiæ* adducam in Tabulis Genealogicis *Przemyſlææ* ſtirpis, uſquè ad *Wenceslaum III.* Regem Bohemiæ, qui An. 1306. ſine liberis deceſſit. Polonos Principes ac Reges, totámque eorum ſucceſſionem, ac Genealogiam invenies apud *Miechovium* ac *Cromerum*; quam totam nuperus Scriptor *Piaſecius* confudit, aſſerens *Piaſtum Poloniæ Principem Juliani Cæſaris* temporibus (id eſt circà Annum Chriſti 363.) vixiſſe; quod ego exiſtimo ſuſtineri non poſſe, cùm omnes vetuſti æquè, ac novi Scriptores Poloni & noſtri: *Miecziſlaum*, ſeu *Meſconem* Principem Poloniæ & *Dambrovcæ* maritum, filium *Zemomyſli* (pronepotis *Piaſti*) fuiſſe affirment, conſtétque ex omnibus hiſtorijs Eccleſiaſticis: *Miecziſlaum* paulò ante Ann: Chriſti 965. Religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe; igitur *Piaſecio* incumbit probatio, ut demonſtret: quomodo fieri potuerit, ut intra trecentos annos, quatuor tantùm *Poloniæ Principes* numerentur? plures certè neque in ſua, neque in ulla *Polonorum* hiſtoria reperiet Piaſecius.

Piaſecius in Chronico ad A. 1587.

Piaſecij difficilis chronologia.

(+)

CAPUT XXI.

Przemyſlum Stadicenſem non fuiſſe Dynaſtam Miſniæ. Miſnæ Urbis breves & ſummariæ alienationes & donationes Principibus Bohemiæ factæ. Heruli non fuêre Slavorum populi. Odoacer Herulorum Rex qui Romam cepit, non fuit Bohemiæ Princeps Przemyſlus Libuſſæ maritus. Principes & Reges Bohemiæ non ſunt orti ex Miſniacis, multóque minus è Roſenſi Miſniaca ſtirpe.

Tandem tenebo rationem, & viam de *Odoacre*, quam modo in *Czecho* tenebam; abſurdæ & falſæ opiniones quæ in toto non ita patent, diviſæ partibus, magis eluceſcunt, & deprehenduntur faciliùs.

Przemyſlum Stadicenſem, Dynaſtam aliquem *Miſniæ* fuiſſe affirmat. Aſſerenti imcumbit probatio, præſertim ſi adversùs antiquorum authoritatem aliquid ſtatuatur; contrarium omnes Scriptores ſenſêre: ab aratro vocatum, & villam *Stadicz in Bohemia* ad fluvium *Bielam* coluiſſe, *Chriſtannus Monachus*, ex illo *Przemyſli* ſangvine ortus, ad *S. Adalbertum*, ſcripſit; idem *Coſmas*, *Pulkava*, *Silvius*, *Weleslavinus*, aliique omnes æquè commemorant. Extat hodiéque villa *Stadicz in Bohemia & Przemyſlai* coryletum; villæ illius Domini non plus tributi ab omni ævo pendunt, quàm *Nucum* illius arboris in Regum noſtrorum Coronationibus menſuram. Vidimus iſtud in *Coronatione Ferdinandi III.* Sunt in eam rem aliquot Veterum *Bohemiæ Regum* diplomata, quæ in *Epitome* noſtra ex *Goldaſto* attulimus, & vidiſſe inter Privilegia Regni Caroli IV. ea de re literas *Silvius* teſtatur; non igitur *Miſnenſis Dynaſta*, ſed *Bohemus Agricola*, aut ſi mavis, unius *Villæ in Bohemia Dominus*, *Przemyſlus* debet haberi.

Przemyſlo Stadicenſis villæ Dominus in Boh. ad Bilinā.

Chriſtan. in Vita S. Ludmillæ.

Silv. in hiſt. Boh. C. 6.

Duces Bohemiæ in Miſnia ditiones habuiſſe hæreditate à Przemyſlo acquiſitas. Neque iſtud ſubſiſtit. Quas, quæſo, ditiones, agricola, unius villæ in Bohemia Dominus relinquere in *Miſnia* potuit? habuêre, fateor, diu

In Miſnia nihil primitùs hæreditarium Ducibus noſtris.

pòſt

Digitized by Google

pòſt ditiones in *Miſnia* noſtri Principes, ſed jure armorum, non ſucceſſione. Primus *Przemyslus*, *Dobroſul*, ſeu *Hallas Saxoniæ* poſt An. C. 490. occupavit, ut habet *Weleslavinus*. *Boleslaus II.* Bohemiæ Princeps An. 978. *Miſnam* Urbem aſtu capit duce *Vangione*, quam duodecim annis tenuit, *Ottone II.* Cæſare multum invito, & indignante. Vide *Fabricium*, *Chronicon Mansfeldenſe*, *ac Weleslavinum*. An. 1067. *Henricus IV. Imperator Miſnam Wratislao Duci Bohemiæ* donat, qui ad regionem in officio continendam, non procul *Urbe Miſnâ* arcem munitiſſimam condidit *Hvvozdiecum* appellatam. Hæc habet *Coſmas* in Annalibus Bohemiæ, *Fabricius* in Miſnicis, *Chronicon* Mansfeldenſe, *Weleslavinus & Hagek*. Et certè nunquam, ut ex hiſtoricis noſtris & Regum literis ſatis conſtat, alium juris titulum in *Miſnam*, quàm *donationes Cæſarum* vel arma, Noſtri Reges allegarunt, quæ omnia *Dreſſerus* confirmat. Diſtinctiùs iſta, & ſuis diviſa temporibus in *Fabricio* leguntur, qui *Miſnam* Anno 978. à *Vangione* captam An. 990. ab *Echardo Marchione* ejectis Bohemis, receptam; rurſus A. 1010. à *Bohemis* occupatâ Miſnenſi Arce, *Bohemis* redditam, eodémque anno (civium conſpiratione) *Bohemorum* præſidio dejecto, liberatam; mox *Duce Bohemiæ* cum exercitu veniente, Civibus punitis, Exulibus reſtitutis, in *Bohemorum* poteſtatem veniſſe commemorat. Brevì pòſt iterum *Miſnam* hoſtium aſtu amiſère *Bohemi*; recuperata eſt ab *Henrico III.* Imperatore, & *Wratislao Bohemiæ Duci* tradita Anno 1067. rurſus ab *Ecberto Turingiæ Marchione* recepta. A. 1076. atq; iterum An: 1078. à *Wratislao I.* Rege Bohemiæ vindicata. Caſtrum illud *Gvozdecum* vel *Hvvozdecum Wratislaus* Dux Bohemiæ An. 1098. in alium locum tranſtulit, locus tamen hodiéque neſcitur. Plura de his in *Fabricio* ad A. 1130. 1157. 1193. 1213. 1247. 1272.

Weieslaw. in Geneal. Prin. Boh.
Fabric. in Miſnicis.
Chron. Mansfeld. C. 146.
Weleslaw. in Calendario hiſtor. ad 31. Martij & 14. Julij.

Fabr. l. cit.
Chr. Mansfel. C. 206.
Weleslaw. ad 2. Julij.
Hagek f. 140.

Dreſ. in Miſn. & P. 5. Iſagog. hiſt. verbo: Miſna.
Fabric. in Annalib. Urbis Miſnæ lib. 1.

Miſnæ Urbis occupationes à Bohemis.

Tot bellis, tantóque pro *Miſna* conatu, id tandem *Bohemiæ Reges* à Cæſaribus Romanis conſecuti videntur, ut ijs in terris *Vicariatus Imperij* ad eos pertineret: *Wenceslai Bohemiæ* Regis titulum ad A. 1290. recitat *Fabricius*: *Wenceslaus DEI Gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Cracoviæ & Sendomiriæ, Marchio Moraviæ, S. Romani Imperij per terras Miſnenſem Orientalem & Pleiſnenſem Vicarius Generalis.* Sed de *Vicariatu Imperij* plura in Regibus noſtris adferentur. Illud de *Miſnia* probabile eſt temporarium fuiſſe, nam eundem titulum 1296. *Henricus Naſſavius* poſtea geſtit.

Heruli & Wandali diverſi.

Herulos Slavicam gentem fuiſſe, in Auſtria Inferiore habitaſſe; eoſdem fuiſſe cum Wandalis; à fluvio Pan dictos; nomen dediſſe Pannoniæ. Omnia hæc Scriptoribus omnibus adverſantur. *Heruli*, ait Dreſſerus *gentis Gothicæ populi*; quis verò tam peregrinus in hiſtoria, qui *Slavos à Gothis* toto cælo diverſos ignoret? Bonfinius: *Heruli, ut Albanius teſtis eſt, ad Mæotidis paludes ac ſilvas quondam habitabant, quibus ab amore ſilvarum, ſtagnantiúmq; locorum nomen eſt inditum. Hermanaricus Herulos caſo Alarico Rege perdomuit.* Idem lib. 7. *Heruli & Turingi, exercitûs Attilæ reliquiæ, qui ſuperatis & fugatis Hunnis, ad Danubij oſtia conſedère; poſt Attilæ mortem Anno ferè vigeſimo, Odoacre Duce Italiam adoriuntur. Pannonias Oſtrogothi incoluerunt.* paulò pòſt: *Rugorum ac Turingorum Rex Odoacer appellatur.*

Dreſſer. Iſag. hiſt. P. 5. init.

Bonfin. hiſt. Ung. Dec. I. lib. 2.

Pannoniæ certè antiquius eſt nomen, quàm *Herulorum*, quos novus Author *Pannoniæ* nomen dediſſe confinxit, aliud etymon *Pannoniæ in Bonfinio* leges. *Münſterus quoque* in *Coſmographia* l. 2. C. 65. eſt in noſtris partibus: *Theodoricus Rex*, inquit, *qui ex Gothis fuit multo labore Odoacrum, qui ex Hunnis erat, tandem interfecit.* Sed quid conſectamur rivulos, cùm fontes ipſos adire poſſimus? audiamus

Bonf. Dec. 1. lib. 1.

De Herulis.

Authoritas Veterũ Scriptorum facit pro nobis.

ptorum teſtimonis ita firmavimus, ut non impetrare, ſed fidem forſitan exigere poſſimus. *Czechum & Lechum Pulkava, Pius II. Dubravius, Hagecius, Cromerus, Velſerus, Weleslavinus, Cuthenus, Stransky*, omnes denique alij, Noſtræ *Gentis Authores & Duces* fecerunt; quis ſatis ſanus ſeſe ab hac regiâ Scriptorum omnium Veterum & novorum viâ, unius Scriptoris voce, & conjecturis deduci patiatur? at quia non magis fabella cognoſcitur, quàm ſi examinetur per partes, ſingula ad examen rationis, & authoritatis vocabimus, altero abhinc Capite; nunc *Hagecium* ab eodem novo Scriptore injurioſè ſæpius appellatum, & nullo ſuo merito vapulantem purgare & exculpare aggredior.

Animadverſio in Caput XVIII. Libri II.

Paul: Diac: l. 4. de geſt: Longobard: C. 7.

Welſer: in Boicis l. 3.

M*ultum in hoc Capite, ut par erat, tribuimus* Pauli Diaconi *teſtimonio ex* Longobardorum hiſtoria *petito, quod ad verbum ita exſcripſi, ut in* Welſeri Boicis *inveneram, nihil dubitans optimâ fide citatum; at ecce cùm jam præſens* Liber *ad Typum datus eſſet, ac typotheta in eo exprimendo ſudaret*, Pauli Diaconi *hiſtoriam diu antè quæſitam, in Bibliotheca SS. Patrum lætus invêni, ac propere locum à* Welſero *adductum inſpexi. Res mira! nullum ibi* Czechorum *nomen, ſed* Slavorum *tantùm, cum quibus An. 595.* Thaſſilo *bellum geſſerit, deprehendere licuit. Itaque nè* Welſero *V. Cl. fraudem aliquam impingamus (præſertim cùm ejus nihil intereſſet fraudem aliquam ea in re, quæ ad Bojorum hiſtoriam nihil attineret, comminiſci) neceſſariò dicendum eſt: aut* Welſerum *aliud Exemplar* Pauli Diaconi, *idque copioſiore ſtylo conſcriptum habuiſſe, aut ejuſdem Scriptoris ſententiam à* Welſero, *claritatis gratiâ, paulò latiùs, & copioſiùs adductam & explicatam eſſe. Cæterùm omnia congruunt, & ab alijs quoque Scriptoribus ſic intellectum eſſe* Paulum Diaconum, *vel* Adelzreitter, *cujus verba nuper attulimus, demonſtrat, atque inſuper ex eo validè ſatis probatur: quod Scriptores antiqui juxta ac novi, ut* Procopius, Jornandes, Suidas, Hermannus, Sigebertus, *ipſéque adeò* Paulus Diaconus, *tum ex recentioribus* Blondus, Crantzius, Bonſinius, Dreſſerus, Brunnerus, Beſoldus, Wohburgius, Adelzreitter, Bollandus *(quos in Capitis 9. fine adduxi) ac tandem omnes* Ungarici Scriptores, *& qui de* Slavonia Ungarica *egerunt, diſertiſſimè doceant*: Slavos ex Bohemia, *colonias circa An. C. 526. in Illyricum duxiſſe, ac fundaſſe* Slavoniam. *Unde ſi poſt hæc tempora diu (ùt novus ille Scriptor ponit An. C. 814.)* Czechus *primò in* Bohemiam *in auxilium ſuæ gentis, cum nova* Slavorum *ſuorum multitudine & populo aſcendiſſet, non apparet ratio, cur* Czechum *hactenus ignotum* Bojohemi Slavi *recipere voluerint, qui prægravante domi multitudine, ſuos ad nova regna fundanda foras mittebant? deinde quî fieri potuit, ut Gens* Slavobohemorum *vel ante* Czechum *ſic multiplicari potuerit, ut maximas colonias in* Illyricum *deduceret, ut Exercitus conficeret, ut in medio hoſtium Provincias, quas populo priùs impleverat (puta* Caranthaniam, Dalmatiam, Slavoniam) *armis propugnaret, ut potentiſſimum* Francorum Regem Dagobertum, *circa An. D. 637. ut* Bollandus *oſtendit, glorioſiſſimè commiſſo nobiliſſimo prælio profligaret; ac paulò poſt tamen, nullo prælio, quod ſciamus, attrita, nè quidem bello petita, tantùm exhauriri, & ad paucos redigi potuerit, ut à* Czecho *& ejus populo, nè penitùs periret, defenſionem petere, aut ultro oblatam accipere cogeretur?*

Defenſio Welſeri.

Adelzr: P: 1. hiſt: Bojor: l. 6. n. 15.

loc. cit: C. 9. in fine.

Czech⁹ longè ante An. C. 814. in Bohemiam venit.

Ex Slavorũ Bohemorũ potentia Czechum citiùs advenisse probatur.

Jam ſi primò poſt Annum C. *814.*

(ut

Digitized by Google

(*ùt vult unus ille Scriptor, contra omnem torrentem Scriptorum*) in Bohemiam *cum novo populo appulit, tantámque multitudinem adduxit, ut priorem* Slavorum *gentem, ut ita dicam, devôrârit, & in ſuum corpus, & nomen* Czechitarum, *converterit, éſtne ſatis credibile rem tantam in medio* Germaniæ *geſtam, omnes Authores,* Germanos, Francos, Saxones, *jam apertâ eo tempore Exercitibus* Caroli M. *& filiorum ejus* Saxoniâ & Bohemiâ, *ſilentio præterituros fuiſſe? cur* Hermannus Contractus, *cur* Anonymus S. Galli Monachus, *cur* Sigebertus, Regino, *& qui* Caroli M. *& filiorum geſta perſecuti ſunt, & de rebus* Bohemannorum *&* Marahenſium ſeu Moravorum *ſingulis propè annis jam ab A. C. 789. diligentiſſimè faciunt mentionem, & bella omnia conſignant, tam inſperatè per* Czechum *novo Populo auctos eſſe* Bohemannos *tacuerunt?*

Ex ſilentio authorum idem probatur.

Tandem ſi Czech *primò An. C. 814.* in Bohemiâ *vênit, quomodo* Chriſtannus de Skala Brzewnovienſis Monachus (*in vita* S. Ludmillæ *quã* S. Adalberto *Epiſcopo Pragenſi circa An. C. 990. dedicavit, quæ in* Epitome *noſtra excuſa legitur, in qua primordia noſtræ gentis attingit*) *ignorare potuit, quæ priore ſæculo geſta fuerunt? at* Chriſtannus (*primus Bohemiæ Scriptor*) *maximum tempus interceſſiſſe ſignificat à* Libuſſa *Croci II. filia* (*qui omnium hiſtoricorum teſtimonio longo poſt* Czechum *tempore in Bohemia regnavit*) *uſq; ad* Borzivoium primum Ducem Chriſtianum, *qui circa An. C. 850.* (*ùt in Epitome probatum eſt*) *à* S. Cyrillo *ſacris undis ablutus eſt. Audiamus* Chriſtanni *verba*: Poſthæc invento quodam ſagaciſſimo atque prudentiſſimo Viro (*Przemyslo Stadicenſi*) reſponſione Pythoniſſæ (*Libuſſam intelligit*) Principem ſeu Gubernatorem ſibi ſtatuunt (*Bohemi*) vocitatum cognomine Przemysl, junctâ ei in Matrimonio memoratâ Pythoniſſâ Virgine; dehinc à ſuprà memorato Principe ex ſobole ejus Rectores ſeu Duces impoſuêre ſibi ſervientes dæmoniorum ſimulacris, donec ad extremum dominatus ejusdem Regni pervênit ad unum ex ijsdem Principibus ortum, vocatum Borziwoy &c. *Videat quæſo, prudens* Lector, *an hæc tam multa, tam exiguo tempore confici potuerint? videlicet: ut* Czechus *An. 814. adveniret, ùt regnaret, ut poſt ejus mortem decennio vacaret Principatus, ut poſt* Czechum Crocus I. *pòſt,* Crocus II. *Pater Libuſſæ, deinde ipſa* Libuſſa *aliquamdiu ſola, poſtea verò cum Conjuge* Przemyslo *aliquot annis imperaret, eâque mortuâ rurſus viduus* Przemyslus *per complures annos gubernaret;* tum ex ejus ſobole *non unus, ſed* plures Rectores ac Duces, donec ad extremum Dominatus perveniret ad Borzivoy (*quem irrefragabiliter ex Annalibus Eccleſiaſticis & ex ætate* SS. Cyrilli & Methodij *conſtat circa An. C. 850.* Bohemiæ *imperaſſe*) *hæc omnia conſenſu omnium Scriptorum probatiſſima, non unum ſæculum, ſed plura tempora & ſæcula* (*præſertim ſi cum Scriptoribus noſtris omnibus* Undecim Duces Bohemiæ Ethnicos *ante* Borzivojum *numeremus*) *neceſſariò requirunt; quæ poſtea in fine Capitis XX. collatione Chronologicâ Bohemiæ & Poloniæ Ducum magis eluceſcent.*

Ex narratione Chriſtãni valida cõjectura eſt Czechum citiùs advenisse.

Chriſtan. in vita S. Ludmillæ init.

Maneat igitur Welſeri Viri Clariſſimi *ex* Paulo Diacono *allata authoritas inconcuſſa; maneat, quod alio loco* Welſerus, *& ante eum* Cromerus, *& plerique meliores Scriptores probarunt, & ad* Attilæ *ævum, vel etiam paulò citiùs,* (*ùt* Codicillus & Weleslavinus *ſenſerunt*) Czechi *adventus in* Bohemiam *referatur; modò tamen & illud ſemper maneat*: plures Slavorum in has oras migrationes fuiſſe, *& ad* Venedicum ſinum, *etiam ante Chriſtum natum* Venedos ſeu Slavos *habitaſſe,* (*ùt ex* Ptolemæo *conſtat*) *ad*[illegible]*ut à* Danubio *uſque ad* Oceanum *certas Regiones & Provincias* (*non enim omnes: nam &* Wandalis & Thuringis & Saxonibus, & Herulis *ac cæteris, ſuus aſſignan-*

loc. citatis C. 8. & 9.

Multæ & variæ Slavorũ in has oras migrationes neceſſariò admittendæ.

gnandus eſt locus) Populi Slavorum *occupârint. Ita nulla vis inferetur hiſtoriæ, ſuum* Czecho *& cæteris Bohemiæ Ducibus tempus tribuetur, denique conciliabuntur omnia; quæ ſi* Czechum *An. 814. primò veniſſe ponimus, neceſſariò concident, & ipſa Principum nomina delebuntur, contra omnium Scriptorum torrentem, & ſententiam.*

CAPUT XIX.

Hagecij Annalium Bohemiæ conditoris multiplex, & juſta defenſio. Hagecius ſibi Czechum & Lechum non confinxit. Falsò Hagecio affingi plurima, quæ tantum abeſt ipſe docuerit, ut etiam prorſus contraria tradiderit. Vinum tardè in Germaniam & Bohemiam allatum. Accuſatio Hagecij in accuſatorem retorquetur. Chronologiæ cura maxima hiſtorico eſſe debet. In migrationibus Gentium noſtrarum tria maximè tempora obſervanda ei, qui hiſtoriæ Bohemorum prima fundamenta noſſe cupit; Venedi in Septentrione quando & quibus fraudibus deleti. Geronis Marchionis maleficia & injuria in Slavos.

Cùm Scriptor noſter, quicum mihi nunc negotium eſt, præter *Hagecium* paucos, imò veriùs *nullos* Patriæ hiſtoriæ Scriptores legerit (quod quàm turpe ſit, & errori proximum hiſtoriam architectanti, prudentibus judicandum relinquo) ab uno *Hagecio*, qui primùm ſub *Ferdinando I.* Annales *Bohemiæ* ſcripſit, omnia de *Czecho* conficta exiſtimat, hunc omnibus telis petit, qui *fabulando pro more*, ut loquitur, *omnem Bohemiæ hiſtoriam perverterit*: adferamus in exemplum, quæ *Hagecio* imputet, hominique bene de hiſtoria noſtra merito defenſionem aliquam comparemus. In Præfatione: *Hagecius & hiſtoriæ omnes noſtræ de Czecho & Lecho palmariter hallucinantur;* (alibi *Czechum imaginatum & Lechum fabuloſè nuncupatum* appellat) jam in ſuperioribus probatum eſt, non hallucinari; magnos duces ſecutus eſt *Wenceslaus Hagecius.* ut vel ſi erraſſet, honeſtari ejus error poſſit; at novi Scriptoris conjecturæ ſui ingenij auſpicijs hiſtoriam fingentis, quem habent, quo nitantur, authorem? cur in unum *Hagecium* invehitur, quod in Antiquiſſimis Authoribus repererat, deſcribentem? fateatur igitur, aut *Hagecium* ſine cauſſa, & injurioſè à ſe peti, aut ſe *Hagecio*, nullum vetuſtiorem legiſſe, aut calumniam, quam impingit *Hagecio*, in vetuſtiores convertat. Certè ante *Hagecium*, id eſt ante *Ferdinandi I.* tempora, *Czechovve & Zechitæ* natio noſtra gaudebat appellari, ut nè tantillum quidem ad *Czechi & Czechitarum* nomen *Hagecius* contulerit.

Hagecius omnes vetuſtos Scriptores ſecutus oppugnari non poteſt.

Eodem C. 3. ait, *confinxiſſe ſibi Hagecium, quæ de Beſſovv ſeu Bſſovv* (quod nunc Mielnikum dicimus) ſcripſit. *nam Bzovv vel Bziovv eſſe in Polonia, non in Bohemia; Patriam ſine dubio Abrahami Bzovij.* De Polonico *Bzovv* nihil poſſum dicere; quod de *Bzovio* dicitur, vereor ut verum ſit: potuit à ſtirpe Bzovius, non à patria nomen accipere; at quod *Hagecius* ſibi id confinxerit, palmaris eſt in ſacrum illum Scriptorem, & *Boleslavi-*

enſem

enſem Præpoſitum calumnia, cùm eadem omnino de *Bſovv*, & de *Mielniko* tradat *Chriſtannus in vita S. Ludmillæ S. Adalberto* nepoti ſuo dicata circa A. 990. cùm agit de *Comite Slavibore S. Ludmillæ patre Mielnicij Domino*, ex qua eadem ſtirpe prodière *Comites de Mielnik*, quod pridem oſtendi. Eadem de *Bſovv & Mielniko* apud *Coſmam* antiquiſſimum Scriptorem leguntur, eadem in *Pulkava* ſub *Joanne* Rege Caroli IV. Patre ſcribente; eadem in *Dubravio*, eadem in *Silvio & Cutheno* aliiſque, *Hagecio* vetuſtioribus, quid igitur commeruit unus *Hagecius?*

In Originibus Comitum de Guttenſtein. C. 2. 3. 4. & ſeq.

Cap. 5. rurſus peracerbè perſtringit *Hagecium*, quòd non animadverſo duarum Provinciarum diſcrimine, *Czechum Dalmatarum* Principem nuncupârit, & *Czechum è Dalmatia* Illyricana veniſſe, cùm è *Daleminzia* id eſt *Miſnenſi Dalmatia* ſcribere debuiſſet. Nullus hic *Hagecij* error; ſcripſit is quod ante eum omnes *Poloni & Patrij Scriptores* tradiderant, cur unus iſte luat, ſi communis omnium culpa fuit? deinde optimè id dici, nuper probavi, & nemo unus cùm *Dalmatiam* nominari audit, *Miſniam* unquam intelliget, ſed *Dalmatiam* coronatam & regnum. Denique *Hagecius*, nè ſemel dixit, *Czechum è Dalmatia* veniſſe, ſed ex *Croatia* (quod apud diligentes Scriptores diverſum eſt) eodem igitur quem alteri impingit, errore novus Scriptor tenetur, qui *Croatiam à Dalmatia* non diſtinxerit.

In fine ejuſdem Capitis 5. unum inceſſit probris *Hagecium & ignorantiæ puerilis* incuſat in *Czecho*, quod tamen ante *Hagecium* omnes Scriptores, nullo prorſus excepto, fecerunt, quos innocenter *Hagecius* eſt ſecutus, excuſatione, vel ſi erraſſet, dignus; taceo, quòd verum ſcripſerit, neque poſſit niſi cum tota Antiquitate reprehendi.

De bohemica voce Wjtati.

Capite 14. vapulat *Hagecius*: quòd *Czechum* in hiſtoria ſua, *Bohemiam* ſic alloquentem induxerit: **Wjteg Země přeſwatá!** *cùm*, inquit, *S. Vitus Bohemiæ nondum eſſet illatus.* Quid hoc tandem negotij eſt? an verbum **Wjtati**, niſi *S. Vitus* foret, *Bohemia* non haberet? certè Veteres, noviſque Scriptores vocem **Wjtati**, non à *S. Vito*, ſed ab idolo **Swentowito**, cujus religio latè per omnes Septentrionales provincias eâ tempeſtate fuſa fuit, appellant; ſed iſtud ipſum non tam certum eſt, neque mihi ſatis probatur, cùm ex *Chronico* Corbejenſi (quod vulgavit *Meibomius*) Cœnobio illi primùm An. 822. 8. Cal. Septembris initium datum eſſe conſtet, & novæ Corbejæ etiam poſteriùs.

Narratio de Inſtitutione novæ Corbeiæ edita ab H. Meibomio.

Capite 17. rurſus vellicatur *Hagecius*, quaſi aſſereret *Czechum* primum *Bohemiæ* fuiſſe cultorem; at alia *Hagecij* aliorúmque mens fuit, ſciúntque omnes *Bohemiam à Boijs* Galliæ populis nomen mutuari; disertè *Hagecius* Reges ipſos qui ante *Czechum in Bohemia* regnaverint, nomine quemq; ſuo appellat.

Hagec. præfat. ad Annales ſuos.

Similis oſcitantia eſt in hujus Capitis fine: *Hagecium*, cum *Czecho Illyricano Dalmata*, *Przemyslum Stadicenſem videri confundere*; verba ipſa Scriptoris hujus recito. Admiratione defixus, hæſi, cùm iſta primùm legerem: quippe nihil alienius ejus hiſtoriæ objici potuiſſet: *Czechum Hagecius* ex Croatia adveniſſe putat A. C. 644. at *Przemyslum* ab aratro ex *Stadicenſi Villa* arceſſitum An. 722. Duces diverſos, ipſæ Ducum effigies in *Hageko* diverſæ, ſatis oſtendunt, verbum nullum addam.

Hagecio alius eſt Czechus, alius Przemyslus Stadicenſis.

Capite 19. *Ottogari* nomen (quòd totus *Ottoni* ſtuderet) ab *Hagecio* confictum exiſtimat; atqui non modò illam vocis originem coævus *Hagecio Dubravius* Olomucenſis Epiſcopus, ſed etiam *Cuthenus*, & longè antiquior *Pulkava*, pluréſque alij retulerunt, ùt *Hagecio* inventio illa nullo pacto tribui poſſit.

Dubrav. l. 15. hiſt. Boh. Cuth. in Silv.

Capite 21. *Hagecius* reprehenditur, idque duabus ex cauſſis: *Prima*, quòd Bohemiam cùm *Czechus* ingrederetur

Digitized by Google

vacuam cultoribus repræſentet; *Secunda*: quòd *vini* uſum, *Borzivoij* primi Ducis Chriſtiani temporibus in *Bohemiam* primùm inductum affirmârit. Reſpondemus pro *Hagecio*: nihil ab eo tale ſcriptum, imò contrarium: *raros enim incolas Bohemiæ Czecho veniente fuiſſe* dixit (quod eſt veriſſimum, & cauſſam nuper attuli, cùm de *Marcomannis* agerem) narrátque ad *Czechum* veniſſe, qui referrent, habitari certis locis *Bohemiam* à gente, quæ peregrinâ lingvâ utatur; inde natam vocem *Niemecz*, quaſi *mutos* diceres &c. ibidem reſponſum etiam *Czechi* Ducis refert *Hagecius*; igitur à *Czecho* primùm habitatam *Bohemiam* non ſenſit *Hagecius*. De *Vino* Bohemis ad id tempus ignoto pura puta veritas eſt: tardè in *Germaniam* interiorem vites venêre; à *Romanis Colonijs* in Germaniam ſerò invectas, & primùm ad *Rhenum Domitiani* tempore (qui ab An: C. 83. uſquè ad 98. rexit imperium) plantatas docet *Mylius*; ſuâ ætate caruiſſe *vino Germanos Tacitus* oſtendit, cùm potu ex hordeo, & frumento eos uti, & raros ac tantùm ripæ Romanæ proximos *vinum mercari* ſcribit; à Rheno, ac fortaſſe ſi lubet ex *Græcia*, ut omnis humanitas, perinde *Vites* in *Pannoniam*, ac deinde ad *Moravos*, ab his ad nos propagatæ, colonias paulatim duxêre.

Hagec: præfat. ad ſuos Annales.

Hagec. in Annal. ad C. 657.

De Vino tardius in has oras invecto.

Mylius in horto Philoſoph. C. de Vite. Tacit. in comment. de Germania.

Capite 23. Novum in *Hagecium* telum torquetur: *nugari illum*, quòd *Roſenſium* Stirpem per *S. Adalberti* fratrem in *Poloniam* illatam confinxerit, *cùm*, inquit *ex Paprocio conſtet plenam fuiſſe Poloniam Proceribus Roſarum.* In promtu reſponſio: plena fuit *Polonia Proceribus Roſarum*, poſtquam eſt per *S. Adalberti* fratrem illata Stirps, non antè; nam ante *Porejum* nullam in *Polonia Roſarum Stirpem* fuiſſe, ac nullam nominari poſſe, ex eodem *Paprocio* conſtat; ac miror *Paprocium* adverſum *Hagecium* citari, qui diſertè ex *Vapovio*, *Miechovio*, *Dlugoſſio*, cæteriſque *Poloniæ* Scriptoribus demonſtrat: omnes illas Vetuſtas ſtirpes quæ in Polonia *Roſas* ferunt in clypeis, à *Porejo S. Adalberti* fratre deſcendere, quod ipſimet *Roſarum Proceres* ultro concedunt; lege *R. P. Simonem Okolsky* Ordinis Prædicatorum de *Stemmatibus Poloniæ*, & vitam & mortem *R. P. Alberti Miecinsky S. J. Cracoviæ* recèns vulgatam.

De Roſarū familijs in Polonia.

Hactenus accuſatio, & defenſio brevis *Hagecij*, quem etſi nos in Chronologiam peccantem, aliquando non ſequâmur, tamen in his, quæ allata ſunt, innocenter accuſari, & vapulare, neque (cujus inſimulatur) finxiſſe, ſed ex antiquis Scriptoribus accepiſſe, ſatis, ut reor luculentè demonſtravimus. Certè in hac *Hagecij* accuſatione illud præſtitiſſe videtur hic Scriptor, quod alicubi Tullius dixit, quódque in conſvetudinē proverbij venit: *Navim perforare, in qua ipſe naviges;* dum enim accuſat *Hagecium*, ſe accuſat, & incredibiliter ſeſe licentioſum (nam audacem nolo dicere) oſtendit, quòd nullo præterea lecto patrio authore ad *Wandalobohemiæ hiſtoriam* ſcribendam, & ad omnes *Bohemiæ*, *Poloniæ*, & totius *Slavonicæ* gentis Scriptores *palmariter*, ut loquitur, *errantes emendandos*, accedere non dubitaverit.

Hoc unicum & poſtremum adjicio in his tam varijs, tam antiquis, tam diverſarum Gentium migrationibus, quas hoc & proximis Capitibus attulimus, ut *Bojorum*, *Vandalorum*, *Marcomannorum*, *Herulorum*, *Venedorum*, *Slavorum*, *Gothorum*, *Hunnorum*, & ſi qui ſunt alij, ut diſcrepantes Authorum ſententiæ concilientur, ſummam ſemper (quando iſtuc fieri & obſervari poteſt) habendam Chronologiæ & Temporum rationem; hæc unica Cynoſura eſt, hæc libella, & virgula quædam divina, quâ æquantur & componuntur omnia: Tria maximè tempora (quod hoc loco rurſus repeto) memoriâ tenenda ſunt: Ante Chriſti Servatoris adventum *Boij in Bohemia* habitabant; *Slavi ſub Sarmatarum*

Chronologica fundamenta ſpectanda in hiſtoria Bohemorum.

Digitized by Google

rum nomine ad Paludem Mæotidem, non procul ab his *Hunni*; at *Vandali*, aliique Germaniæ populi ab *Oſtio Viſtulæ verſus Mare Balthicum*; tum alij populi *Slavorum*, *Venedorum ad Venedicum Sinum*, ut ex *Ptolemæo* diximus (ſive iſti à *palude Mæotica* proceſſerint, ſive contrà à *Venedico ſinu ad Mæotidẽ* migrarint, quod non æquè exploratum eſt) Septentrionalia Maris littora obtinebant; *Marcomanni Moraviam*, *& Bohemiam*, ripámque Danubij; *Quadi*, *Moraviæ & Sileſiæ* partem; *Hermunduri* Miſniam & *Bohemiæ* ſeptemtrionalis partem; *Heruli* Megalopolitanam provinciam inſidebant, omnes hi populi (præter *Venedos & Slavos*) *Germani*, *& Germanicâ* lingvâ utentes. Succeſſit paulò pòſt tempus *Migrationum* novarum & variarum: *Vandali*, *Gothi*, *Alani &c.* deſertis terris ſuis, intravêre *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Africam*, *Italiam &c.* Septentrionales verò terras deſertas, (certum tempus defectu hiſtoriæ dicere & definire non poſſumus) *Slavicæ Sarmatarum nationes* (ſive rectâ ex *Sarmatia*, quod probabile eſt, ſive per *Croatiam*, quæ tum *Illyrici pars* erat, proceſſerint, ſive à ſinu Venedico ſeſe extenderint) occupavêre! occupatis jam his terris tertia *Slavorum* migratio admittenda eſt, eáque Vetuſti Authoris, qui de Converſione Carenthanorum circa An. D. 854. ſcripſit, teſtimonio confirmatur, verba ejus ſunt: *Poſt Annos Nativitatis Domini 377. & ampliùs, Hunni ex ſedibus ſuis in Aquilonis parte Danubij, & indeſertis locis habitantes, transfretantes Romanos expulerunt & Gothos, atq; Gepidas. Tunc verò Slavi poſt Hunnos inde expulſos venientes, cœperunt iſtis partibus Danubium diverſas regiones inhabitare &c.* vide rurſus novam *Slavicæ gentis* migrationem non ab *Oceano*, ſed ab *Aquilonari parte Danubij* aſcendentium, ùt jam minùs incredibiles priores illæ, de quibus modò diximus, videantur. Porrò in hac tertia *Migratione Hunni*

Ptolem. in Geogr.

Summariũ Slavicarum Migrationum.

Author Anonymus de Converſ. Carenth. apud Marquard: Freher.

primum *Gothorum* reliquijs loco depulſis in *Pannonias*, poſtea *Attilâ* duce in *Italiam* irruerunt, Slavis novis *Hunnos* ſequentibus, & propiùs ad Nos accedentibus. Tantæ verò inundationes *Slavorum* ut ita loquar, in *Septentrionalem Germaniam* tribus hiſce *Migrationibus* factæ ſunt, ut præter *Illyricum*, *Moraviam*, *Bohemiam*, quidquid vacuum fuit, & *à Danubio*, *Viſtulâ*, *Albi ad Septentriones* porrigitur, Slavorum populi impleverint; *Slavi* erant, ſuâ, non Germanicâ lingvâ utentes, & quia in Septentrionalibus terris olim *Vandali* (Germani) habitârant (ut *Czechi* quoque à *Boijs*) ſic *Slavi* iſtarum Regionum, à prioribus cultoribus *Vandali* cœperunt appellari, præſertim quòd nativum ipſorum nomen *Venedi*, vel *Vendi*, *Veneti*, *Heneti*, *&c.* à nomine *Vandalorum* non procul abluderet. Ita aucti *Slavi*, Ducibus ſeſe quàm plurimis diviſère (conſtat aliquando *triginta Slavorum Duces* uno tempore populis illis Slavicis in Septentrione præfuiſſe) addita etiam nomina ſunt populis *Hevellorum*, *Obotritarum*, *Tolenzorum*, *Glomaciorum ſeu Daleminciorum*, *Vulzorum*, *Redariarum*, *Ucrorum* (qui *Ucranæ* Marchiæ nomen dedêre) & innumera alia, quę *Meibomius & Dreſſerus* enumerant. Iidem *Slavi* in his tribus migrationibus condidère Urbes pulcerrimas, *Bremam*, *Vinezzam*, *Roſtochium*, *Stetinum &c.* quæ *Slavorum* geſta in *Pomerania*, *Marchia*, *Mechlburgo*, terriſque illis, tum *Miechovius*, tum *Cromerus*, ſed omnium accuratiſſimè *Helmoldus*, & *Adamus Bremenſis*, ac in Wandalia ſua & Metropoli *Albertus Crantzius* & *H. Mutius* in Germania perſequuntur, plurimis Urbibus earum regionum *Slavicè* nominatis.

Cromer. l. 1. hiſt. Polon. C. 15.

Hactenus pacificè *Venedi* ſedebant, nullo propè niſi *Danis* hoſtibus pacem inquietantibus uſquè ad *Henricum* cognomento *Aucupem*; hic *Slavos* non omnes, ſed aſtutè paucos primùm deinde alios atque alios oppugnavit, ſibique

Meibom. in l. 3. Vitikindi.

que ſubjecit. Uno in bello *Henrici* adverſus *Slavos Rhedarios* geſto, *ducenta Slavorum* millia peremta *Witikindus*, qui ex *proxima Saxonia* hæc videbat, affirmat. Idem fecère *Othones* ac reliqui è Saxonica Domo Cæſares, idem alij vicini Principes, & Germaniæ populi, ac præcipuè *Gero Marchio* triginta Slavorum Regulis ad convivium, vocatis, & turpi dolo circumventis & necatis (unde illi veteres Rhythmi apud *Meibomium* de Gerone:

Witik. l. 1. & l. 3.

Slavi à quo primùm oppugnari cœpti.

Zu Lauſnitz erſter Fürſt war ich,
Dreiſſig Wendiſch Herren tödte ich)

In Notis ad l. 2. Witikindi.

ſed juſtas fraudis ſuæ pœnas dedit *Ulrico* Bohemiæ Principi An. 1015. qui aperto Marte (non ſicarij inſtar) commiſſo prælio, *Geronem* manu ſuâ interfecit, *Slavisq;* popularibus ſuis, ab illo turpiter necatis, ejus ſangvine parentavit, rectè *Martem Ultorem* agnoſceres. Quanquam an idem ille *Gero* fuerit, dubium me reddit *Chronicon Manſſeldenſe* apud *Weleslavinum*, quod duos *Gerones Marchiones Luſatiæ* nominat, priorem qui An. 965. deceſſerit nullâ prole ſuperſtite relictâ, alterum qui ab *Ulrico* occiſus ſit An. 1015. unà cum filio, quod peritioribus, & in hiſtoria *Saxoniæ* verſatis dijudicandum relinquo. *Geronem Fabricius* primùm accuſat, poſtea rurſus excuſat; aſtu tamen *Geronis factos eſſe Slavos tributarios* ait, eáſque fraudes explicat; denique fatali inclinatione omnes *Vendici* (vel populari errore Wandalici) Principes deleti, ac populus Slavorum ſimplex, hoſtiú qui ſucceſſerunt artibus (ùt loquitur *Cromerus*) oppreſſus, ſervitutis jugú accepit, de qua re eſt inſignis querela Gallici Antiſtitis *Henrici Spondani*. Conſulatur etiam *Dreſſeri Iſagoge* hiſtorica, qui omnium diſertiſſimè, & diligentiſſimè *Slavorum Henetorum & Obotritarum* cruentos interitus, & totum gentis tantæ excidium explicuit; neque modò *Saxones, & Miſnios & Thuringos ad Slavos* extingvendos conſpiráſſe invenio, ſed *Hollandos* quoque, & *Flandros* adjuviſſe; qua de re *Dreſſerus* hæc habet: *Albertus Urſus* (ex familia Principum Anhaltinorum) A. C. 1142. *factus eſt Marchio Brandeburgenſis, qui cum Sorabis ad Albim in Marchia Brandeburgenſi & Saxonia ſuperiore de omnibus fortunis dimicavit; Przemislaus autem Obotritarum Regulus qui Marchiam tenebat, hunc Albertum hæredem inſtituit. Ab hoc conditæ, vel inſtauratæ ſunt Urbes Berlinum, Bernagum & aliæ; à colonis verò novus Flandris & Hollandis, quos, expulſis Henetis, prope Miſnenſes & Hercynios ad Albim & Havelum collocavit, appellationes oppidorum Cameraci, Neomagi, Brugæ circa Wittebergam ſunt natæ. Pomerania, ſeriùs paululùm Germanis ceſſit Anno ſcilicet 1222. Bogislao II. Stetinenſium primo Duce extincto, tum domiti Slavi & Winiti, lingváque eorum & mores deleti, & Saxones* (verba Dreſſeri refero) *pro ijs in Pomeraniam infuſi.* Atque ita Slavi dominatu dejecti omnes illas Septentrionales plagas ſuccedentibus Germanis amisère; idem ante 400. accidit Sileſiæ, idem alijs accidet ſi quando exterorum multitudine prægraventur. Non dubia tamen Slavi habitationis ſuæ ad *mare Balthicum* monimenta reliquerunt, & quædam gloriæ ſuæ trophæa fixerunt: hinc *Pomeranorum Wartislai*, (ſeu Wratislai) *Svvantipolci, Sobieslai, Radiborij*, & qui poſtremus Ducum Stetini fuit noſtrâ memoriâ *Bogislaus*, in *Mechlburg Primislai* (unde Prinslaviæ in Marchia nomen) *Pribislai, Mieczislai, Mieſtevoij &c.* ſed de his alius erit ſcribendi locus, cùm *Pietatem Slavicæ gentis, liberalitatem in ſacris*, & quendam *Magnificentiæ* Genium pluribus exemplis adſtruemus.

Fabric. in Annalibus Urbis Miſnæ l. 1. & in Origin. Saxon. l. 2.

Weleslav. ad 18. Junij in Calend. hiſt. Chron Manſfeld. C. 142. & C. 164.

Fabric. l. 2. Origin. Saxon.

Crom: in hiſt: Polon.

Spondan. in Annal: Eccl. ad A. 1228. N. 12.

Slavorum Populi in Saxonia extincti.

Dreſſ. P. 4. in March: Brandeb. & in Princip. Anhalt. & in Megapolitanis & in Ducib. Pomeraniæ.

Crantz: l. 2. Wandaliæ, & in Metropoli.

Notabile.

Hæc igitur, ùt dixi, *tria tempora* Curioſis Lectoribus obſervanda ſunt, alioquin chaos tam involutum in hiſtoricis, legentibus occurret, ut explicare, & quid tenendum ſit, ſcire non poſſint; valet enim in hiſtorijs illud Juris Conſultorum: *diſtingvenda eſſe tempo-*

tempora, ut concordentur jura, videlicet, ut tam variæ & in ſpeciem contrariæ Scriptorum concilientur ſententiæ. Omnia quæ modò attuli, ſi id nunc ageretur, probatiſſimorum Authorum teſtimonijs firmari poſſent; ſed mihi propoſitum non fuit, de *Slavis* generatim ſcribere; quanquam facilè animadvertent Lectores, hæc quæ dixi modò, probatis Scriptoribus, quos citavi, quóſque adhuc in ſequentibus adducam, congruere.

CAPUT XX.

Quidam hiſtorici Errores iterum decuſſi.

Fundatur Regnum Slavicum Dalmatarum. Somniant qui Czechi & Lechi nomina ab oppidis duobus Græciæ Cenchreis & Lecheis deducunt. Expenditur nomen Itziceſcorum. Svvatavva Witikindi Conjux Lechi Principis Filia. Series Veterum Bohemiæ Principum. Piaſecij anhiſtoriſia.

PRomiſeram duodevigeſimi Capitis fine, particulatim ſeu per partes recitaturũ me & breviſſimè refutaturum hallucinationes novi illius, & incerti Scriptoris; eluceſcet hac ratione magis opinionum inanitas, & refutationibus oppoſitis evaneſcet.

Czechum & Lechum è Daleminzia (quæ regio inter *Albim & Chemnicium* jacet, ut ait *Ditmarus*) ſeu ex *Miſnia* veniſſe, non ex *Illyrico* aut *Dalmatia*, ſcripſit nuperus Author, ùt jam toties dixi. Quàm hoc audacter aſſeritur ab illo, tam prudenter & pudenter (quia cum authoritate omnis ævi) negatur à nobis; non opus eſt quenquam nominare, ſtant pro nobis omnes omnino, Veteres, Novi, Patrij non patrij, Sacri, & profani Scriptores & quisquis unquam hiſtoriam noſtram attigit.

Unde primùm Slavi advenerint.

Sunt fateor egregij Scriptores, qui *Slavos* ſtatim è *Sarmatia* in has oras veniſſe ſuſpicantur (in quam ſententiam *Cromerus*, & à *Sudetis* inclinant) neq; ego multum repugnaverim id primitus factum (ut primis hujus Libri Capitibus docui) ijdem tamen concedunt fieri potuiſſe (quod disertè *Cromerus* admittit) ut poſtea ex *Croatia* ad populares ſuos in *Bohemiam Czech*, & *Lech* advenerint; ſed nullus Scriptorum *Miſniam*, aut *Daleminziam* nominavit. Certum & illud eſt: Si *Slavorum* gens ex *Sarmatia* in has terras rectâ advênit, illis migrantibus, *Poloniam, Sileſiam, Moraviam, Bohemiam* longè priùs quàm *Miſniam* occurriſſe. Quid igitur obſtat, quò minùs, ut tota ſenſit Antiquitas, & nos ſentiamus? ſed *Crantzius* Bohemos poſt A. C. 583. in *Dalmatiam è Bohemia* tranſiſſe ſcripſit: quid iſtud ad rem facit? ſcio *Slavos Bohemos Dalmatiam* (vel Slavoniam rectiùs) fundaſſe, ante An. C. 600. armis occupaſſe, Populo impleviſſe, vicináſque regiones *Italiæ ad Foroiulium* multum ac diu vexaſſe, ut tradit *Sigonius*; at inde nihil ad ſummam conficitur; quin pateſcet potiùs antiquiorem eſſe apud nos *Slavorum* originem: utpote qui jam Anno 583. imò & maturiùs, ut Capite IX. probavimus, colonias ex *Bohemia* deducere, armatos Exercitus in hoſticum tam procul mittere, ac regiones vaſtiſſimas occupare potuerint; quàm ſæpe videmus & vidimus, rebus cum tempo-

Crom. in fine libri 7. hiſt. Polon.

Sigon. de regno Italiæ l. 2. A. C. 640. & 705.

Slavi priùs advenêre in has terras, quàm exiſtiment Hageciani.

bile eſt igitur primum illud dimidium vocis *Itzi* (ita enim ſcribit *Reuſnerus*) ſignificaſſe differentiam gentis alicujus *Bohemoslavicæ*, aut ipſum Ducis illius nomen, alterum verò dimidium, Generale fuiſſe nationis vocabulum *Slavo-Bohemorum* ſeu *Ceſcorum*. *Svvatavva* igitur *Ceſcorum* Ducis *Itzi* filia fuit, eorum ſcilicet Slavorum Ducis qui *Ceſci* dicebantur; ita & hoc tempore *Gallobelgas* nominamus, & olim *Wiſigothos*, *Oſtrofrankos*, *Oſtrogothos* ac cæteros nominabant; æquè in rem noſtram *Ditmarus*, & *Witikindus*, *Hevellos Slavos*, *Tolenzos Slavos*, *Bohemos Slavos* junctim appellant. Quod ſi jam tum *Ceſsi* vel *Ceſci* (quæ facilis eſt apud Germanos Scriptores Slavica nomina pervertentes mutatio, nam & *Czechos Fabricius* ex Veteribus Codicibus Germanorum *Zeſchos* & *Ceſcos* appellat) *Bohemi* dicebantur, cuique apparet antiquius fuiſſe *Czechi* nomen, à quo videlicet univerſa gens appellabatur *Ceſci*, ac proinde cùm *Czechus* antiquior ille univerſæ Bohemicæ gentis Dux fuerit, & longè ante 814. vixerit, ut pridem ex *Paulo Diacono* probavi, & omnes omnino Scriptores conſentiunt, hic verò alter *Itzus Dux* fuiſſe legatur, facilè apparet, hunc ab illo diverſum neceſſariò fuiſſe.

Fabric. in Origin. Sax. l. 2:

F. XIX. M. S.

Eſt in Bibliotheca Domus Profeſſæ Societatis JESU Viennæ grandis M. S. Codex plenus Genealogiarum authore *Joanne Ludovico König J. U. D.* in quo *Witikindi Magni Conjux Svatava* filia *Itzi Czeſcorum in Bohemia Principis* fuiſſe dicitur. Notandum inprimis illud *Itzi Ceſcorum*, ita ab hoc Genealogiſta expreſſum (nullo alio addito nomine) quaſi *Svvatava* filia cujuſdam *Itzi* Principis *Ceſcorū in Bohemia* fuiſſe dicatur; deinde, non affirmare Königium *Bohemiæ*, ſed in *Bohemia Principem*, quod (niſi fallor) longè diverſum eſt. Idem habet ipſemet *Reuſnerus*: *Suatava vel Svvaterna Czechi Itzi ceſcorum in Bohemia* (non Bohemiæ) *Principis filia*; nihil denique illa *Czechorum* pluralitas continet novitatis: nam ſi ille Princeps quiſquis fuit, ex *Bohemia* fuit, *Czech* fuit, neque aliter reſpondere poterit novitius Scriptor, ſi natio ejus exquiratur, quàm ſe *Czechum* & Czeſky ſcire, *Bohemum* eſſe, & *Bohemicè* loqui; nullum igitur ex *Czechi* vel *Ceſci* nomine (cujus illa *Svatava Witikindi Magni Conjux* filia fuiſſe dicitur) peti poteſt *de Cechi* ætate argumentum; atque ita univerſa illa de *Neklano* fabella, quam primus excogitavit, omnino concidit; præterea ut à *Lecho* primi Poloniæ Principes *Leſci* dicebantur, ita à *Cecho*, *Ceſci Bohemia* imperitantes Principes appellari potuerunt, ídque fateri adverſarius ipſe cogitur, cùm *Czechum*, & *Lechum*, non propria nomina, ſed agnomina, & quæ pluribus convenirent, exiſtimet fuiſſe, atque ita ſubtracto quaſi ſolo, ruunt omnia. Quid ſi autem neque tum eo tempore *Czechum* ullum *Principem* vixiſſe probemus, & falsò citari? tum profectò in ipſis ſuis, ut ita dicam, caſtris, adverſarius cæderetur. Etſi enim *Reuſnerus Svvatavam Czechi* filiam, qui adverſus *Carolum Magnum*, ejúſque filium itidem *Carolum* pro genero ſuo *Witikindo* pugnârit, appellet; alij tamen longè diligentiores, non eum *Czechum*, ſed *Lechum* nominant. *Weleslavinus* accuratiſſimus rerum Bohemicarum Scriptor narrat: *Neklanum* Bohemiæ Principem bellum cum *Carolo M.* ejuſque filio geſſiſſe, ſed cùm imbecillior & ignavior eſſet, Duces ſuos, Principem *Lechum*, vel *Leſchum* & quendam *Mildruchum* ſibi ſubſtituiſſe; ambos verò Duces in diverſis prælijs perijſſe. Cum *Weleslavino* facit Vetus Scriptor *Hermannus Contractus*, qui dum hoc *Caroli* junioris bellum annotat, nullum *Czechum* aut *Czechonem*, ſed Regem (*Regulum* ſine dubio aliquem) Bohemiæ Anno 805. occiſum *Lechonem* vocat, cui Anno ſequenti, Dux Bohemorum dictus *Miloduch* ſucceſſerit, iſque etiam in prælio ſit occiſus. *Fabricius* non minùs

Reuſner. in Baſilico. in ſtirpe Witikindea.

Lechi non Czechi filia conjux Magni Witikindi fuit.

Weleslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. init.

Digitized by Google

Fabric. in Origin. Saxon. ad Ducem Sabaudiæ l. 4. init. nùs diligens Saxoniæ Scriptòr, diſertè *Svvatavam* non *Czechi*, ſed *Lechi* filiam appellat. *Genealogia Witechindiana* Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ dedicatæ, fragmentum eſt hoc:

Witechindus Magnus. { Uxores ejus duæ I. *Geva* Siwardi Regis Daniæ Soror. II. *Svvadava Lechi* Ducis Bohemiæ filia. ex hac

Witechindus author ſtirpis Budſeciæ.

Et pôſt: *Svvatava Lechi Ducis Bohemiæ, item Soraborum & Daleminciorum Principis filia; ex qua prodijt Witichindus prima ſtirps Marchionum Miſnenſium.* Quid apertiùs dici potuit? nec iſtud affirmat Genealogiſtes aliquis, ſed *Saxoniæ* nobiliſſimus Scriptor. quid ſi *Lechus* iſte ex *Bohemiæ Ducibus* ortus, non tamen *Bohemiæ* toti imperârit, ſed *Daleminciæ*, eâque de cauſſa ejus nomen Annales noſtri prætereant? confirmatur ſuſpicio hæc mea, vel ex eo, quod adjecit *Fabricius* (Orig. L. 5. in *Witechindo* Juniore) *hic* inquit (ſcilicet Witechindus Junior) *factus eſt Præfectus Soraborum, & poſſeſſiones maternas* (Nota *maternas*) *Zorbecam, & Budſeciam, inter Salam & Albim* (his igitur in locis *Lechus* *Svatavæ Pater* imperabat) *retinuit, ſéque Soraborum Landvoitum, Zorbecæ Burgravium, & Budſeciæ Dominum nuncupavit.* *Bunting. in Wedekindo Magno.* *Bunting* in Hiſtoria Brunſwicenſi: *Svvatavam* alteram Magni *Wedekindi* conjugem natam ex *Bohemiæ* Ducibus agnoſcit, ſed patrem non nominat; eam verò genuiſſe *Wedekindum*, vel *Witikundum* Juniorem, *Wenedorum & Soraborum Dominum, Comitem in Wethin, Purgravium in Zorbek*, à quo *Hugo* magnus, & hodierni Reges *Franciæ*, item *Landgravij Thuringiæ, Marchiones Miſniæ*, & hodierni Duces *Saxoniæ* deſcendant. Antiquiorem *Saxonum* cum gente *Vendorum* conjunctionem adducit idé author, *Dieterici Saxoniæ Regis* conju- *Bunting. in hiſt. Brunſvic. in Dieterico.*
gem *Dobram* Ducissam *Vendorum* appellans, cujus *Dobræ* gentilitius Clypeus *Urſi Caput* coronatum cum Anulo haberet; ſed hæc poſtrema nihil ad Bohemiam. *Dlugoſſus* Polonus & *Gvagninus ex Martino Gallo* referunt: *Gvagnin: in Leſcone III.* *Lechum*, ſeu *Lechonem* principem in cruento prælio cum *Carolo* (*Caroli* M. Imperatoris Romani filio, *Notho*) *Lechus nô Czechus occiſus in prælio.* quem pater contra *Polonos & Bohemos* Saxoniam bello vexantes cum exercitu miſerat, in *Sileſia ad Oderam* occubuiſſe, idque actum eſſe anno primo, quarto vel quinto poſt octingenteſimum; neque illum *Lechum Czechi* fratrem appellant, ſed *Cromerus* ſecundum, *Gvagvinus* tertium ejus nominis *Leſconem* vel *Lechum*. Suffragatur omnis hiſtoriæ ſcientiſſimus *Beſoldus*, neq; in hoc bello ullum *Czechum*, *Beſold. in Synopſi hiſt. Univ.* ſed *Lechum*, vel *Lechonem* nominat, qui à *Caroli M.* filio Carolo ſit occiſus; citátque in eá ſententiam *Reginonem* ex Vetuſtis, *Calviſium* ex recentibus hiſtoricis. *Blondus, & Sabellicus Leonem Bohemorum Ducem* ab hoc *Carolo* interfectum eſſe ſcribunt, ſed nullum per ea tempora, ait *Cromerus*, *Leonem apud Bohemos regnaſſe comperio, nè Lechonem quidem.* Apud Polonos *Leſcus* regnavit, quem *Gallus & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis eſt autem Lechonis in Leonem commutatio. Nihil vetat credere, Polonis pariter & Bohemis* (*Exercitibus videlicet*) *eum præfuiſſe.* *Blond. Dec. 2. lib. 1. Sabellic. Ennead 8. lib. 9. Cromer. lib. 2. hiſt. Pol. in Leſcone II. Mutius de German. l. 9.* Hæc poſtrema ex *Cromero* deſcripſi. Nullus iſtorum quos modò nominavi Scriptorum, nè ſemel quidem, *Czechum* in his *Caroli M.* bellis adverſus *Slavos*, & *Saxones* geſtis nominavit. Habet igitur *Lector* quod dubitet, addo: & quod miretur, tam dubio ſcilicet & labili fundamento, Scriptorem, contra quem nunc agimus, totam illam Inventionis ſuæ machinam, quâ luminibus omnium primorum Scriptorum obſtruere conatus eſt, inædificâſſe.

Bohemi nunquam ante Carolum M. Czechi aut Cechitæ ſunt appellati. Iſtud

C. 18

Cap. 18. dirui *Pauli Diaconi* ante hæc tempora viventis authoritate, quem *Welſerus* citavit. Hæc una probatio, victoria eſt, & ut abſint alia omnia, ſole meridiano clariùs oſtendit: malè *Neklano* timidiſſimo, & ſtolido Principi tribui, quæ *Czecho Duci* primo gentis univerſæ, viro fortiſſimo & ſuorum amantiſſimo tribuuntur; ob quam cauſſam gens univerſa ex ejus nomine *Czechitarum* appellationem ſibi ſumſit. Cæterò *Neklan* (nihil pugno) *Czech* dici potuit, quia *Czechia* id eſt Bohemiæ imperavit; ſed non *Czechus* ille de quo agimus, *Lechi frater, Dux gentis & author;* quem longè ante hæc tempora vixiſſe certiſſimum eſt ex Ordine *Poloniæ & Bohemiæ Principum*, quem ſubjungo ex optimorum Scriptorum authoritate, uſque ad *Neklanum Caroli M.* tempore (ab An. C. 804. imperantem) deductum:

Brevis Genealogia Poloniæ & Bohemiæ Principum veterum.

Weleslav. in Geneal. Prin. Boh. Dubrav. Hagek. Sylvius. Cuthenus. Miechov. Decius. Cromerus. &c.

Czech Bohemiæ Princeps, ſenior *Lechi* frater ⊖ 85. vacavit Imperium Annis X.	*Lechus* Princeps Poloniæ; *Czechi* Frater junior.
Crocus I. Dominus in Wladorz Bohemiæ Princeps.	*Duodecim Duces*, ſeu *Palatini* ſimul imperantes Poloniæ.
Crocus II. Bohemiæ Princeps.	*Crocus* Poloniæ Princeps.
Libuſſa Croci filia ↓ Przemysli I. Domini Stadicenſis.	*Lechus* ſecundus Princeps Poloniæ.
Nezamysl Princeps Bohemiæ.	*Venda* Principiſſa Poloniæ.
Mnata Princeps Bohemiæ.	*Duodecim Palatini* iterum.
Vogen Princeps Bohemiæ.	*Przemyslus* ſive *Leſcus I.* Princ: Polo:
Wnislaus Princeps Pragenſis. — Wratislaus Princeps Lucenſis.	*Leſcus II.* Princeps Poloniæ. (hic Leſcus, vel ejus filius Lechus III. à Carolo Notho occiſus circa An. C. 804.)
Neklanus Princeps Pragenſis.	*Leſcus III.* Princeps Poloniæ.
Hoſtivitus Neklani filius, Princeps Bohemiæ, cujus ↓ *Miloslava.*	*Piaſtus* Civis Cruſſwicenſis Princeps Poloniæ, ⊖ ætatis ſuæ anno 120.
Borzivoius I. Chriſtianus Princeps Bohemiæ, ↓ *S. Ludmilla* Comitiſſa de Mielnik.	*Semovit* vel *Zemovit* Princeps Poloniæ imperavit annis 32.
Wratislaus Princeps Bohemiæ ↓ ej⁹ Drahomira.	*Leſco* imperavit 30. annis, Princeps Poloniæ.
Boleslaus Sævus. ⊖ 967. S. Wenceslaus Princeps & Martyr.	*Zemomysl* Princeps Poloniæ Anno 921.
Daubravvka vel Dambrowka ↓ Miecziſlai Principis Poloniæ.	*Mezek* ſeu *Meczislaus* Princeps Poloniæ Chriſtianus ↓ Daubrawka.

Boleslaus Chrobry I. Rex Poloniæ Anno 999. ab hoc deſcendunt *Veteres Poloniæ Reges* uſq; ad Caſimirum II. qui ⊖ ſine poſteris virilis ſexûs A. 1370. hinc etiam ortum trahebant *Duces Sileſiæ, & Mazoviæ.*

I 2 Reli-

Digitized by Google

Reliquos *Principes Bohemiæ* adducam in Tabulis Genealogicis *Przemyſlææ* ſtirpis, uſquè ad *Wenceslaum III.* Regem Bohemiæ, qui An. 1306. ſine liberis deceſſit. Polonos Principes ac Reges, totámque eorum ſucceſſionem, ac Genealogiam invenies apud *Miechovium* ac *Cromerum;* quam totam nuperus Scriptor *Piaſecius* confudit, aſſerens *Piaſtum Poloniæ Principem Juliani Cæſaris* temporibus (id eſt circa Annum Chriſti 363.) vixiſſe; quod ego exiſtimo ſuſtineri non poſſe, cùm omnes vetuſti æquè, ac novi Scriptores Poloni & noſtri: *Miecziſlaum*, ſeu *Meſconem* Principem Poloniæ & *Dambrovcæ* maritum, filium *Zemomyſli* (pronepotis *Piaſti*) fuiſſe affirment, conſtétque ex omnibus hiſtorijs Eccleſiaſticis: *Miecziſlaum* paulò ante Ann: Chriſti 965. Religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe; igitur *Piaſecio* incumbit probatio, ut demonſtret: quomodo fieri potuerit, ut intra trecentos annos, quatuor tantùm *Poloniæ Principes* numerentur? plures certè neque in ſua, neque in ulla *Polonorum* hiſtoria reperiet Piaſecius.

Piaſecius in Chronico ad A. 1587.

Piaſecij difficilis chronologia.

(+)

CAPUT XXI.

Przemyſlum Stadicenſem non fuiſſe Dynaſtam Miſniæ. Miſnæ Urbis breves & ſummariæ alienationes & donationes Principibus Bohemiæ factæ. Heruli non fuêre Slavorum populi. Odoacer Herulorum Rex qui Romam cepit, non fuit Bohemiæ Princeps Przemyſlus Libuſſæ maritus. Principes & Reges Bohemiæ non ſunt orti ex Miſniacis, multóque minus è Roſenſi Miſniaca ſtirpe.

EAndem tenebo rationem, & viam de *Odoacre*, quam modo in *Czecho* tenebam; abſurdæ & falſæ opiniones quæ in toto non ita patent, diviſæ partibus, magìs eluceſcunt, & deprehenduntur faciliùs.

Przemyſlum Stadicenſem, Dynaſtam aliquem *Miſniæ* fuiſſe affirmat. Aſſerenti imcumbit probatio, præſertim ſi adverſùs antiquorum authoritatem aliquid ſtatuatur; contrarium omnes Scriptores ſenſêre: ab aratro vocatum, & villam *Stadicz in Bohemia* ad fluvium *Bielam* coluiſſe, *Chriſtannus Monachus*, ex illo *Przemyſli* ſangvine ortus, ad *S. Adalbertum*, ſcripſit; idem *Coſmas*, *Pulkava*, *Silvius*, *Weleslavinus*, aliique omnes æquè commemorant. Extat hodiéque villa *Stadicz in Bohemia & Przemyſlai* coryletum; villæ illius Domini non plus tributi ab omni ævo pendunt, quàm *Nucum* illius arboris in Regum noſtrorum Coronationibus menſuram. Vidimus iſtud in *Coronatione Ferdinandi III.* Sunt in eam rem aliquot Veterum *Bohemiæ Regum* diplomata, quæ in *Epitome* noſtra ex *Goldaſto* attulimus, & vidiſſe inter Privilegia Regni Caroli IV. ea de re literas *Silvius* teſtatur; non igitur *Miſnenſis Dynaſta*, ſed *Bohemus Agricola*, aut ſi mavis, unius *Villæ in Bohemia Dominus*, *Przemyſlus* debet haberi.

Przemyſlo Stadicenſis villæ Dominus in Boh. ad Bilinā.

Chriſtan. in Vita S. Ludmillæ.

Silv. in hiſt. Boh. C. 6.

Duces Bohemiæ in Miſnia ditiones habuiſſe hæreditate à Przemyſlo acquiſitas. Neque iſtud ſubſiſtit. Quas, quæſo, ditiones, agricola, unius villæ in Bohemia Dominus relinquere in *Miſnia* potuit? habuêre, fateor, diu pòſt

In Miſnia nihil primitùs hæreditarium Ducibus noſtris.

Digitized by Google

pôſt ditiones in *Miſnia* noſtri Principes, ſed jure armorum, non ſucceſſione. Primus *Przemyslus, Dobroſul*, ſeu *Hallas Saxoniæ* poſt An. C. 490. occupavit, ut habet *Weleslavinus*. *Boleslaus II.* Bohemiæ Princeps An. 978. *Miſnam* Urbem aſtu capit duce *Vangione*, quam duodecim annis tenuit, *Ottone II.* Cæſare multum invito, & indignante. Vide *Fabricium*, *Chronicon Mansfeldenſe, ac Weleslavinum*. An. 1067. *Henricus IV. Imperator Miſnam Wratislao Duci Bohemiæ* donat, qui ad regionem in officio continendam, non procul *Urbe Miſnâ* arcem munitiſſimam condidit *Hvvozdiecum* appellatam. Hæc habet *Coſmas* in Annalibus Bohemiæ, *Fabricius* in Miſnicis, *Chronicon* Mansfeldenſe, *Weslavinus & Hagek*. Et certè nunquam, ut ex hiſtoricis noſtris & Regum literis ſatis conſtat, alium juris titulum in *Miſnam*, quàm *donationes Cæſarum* vel arma, Noſtri Reges allegarunt, quæ omnia *Dreſſerus* confirmat. Diſtinctiùs iſta, & ſuis diviſa temporibus in *Fabricio* leguntur, qui *Miſnam* Anno 978. à *Vangione* captam An. 990. ab *Echardo Marchione* ejectis Bohemis, receptam; rurſus A. 1010. à *Bohemis* occupatâ Miſnenſi Arce, *Bohemis* redditam, eodémque anno (civium conſpiratione) *Bohemorum* præſidio dejecto, liberatam; mox *Duce Bohemiæ* cum exercitu veniente, Civibus punitis, Exulibus reſtitutis, in *Bohemorum* poteſtatem veniſſe commemorat. Brevì pôſt iterum *Miſnam* hoſtium aſtu amiſêre *Bohemi*; recuperata eſt ab *Henrico III.* Imperatore, & *Wratislao Bohemiæ Duci* tradita Anno 1067. rurſus ab *Ecberto Turingiæ Marchione* recepta. A. 1076. atq; iterum An: 1078. à *Wratislao I.* Rege Bohemiæ vindicata. Caſtrum illud *Gvozdecum* vel *Hvvozdecum Wratislaus* Dux Bohemiæ An. 1098. in alium locum tranſtulit, locus tamen hodiéque neſcitur. Plura de his in *Fabricio* ad A. 1130. 1157. 1193. 1213. 1247. 1272.

Weleslaw. in Geneal. Prin. Boh. Fabric. in Miſnicis. Chron. Mansfeld. C. 146. Weleslaw. in Calendario hiſtor. ad 31. Martij & 14. Julij.

Fabr. l. cit. Chr. Mansfel. C. 206. Weleslaw. ad 2. Julij. Hagek f. 140.

Dreſſ. in Miſn. & P. 5. Iſagog. hiſt. verbo: Miſna. *Fabric. in Annalib. Urbis Miſnæ lib. 1.*

Miſnæ Urbis occupationes à Bohemis.

Tot bellis, tantóque pro *Miſna* conatu, id tandem *Bohemiæ Reges* à Cæſaribus Romanis conſecuti videntur, ut ijs in terris *Vicariatus Imperij* ad eos pertineret: *Wenceslai Bohemiæ* Regis titulum ad A. 1290. recitat *Fabricius*: *Wenceslaus DEI Gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Cracoviæ & Sendomiriæ, Marchio Moraviæ, S. Romani Imperij per terras Miſnenſem Orientalem & Pleiſnenſem Vicarius Generalis*. Sed de *Vicariatu Imperij* plura in Regibus noſtris adferentur. Illud de *Miſnia* probabile eſt temporarium fuiſſe, nam eundem titulum 1296. *Henricus Naſſavius* poſtea geſtit.

Heruli & Wandali diverſi.

Herulos Slavicam gentem fuiſſe, in Auſtria Inferiore habitaſſe; eoſdem fuiſſe cum Wandalis; à fluvio Pan dictos; nomen dediſſe Pannoniæ. Omnia hæc Scriptoribus omnibus adverſantur. *Heruli*, ait Dreſſerus *gentis Gothicæ populi*; quis verò tam peregrinus in hiſtoria, qui *Slavos à Gothis* toto cælo diverſos ignoret? Bonfinius: *Heruli, ut Albanius teſtis eſt, ad Mæotidis paludes ac ſilvas quondam habitabant, quibus ab amore ſilvarum, ſtagnantiúmq; locorum nomen eſt inditum. Hermanaricus Herulos cæſo Alarico Rege perdomuit.* Idem lib. 7. *Heruli & Turingi, exercitûs Attilæ reliquiæ, qui ſuperatis & fugatis Hunnis, ad Danubij oſtia conſedêre; poſt Attilæ mortem Anno ferè vigeſimo, Odoacre Duce Italiam adoriuntur. Pannonias Oſtrogothi incoluerunt.* paulò pôſt: *Rugorum ac Turingorum Rex Odoacer appellatur.*

Dreſſer. Iſag. hiſt. P. 5. init.

Bonfin. hiſt. Ung. Dec. I. lib. 2.

Pannoniæ certè antiquius eſt nomen, quàm *Herulorum*, quos novus Author *Pannoniæ* nomen dediſſe confinxit, aliud etymon *Pannoniæ in Bonfinio* leges. *Münſterus quoque* in *Coſmographia* l. 2. C. 65. eſt in noſtris partibus: *Theodoricus Rex*, inquit, *qui ex Gothis fuit multo labore Odoacrum, qui ex Hunnis erat, tandem interfecit.* Sed quid conſectamur rivulos, cùm fontes ipſos adire poſſimus? audiamus

Bonf. Dec. 1. lib. 1.

De Herulis.

mus *Evagrium* libro 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 19. *iiſdem temporibus ſcribit Procopius, Herulos qui tempore, quo Anaſtaſius* (imperavit Anaſtaſius ab An. 491. uſquè ad 518.) *Romanum rexit Imperium, Danubium trajecerant, à Juſtiniano benignè & humanè tractatos, & magnâ pecuniæ vi donatos, omnes ad unum Chriſtianam Religionem recepiſſe.* Id factum annotat *Baronius* An. C. 527. quorum fideli operâ *Juſtinianus* in bello adverſus *Perſas* eſt uſus. Gemina omnia de *Herulis* commemorat *Nicephorus Calliſtus.* Notet Lector: *Herulos ad Danubii oſtia* (id eſt ubi in Pontum Euxinum exonerat ſeſe) conſediſſe; omnes item ad *Chriſtum* An. 527. traductos & *Chriſtianos* fuiſſe, denique vicinos *Imperio Orientali* habitaſſe, ſic ut *Conſtantinopolitanis Imperatoribus* militarent; quę omnia quàm aptè *Miſniis & Bohemis, & Auſtriacis* conveniant, & quo pacto *Odoacer* iſtorum *Herulorum* Rex *Przemyslus Stadicenſis Bohemiæ Princeps* eſſe potuerit, judicent prudentes. *Chronicon Noribergenſe* incerti authoris per mundi ætates diviſum: *Hæc dum apud Romanos geruntur, oſtendit ſeſe à vetuſto cladium Imperii fomite novus turbo: ſiquidem Heruli, & Turingi Odoacre Viro acris ingenii Duce ſibi conſtituto, ab inferioribus Danubii oſtiis ſunt profecti; fuerunt autem hi Heruli & Turingi, Exercitûs Attilæ reliquiæ, qui Hernaco & Durich Attilæ filiis à ſeipſis, aliisque populis prælio ſuperatis, apud Danubii oſtia conſederunt. Ipſi itaq; Italiam ingreſſi, &c.* pergit deinde *Author Odoacris* in Italia geſta percenſere; *Ingreſſus Odoacris* in Italiam A. C. 475. à *Baronio* collocatur. Ex his omnibus ſatis intelligitur, *Herulos* neque in *Auſtria* inferiore, neque in *Pannonia*, ſed ad *inferiora Danubii oſtia* (non utique ad fontes) habitaſſe, cùm eos *Odoacer in Italiam* duxit. non tamen inficior, paulò ante *Odoacris* tempora, *Herulos Pannoniam* tenuiſſe; *Wolfgangus Lazius: Romani limitem Danubii tuebantur adverſus frequentes Sarmaticarum, & Germanicarum nationum incurſiones. Ex Germanis erant Marcomanni, Quadi, Boii, Heruli, Longobardi &c. ex iſtis Daci, Jepidæ &c.* Imò & *Vindobonæ* (quæ hodie *Vienna* dicitur, ut oſtendit eruditiſſimus *Lambecius*) *Herulorum Reges* Aulam & regiam ſtationem ſibi fixiſſe, *Vita S. Severini* docet qui circa An. C. 464. Chriſto gentem illam lucrifaciens Barbaros Reges induxit, ut duas intra Urbem *Baſilicas* extruerent, quas poſtea *Avares & Longobardi* ſunt demoliti. At olim *Herulos*, primos *Meckelburgenſis* regionis habitatores fuiſſe & *Rugis* confines, *Münſterus* oſtendit. Vides à *Lazio* inſigni Scriptore *Herulos Germaniæ* populis accenſeri? item *Viennam* jam tum ad Principum ſedem delectam, quod C. 18. *Vandalobohemiæ* pertinaciſſimè negatur.

Niceph. Calliſtus l. 17. hiſt. Eccleſ. C. 13.

ſextâ ætate f. 141.

Notandum.

Baron. in Annal. Eccl. ad A. 475.

Wolfg. Lazius in Vienna.

Munſter. in Coſmograph. l. 3. C. 408.

Sur. in Vita S. Severini Eugipius.

Munſter. Coſmograph. l. 3. C. 478.

Odoacrem ex Roſenbergica Stirpe prodiiſſe, quam etiam Italiæ intulerit. hoc à nemine, quod ſciam, traditum inter conjecturas relinquamus, aliam tamen eámque longè antiquiorem *Urſinorum* in Italia memoriam celebrat *Joannes Baptiſta Ferrarius* noſter, & *Erneſtus Brottuſius* eximius Anhaltinorum Principum, ac univerſæ *Roſenbergicæ, & Urſinæ* Domûs Genealogiſtes, cujus ſententiam de *Urſinorum in Italiam* adventu alio in loco probavimus.

Odoacer Herulorũ Rex Roſenbergenſis non fuit.

Ferrar. Orat. in funere Alex. Urſini Romæ habita.

Erneſt. Brottuſſ. in Genealog. Anhaltin, Syntagm. de familia CC. de Guttenſtein & in Stemmatograph. noſtr.

Ex his conjecturis conficitur: Przemyslum Stadicenſem Roſenbergicum, eundem alio nomine Odoacrem Herulorũ Regem fuiſſe, qui Romam occupârit. Parvus error in principio maximus eſt in fine, ait Ariſtoteles; ſanè ex conjecturis incredibilibus, nihil aliud quàm conjectura ſimilis elici poteſt, eóque imbecillior, quòd comprehenſio, ut Philoſophi docent, debiliorem partem neceſſario ſequatur. quid igitur obſtat, quò minùs *Przemyslaus* noſter *Odoacer Herulorum Rex* per noſtram ſententiam fiat? obſtant innumera. *Primò* an ſatis credibile eſt tanto hactenus

Odoacer nullo pacto fuit Przemyslus Stadicenſis.

Digitized by Google

ctenus arcano iſtud de *Odoacre* preſſum latere potuiſſe, ut nunc tandem poſt annos mille ducentos & amplius, uni Scriptori patuerit? cur *Noſtri Scriptores* rem tantam, & ad gentis noſtræ gloriam maximè pertinentem tacuerunt? cur nullus omnino Veterum ſeu *Græcorum*, ſeu *Latinorum de Odoacre* agentium, *Bojemiam & Bojemos* (gentem jam pridem *Ptolemæo*, *Straboni*, *Tacito*, *Vellejo* notam & ſæpius appellatam) nominavit? *Secundò* tam varia ſunt, quæ in his duobus Ducibus occurrunt, ut conciliari à nemine poſſint: *Odoacer natione Italus*, *Oreſtis militiæ Præfecti armiger*, ut *Procopius* teſtatur, aut quod *Trithemio* placet, *natione Rugius, ſive Saxo Teutonicus*, captâ Româ Italiæ Regem ſeſe conſtituit An. C. 476. & An. C. 493. interfectus eſt; *Przemyslus* An. C. 455. Princeps conjugio *Libuſſæ* creatus eſt. deceſſit An. 499. Ita *Weleslavinus*; quod ſi *Hagecium* ſequamur An. C. 722. *Przemysli Stadicenſis* initia ponentem, jugulabitur omnino nova iſthæc de *Odoacre* ſententia. *Przemyslus* ab aratro ad Principatum vocatur; *Odoacer* ex Attilæ militia, à reliquijs Exercitûs ejus Dux Italicæ & Romanæ expeditionis conſtituitur; *Przemyslus* Deorum inanium unà cum univerſa gente cultor & paganus (conſtat enim inter omnes, longè poſt hæc tempora *Borzivoium primum* ex Bohemiæ Ducibus *Chriſto* nomen dediſſe, ut *Chriſtannus* vicinus eorum temporum narrat) at *Odoacer Chriſtianus*, & Chriſtianis imperans, licet ſectâ *Arianus*, ut ex *Ennodio & Engipio* coævis Scriptoribus demonſtrat *Cardinalis Baronius*; *Przemyslus* imperij ſedem *Bohemiam*, *Odoacer* Italiam habuit; res ipſæ geſtæ alterius ab altero ſic diſcordant, ut nihil eſſe diſſimilius poſſit; *Przemysl* quietam ad extremum egit vitam, *Pragæ* deceſſit ſenio (quippe nonagenarius) *Odoacer* biennio *Ravennæ* obſeſſus, tandem Anno 493. factâ cum

Baron. in Annal. Eccl. ad C. 475. & ſeq. Adelzr. hiſt. Bojor. p. 1. l. 5. Trithem. in Clodio. Procop. de bello Gothico lib. 1.

Chriſtan. in Vita S. Ludmillæ. Ennod. in Vita S. Epiphanij Epiſc. Ticinen. Engipius in vita S. Severini. Cæſ. Baron. ad A. C. 476. in Annal. Eccl.

Procop. de bello Gothico l. 1.

Theodorico Amalo Gothorum Rege pace, ad epulas fraudulentè vocatus, unà cum filijs interemptus eſt; *Przemyslo* filij tres fuêre, ex quibus ſenior *Nezamyslus* conſenſu omnium Scriptorum, poſt Patrem regnavit; *Odoacris* progenies tota extincta eſt; *Heruli* cum Duce ſuo *Odoacre* ab inferioribus *Danubij oſtijs in Italiam* aſcenderunt; *Przemyslum villâ Stadicenſi* ortum, pòſt *Principem*, *Amazonum* domeſtica bella diſtinuerunt, nec niſi in viciniſſimos *Bojos*, aut *Saxones* ferrum ſtrinxit. *Odoacer* Ravennæ tumulatus, *Przemyslus Pragæ* ſub Wiſsebrado ad rivum *Boticenſem*, cujus poſtea tumulum & aliquot ſequentium Principum, poſt multa ſæcula repertum, Annales noſtri commemorant; denique ut verbo abſolvam omnia, præter *hominum & Principum*, quas geſsêre perſonas, & *cælum* quod imminebat utrique, & *terram* quam calcabant veſtigijs uterque, & *aërem* quem hauriebant uterque, nihil uſquam habuêre commune.

Ad extremum Novitij Scriptoris aſſertum aliquando veniamus: *Reges noſtros à Roſenſibus Miſniacis deſcendere*; hic eſt totius libri meta & ſcopus, ut ex *Miſnia* & ex *ſtirpe Roſarum*, atque adeò ex familia ſua, *Bohemiæ* Principes, ao Reges deſcendiſſe credantur. Si *Przemyslum*, ut tota retro ſenſit antiquitas, ab aratro ad Imperium vocatum, & *Stadicenſis* agri Dominum (quam ob cauſſam agrum illum *Vetuſti Bohemiæ Reges* immunem publicitus eſſe voluerunt) faciamus (quod ipſi Reges ſemper agnovêre) evaneſcit omnis de *Roſenſibus* ſuſpicio. Nemo unquam in Regum noſtrorum vetuſtis Clypeis *Roſam*, aut *Roſas* vidit. Vidi *Przemyslææ gentis* Principum, ac Regum effigies vetuſtiſſimas ab Annis 600. & 700. non paucas in *Sigillis literarum*, ut mos erat, expreſſas; ſedent in ſolio cum *vexillo Bohemiæ*, in quo *Aquila*, aut *Leo* (ab An. C. 1160.) ſpectatur;

Roſas in Clypeis nũquam geſta vêre Przemyslææ ſtirpis Principes.

ctatur; ponè ſolium à dextris *tres lineas* in ſcuto, parte ſiniſtrâ *Leonem*, aut *Aquilam* videbis.

Antiquiſſimæ omnium ſunt *Boleslai Pij* ex ſtirpe Przemyſli *Breunovienſes* literæ in *Bohemia*; nullas habent *Roſas*, ſed *lineas*, ut teſtatur, qui vidit *Paprocius*. Vidi *Brzetislai Achillis Bohemiæ* complures literas, *Wratislai Henrici* Interregis, *Wladislai*, *Przemyslai Ottogari I. & II. Wenceslai I. & II.* & aliorum ex eadem gente Principum ac Regum, in Cœnobijs *Georgiano*, *Brevnovienſi*, *Cladrubienſi*, *Doxanenſi*, *Teplenſi*, *Zabrdovicenſi*, *Tiſsnovienſi*, *Pontenſi*, *Puſtomiricenſi*, & quaſdam in *Archivis Eccleſiarum Wiſſehradenſis*, *Cathedralis Olomucenſis*, *&c.* nunquam, nè ſemel, animadverti *Roſas* Regibus noſtris apponi, ſemper aut *lineas Ssvvihovianas* (cùm integrum Stemma depingitur) aut *Leonem*, aut *Aquilas* multiplices *Moraviæ*, *& Sileſiæ* Regionum. Malè autèm ex *Cœnobiorum Inſignibus*, Fundatorum Inſignia, *Campum* (ùt vocant) Colores, rerúmque numerum, ac cætera ejuſmodi peti, pridem docui, cùm de *Guttenſteiniana Familia* tractarem; variant enim ſæpe, neque ad vivum & veritatem, cum *Fundatorum Clypeus Cœnobiorum Clypei* congruunt, ut innumeris conſtat exemplis, atque ut aliqua in patria nominem: *Roſæ Cœnobiorum Trebonenſis & Altovadenſis à Stirpe Roſenſi* magnificè conditorum, prorſus à ſuorum *Fundatorum Roſâ* diſcrepant, magnúmque eſt inter eos Clypeos, *roſarum* ſitu, numero, ac colore, atque universâ picturâ diſcrimen. Adde: quòd aliud eſt, *Abbatum & Præpoſitorum*, aliud *Conventûs* ipſius Inſigne, utrumq; tamen ſæpe ad Fundatoris Clypeum alludit, hinc etiam illa diverſitas naſcitur; neque facilè *Cœnobium* inveneris, quod ad unguem Clypeum exprimat *Fundatoris*; hæc ad *S. Adalberti Roſam*.

Syntagmate de Originib. CC. de Guttenſtei.

Hactenus *Czechi & Przemysli* Imperium, quod *totius gentis conſenſu* pridem ſtabilivit, *authoritate* Veterum Scriptorum, æquè ac Novorum, tum *Chronologiâ* & ratione temporum firmavimus, nè Regni totius ipſa fundamenta labarent, eſſentque incerta; jam poſt pugnam, parto velut otio, pacatè, quæ ſuperſunt, trademus.

CAPUT XXII.

Summa, & quoddam totius Libri II. Corollarium, in quo quid nobis de Czechi & Lechi fratrum in has oras adventu veriſimillimum videatur, exponimus.

In LL. Controverſiar.

DIffiteri non poſſum, in hac tractatione de *Czecho* mea (quod præcipuum libri hujus argumentū fuit) me ſatis perturbatè, ac confusè in multis eſſe verſatum; ut in me quodammodo aptiſſimè quadrare videatur, quod apud *Senecam Patrem* de obſcuro Oratore legimus; qui cùm obſcuritatem Orationis *ſpinosâ* ut dicebat, *materiâ* excuſaret, quam calcare oportuerit, ſubjecit alius: *pedes tui ſpinas non calcant, ſed ſpinas habent;* ita ego in hac tractatione proceſſi: ſæpe adverſantia dixiſſe videri potui (quia ex alieno ſenſu, non ex meo ſcribebam) ſæpe eundem Scriptorem reprehendi, atque iterum laudavi; eadem multis locis repetij, quæ ſapienti ſemel dicta ſatis erant; eadem ſæpe exſtruxi, quæ poſtea dirui: nimirum eadem omnibus contingunt cùm dubitamus, aut quærimus; *quo teneas vultus mutantem*

Cauſſæ quibus impulſus hanc ſummam confeci.

Digitized by Google

tem Proteæ modo? Qui rem ante oculos heri jacentem anxius aut iratus quærit, neque tamen reperit, omnia ſumit in manum, multa excutit, pleraque abjicit & ex manibus cadere ſinit; itáque fit, ut longè magis, quàm antè jacuerant, incompoſita jaceant, & chaos quoddam chartarum creetur in pluteo. *Ne ſirint hoc boni ſuperi!* ut antiquè loquar. Claritatem in omni vita & in oratione conſector; ideóque ſtatui totam hanc de *Czechi Ducis, & Slavici Populi* in has oras adventu diſputationem brevi & compendiariâ viâ relegere, & articulatim ſummam quandam ex omnibus conficere, ut ſub unum aſpectum legentibus offerantur omnia, rebúsque prolatis, quid veriſimillimum, aut vero propius (nam quis in re tam remota, obſcura, ad quam ſolæ conjecturæ perveniunt, in librorum neceſſariorum inopia, & Scriptorum antiquorum ſilentio, certi aliquid allaturum ſe poſſit promittere?) ut inquam, quid veroſimillimum ſit, quid contrà inveriſimile, videant Antiquitatis & Originis noſtræ curioſi, ac planè intelligant.

Slavi in hac parte Europæ adventitius eſt Populus.

ARTICULUS I. In primis habetur pro certo univerſam gentem *Sarmaticam & Slavicam* (quocunque eam nomine appelles; *Henetorum, Venetorum, Venedorum, Vinnulorum, Czechorum, Lechitarum &c.*) hanc inquam gentem *Slavicam* in *Illyrico* ſeu *Croatia, Dalmatia, Slavonia &c. in Slavica Ungaria, in Moravia, & maximâ Polonia ad nos obverſâ parte, in Sileſia, Bohemia, Luſatia, Marchia Ucrana, Brandeburgia, Mechlburgi, olim etiam in Pomerania*, & litoribus, quæ Venedico ſinui, & Oceano Sarmatico prætenduntur, denique in omnibus hiſce magis occidentalibus (reſpectu *Sarmatiæ*) partibus *Europæ*, trâns *Danubium, Viſtulam & Albim*, adventitium eſſe populum, & deſertas ab Germanorum populis *Gothis, Rugijs, Herulis, Wandalis*, aliiſque innumeris (quorum nomina apud *Bonfinium, Lazium, Ptolemæum, Cluverium, &c.* leguntur) provincias occupâſſe. De *Henetis*, & tota maritima ora contra *Italiam* dicetur Capite ſequenti; de *Illyrico*, eique conjunctis provincijs dictum eſt antè. Quod nos contingit, de *Bohemia* id facilè probatur: quia circa Chriſti Servatoris noſtri Nativitatem certiſſimò, ex illorum temporum coævis Scriptoribus habemus, in hac noſtra patria *Bojos & Hermunduros*, deinde *Marcomannos Sueviæ* populum habitâſſe. Idem eſt de *Moravia, Sileſia*, & anteriore *Polonia*, in quibus *Wandali* (ad oſtia Viſtulæ) tum *Quadi, Elyſij, Oſi, Lugij*, & milleni alij degebant. De *Venedis* ad mare *Sarmaticum* communis eſt ſententia; ſed ego quid ſentiam Articulo 3. cum Lectore meo communicabo. univerſaliter hoc aſſertum noſtrum ex eo probatur: quòd *Sarmaticæ*, & Slavicæ gentes, non in his Europæ terris, ſed in *Aſiatica, & Europæa Sarmatia*, ad *Paludem Mæotidem*, & ad *Pontum* primas & antiquiſſimas ſedes habuerint, atque in ulteriorem *Europam* neceſſariò commigrârint. *Sarmatiæ Europææ* deſcriptionem apud *Ptolemæum* l. 3. Cap. 5. *Aſiaticæ* l. 5. Cap. 9. invenies.

Bonfin. Dec. 1: l. 1. & 11. Lazius LL. 8. de Migrat. gentium. Ptolem. in Geogr. Cluver. in Germa: antiqv. de Illyrijs C. 8. p. 22. 23.

de his C. 2. 3 4.

Slavi ex Sarmatia Europæa & Aſiatica prodiêre primit⁹.

Ptolem. Geogr.

ARTICULUS II. Poſtquam *Sarmatæ*, vel præ gravante domi multitudine, vel calidioris cœli, & fœcundioris telluris cauſsâ, vel coacti à populis ſeſe mutuò eâ ætate propellentibus, vel alijs de cauſis, ſedibus primis egreſſi ſunt, retinuêre ſatis diu, primum *Sarmatarum* nomen, ſed poſtea occupatis quibusdam provincijs, alia nomina & appellationes indidêre ſibi, vel ab alijs inditas aſſumſerunt. Qui non procul ab origine ſua proceſſerant, *Roxolani, Ruſſi, Moſcheni, Moſci &c.* qui prope Græciam, & oram Italiæ, *Heneti*, vel *Veneti &c.* qui in *Septentrione ad Mare Sarmaticum* conſederant, *Venedi, Vindi, Vinuli &c.* qui inde propiùs ad Meridiem & ad nos, *Vagri*,

Slavorum diverſæ appellationes in varijs terris.

C. ſequenti hæc probantur.

circa An. C. 500.

gri, *Obotriti*, *Reregi*, plurimiſque aliis nominibus quæ C. 6. alibíque ſæpius retulimus, ſunt inſigniti; atque inter hæc univerſale nomen *Slavinorum* vel *Slavorum* exortum eſt; quidam è *Slavis*, antiquis Provinciarum nominibus ſe contexêre, ùt *Illyrij*, *Dalmatæ*, *Croati & Liburni*, *Carni*, *Bohemi* (quamvis hi ſeſe prætereà *Czechos* patriâ voce indigitent) *Lechorum Provincia*, *Polonia* dicta eſt, regníque ejus inclyti provinciæ alijs aliíſque nominibus appellantur; *Slavi* tamen & origine *Sarmatæ*, ſumus omnes.

Sarmatarũ migratio ad Mare Oceanum.

ARTICULUS III. Exiſtimo primas *Gentis Sarmaticæ* migrationes ante omnia in vicinas provincias, & præſertim commerciorum gratiâ, ad *Oceani Sarmatici* litora, tum alio tempore, aliâq; viâ in *Myſiam*, *Daciam*, & conterminas regiones factas eſſe; (commorationem apud *Jonios*, & inde ex *Aſia minore Henetûm in Italiam* navigationes, conſultò prætereo. Vide quæ C. IX. attulimus ex *Sabino*, & quæ C. ſequenti adferemus) Neque eæ migrationes ad *Venedicum Sinum* adverſo *Danubio*, vel per *Moraviam* (& priùs per *Myſiam*, *Daciam*, *& Jazygum Metanaſtarum fines*, *& Pannoniam &c.* multóque etiam minus per *Bohemiam* fieri potuerant, ſed viâ proximâ ex *Sarmatia Europæa* proceſsêre ad *Mare*, quod ab illis *Sinus Venedicus & Oceanus Sarmaticus* dici cœpit. Sume quæſo Lector in manum, quiſquis es, *Ptolemai* (vel cujuſcunque demùm probati Scriptoris) *Geographiam & Europæ* Tabulam VIII. inſpice, dabis manus; imò *Sinus* ille totus, & litora à *Venedis* inſeſſa, *Sarmatiæ Europææ* apud *Ptolemæum*, pars & portio fuerunt, ſic ut ad *mare Sarmaticum*, *& Sinum Venedicum*, non *Migratio Sarmaticæ & Venedicæ Gentis*, ſed quædam tantùm promotio, & extenſio, nihilque ampliùs dici poſſit. Porrò *Venedos* vel *Venedas ad Sinum Venedicum* in litoribus, Germaniam verſùs, habitantes, longè ante Chriſti D. adventum *Oceani Sarmatici* littora, & maritimas provincias occupâſſe, certiſſima ex *Ptolemæo* probatio eſt: qui, cùm ſub *Adriano & Antonino Pio* floruerit, obieritque Anno Chriſti 147. (non ùt nuper properans ſenili memoriâ fallente ſcripſeram An. C. 300.) iſque apertiſſimè teſtetur: ætate ſuâ (quod etiam *Tabulâ VIII. Europæ* expreſſit) *Venedas ad oſtia Fluviorum Viſtulæ*, *Chronis*, *Rubonis*, *Turanti*, *& Cherſini* (id eſt ex Moletio: Weixel, Paſſar, Perger, Memel & Cank) quà in mare influunt, habitare, & jam tum *Venedicum Sinum*, *& Sarmaticum Oceanum* appellet, non potuit tanta, tótque terrarum occupatio primùm An. C. 147. ſed longè antè fieri; quod idem *Ptolemæus* l. 3. Geogr. Cap. 5. apertiùs expreſſit: *Tenent* inquit, *Sarmatiam maximæ Gentes Venedæ per totum Venedicum Sinum.* Imò ſi meum ego ſenſum, aut ſuſpicionem pandere auſim: exiſtimo *Venedos* vel *Venedas* in his litoribus & regionibus *ad Oſtia* dictorum Fluviorum ſemper habitâſſe, & quamvis in *Illyrico*, *Bohemia ac Moravia &c.* adventitius ſit populus *Slavorum*; in his tamen maritimis Provincijs à plurimis ante Chriſtum ſæculis, ac fortè ſtatim poſt diluvium, & primam diviſionem Gentium ſibi *Patriam* poſuiſſe.

Claudij Ptolemai Geographica cum Animadverſ. Joſ. Moletij.

Ante Chriſtum natũ Venedi tenuerunt litora Oceani Sarmatici.

Suſpicio eſt Venedos Sarmatas in ijs litoribus habitaſſe.

ARTICULUS IV. At è contrario *Slavi* noſtri, qui in *Illyricum*, & ex eo ad Nos uſquè penetrârunt, nullo modo ad nos venire è *Sarmatia* potuerant, donec *Germanorum Populi* terris ſuis relictis in *Germaniam* ulteriorem tum in *Italiam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, *& Africam* abijſſent: nam cùm omnes hæ noſtræ provinciæ id temporis à fortiſſimis, bellicoſiſſimis, & vim vi repulſuris Nationibus Germanicis tenerentur, atque inſuper *Romani* cum Exercitibus *ad ripas Danubij* pervigilarent, & ſtativa Legionum in plurimis locis haberent, fieri omnino non potuit, ut per tot Nationum capita, via *Slavis*, *Sarmaticáque* genti patêret. Ex quo clarè

Slavi antè quàm Germani abijſſent, in has oras non advenerunt

Notitia Rom. Imperij apud Vohburg.

Digitized by Google

clarè ſequitur, *Czechum & Lechum* ante Chriſti adventum (ut *Piaſecius* putavit) in Bohemiam venire non potuiſſe, neque contra *Quintilium Varum* Anno Chriſti IX. bellum gerere, & Aquilas Romanas obtinere, cùm omnia Germanorum populi occuparent, & in *Polonia ad fontes Viſtulæ*, uſquè ad *Hermunduros* protracti *Vandali*, tum *Hermunduri*, *Quadi*, *Oſi*, *Boij*, *Marcomanni*, *Norici*, ac cœteri, quos nominavimus alibi, ſederent. Idem adverſùs *Gvagninum* (cujus ſententiam C. 8. attulimus) dictum eſto.

Germanorum Populi quando migrare cœperint.

ARTICULUS V. Primis ſtatim à Chriſti nativitate ætatibus *Teutonia*, totúsque ab imo *Septentrio Germanicus* commotus eſt: nihil præter *Germanicarum Gentium* migrationes, bella, cædes, clades, victorias, tum inter ſe, tum adverſùs *Romanos* in illorum temporum Annalibus invenies. Vide hæc omnia relata compendio in *Chronologia reformata Riccioli noſtri*; pauca in exemplum adducam. An. C. nati 4. bellum geritur çum Germanis. An. C. 5. multi Germanorum Populi vincuntur. An. C. 6. *Marobodus Marcomannorum Rex cum Batone Illyrici Duce* adverſùs Romanos bellum gerit, ſed à *Tiberio*, quem Auguſtus Cæſar in bellum miſerat, retunditur; fœliciùs pugnavit *Arminius* deleto cum Legionibus *Quintilio Varo* An. C. 9. *Bellum cum Dalmatis* in aliquot annos protractum. *Marobodus Rex Marcomannorum* (eorum videlicet *Svevorum*, qui ripas & limites cis Danubianos tuebantur adverſùs Romanos) ut gentem ſuam procul à Romanorum timore abduceret, & ſe ſuósq; collocaret in tuto (quod propoſitum *Marobodo* fuiſſe & *Tacitus*, & *Vellejus* teſtantur) in *Bojohemum* duxit, *Boijsq;* oppreſſis *Regiam* ſibi *in Bohemia* ſtatuit. Quonam victi & fugati ex patrio ſolo *Boij* receſſerint, habes Cap. II. *Wohburgius* pleroſq; ad *Danubium* conſediſſe putat, idque *Ptolemæus* paulò poſt hæc tempora An. C. 140. ſcribens, apertè docuit, cùm in IV. *Europæ* Tabula *Bæmos gentem magnam*, (ut ait) non ampliùs in Hercynia ſilva, ſed inter *Silvam Lunæ* dictam & *inter Danubium* collocârit. Quæ bella *Marcomanni* poſtea geſſerint C. 3. ſummatim retulimus. Poſt An. C. 130. fortunâ ad Romanos inclinante, *Marcomanni* victi, & nè quid unquam ampliùs moliri poſſent, partim *in Italiam* ſunt tranſlati, partim trans *Danubium in Romana ripa* procul, aſſignatis ſedibus conſederunt, *Bohemiâ*, *Moraviâ*, & *ſuperiore Auſtriâ* (per quas provincias antè diffuſi habitârant) propè vacuis relictis; ubicunque tamen poſtea habuêre ſedes, quàm primùm juventutem idoneam nacti ſunt, renovârunt bellum, & Romanis faceſſivêre negotia. De his rebus videatur libro VIII. *Wolffgangus Lazius*.

Ricc. T. 2. Chronolog. reform. Chronico 3.

Tacit. l. 2. Annal. & Lipſius ibi.

Vellej. l. 2. hiſt. & alij citati C. 2. p. 5.

Boij ex Bojohemo quorſum abierint.

Ricciol. l. cit. V. C. 3. p. 7.

Per ea tempora alij quoque *Germanorum Populi* ſe moverunt, noviſque ſedibus quæſitis huc atque illuc errantes omnia turbabant, ut nullius gentis in hac *Germania* parte tuta ſatis eſſet poſſeſſio. Tot gentium, quæ jam magnâ parte perierunt, chaos, evolvere fruſtra conatus eſt *Lazius*, laudabili tamen conatu, multáque præſtitit, quæ niſi ille fuiſſet, nunquam ordinare licuiſſet.

de Migrationibus Gent. de Marcomannis ubi 8. diverſas ſedes Marcomannorum enumerant.

Sarmatarũ iter in Illyricum.

ARTICULUS VI. Cùm igitur ſúſque déque apud *Germanos* verterentur omnia, & tot paſſim Populi vagarentur incerti, ſedéſque mutarent; quàm facilè fuit aliquam ex *Sarmatis* multitudinem, in *Moraviam*, tum etiam in *Bohemiam*, quas accepto forſitan indicio vacuas propè cultoribus jacere ſciebant, penetrare ſeſe! nota jam erat hiſce noſtris Provincijs natio *Sarmatarum*, quos etiam *Svevicis & Germanicis Gentibus* auxilio adverſùs *Romanos* veniſſe multis locis oſtendit, etſi aliud agens, *Wolffgangus Lazius*; maximè autem proclive iter *Sarmatis* ſemper fuit (relictis à dextra *Sarmaticis* montibus, & *Carpatho*) penes *Danubium* aſcendere, eóque deinde reli-

Laz. de Migratio: Gent.

ćto, *Illyrici Provincias* intrare. Certè paulò pòſt (jam An. C. 263.) ex *Trebellio* pridem narravi: *Sarmatas in Illyrico vehementer Romanam vexâſſe militiam.* Fateor hunc primum *Sarmatarum in Bohemiam aut ſaltem in Moraviam*, ingreſſum non æquè omnibus in vulgus notum eſſe, neque tot teſtimonijs Scriptorum niti, quot nititur adventus in has oras *Slavorum* circa *Attilæ tempora*, qui à doćtioribus hiſtoricis apertè adſtruitur, tamen cùm plerique Scriptores doceant: *Czechum ad populares ſuos in Bohemiam veniſſe*, neq; aliud magis idoneum tempus habeamus, neque maturiùs quàm poſt translatos *Marcomannos* ponere poſſimus, ſatis probabili conjećturâ ducimur; aliquam *Sarmatarum ſeu Slavorum* portionem *Bohemiam* ingreſſos, nè tellus hæc noſtra, quæ ſemper ab ubertate, metallis, & rerum omnium parabili copiâ & gignentium vićtu celebrabatur, per tot hominum ætates inacceſſa, inculta, & deſerta jacuiſſe dicatur. Quòd ſi quis jam hoc etiam tempore poſt An. C. 180. aut ſeriùs annis centum, ipſum *Czechum cum fratre Lecho Bohemiam* ingreſſos diceret, egregios Patriæ Scriptores *Weleslavinum & Codicillum* Authores laudare poſſet, qui ſe rebus omnibus, & Memorijs, & Annalibus inſpećtis comperiſſe affirmant *Czechum* circa An. C. 278. *intrâſſe Bohemiam*; quod ego nec probo, nec refello.

C. 8.

Probabile eſt: Marcomannis deletis Bohemiam à Sarmatis inhabitari cœptam.

Codicill. l. de adventu Czechi. Weleslav. in Genealog. Ducũ Boh. init.

ARTICULUS VII. Vndique flućtuante bellis *Germaniâ*, *Sarmatæ* (ſub quo nomine latebant tum, atque etiam hodie latent, plurimæ *Slavorum*, præſertim *Polonorum* nationes) cùm toties adverſùs *Romanos* inter auxilia adhiberentur, cœperunt haſce terras ab *Illyrico* ad nos uſquè, acrioribus & vigilantioribus oculis contemplari, mirari cœli temperiem, calorem probare, fœcunditatem telluris laudare; fœlices igitur & beatas præ ſuis ſedibus Provincias prædicabant, & limis, ut ita dicam, intuebantur hujus partis *Europæ* venuſtatem. Nondum publico conſilio & totius gentis conſenſu intraverant, placuit fortunam experiri An. C. 319. *Sarmatæ Danubium* transmittunt cum exercitu (ùt ex *Zoſimo* narrat *Ricciolius*) novas ſedes quæſituri; non favit Fortuna conſilio, nam à *Conſtantino Magno* cæduntur, & in *Sarmatiam* ſuam repelluntur. Quievêre malis vićti aliquamdiu; ſed brevì poſt intervallo, rurſus jam ſub his, jam ſub illis (ùt mille teſtimonijs hiſtoricorum patet) belli ſtipendia meruêre; cùm ecce optima ſeſe *Sarmatis* dedit occaſio cum Hunnis amicâ pridem gente conſociandi arma, & quod deſignârant, ad totius gentis gloriam, utilitatémq; exequendi. Porrò *Hunni* jam ab An. C. 376. ac fortè etiam maturiùs in hanc Europæ partem intulêre bellum, ſed circa 422. An. C. meliùs ordinatâ ſuorum militiâ, & aućti numero, formidabiles eſſe cœperunt; *Hunnis* tum immixti ſemper erant *Sarmatæ*, ùt Cap. VII. diximus: nam huic genti (quæ paulò pòſt, ùt ex *Procopio & Paulo Diacono* apparet *Slavica* dici cœpit) vetuſti *Hunnorum Reges* plurimum tribuebant; quæ benevolentia & ſocietas perpetua eò deniq; tum proceſſit, ut unus idémque populus videretur. Certè *Attila* tam amicus *Sarmatis* fuit, ut *Santepolcum* (Swatoplucum ſine dubio) *Ungariæ* ſuæ, *Marotam* verò (utrumque *Sarmaticâ & Slavicâ gente* ortum) *Mœſiæ*, *Bulgariǽq;* cum ſummo imperio præfecerit, ùt *Ritius* teſtatur. Annotavit iſtud quoque *Lazius*: *Slavini* inquit, *paſſim in vallibus Gepuſiæ inſerti ac immixti ſunt, quos undiq; Ungari ambiunt, & imperium in eos exercent, ac retinent &c.* Igitur ut ad propoſitum redeam: cùm *Attila* Anno. C. 441. & ſequenti, excìſis plurimis oppidis *Illyricum* occupâſſet, habitandam *Slavinis* noſtris eam regionem conceſſit, atque ipſe cum *Hunnis* ſuis Orbis imperium animo complexus, omnia Regna, omnéſque Populos conjungens

Sarmatæ tentant Danubium trajicere. *Ricc. T. 2. Chronolog. Reform.*

Ricciol. l. cit. & ad A. 383. & aliis.

Hunni Slavorum genti ſemper amici.

Ritius l. 1. de rebus Ungar. Lazius lib. 10. f. 756.

Digitized by Google

Baron. in Annal. Eccl. Sarmatarũ vel Slavorũ ingens multitudo cum Hunnis in hac oras aſcendit.

gens cum aliquot centenis millibus Romanum intravit imperium; longum foret,& extra ſacram lineam,hæc bella commemorare; legatur *Baronius*, aliique: Hoc tempore (ævo ſcilicet *Attilæ) Czechum & Lechum* Duces *Cromerus & Welſerus* (præſtantiſſimi duo,&Chronologiæ ſtudioſiſſimi Scriptores) oſtendunt in *Bohemiam*, ſive *rectâ ex Sarmatia* (quod mihi eſt inveriſimile, cùm *Slavos in Illyrico*, & per omnes *Hunnorum* provincias diſperſos fuiſſe ſciamus) ſive potiùs *ex Illyrico, ad populares ſuos* cùm ingenti numero Nobilitatis aſcendiſſe; hanc ſententiam, & authoritate & ratione validiorem omnibus alijs exiſtimo: Nam ùt ante ex *Paulo Diacono, & Welſero* probatum eſt, jam An. C. 595. *Czechorum* natio appellatur,quæ in *Bojohemo* conſideat; at profectò ante *Czechum Czechitæ vel Zechitæ* ùt illi ſcribunt) appellari non poterant; quando igitur Genti ſuæ *Czechus* hoc nomen impoſuit? aut quo tempore poſt ejus mortem, ſui Ducis amore, *Czechos* ſeſe ipſi indigitate cæperunt? Deinde: ex omnibus *Ungarorum, Illyriorum & Slavorum* hiſtorijs, & præſtantiſſimis quoque aliarum *Gentium Scriptoribus* conſtat, manifeſtúmque redditur: *Slavos Bohemiæ Czechitas* poſt An. C. 500. tantopere in *Bohemia* multiplicatos, ut nimiùm abundante populo, *Bohemiæ* anguſtijs contineri non poſſent, ideóque ex *Bohemia* in alias terras colonias ducere cogerentur; ac fortè tum conterranei eorum *Slavi in Illyrico* adverſùs hoſtes poſcebant auxilia; illuc igitur quàm citiſſimè *Bohemo-Slavica* juventus eſt deducta circa An.C. 526. vel 547. ùt *Bollandus* noſter oſtendit; denique *Slavi* in ijs provincijs in tantum creverunt numerò, ùt circa An. C. 583. & 595. *Boicam*, ut ait Welſerus, *armis premerent*, & potentiſſimum Francorum Regem *Dagobertum* cum exercitu hoſtiliter advenientem, ùt idem *Bollandus* probat, fortiter exceperint, repulerint,ac omnino profligârint. Vide obſecro, quæ in Animadverſione ad Cap. 15. attulimus, de fundata à *Czechitis Slavonia*.

C. 18.

Slavi ex Bohemia Juventutem emittunt, & Regnum Slavoniæ fundant.

v. C. 9.

ARTICULUS VIII. Hîc aliquis quæſtionem moveat: cur *non rectâ ex Sarmatia Czechum & Lechum* (ùt *Cromerus & Sudetis* ſentiunt) veniſſe ponimus? cur non *à mari Venedico*, vel per *Miſniam*, vel ex ipſa *Miſnia*, quàm ex remota *Illyrici Provincia, Croatia*, vel *Corvatia?* utrumque fieri potuiſſe certum eſt, & faciliùs etiam ex vicina *Miſnia*, quàm aliunde *Czech & Lech* deducentur? Reſpondeo: multa fieri faciliùs poſſe, quæ omnino non fiunt; ſæpe difficiliora, facilioribus & ſanioribus conſilijs abjectiora, anteponi; non eſſe in hiſtoria quærendum, quid fieri potuerit, ſed quid factum ſit. Cùm igitur totius *Slavicæ Gentis* conſenſu, ac Veterum Scriptorum authoritate & teſtimonijs habeatur: *Czechum ex Illyrico è Croatia aut Corvatia* nominatim, in *Bohemiam* adveniſſe, quid curandum eſt quid fieri potuerit. Quis ſatis ſanus (rogo) in Migrationibus tot Populorum, viam rectam, & lineam requirat? Nationes illæ barbaræ, Avibus æſtivis ſimillimo errore ferebantur; quis itinera præſcripſit? quot manſionibus *Longobardi*, quot *Heruli*, quot *Rugij*, quot *Gothi in Italiam*, aut *Galliam*, aut *Hiſpaniam*, quot *Migrationibus in Africam Vandali* pervenerunt? *Marcomannorum* (qui etiam in *Bohemia* noſtra uno & ampliùs ſæculo habitârunt) quàm diverſæ habitationes leguntur! octies eos ſedes mutâſſe *Lazius* apertè demonſtrat. Neque illud de *Croatia* omnino aſpernandum videtur, quòd novi *Bohemiæ* populi quædam ſecum ex *Croatia* attulerint nomina paternarum ditionum memores, ùt *Pſary* (*Wiſſehradum* poſtea) cui cognominem arcem ad *Crupinam* hodieque ſupereſſe in *Croatia Weleſlavinus* affirmat; ejùſque caſtelli Crupinæ mentionem facit in Croatia *Bonfinius*; plura

Crom. in hiſt. Pol. l. 1. Sudetus l. de Origine Czechor.

Traditioni & conſenſui Gentiũ deferre oportet, nec facilè adverſari.

Lazius de Migr. Gent. l. de Marcomannis

Czechitæ Veteres Croatiæ ſuæ memores fuerunt.

Weleslaw. in Genealog. Ducum & Reg. Boh.

Digitized by Google

Bonfin. rer. Ungar. Decade 3. l. 1. Crom. l. 1. hiſt. Pol. toto.

ra hujuſmodi nomina attulimus alio loco. Jam quod *Miſniam* attinet, quaſi illa ſit originaria & natalis *Czechi & Czechorum* omnium ſedes, aſſentiri omnino non poſſum, ob eas quas antè *multis Capitibus* attuli cauſas, tum quòd opinio hæc omnem Scriptorum Veterum, & Antiquitatis traditionem evertit, præſertim cùm clarè demonſtratum ſit: *fieri potuiſſe, idq; facilè*, ut ex *Croatia Czech* adveniret, cui rei ſua commoda tempora, quibus id veriſimiliter factum ſit, aſſignavimus; denique quod nullus unquam ante *Crantzium* & unum alterúmve in hiſtoria noſtra (ùt ex aliis quoque rebus apparet) peregrinum, idem ſenſiſſe legatur; ultimò, quòd ipſe ſibi *Crantzius* non conſtet; docet enim *Miſnios à Miza, Saxones à Sazava* fluvijs Bohemiæ nuncupari, quòd ab his fluvijs orti in *Miſniam & Saxoniam* colonias duxiſſent. Atque ob hanc præcipuè cauſſam factum exiſtimo: cur *Adam Bremenſis Venedorum* ſeu *Vinulorum*, qui ad mare fuerunt per Provincias uſquè *Saxonum & Miſniacorum* porrecti, & à *Mari Balthico uſque ad Albim* diffundebantur, hiſtoriam pertexens, dubitet, an *Bohemos & eos qui trans Oderam ſunt, Polonos, Slavia & Venedis adjicere poſſit;* cùm ſi *Czechus & Lechus, Czechiq; & Lechitæ* ab ijs prodijſſent, nullo modo dubitaturus fuerit, quin eos cum *Venedis & Vinulis & Redarijs &c.* conjungeret, ac nominaret.

Credibile eſt Czechũ & Lechum ex Sarmatia directè non veniſſe.

At *cur non rectà ex Sarmatia Czechum & Lechum* venientes inducis? præterea, quæ modò attuli, hoc quoque reſponderi poteſt: quòd hâc ratione tota de *Lecho* cum fratre ſuo *Czecho in Bohemiam* appulſo narratio antiquiſſima concidat: cur enim ex *Bohemia* (ùt omnes *Polonorum & Bohemorum* veteres Hiſtoriæ tradunt) in *Poloniam* migrâſſet, cùm jam antè *in Sarmatia*, ferè in *limine Poloniæ* ſtetiſſet? deinde ſciendum eſt: *Sarmatas* progreſſu temporum à *Mæotide palude* ſiniſtrorſum deſcendiſſe, adeóque à *Ponto Evxino* uſquè ad *Danubium* porrectos, faciliùs longè in *Illyricum*, quàm in alias terras *Viſtulæ* objacentes vitato & ad dexteram (ùt jam antè dixi) relicto *Carpatho & Sarmaticis montibus* penetrare potuiſſe. Hoc quod nunc ſcripſi, ex *Jornande* didici, qui An. Chriſti 552. hiſtoriam *de bello Getico* ſcribens, diſertè affirmat: *Venedorum nationem populoſam*, ætate ſuâ *ad latus Sarmaticarum Alpium* (ubi & Krapak ſeu Carpathus ſtat) *quæ Daciam claudunt, inde in Septentrionem poſtea ab exortu Viſtulæ ad Danaſtrum* (ſeu Dneſter) *inde ad Pontum ac Danubium extenſam fuiſſe.* Unde facilè apparet: illâ viâ longè antè *in Illyricum Sarmatas* adveniſſe, ac poſtea quoſdam ex ijs bellicoſiores trajecto Danubio ad nos in *Moraviam & Bohemiam* aſcendiſſe. Neque obſtare ſententiæ noſtræ poteſt, quòd toties primis illis (ab An: 150. uſq; ad An. 800.) ætatibus *Illyrici*, provincias vexatas, occupatas, rurſus receptas, rurſus à barbaris inſeſſas, & Romanis ereptas legamus: *Illyricum* enim maxima belli area fuit, & jam inſidebatur ab hoſtibus *Romanorum*, jam rurſus expulſis hoſtibus, parebat Romanis, donec prorſus occuparetur à *Slavis*. Adde quòd diverſæ ſint *Illyrici Provinciæ*, adeóque quod de una dicitur, non continuò de omnibus ſit intelligendum. *Sarmatæ* ſatis citò *Illyricum* invaſerunt, facto à *Mæſia* initio: hinc in Tacito legimus *à Roxolanis Sarmaticâ gente in Mæſia* cohortes Romanas, proximâ poſt *Neronis* mortem hieme cæſas, & ſub *Ottone* prælia cum ijs commiſſa fuiſſe. V. C. 8. pag. 23.

Jornand. l. de bello Getico.

Tac. l. 1. hiſt.

Satis jam apertè & candidè quid ſentirem aperui; utinam æquè & tam claris documentis rem totam probare potuiſſem? ſed in re tam obſcura facilis eſt veniæ locus; *Lectores* vel hæc, quæ attulimus, vel alia, quæ veriſimiliora judicârint, ſequantur; ego *Viri diligentis officium functus* conquieſco.

Terent.

(✠)

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXIII. ET ULTIMUM.

Diſſertatio pereruditi è Societate noſtra Scriptoris; in qua de Czechi & Lechi fratrum in has terras adventu; Unde orti fuerint; an ex Vandalis, an Henetis, an Æolijs, nationis noſtræ primordia petenda ſint; tum alia quædam ad hanc quæſtionem pertinentia, breviſſimè, ſed ex fundamento cum Veterum Scriptorum authoritate tractantur.

De Authore hujus Diſſertationis.

Cùm nuper adeò quisquilias quasdam (ut ità dicam) chartarum excuterem, & pretioſum à vili ſecernere, nè (ùt factum aliquando doluimus) in piperis cucullum verteretur, quod pyramidibus dignum eſſet inſcribi, reperi bonâ fortunâ tractationem, & lucubrationem egregiam eruditi è Societate noſtra Viri *Andreæ Stredonij*, quâ *Origines Bohemorum ſeu Czechorum* complexus eſt. Nôvi familiariter Virum, humanitate, comitate, facilitate, innocentiâ, & ſvavitate morum, cæterisque Religioſorum virtutibus perinſignem, ſed doctrinâ, eruditione, ac præcipuè *Bohemicæ hiſtoriæ* notitiâ clarum. Fuit *Venerabilis Patris Martini Stredonij*, cujus vitam ſanctiſſimis exemplis illuſtrem legimus, germanus frater, ex Sileſijs oriundus, ſed in *Bohemia* à prima pueritia educatus; parabat multa in *Hiſtoria Bohemiæ*, cujus ſe *Civem* eſſe dicebat, & quam habebat notiſſimam; mors interveniſſe videtur negotium, nè fidem amicis ſæpe datam exſolvere poſſet; ego nihil unquam de ejus lucubrationibus, præter, quod jam recitaturus ſum, vidi, licebit tamen vel ex hoc ungve Leonem agnoſcere. Si quid adfert Scriptor à nobis diverſum, & ijs, quæ attuli ſuperiùs, adverſum (quanquam pauciſſima ejusmodi video) *Lectores*, quod veriſimilius exiſtimârint, ſequantur: neque enim hanc ego mihi authoritatem unquam arrogavi, aut arrogo, ut cogere ad meam ſententiam cæteros velim; nolo mihi legentes credant, niſi, quod aſſerui, authoritate aut ratione confirmem.

Jam in rem præſentem.

✿ [o] ✿

Origines Boëmorum, ſeu Czechorum,

Authore P. Andreâ Stredonio S. J.

Bohemiæ limites.

Boëmia, Czechiáq; Regio veteris quondam *Sarmatiæ*, provincia, nunc *Germaniæ Regnum* opulentiſſimû, fines ſuos ab ortu ſolis ad *Moravos & Sileſios*, ab occaſu ad *Noricos* protendit; Auſtralem verò ejus plagam *Auſtria*, & Borealem *Saxonia*, *Miſniáque* terminant; Univerſam *Hercynia* ſilva perpetuo ambitu cingit, unde par ferè ejus longitudo latitudini viſitur.

unde appellatio Bohemorum, vel Bojohemorum.

Boëmia porrò, ſeu *Bojemia*, ſeu *Bojohemi* nomen Germanicæ originis eſſe, & *patriam Bojorum* Germanis ſignificare, indéque Boëmiæ incolas Boëmos nunc dici, ſub Carolo M. *Bohemannos* dictos, certiùs videtur, quàm aut à *Boëmo* ignoto Duce, ſeu Rege Svevorum; aut à *Belgico Boom* (arborum nempe Hercyniæ ſilvæ copiâ) appellatos fuiſſe. Cæterùm *Bojos*, Au-

ctor

Digitized by Google

ctor Annalium Bojorum, & *Lazius* libro ſeptimo de varijs migrationibus gentium, ex *Bernoardi Cremlomonaſterienſis Monachi* hiſtoria docet, ex *Armenia* poſt diluvium profectos, Duce *Bojogero*, in Germaniam veniſſe, ad confluentes *Danubij & Oeni* fluminum *Bojodurum*, ſeu *Bojorum*, turrim, propugnaculúmq; (hodie *Paſſavium*) exædificâſſe; inde ſucceſſu temporis *Hercyniæ* ſilvæ fines occupatos, & in ejuſdem meditullio inter *Albim*, & *Muldavam* fluvios, à *Bojoſmanno* Urbem *Bubiemum* conditam, quâ poſtea pulſis *Bojis*, *à Svevis Marobudum*, & tandem à *Czechis* Slavinis *Pragam* nuncupatam, *Ptolemæo Caſſurgim* dictam; licèt non deſint Auctores, qui *Budvicium Bubienum* ex *Strabonis* libro ſeptimo conjiciant.

Eadem tellus *Slavinis* populis *Czechia*, *Czechi* ejus incolæ dicuntur, more *Slavis* uſitatiſſimo, à Duce *Czecho*, cujus auſpicijs, & ductu hanc regionem Slavi quondam occupârunt. *Czechum* porrò ſtirpe *Slavorum* profectum fuiſſe, nemo quidem inficiatur; ſed tamen de ejus in *Boëmiam* adventu, & *Slavorum* Aboriginibus, nemo ſufficienter hucuſquè opinionem ſuam controverſijs explicavit. Harum præcipuas ſtylo mandare, & ſingulas diſcutere eſt animus, ut *Boëmiæ*, *ſtudiorum meorum altrici*, gratiæ aliquid referam, & quantum per ingenij vires licuerit, ejus origines ex opinionum tenebris vindicem, qui in ejus ſinu lucem temporum clauſerim.

Author vel in Bohemia natus, vel in ea educat⁹,

§. I.

Etymologia nominis Sclavorum, Slavorum, Slavinorum, Slovaconum, Slovanorum.

Eadem gens his nominibus intelligitur.

Slavorum appellatio.

SLovacos, *Slovanósq;* Boëmiæ, & Poloniæ antiquitatum Scriptores volunt appellatos in campo Sennaar, quod poſt univerſale diluvium condendæ famoſiſſimæ turris *Babel* ſvaſores primi exſtitiſſent; ſiquidem *Slavonicæ* genti Slowo verbum ſignificet, unde *Slovani* verboſi dicti. Verùm obſtant his Auctoribus *Epiphanius* in principio *Panarij & Joſephus* libri primi antiqu: Judaicarum capite quarto, aſſerentes conſilij illius authorem fuiſſe *Nemrodum* præcipuum; licèt ſeptuaginta duo familiarum Principes opus ipſum promoverint. Utrique favere ſacras literas docet *Jacobus Salianus* è Societate JESU, tomo primo annalium veteris Teſtamenti ſub Annum Mundi milleſimum nongenteſimum nonum.

Alij ex eodem fonte, ob commercium unius, ejuſdémque lingvæ *Slovanos* nuncupatos aſſerunt, cùm iſtius populi militari virtute ea fuerit parta terrarum amplitudo, ut propè dimidium *Europæ*, nonnullam etiam *Aſiæ* partem occupaverit, teſte *Cromero* libri primi capite primo de rebus Polonorum, cui adſtipulatur tabula quædam pervetuſta in Monaſterio *S. Hieronymi*, dicto *Slovan*, *Neo-Pragæ*, provincias olim à *Slavis* poſſeſſas continens, gentémque *Slavorum* tot per terras diſperſam unius labij fuiſſe atteſtans.

Propiùs accedit veritati opinio aſſerens à celebritate nominis etiam *Slovanos*, *Slovacósq;* dictos, ùt *Slavinos*, & *Slavos* à gloria appellatos. Nam Boëmis Slowutnoſt / eſt amplitudo, ſeu claritas famæ: & Slowutný / ſeu na Slowo wzatý / celebris dicitur, Sláwa gloriam ſignificat.

Ita ſentit *Dubravius* libro primo hiſtoriæ Boëmicæ, & favent nomina Boëmis, Poloniſque uſitatiſſima, à Sláwa

wa

Digitized by Google

ma ſeu gloria derivata, ût patet in *Wratiſlavv*, *Boleſlavv*, *Miroslavv*, *&c.*

Slavorum antiquæ ſedes.

Jornandes Hiſtoricus de origine, actisque *Getarum* ſcribens, id ipſum innuere videtur, dum *Slavinos* à nova Civitate Slavino, & Rumennenſe lacu, qui Muſianus, (Ortelio Myſianus Europææ Scythiæ) dicit denominatos.

Obſoleta fateor equidem nomina, *Straboni*, *Ptolemæo*, & alijs ignota, niſi quis *Muſim* fluvium in *Caſpium* mare influentem pro *Muſiano* lacu accipiat apud *Plinium* libri ſexti capite nono; ſuſpicari tamen licet *Jornandem* Germanicæ ſtirpis hominem, vocabulo Theutonico **Rhumenſee** alluſiſſe, ad famoſum, ſeu celebrem lacum, cujus *Slavi* fuêre accolæ. Nec *Slavis* inuſitatum fuiſſe ab aquis deſumere alicujus coloniæ, ſeu tribûs denominationem, apparet in *Pomeranis*, *Havellis*, *Obotritis*, ſeu *Ododritis*: primi enim à mari, alij à fluvio *Havella & Odera* nomina ſortiti fuerunt.

Slavi non Sclavi dicendum videri.

Hinc patet, corruptè Slavos dici à Germanis *Sclavos*, ab Italis Siavos, à Græcis σκλάβους, & nomen *Sclavi* ſervile tunc Germanis factum, quando in *Pomerania*, & vicinis provincijs, à *Saxonibus*, & alijs, domiti, ſubjugatique *Slavi* fuerunt.

§ II.

Slavos non deſcendere à Noë per Vandalos.

Defenſio vetuſtarum in hiſtoria traditionū.

A Tribus *Noachi* filijs univerſas hominum gentes deſcendere, ſacræ literæ Chriſtianis, & Judæis teſtantur, unde eos, qui in diviſione lingvarum, ſeu in ſortitione terrarum facta ſub ædificio turris *Babel* ſuos *Aborigines*, aut inveſtigant, aut probabiliter repertos ſcriptis produnt, non facilè cenſuerim anilia omnino deliramenta ſcribere, aut nugari, quamvis Hebræarum originum certitudine inferiores cenſeantur. Hoc enim præjudicio, nulla fides habenda erit majorum traditionibus, monumentis, hiſtoricis, genealogijs, nummis, lapidibus, aliisque conjecturæ ſignis, & cauſis, quæ antiquitatem alicujus populi, aut Urbis arguere poſſent! cùm tamen *Cornelius Tacitus* ex traditionibus Germanorum ſuam conſcripſerit Germaniam, *Euſebius*, *Africanus*, *Diodorus Siculus*, & alij gentium diverſarum vetuſtatem ex fabulis, & vocabulis eruerint, nec propterea, Sapientum cenſurâ, hiſtoricorum ordine ſunt remoti. Fidem fateor, requiri delectatione comite, & agendorum inſtructione ab hiſtorico, ſed hæc etiam in fabularum involucris inveniri; præter alios plurimos eruditiſſimè paſſim oſtendit *Joannes Goropius Becanus* in Originibus Antverpiæ & ſubinde *Salianus* in Annalibus veteris Teſtamenti. Ridiculum verò illud, quo aliqui ſugillant antiquitatis ſtudioſos ſarcaſticè, ſciſcitando: cur non ab ipſis humanæ naturæ incunabulis inter paradiſi ſepta conſtitutis, *Aboriginum* ſuorum petant exordia? ridendi potiore jure ipſi inſcitiæ ſuæ præcones. Quis enim ità in ſacris literis peregrinus, aut Chriſtianæ fidei rudis eſt, qui neſciat, aut ab *Adamo* hominum Principe ad diluvij uſquè cladem præcipuarum familiarum unius ſermonis deducta ſtemmata, *Noë* avum, abavum, &c. nominatos? aut humanum genus ad octo hominum capita aquis cataclyſmi redactum, ab eiſdem homines propagatos deſcendere univerſos? aut denique diverſitatem populorum confuſione lingvarum potiſſimùm factam?

Quid quod *Crantzius Boëmorum* ſcriptores ambitæ vetuſtatis damnat, qui ſuos *Vandalos* ipſe à *Noë* per *Vandalum* (*Beroſi* & Viterbienſis malè tutus auctoritate) deducit; næ ille dignus pœnâ talionis!


Nec commenta, & ficta omnia illa exiſti-

exiſtimanda ſunt, quæ ſubinde, interruptâ ſerie Ducum, aut Regum, de colonijs, populiſque narrantur. Sæpe namque gens una cum altera in ſocietatem belli evocata, ſub præcipui, & celebrioris nominis Imperatore ſtipendia faciens, eidem ſubjecta, Ducibúsque proprijs deſtituta, â Scriptoribus Græcis, Latinisve credebatur, ùt paſſim in Germanorum, Vandalorúmque bellis, & geſtis id advertere licet.

Præterea videmus viros, antiquitatis peritiſſimos, in ſucceſſione *Pontificum, Judicúmque Iſraëlis* ordinanda plurimùm deſudare: plurimos à longævâ ætate, ſuæ chronologiæ ſuppetias poſcere: alios cum *Rabbinis* ſuppoſititios comminiſci: alios divinare, conjicere, neminem ſinè oppoſiti metu definire; non propterea tamen *Judæa cum hiſtoria* novitia, aut recens ingenij alicujus audit partus. Quare nec mirum erit, ſi etiam in *Slavorum*, aut aliarum gentium ſcriptionis expertium hiſtorijs, aliqua tempora ſubinde lateant, noſtrámque cognitionem effugiant, interim uni, alterive potuit, poteritque hæc felicitas obtingere, ut de ſuæ patriæ origine aliqua cæteris ignota cognoſcat. Neque enim omnia unum aſſequitur ingenium, neque omnem una complexa eſt ſcientiam ætas. Hæc ideo inſerere libuit, quòd aliquos *Boëmarum, Polonarúmque* rerum Scriptores immeritò arrogantiæ notatos adverterim, quaſi & illis Patriæ fumus igne alieno luculentior foret, dum antiquiorem *Czechi & Lechi* ſtemmate ſtirpem inquirunt. Quanquam enim non omnes rem acu; tamen & ipſe conatus, amore patriæ ſuſceptus, ſuâ laude minimè privandus: præſertim cùm aliquid lucis ſubminiſtret, quæ indagandis majorum rebus adminiculo eſſe queat. Sed ad propoſitum.

Fabuloſa deductio gentis Wandalicæ.

A Noë Slavos deducunt quidam per Japhet ad Vandalos uſquè hâc ſerie.



Nomi-

Nomina horum ad tertiam propagationem deſumta ſunt ex *Joſephi* libri primi antiqu: Judaicarum capite ſeptimo; reliqua *Cromerus* libri primi rerum Polonicarum capite ſecundo ex quibusdam Authoribus refert, qui ſcriptis mandârunt: *Alanum II.* primùm ex Aſia commigrâſſe in *Europam* cum quatuor filijs: *Vandalum* autem multâ prole factum parentem, quartam *Europæ* partem occupâſſe, & poſteros ejus *Vandalos* denominatos fuiſſe.

Authores qui Slavos à Wandalis deduxerût.

A *Vandalis* autem Slavos ortos, affirmat *Crantzius* libro primo *Vandaliæ*, adducens pro ſua opinione *Saxonem Grammaticum*, *& Blondum*, *Sclavos* appellantes *Vandalos*.

Eidem favere videtur *Reuſnerus* parte ſecundâ genealogici operis in ſtirpe *Carolina*, inſinuando *Vandalum Svevi Germaniæ Regis* filium, auctorem extitiſſe *Saxonum & Venedorum*, qui hodie *Slavi* dicuntur, cujusmodi ſunt *Marovij*, *Moravi*, *&c.* Et *M. Adamus* libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ait, *Vinulos Slavoniæ incolas olim dictos Vandalos.* *Dio* etiam apud *Xiphilinum* tomo tertio hiſtoriæ Romanæ refert, oriri *Albim in montibus Vandalicis:* at *fons Albis* eſt in confinijs *Boëmiæ & Sileſiæ*, ubi *Slavi* conſederunt.

Plurimorum ſcriptis confuſos eſſe *Slavos* cum *Vandalis*, teſtatur *Lazius* libro undecimo de varijs migrationibus gentium.

Mathias porrò *Miechovienſis*, Canonicus Cracovienſis in epiſtola ad *Andream Cricium*, præfixa Chronicis Poloniæ editis ſub annum M. D. XXI. ex profeſſo *Vandalicæ* ſtirpis ſurculum eſſe *Slavos* perſvadere conatur, ex communi lingva *Vandis*, ſeu *Vendis*, *Sarbis*, ſeu *Sorabis* (hodie Luſatij, Boëmis Srbj / Germanis Wenden.) cum *Slavis*, ùt apparet in multis vocabulis locorum quorundam, & monumentorum Poloniæ, *Gnezna*, *Mogyla*, *Nogavvka*. Deinde nomen *Vandæ* Virginis, quæ *Polonis* ſumma cum poteſtate præerat, & in *Viſtula* ſponte merſa perijt, aliquid cognationis cum *Vandalo* habet. Præterea in chronicis Hiſpanicis legit *Miechovius Vandalos Polonos* appellari, & aſſerit in Eccleſiaſtico officio Eccleſijs Poloniæ uſitato, de *S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo*, ſequentia verba cani:

Benedic Regem cunctorum
Converſa gens Vandalorum.

Verùm, quò minus his Auctoribus aſſentiar, *Slavóſque Vandalicæ* genti adſcribam, in cauſa eſt, diverſa utriusque populi origo, lingua, mores, arma, habitus corporis, Religio, Reipublicæ gubernandæ ratio.

ORIGO etenim *Vandalorum* eſt ſtemmatis Germanici *Plinio* libro IV. naturalis hiſtoriæ in capite decimo quarto, ùt *Blondus* vult decadis primæ libro primo, & *Crantzius* in præfatione *Vandaliæ*. *Reuſnerus* à *Vandalo* Germanorum, ſeu *Svevorum* Rege *Vandalos* deducit, de quo *Cornelius Tacitus* in ſua Germania. *Paulus Diaconus* libri primi capite primo de geſtis Longobardorum, *Germaniæ* populis *Vandalos* annumeravit. *Procopius* libro tertio *Hiſtoriæ Gothicæ*, eoſdem *Gothorum* prolem aſſerit; cui *Lazius* adſtipulatur libro undecimo migrationum. *Irenicus* Exegeſeos Germaniæ libro primo, capite trigeſimo quinto, plures pro hac opinione afferens Auctores, citat *Methodium Martyrem*, qui epiſtolam *Vandalorum* adducit, *Germanos* palàm ſe profitentium. At *Slavos* alterius omnino originis eſſe infra clariſſimè patebit.

Wandali fuêre Germanicæ Originis Populus.

Lingvam deinde diverſam *Slavis* ab antiquo ſermone *Vandalorum* fuiſſe, & de facto magna ex parte eſſe, nemo inficias ibit, qui apud *Lazium* libro decimo migrationum, paragraphum (*Linguam Gothicam Theutonicam &c.*) legens, eandem cum *Slavonica* pura, & mixta conferat. Atqui *Gothicæ* familiæ eſſe *Vandalos* plurimorum jam auctoritate liquere exiſtimo, & *Goropius Becanus* libro primo Hermathenæ ait: *Vandalos ſermone Theutonico*

Slavica lingva à Wandalica diverſa.

nico

nico locutos. *Puram* porrò Slavonicam linguam illam eſſe, quâ *Pannones* hodie uſuntur, probabile redditur ex veteribus Boëmici idiomatis ſcriptis, proximámque illi *Boëmicam*, *Croaticam*, ſuperioris *Sileſiæ*, *Polonicam*, remotiorem *Ruſſicam*, *Volinicam*, adulterinam *Carniolorum*, *Hiſtrorum*, *Luſatiorum*, *Soxaborum*, *Vandalorum*, ſeu *Vendorum*, Windiſch dictorum, ex vocabulis Germanicis, *Slavo*, *Boëmo*, *Croatæ*, *Polono*, *Ruſſo*, planè incognitis, conſtare videtur. Neque enim dialectus linguam communem ità corrumpit, ut parum, vel nihil ejus retineat; quemadmodum in Attica, & vulgari Græca advertere licet; aliàs Latinæ linguæ erit dialectus, *Italicus*, *Gallicus*, *Hiſpanicus* ſermo, quos tamen corruptæ Latinitatis veſtigia, ſeu umbras juſtiùs, aut penitùs diverſum nuncupamus idioma.

Goropius Becanus, ſuprà adductus, docet lingvas *diverſas* illas eſſe, quæ ſic inter ſe diſcrepant, ut non ſtatim qui unam intelligit, alteram quoque intelligat: *eaſdem* verò, quæ licèt nonnihil differant, tantum tamen non recedit altera ab altera, ut diſcrimen earum colloquendi, communicandíq; auferat facultatem, ùt fit in *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*. Hæc ille.

Favent & huic diverſitati Slavicæ, Vandalicæque linguæ, nomina Regum, ſeu Ducum utriuſque gentis; quandoquidem *Vandalica* redolent etymologiam Germanicam, ùt Wiſſmayr/ Viſumarus. Gotſchalck/ Goldmayr/ Heinrich/ ꝛc. At Slavonica: **Boleſlaw/ Bugoſlaw/ Swantibor/ Ratibor ꝛc.** quid affinitatis habet cum Theutonis?

Mores Vandalorum diverſi à moribus Slavorum.

Diſcrepare etiam *moribus Vandalos à Slavis Cromerus* inde probat, quia molliſſimè *Vandalos* vixiſſe, *Procopius* libro tertio de bello Gothorum teſtatur, quibus facilè conceſſerim hoc Sybariticæ vitæ genus duxiſſe *Vandalos Europæ*, *Africǽq;* victores, cùm & *Macedonas*, Aſiæ domitores, delicijs, & luxu diffluxiſſe ſciamus: difficiliùs verò eorum amplector ſententiam, qui *Vandalos* ante *Hiſpaniam*, *Africámque* occupatam mollitiei damnârint. Difficilem mihi fidem facit auctoritas *C. Sollij Sidonij Apollinaris*, qui epigrammate ad Catulinum, *Burgundiones* ejusdem cum *Vandalis* ſtirpis populos ſequentibus deſcribit:

Quid me, etſi valeam parare carmen,
Feſcenninicolæ jubes Diones
Inter Crinigeras ſitum catervas,
Et Germanica verba ſuſtinentem,
Laudantem tetrico ſubinde vultu,
Quòd Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam butyro.

Et paucis interjectis:

Felices oculos tuos, & aures,
Felicémque libet vocare naſum,
Cui non allia, ſordidǽq; cepæ
Ructant, manè novo decem apparatus,
Quem non, ùt vetulum patris parentem,
Nutricisq; virum, die nec orto,
Tot, tantiq; petunt ſimul Gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.

Accedit his *Procopius* de Bello Vandalico libro primo referens, *Vandalos* fame preſſos à *Mæotide* palude in *Germanos* irrupiſſe & idem apud *Caſ. Baronium Annalium Eccleſiaſticorum* tomo ſeptimo An. C D. XXXIV. ait, *Vandalos*, ex quo Africam tenuerunt, menſâ quotidie copioſâ, tum omnium rerum, quas eą fert regio, continuò refertâ uſos. *Salvianus* etiam libro ſeptimo de gubernatione DEI, ſub finem, pluribus laudibus exornans *Vandalos*, miratur, *quòd delicias corruptorum Afrorum indepti, corruptelam morum repudiârint.* Ex quibus prudenti liquet, *Vandalos* ante occupationem Hiſpaniæ, & Africæ viliori quadrâ vixiſſe, & cibis humi natis victitâſſe.

Vafros præterea, & *perfidos Vandalos* nominat *Oroſius* libro ſeptimo, agens de *Stilicone*, & *Victor Uticenſis* de perſecutione Vandalica libro primo ſcribit: *Vandalos invenientes pacatam provinciam, univerſam terram depopulatos eſſe, incendióque, & homicidijs to-*

tam

tam exterminâſſe, ſed nec arbuſtis fructiferis omnino pepercisse, nè fortè, quos antra montium, aut prærupta terrarum occultaverant, poſt eorum tranſitum, illis pabulis nutrirentur. Hæc ille.

Wandalorum pugnandi ratio. Jam *arma & pugnæ ratio Vandalis* in uſu deſcribuntur ab eodem *Sidonio Apollinari* in panegyrico, dicto Cæſari Jul. Val. Majoriano.

- - Nuper, pòſt, hoſtis aperto
Errabat lentus pelago, ſimul ordine vobis
Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et collega ſimul. Campanam flantibus auſtris
Ingrediens terram, ſecurum milite Mauro
Agricolam aggreditur, pingvis per tranſtra ſedebat
Vandalus. *Vandalus, opperiens prædam, quam præſſerat illuc*
Captivo cupiente trahi; ſed veſtra repentè
Inter utrumque hoſtem dederant ſeſe agmina planis
Quà pelagus, collémq; ſecant, portúmq; reducto
Efficiunt flexu fluvij. Perterrita primùm
Montes turba petit, trabibus quæ clauſa relictis
Prædæ præda fuit, cùm concitus agmine toto,
In pugnam Pirata coit, pars lintre cavatâ
Jam dociles exponit equos; pars ferrea texta
Concolor induitur; teretes pars explicat arcus,
Spiculáque infuſum ferro latura venenum, &c.

Habitus Vandalorum. *Habitum* inſuper corporis *Vandalorum Procopius* libro tertio Gothicæ hiſtoriæ depingit, dum eos *Gothicæ* originis eſſe probat. *Nam*, inquit, *& albi ſunt omnes corpore, flavi comâ* (quod Germanorum inſigne apud *Tacitum*) *proceri quoque, & aſpectu probo, legibus item eiſdem utuntur; ſimiliter & Arianæ omnes opinionis, voce unicâ, Gothicâ appellatâ utentes.*

Tandem *Politia, & Reſpublica Vandalorum* Monarchica fuit: ſiquidem Regibus ſuæ gentis paruerunt; quorum ſeriem recenſet *Lazius* libro undecimo migrationum, & alij. Reſpublica Vandalorum.

Has enumeratas *Vandalorum* notas, *Slavinis* minimè convenire, vel ex *Procopij* libro tertio de bello Gothico diſcere fas eſt. *Antarum*, infit, *Slavinorúmque nationes, non ab homine aliquo uno reguntur, ſed ab antiquo, plebejâ, communiq; libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel utiles ſint, vel fortè difficiles, in commune conſilium deducuntur. His præterea Barbaris lege cautum eſt, & à ſuis majoribus proditum, inter Deos aliquem unum, qui fulminis ſit fabricator, rerum omnium Dominum, ac ſolum eſſe ut credant, illique boves, & hoſtias cæteras mactent; Fortunam verò, nec ſciunt quidem, nec aliàs vim aliquam in homines habere fatentur: ſed poſtquam ſibi ſive domi morbo correptis, ſive in prælio conſtitutis è propinquo mors imminet, jubentur quidem, ſi incolumes fortè evaſerint, DEO confeſtim pro anima ſacrificium facere. Unde quàm primùm mortis illud diſcrimen defugerint, ſacrificium ex voto, ac promiſſis abſolvunt, & putant ferme hoc pacto ſalutem ſibi per ſacrificia redemiſſe. Silvas præterea, & Nymphas hi colunt, & dæmones alios, hisque ſacrificia peragunt, & inter ſacrificandum vaticinantur. Habitant autem incondita quædam tuguria, & longo ab invicem intervallo, & ſinguli domicilij locum, ùt ſæpe fit, mutant. In prælio pedeſtres plerique in hoſtem eunt, clypeum, teláque in manu geſtantes; thoracem tamen non induunt: nonnulli verò nec tritam quidem & obſoletam habent (dum interea bellum fit) veſtem, ſed velamenta duntaxat quædam, ad femur uſq; tendentia: hunc in modum adverſùs hoſtes conſiſtunt. Porrò una utriſque, & barbara lingua. Nec Antes à Slavinis corporis ſpecie inter ſe differunt: Nam & prolixiore ſtaturâ ſunt omnes, & viribus plurimùm valent.* Slavorum Veterum vita, arma, mores &c.

Corporum verò, & comarum colore nec candido admodum, nec rutilo prorſus, nec in nigredinem omnino vergente; ſed ſubrutili magnopere ſunt. Vitam verò ùt duriorem, ità & planè incultam, neglectámque, Maſſagetarum more, ducunt, & quidem ſordibus, ùt illi cibo, ingurgitantur; callidi tamen, ſive malefici minimè ſunt, ſed in populando, ac rapiendo Hunnicam ſervant conſvetudinem.

Hæc ex *Procopio* prolixiùs placuit transferre, ut appareat *Vandalos* inter, ac *Slavos* diſcrimen, quod inſuper maniſeſtiùs evadit ex ſuperſtitione, ſeu Religione *Vandalorum & Slavorum*; ſiquidem in confeſſo eſt: *Vandalos* Arianæ perfidiæ adhæſiſſe, *Slavos* Catholicam Romanam fidem amplexos fuiſſe, & ſæpius ab eadem deſciviſſe, ùt videre eſt de prioribus apud *Victorem Uticenſem*, *Oroſium*, *Baronium*, *Spondanum*; de poſterioribus *Ditmarus* Epiſcopus Mersburgenſis, libro primo, & tertio; *Adamus Bremenſis* in ſuo Chronico; *Reuſnerus* in ſtirpe Gryphorum, ſcribunt.

Adverſus Crantziū.

His præmiſſis, nec *Miechovij*, nec *Crantzij* ea ſunt opinionis firmamenta, quæ contraria aſſerentium enervent ſententiam. Nam inprimis declaratum eſt *Slavis & Vandalis* lingvam fuiſſe diverſam, quod etiam elucet magis ex audaci aſſertione illorum Auctorum, qui *Pragæ*, & in *Boëmia* affirmant, ſermones ſacros *Germanico* idiomate, non patrio ad populum haberi, quaſi *Boëmos* patriæ lingvæ, hoc eſt *Vandalicæ*, puderet; cùm conſtet in potiori parte *Boëmiæ*, & maximè *Pragæ*, ante Imperium Auſtriacorum in *Boëmos*, lingvæ Theutonicæ in ſacris cohortationibus uſum fuiſſe nullum.

Fictitiam præterea eſſe illam ſermonis nativi *Vandalis* verecundiam, arguunt *Soraborum* in *Luſatia* vernaculâ lingvâ conciones, qui quidem alienæ linguæ non audiunt Oratorem.

Cæterùm quòd quædam loca in *Polonia*, *Marchia*, & *Pomerania* iiſdem nominibus à *Sorabis*, ſeu *Vandalis* appellentur, quibus & *Poloni* utuntur, non rectè inde arguitur eadem *Slavorum*, & *Vandalorum* lingva, & origo, alioqui idem erit ſermo *Germanorum* & *Polonorum*: ſiquidem uterq; exempli causâ vocet *Francofurtum*, Franckfurt/ Pariſios, Pariß/ &c. Ubi advertendum, nomina propria locorum non mutari facilè, niſi natura lingvæ alicujus mollitiem, aut aſperitatem literarum nominis localis refugiat; in qua tamen literaria permutatione, adjectione, aut expunctione, radicales, ſeu primigeniæ vocabuli litteræ retinentur. Sic Starigrad, Krakow, Praga, Polonis: Stargardt/ Krakau/ Prag/ Germanis ſonat.

Objectiones eorum qui Wandalos à Slavis non diſtingvunt, ſolvuntur.

Nullius inſuper roboris eſt ratio petita à nomine *Vandæ* Poloniæ Principis Craci filiæ; ſiquidem *Vandalorum* & *Vendæ* vocabuli diverſa omnino notatio, ſeu etymologia invenitur.

Nam aſſerentibus *Slavorum*, *Vandalorúmque* unam eſſe gentem, *Vandali* Slavonicâ lingvâ dicuntur quaſi Wen dále; quæ vox eſt cohortantium ſeſe, ut ulteriùs porrò ire pergant. At *Venda* (inquit *Cromerus* libro ſecundo de rebus Polonorum) *erat venuſtiſſima puella, ut illi meritò* Wenda, *hoc eſt, nomen hami videretur ideo inditum, quòd, veluti piſces hamo, ſpecie ejus digniſſimâ caperentur homines.*

Nec majoris eſt firmamenti illud ex aliquo *hymno*, ſeu Eccleſiaſtica proſa allatum, quandoquidem nihil ampliùs, quàm *Slavos* fuiſſe appellatos *Vandalos*, quòd terram, & ſedes *Vandalorum* occupâſſent. *Divus* namq; *Adalbertus in Hungaria*, *Superiori Sileſia*, & aliquantum etiam in *Polonia* Chriſti fidem propagavit, quas ex parte terras incoluiſſe quondam *Vandalos*, auctor eſt *Hagecius* de origine Boëmorum, *Lazius* libro undecimo migrationum, *Cromerus* libro primo de rebus Polonorum, *M. Adamus* libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, *Blondus*

Digitized by Google

dus decadis primæ libro octavo, *Petrus Opmeer* in prima parte operis chronologici, & alij.

Hinc non erit mirum, ſi *Albis* fluvius in *Vandalicis* montibus oriatur; cùm ad Bohemiæ fines in Cerconoſſijs naſcatur.

Ex quibus omnibus liquet: *Slavos Vandalis* non originem ſuam, ſed *Vandaliam* deſertam debere.

Concluſio digna notatu.

§ III.

Slavos non eſſe reliquias Vandalorum.

Crantzij argumenta diſſolvuntur.

UT *Crantzius* evincat *Vandalorum* reliquias eſſe *Slavos*, affert pro argumento, Civitates in *Holſatia*, & vicinis mari *Balthico* provincijs, *Slavonico* nomine appellari, adducitque *Blondi* verba ex libro octavo decadis primæ. *Similitudine*, inquit, *locutionis, ac penè proprietate oſtendi eos, qui nunc Poloni, & Boëmi dicuntur, ex Sclavorum reliquijs fuiſſe. Incoluerunt autem priùs ea loca Vandali: quos credendum eſt, quando ad Romanorum invadendas provincias ſunt profecti, partem gentis in patria reliquiſſe.*

Sed verò ſuperiori paragrapho abundè reſponſum credo; de nominibus civitatum *Slavonicè* denominatarum, hoc tantùm addo: cùm reliquiæ *Slavorum, à Saxonibus* quondam devictorum, in eadem *Balthici maris* ora maneant, & linguâ, licèt corruptâ, *Slavonicâ* utantur, cur potiùs à *Vandalis* eæ civitates aſſeruntur accepiſſe nomina, quàm à *Slavis* ultimis earum provinciarum poſſeſſoribus, præſertim, cùm liqueat *Vandalos Germanos* fuiſſe?

Conjecturæ *Blondi* oppono morem *Vandalorum* in mutatione ſedium, quibus ſolemne fuit veteres ſedes penitùs deſerere.

Wandalorum diverſæ ſedes.

Arguit hoc primùm migratio ex *Dacia*, ſeu *Tranſilvania in Pannoniam*, quam *Jornandes* de rebus Geticis capite viceſimo ſecundo ità deſcribit: *Geberichus, Helderich parte natus, avo Ovidâ, proavo Cnividâ, gloriam generis ſui factis illuſtribus exæquavit, primitias regni ſui mox in Vandalica gente extendere incipiens, contra Viſumar, eorum Regem Aſdingorum è ſtirpe, quæ inter eos eminet, genúsque indicat bellicoſiſſimum, Dexippo hiſtorico referente, qui eos ab Oceano ad noſtrum limitem vix in anni ſpatio perveniſſe teſtatur præ nimia terrarum immenſitate. Quo tempore erant in eo loco manentes, ubi Gepidæ ſedent, juxta flumina Marſia, Miliare, & Gilſil, & Griſſia,* (hodie à Tranſilvaniæ incolis Saxonibus, Merich, Heriſch, Heres, Milenbach, diegela apud Lazium libro undecimo Migrationum dicuntur) *qui amnes ſupradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab Occidente Marcomanni, à ſeptentrione Hermunduri, à meridie Hiſter, qui & Danubius dicitur. Hìc ergo Vandalis commorantibus bellum indictum eſt à Geberich Rege Gothorum ad littus prædicti amnis Mariſia, ubi tunc diu certatum eſt ex æquali. Sed mox ipſe Rex Vandalorum Viſumar magna cum parte gentis ſuæ proſternitur. Geberich verò Ductor Gothorum eximius, ſuperatis, deprædatisque Vandalis, ad propria loca, unde exierat, remeavit. Tunc perpauci Vandali, qui evaſiſſent, collectâ imbellium ſuorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam ſibi à Conſtantino Principe petiêre, ibique per quadraginta annos plùs minùs ſedibus locatis, Imperatorum decretis, ùt incolæ famulârunt.* Hæc Jornandes.

Wandali à Gothis depulſi.

Hinc deinde à *Stilicone* accitos in Gallias irrupiſſe pridie Calendas Januarias, *Arcadio* ſeptimùm, & *Probo* Coſſ. qui fuit Annus Chriſti quadringenteſimus ſextus, auctor eſt *Proſper* in chronico.

Digitized by Google

nico. *Oroſius* libro ſeptimo capite trigeſimo octavo; *S. Hieronymus* (epiſtolâ Anno Chriſti quadringenteſimo ſeptimo ad Ageruchiam datâ) Barbaros, & cladem ab eis illatam deſcribens ait: *Innumerabiles, & ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occupârunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum eſt, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ô lugenda Reſpublica!) hoſtes Pannonij vaſtârunt.* Unde conjicere licet, *Vandalos* omnes ex Pannonia diſceſſiſſe, quam ab anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo circitèr incoluerunt.

Vandali ex Pannonia evocati in Rom: Imperium incurrunt.

Ex *Gallia* rurſus Anno partûs Virginei quadringenteſimo nono *Hiſpaniam* intrârunt, evocati à *Conſtantino* Tyranno, devictis *Didymo, & Veriniano* fratribus, conſangvineis *Honorij* Imp. *Hiſpaniæ* tutoribus. *Vandalos* autem *Silingis* devictis *Bæticam* ſortitos fuiſſe, & *Gundericum* primum *Regem Vandalorum* in Gallitiæ partibus regnâſſe, Auctor eſt Cæſ. *Baronius* ad annum Chriſti quadringenteſimum nonum ex *Caſſiodori, & Proſperi* chronico, *Oroſij* libro ſeptimo, capite quadrageſimo.

In Galliam primùm de inde in Hiſpaniam.

Denique ex *Hiſpania* in *Africam* trajeciſſe omnes, aſſerit *Victor Uticenſis* libro primo de perſecutione Vandalica. Verba ejus ſunt: *Tranſiens igitur quantitas univerſa calliditate Genſerici Ducis, ut famam terribilem faceret ſuæ gentis, illico ſtatuit omnem multitudinem numerari, uſq; ad illam diem, quam huic luci uterus profuderat ventris. Qui reperti ſunt ſenes, juvenes, parvuli, ſervi, Domini, octuaginta millia numerati.*

Ex Hiſpania in Africam trajiciunt Wandali.

Porrò in *Africa à Belliſario* gens Vandalica exciſa, paucis exceptis, qui cum *Gilimere*, ultimo *Vandalorum* Regè, in triumphum *Conſtantinopolim* deducti, in *Galatia* aliquot fundis donati conſedêre, noménque vetus amisêre. Incredibile *Guagnino* videtur perijſſe omnes in Africa *Vandalos*, ſed tantùm cenſet, vires eorum adeò fractas, attritâſque fuiſſe, ut robur vetus, & potentiam priſtinam recuperare pòſt nunquam potuerint; reliquias verò eorum ità diſperſas eſſe, ut quidam in *Poloniam ad Viſtulam* fluvium, natale videlicet ſolum, unde ortum duxerant, regreſſi, nonnulli in Græciam, & Pannoniam, Germaniámque novis quærendis ſedibus dilapſi ſint. Pro confirmatione ſuæ opinionis refert idem *Guagninus*, horum reliquias eſſe ultra *Albim* fluvium in ſeptemtrionem ſparſim habitantes, *Slavonico* idiomate majori ex parte uti, ùt & Ducatum, quem incolunt confinem *Pruſſiæ Vandaliam* nuncupari, cujus *Dux Pruſſiæ Polonorum feudalis* titulum ſibi uſurpat.

Wandali exciſi.

Guagninus de reliquijs Wandalorum refellitur.

Verum nè *Crantzio* quidem hoc perſvaſerit *Guagninus*, qui ſub finem libri primi *Vandaliæ* ſcribit: poſt cladem in Africa acceptam *à Belliſario*, *Vandalos* ſemel Duce *Guntarico* rebellâſſe, mox compreſſos, de cætero quietos manſiſſe, & nomen amiſiſſe. Quomodo ergo ex *Africa in Poloniam Vandali?* Deinde licèt aliqua pars *Vandalorum* in modernam *Vandaliam* redijſſet, *Poloniam* occupâſſet, quomodo tam citò aucti viris, ut *Juſtinianus Imperator ab Antibus Slavis* auxilia peteret contra *Hunnos*, ùt docet *Procopius* de bello Gothico libro tertio? nam Anno ſalutis partæ quingenteſimo trigeſimo tertio, oppreſſi ſunt *Vandali in Africa;* An: verò Chriſti ſupra quingenteſimum quadrageſimo quinto *Juſtinianus Imperator* promittit *Slavinis* certam terram, pecuniam, Urbem ſupra *Iſtrum, à Trajano* ædificatam offert, ut contra *Hunnos*, & alios hoſtes Romanum Imperium defendant.

Vandali ex Africa pulſi in Germaniam redire non potuerunt.

Ex his omnibus frivolum, ac novitium aſſertum quorundam eſſe concludo, qui ex reliquijs *Vandalicis Slavos* natos affirmare non dubitant, decepti nimirum, vel antiquo *Vandalorum* loco à *Slavis* occupato, vel idiomate *Slavo-Germanico*, quo hodie utuntur

Luſa-

Digitized by Google

Luſatij, *Vinda*, ſeu *Pomeraniæ* incolæ, *Vandali* dicti. Oſtendendum enim aliàs erit, cur, & quando in ſeptemtrionalibus plagis ſedes ſuas retinuerint? quas colonias eò deduxerint? cur pulſi ex *Dacia* in patriam veterem non redierint, in vicinia hoſtium permanſerint? Præterea ſi ſermo hodiernis *Vandalis* natus eſt ex corruptela *Vandalicæ* & *Slavicæ* linguæ, commerciorum gratiâ, quid cauſæ eſt, quòd *Luſatij* ſuperiores, *Vandalos*, ſeu *Vindos Pomeranicos*, *Hungaricósq;* non intelligant, cùm omnes paſſim *Vendi*, ſeu Windiſch dicantur? Imò, quâ ratione *Ruſſica*, *Moſcovitica*, *Croatica* lingva, *Slavonicæ* dialecti, à *Vandalis* corruptæ? Afferenda inſuper cauſa, quare *Hiſpanus* ſermo nullam affinitatem habeat cum moderna *Vandalorum*, aut *Slavorum* lingva? ſiquidem *Goropius Becanus* libro primò hermath: doceat, *Hiſpaniam* ex *Latina*, & *Vandalica* exortam fuiſſe. Verba ejus ſunt:

Hiſpaniæ lingvæ origo ex Goropio.

Irruerunt in Hiſpaniam Gothi, *Vandali*, *Alani*, *& nonnullæ aliæ gentes*, *omnes ſermone Theutonico*, *vel inferiore*, *vel ſuperiore loquentes*; *quos cùm Hiſpani non intelligerent*, *factum eſt*, *ut hi*, *& illi ſermonem diverſum quoad poſſent imitarentur*: *quo utriuſque partis ſtudio effectum eſt*, *ut mixta quædam lingua*, *neque cum Latina*, *neque cum Germanica conſentiens*, *enaſceretur*; *quæ tamen tantò vicinior Romanæ locutioni redderetur*, *quantò Theutones in aliena lingua imitanda dexteriores fuère.* Huc uſquè Becanus.

§ IV.

Slavos non eſſe Riphati, *abnepotis Noë*, *poſteritatem*, *ſeu Henetos Paphlagonas.*

HEnetæ, ſeu *Venetæ* nationis protoplaſten fuiſſe abnepotem Noë *Riphatum*, nepotem *Japeti*, *Gomeri* filium, aſſerit *Goropius Becanus* libro nono, & undecimo antiquitatum Antverpiæ, Auctor annalium *Sileſiæ* de origine veteris gentis Elyſiæ.

Joſephus libri primi antiq: Judaicarum capite undecimo, ait *Riphatæos eſſe Paphlagonas.*

Nomen gens hæc ſortita paucis literis diverſum. *Heneti & Veneti* Straboni libro quarto. *Eneti* Stephano apud Ortelium.

Veneti vel Venedi unde appellationem traxerint.

A *Cimbris Venetorum* nomen habet, quia lacus accoluit. *Ven* namque Cimbris *lacus*, hinc *Veneti*, quaſi lacum habentes. Hanc nominis notationem confirmant *Veneti*, *Paphlagones*, *Gallici*, *Adriatici*, *Sarmatici*, qui omnes inter aquas, & paludes ſedes ſuas fixerunt. *Paphlagones* enim *Meandrius* ſecundùm orientale latus *Halys* fluvij in *Cappadocia* collocavit; & *Arrianus Parthenium* flumen terminum *Bithyniæ & Paphlagoniæ* conſtituit, cujus littus *Heneti* accolunt. Idem Herodotus libro primo intimat: *Halys fluvius*, inquit *è Tauri montis radicibus profluens per Cappadociam*, *& à meridie Syros*, *ac Paphlagonas interfluens contra Aquilonem in Euxinum mare evolvitur.*

Diverſitas Venetorũ & Venedorum.

De *Adriaticis Venetis* etiam patet, & *Livius* libro quinto decadis primæ, loquens de *Germanis* trans Apenninum colonias miſiſſe, ſubdit: *quæ trans omnia loca*, *excepto Venetorum angulo*, *qui ſinum circumcolunt maris*, *uſq; ad Alpes*, *tenuère.*

Gallicorum Venetorum habitationem deſcribit *Julius Cæſ:* libro tertio de bello Gallico ſequentibus: *erant ejuſmodi ferè ſitus oppidorum*, *ut poſita in extremis lingvâ*, *promontoriiſque*, *neque pedibus aditum haberent*, *cùm ex alto ſe æſtus incitaviſſet*, *quod hîc ſemper accidit horarum XII. ſpatio; neque*

navibus, quòd rurſus minuente æſtu naves in vadis affliĉtarentur.

Ptolemæus citatus à *Glareano* annotatione ſextâ in *Julij Cæſ:* librum ſecundum de bello Gallico, Venetos *maritimos* facit in Lugdunenſi Gallia; à quibus non audet affirmare *Strabo* libro quarto, *Venetos* in Italia ſuum nomen habere.

Raimundus autem *Marlianus* Indice *Julij Cæſ:* aſſerit *Venetos* eſſe populos inter *Celtas*, ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus, quæ *Armorica* appellantur.

Jam *Sarmaticos Venedos*, ſeu Pruſſos, credo *mari Balthico*, & tredecim fluvijs, *Pruſſiam* irrigantibus, copiosè allui, *Cimbricáq;* etymologiæ Venetorum favere. Cur autem *Pruſſi Venedæ*, ſeu *Venedi* dicantur, & alij *Veneti*, ſupranominatus *Becanus* affert hanc cauſam, quòd *Dani* ea loca occupantes, ab alijs lacuum accolis diſtingvi voluerint, nomine ſuæ originis cum *ven*, ſeu lacu compoſito.

Petrus Bertius in deſcriptione *Boruſſiæ*, recenſet ex *Ptolemao* inter vetuſtiores ejusdem regionis incolas *Venedos*, addítque *Boruſſiam* diviſam fuiſſe in duodecim Ducatus à *Veneduſo* Principe. Quidſi & *Veneduſus*, nomen *Venetorum* feciſſet *Venedorum*? mihi certiùs videtur deductum à *Vinidis Slavorum*, *Antiúmque Aboriginibus*.

de Henetis. Alterum nomen ſtirps hæc *Riphæa* habet apud Græcos *Henetorum*, aut à præſtanti cura, & indole equarum, quæ in Paphlagonia *Henetica* naſcebantur, ut teſtatur *Homerus* Iliad: B. aut ex defectu literæ V. quâ Græci carent, unde illis *Eneti*, *&* *Heneti* dicti, Æolibus *Feneti*. Ego in *Græco Strabone* libro quarto geographiæ legi Οὐένετοι, & libro quinto Ἐνετῶν. Similiter apud *Homerum* in editione Stephani, Βενετιῶν. Cauſas iſtas denominationis hujus probare non videtur *Reineccius* tomo tertio de familijs ſcribens. *Heneti à moribus traxiſſe nomen videntur; quod tam vernacula ipſis, quàm noſtra Germanica, vagabundos, ſeu, ùt interpretati ſunt Græci*, Νόμαδας *exprimit. Etſi hodie id Henetis gentibus in uſu non ſit.* Hæc ille; quæ quàm veritati ſint conſona, viderit aſſertor. Licèt enim non ſim inſcius *Henetos* in *Paphlagonia*, in *Cappadocia*, ad *Cromnam*, in *Illyrijs*, apud *Triballos* habitâſſe, à *Leucoſyris* ad *Trojam* veniſſe, cum *Cimmerijs*, *& Amazonibus* militâſſe; non video tamen cauſam, cur *Svevos*, aliósque *Germanos*, toto penè terrarum orbe vagos, etiam *Nomadum* nomine dignata non fuerit Græca Auctoritas.

Cæterùm *Henetum*, *Venetúmque* nomen promiſcuum eſſe Auctoribus præter *Herodotum* in Illyrijs libro primo, *Livius* decadis primæ libro primo refert, *Venetos* appellatos *Henetos*, qui cum *Antenore* in intimum maris *Adriatici* ſinum venerunt. *Servius* autem in hos *Virgilij* verſus ex primo Æneidos deſumptos:

Antenor potuit, medijs elapſus Achivis, Henetos Slavicam gentem fuiſſe quidam affirmant.
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi,

Hæc ſcribit: *Antenor non Illyrium, non Liburniam, ſed Venetiam tenuit. Ideo autem Virgilius dicit, Illyricos ſinus, quòd indè quidam Henetus Rex, qui Venetiam tenuit, à cujus nomine Henetiam dictam, poſteri Venetiam nominârunt.*

Itaque & *Heneti* cum *Venetis*, diverſis Auctoribus, ijdem ſunt populi. Hæc de nomine prolixiùs, ut clariùs rei quæſitæ veritas eluceſcat.

Venetos porrò, ſeu *Henetos Paphlagonas Slavorum* faciunt parentes plurimi cum Auctore *annalium Sileſiæ*. Argumenta hujus opinionis, quantum mihi diſpicere licuit, potiſſimùm ſunt duo: Alterum eſt petitum à *Strabone* referente, in *Cappadocia Henetorum* Colonia, duas lingvas in uſu fuiſſe: alterum deſumitur ex *Ptolemao*, qui, teſte

Digitized by Google

teſte *Becano*, libro undecimo, *Venedas* ponit inter fluvium *Viſtulam & Chronon*, & ab illis mare adjacens, *Sinum Venedicum*, & montes, qui *Maſoviam* hodie vocatam, ad Orientem claudunt, & *Pruſſia* ad Auſtrum vergunt, *Venedicos* appellat.

Adſtipulari etiam quoad locum *Cornelius Tacitus* videtur libello de moribus Germaniæ, *Venedos* extra fines *Svevia* veteris collocans, & quidquid inter *Peucinos*, *Fennósque* Silvarum, ac montium erigitur, latrocinijs pererrare aſſerens.

Lingua ergo *Heneta*, & locus à *Slavorum* gente poſſeſſus, arguunt *Henetorum* eſſe progeniem *Slavos*.

Refelluntur Authores prioris ſententiæ.

Sed perperam id fieri oſtendit auctoritas *Strabonis*, libro duodecimo geographiæ tradentis, apud *Halizonas* (Colchos aliqui putant) Henetorum vicinos, ſeptuaginta, vel etiam trecentas lingvas in mercatu ſolenni auditas fuiſſe; unde facilè eſt colligere, plurium lingvarum uſum exſtitiſſe in illis provincijs, propter mercium diſtractionem, & continuum mercatorum commeatum. Secundò ſuſpicari licet lingvarum illarum alteram fuiſſe *Ægyptiam*, quâ *Colchos Ægyptijs* ſimiles, diſertè docet *Herodotus* libro ſecundo, ùt & *Syrij*, qui fluvium *Thermodoonta*, *& Parthenium* (ubi etiam *Henetorum* ſedes) accolunt, Ægyptiorum ritum, mares circumcidendi, ſunt complexi. Occaſio etiam, ſeu neceſſitas *Ægyptij* idiomatis addiſcendi *Henetis* ſeu *Syrijs*, non defuit, cùm *Seſtoris* Rex Ægypti povincias illas ſubactas non ſolis cippis hieroglyphicis in obſequio ſuo continuerit, ſed, quemadmodum ad *Phaſin* flumen, ità, credibile eſt, & in alijs locis præſidia militaria reliquerit; quod confirmare videtur *Herodotus* intimando ſponte ſuâ magnam partem exercitûs Ægyptij in illis oris conſediſſe, *Colchósque* propagâſſe.

Alteram lingvam *Henetis* propriam *Cimbricam* fuiſſe, citatus *Becanus* arguit ex eo, quòd *Heneti Cimmeriorum* commilitones; quòd *Cromna* ab *Amazonibus* conditæ incolæ; quòd *Amazonum* mariti; quòd *Paphlagones Riphati* poſteritas, qui *Comeri*, ſeu *Gomeri* filius. Firmátque hæc auctoritate *Joſephi*, *Homeri*, *Stephani*, *Demoſthenis*.

Quare ingenuè confiteor, me non percipere rationis pondus à duplici *Paphlagonia* lingva petitæ, cujus causâ *Slavos Heneto-Paphlagonicâ Stirpe* profectos fuiſſe, mihi perſvadeam, præcipuè cùm *Slavi Pahlagoniam* incoluiſſe nuſquam legantur, neque *Paphlagonia* inter terminos patriæ *Slavorum* ab Auctoribus deſcriptæ contineatur, quam *Jornandes* deſcribit in hunc modum:

Scythia longè ſe tendens, latéque aperiens, habet ab Oriente Seres in ipſo ſui principio ad littus Caſpij maris commanentes, ab Occidente Germanos, & flumen Viſtula, ab Arcto ſeptemtrionali circumdatur Oceano; à Meridiè Perſidâ, Albaniâ, Hiberiâ, Ponto, atque extremo alveo Hiſtri, qui dicitur Danubius ab oſtio ſuo uſquè ad fontem. Et poſt hanc Europææ Scythiæ deſcriptionem, paucis interjectis, ſubjicit: *In qua Scythia prima gens ſedit Gepidarum, quæ magnis, opinatiſque ambitur fluminibus. Nam Fiſianus per Aquilonem, Chorúmque diſcurrit. Ab Africo verò magnus ipſe Danubius, ab Euro fluvius Tauſis ſecat, qui rapidus, ac vorticoſus in Hiſtri fluenta furens devolvitur. Introrſus illi Dacia eſt ad coronæ ſpeciem, arduis alpibus emunita, juxta quorum ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Vinidorum natio populoſa conſedit. Quorum nomina licèt nunc per varias familias, & loca mutentur; principaliter tamen Sclavini, & Antes nominantur. Sclavini à civitate nova, & Sclavino Rumenenſe & lacu, qui appellatur Muſianus uſque ad Danaſtrum, & in Boream Viſela tenus commorantur; hi paludes, ſilvás-*

Slavorum primæ ſedes.

Digitized by Google

ſilváſque pro civitatibus habent. Antes verò, qui ſunt eorum fortiſſimi, qui ad Ponticum mare curvantur, à Danaſtro extenduntur uſque ad Danubium, quæ flumina multis manſionibus ab invicem abſunt. Ad littus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Viſtulæ fluminis ebibuntur, Vidioarij reſident, ex diverſis nationibus aggregati, poſt quos ripam Oceani Itemeſti tenent, pacatum hominum genus. Hæc Jornandes.

Quæ ut hodiernis Geographorum tabulis reſpondeant, collocandi erunt primò *Gepidæ in Muldavia*, quæ inſpicienti *Gerardi Mercatoris Europam*, refert, non nomine, ſed ſitu fluvios à *Jornande* deſcriptos, & *Daciam*, ſeu *Tranſilvaniam* introrſus in coronæ ſpeciem. *Slavi* deinde ponendi à ſiniſtro latere *Muldaviæ* ad *Viſtulam* uſque, à dextro autem ad *Danaſtrum*, ſeu *Nieper*, qui & major *Boryſthenes*. Occupabant itaque *Slavi Podoliæ* fines, *Volhyniam*, *Ruſſiam nigram*, *Poloniam*, *Mazoviam*, *Lithvaniam* cum parte *Moſcoviæ* ad fontem *Boryſthenis* majoris, ſeu *Nieper* fluvij. *Antes* poſtea faciendi incolæ *Podoliæ* ab oſtio *Boryſthenis* ad oſtia *Danubij* cum curvatura littoris Pontici. *Vidioarij* ultimò *Pruſſiæ*, Itemaſti *Pomerelliæ*, & *Caſſubiæ* attribuendi.

Hanc declarationem *Jornandis* approbat *Cornelius Tacitus* de moribus Germanorum, dum *Venedos* inter *Peucinos, Fennóſque* collocat. Nam *Peucini* morantur ad unum *oſtiorum Danubij*, *Peuces* dictum, teſte *Ptolemæo*, *Plinio*, *Ammiano* apud Ortelium: *Fenni* verò circa ſinum *Finnicum*, ùt videre eſt in theſauro *Geographico Ortelij*; unde ſequitur enumeratas ſuperiùs provincias, cum *Livonia*, *Antium*, *Slavorúmque*, ſeu *Winidarum* habitatione fuiſſe poſſeſſas. Apparet ſecundò in eadem *Jornandis* explicatione ratio, cur *Cornelius* ſuſpenderit ſuum judicium de *Venedis, Sarmatáne, an Germani* forent, dum eos cinctos *Germanis* deſcripſerat. Tertiò tractus illi terrarum ſilvoſi, & montoſi opportuni ſunt latrocinijs, quod *Tacitus de Venedis* non tacuit, præterquam quòd lacubus abundent nominatæ regiones, quos & *Jornandes* intimavit.

Altera *Slavorum* patriæ, eſt deſcriptio *Helmoldi* apud *Crantzium* in Vandalia. Et *M. Adami* libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, his verbis: *Slavoniæ latitudo eſt à meridie in Boream, hoc eſt, ab Albi flumine uſque ad mare Scythicum. Longitudo initium ſumit ab Hamburgenſi Parochia, & porrigitur in Orientem uſquè in Benguanam, Ungriam, & Græciam.*

Slavorum in Septemtrione patria.

Ejuſdem *Slavoniæ* & *Eginhardus* in vita Caroli M. meminit: *Sinus*, inquit, *quidam ab Occidentali Oceano Orientem versùs porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò, quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, cùm multis locis contractus inveniatur. Hunc multæ circumſident nationes, Dani ſiquidem, & Sveones, quos Nordmannos vocamus, & ſeptemtrionale littus, & omnes in eo inſulas tenent. At littus Auſtrale Sclavi, & Aiſti, & aliæ nationes, inter quas vel præcipui ſunt Weletabi, &c.*

Quæ omnia conſiderando juxta Geographorum placita, quamadmodum inter tam amplos *Slavorum* limites nullus locus eſt *Paphlagoniæ* jam Natoliæ parti; itá nec *Slavi* erunt *Henetorum Paphlagonum* poſteritas. Cur autem paſſim *Slavi Heneti* à recentioribus Hiſtoricis appellentur, cauſa eſt, quòd maximas *Sarmatiæ* gentes *Slavi* faciant, ùt infra videbimus *Paragrapho* ſeptimo, quas *Ptolemæus* apud *Reineccium Henetos* universè appellat; vel quia *Venedorum* loco obtinuerunt; vel ex confuſione *Venetorum*, & *Henetorum* cum *Winidis*, à quibus ultimis *Slavi* orti.

§ V.

Digitized by Google

§ V.

Slavis immeritò attribui Aborigines Æolios, filios Eliſæ, nepotes Jani, pronepotes Japhet, abnepotes Noë.

JOnios, *Æolióſque Slavos eſſe* aſſerit *Miechovius*, libri primi capite primo, & in epiſtola chronicis Poloniæ ad *Cricium* præfixa, eóſque in *Macedonia, Dalmatia, Albania, Hiſtria, Croatia*, & cæteris *Slavorum* terris à diluvio Orbis, non interrupto tempore perſeveràſſe contendit. Pro opinione ſua cenſet primò ſtare *Joſephum* libri primi antiquitatum Judaicarum capite ſic ſcribentem: *Jano autem Japhet filio, & ipſo tres habente filios, Eliſas quidem Eliſeos vocavit eos, quorum princeps fuit, qui nunc ſunt Æolij.*

Sententia eorum, qui Slavos ab Æolijs procesſiſſe exiſtimarunt.

Secundò. In Urbibus *Macedoniæ, Philippopoli, Scopia, Raguſio*, in vicis, villiſque versùs Theſſaliam, putat *Miechovius* perpetuum fuiſſe lingvæ *Slavonicæ* uſum.

Tertiò. *S. Hieronymum* literaturam *Slavis Bukvviciam* nuncupatam edidiſſe, & Eccleſiaſtica officia ſub eadem literatura ijsdem ordinaſſe, quòd negare in *Hiſtria, Dalmatia, & Croatia* ſacrilegum ſit: quæ populorum traditio, & ætas *S. Hieronymi* evincere videntur, *Slavos* ante *Juſtiniani Imp.* tempora notos exſtitiſſe.

Bukvicia literatura apud Slavos quænā ſit.

Quartò. Nomen *Jani Ivani, Slavis* uſitatiſſimum, arguit *Javani*, ſeu *Jani Slavos* eſſe genus.

Quintò. Commune judicium ſcriptorum Polonorum, quibuscum ſentiunt apud *Cromerum* libri primi capite ſecundo *Hagecius, Przibiſlaus & Coſmas* Boëmi, *Joannes Merignola, Callimachus* Itali, docentes *Slavos* eſſe *Dalmatas*, potéſtque id confirmari adventu *Czechi & Lechi* ex *Dalmatia* in *Boëmiam & Poloniam*, qui indè novas colonias non eduxiſſent, ſi primi *Slavi in Illyrico*, conjunctiſque provincijs non habitâſſent.

Tandem addo, ſi auctoritate *Jornandæ* definita *Slavorum* manſio, ſuperiori paragrapho explicata, omnes veritatis numeros habeat, difficile erit afferre cauſam, quare *Lechitæ* non ex vicina *Poloniæ* regione majorem *Poloniam*, & potiùs ex *Dalmatia & Boëmia* eandem ingreſſi fuerint, quâ difficultate immunis videtur eſſe præſens opinio.

Calidior *Miechovij* illa epiſtola, quàm nervoſior, nè *Polonis* quidem perſvaſit, incunabula, ſuæ gentis in *Illyrico* ante cunas Chriſti reperiri. Nam *Cromerus* præfati libri cap: quarto, & tertio, probat horum nihil, aitque hanc opinionem niti potiſſimùm argumento locorum, quæ *Slavi* modò incolunt: at id imbecillum eſſe, ex eo apparet, quòd *Appianus Alexandrinus* cum *Ptolemæo*, illarum gentium Urbes, ùt *Segeſtum, Delminium*, (à quo *Dalmatæ* dicti *Saliano & Mercatori*) *Salonam, Scordonam, Jaderam*, & fluvios *Naronem, Savum*: populos *Scordiſcos, Triballos, Dardanos &c.* deſcribant, quæ nomina nihil affinitatis habent cum *Slavorum* lingva, ſicut notationem *Slavicam* redolent moderna: *Zagrabia, Belogradum, Cluci, Novigradum &c. Reca & Dobra* fluvij, *Craina* regio ſeu territorium. Unde idem *Cromerus* rectè conjicit, poſt *Appiani & Ptolemæi* tempora *Slavos* his terris primùm potitos fuiſſe. Infirma pariter *Miechovianæ* opinionis baſis, tam vetuſtis titulis ab *Eliſa* petitis ſuccumbit, ſi *Æolica* lingva, utpote *Græca, Slavonico* ſermoni conferatur, quarum diſſidium, condemnat, aut ingratitudinis *Slavos*, qui nè ſermone quidem patriam referunt; aut impietatis *Æolos*, qui ſuis filijs patriâ terrâ, & lingvâ interdixerunt. Neque *Slavini* idiomatis perennitatem in *Dalmatia, Pannoniáque S. Hieronymus,* & S.

An S. Hieronymus Biblia in Slavicum idioma tranſtulerit.

& *S. Martinus* ante *Juſtiniani* Imperium ibidem nati demonſtrant, niſi oſtendatur enucleatiùs auctoritate antiquâ, eoſdem Divos *Slavos* fuiſſe. Nam translatas *Divinas* litteras, & Eccleſiæ officia ordinata *Slavonicâ* literaturâ à S. *Hieronymo*, ſinè metu ſacrilegij *Croatici*, *Dalmaticive*, inficiari tutè poſſum, abſolutus ab *Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino*, dicente libro ſecundo de Verbo DEI, capite decimo ſexto: nuſquam apud Hieronymum, vel apud ullum veterem legi, *Hieronymum vertiſſe in linguam Slavonicam Divinas litteras*. Imò ipſe *D. Hieronymus* argumentum nobis ſubminiſtrat, qui ſuas lucubrationes diverſis in locis enumerat, earúmque *S. Auguſtinus & Caſſiodorus* apud *Caſ. Baronium* in annalibus ad Annum Chriſti quadringenteſimum vigeſimum mentionem faciunt, *Slavonicæ* literaturæ nullum veſtigium apud eoſdem exſtat, idque mirum ſilentium jure videri poteſt, quòd Pſalterij juxta LXX. Interpretum verſionem à ſe emendati Romæ, meminerit ipſe *Hieronymus* in Apologia contra *Ruffinum*, & ſcribens in *Dalmatiam* ſæpius, fratrémque ſuum ad diſtrahenda prædia paterna in patriam remittens, neque per illum, neque per literas *Bukvvicia*, aut ordinati officij Eccleſiaſtici in *Slavonia*, meminerit; cùm tamen compertum ſit *D. Hieronymum* ſæpius ſua ſcripta varijs intimâſſe, ut ſincera à ſuppoſititijs dignoſcerent.

Exſtat demum epiſtola *Gregorij* VII. libro ſeptimo epiſtolarum ejus manu ſcriptarum, ad *Ducem Boëmorum*, in qua dicit, ſe juſtis de cauſis non voluiſſe poſtulantibus *Boëmis* permittere, ut *Divina Officia linguâ Slavonicâ* celebrarent; quod profectò ſapientiſſimus Pontifex non feciſſet, ſi *Damaſum Papam*, *Slavis* hoc ipſum operâ *Hieronymi* indulgentem advertiſſet; aut certè conceſſioni *Damaſi*, propter abuſus aliquos, Apoſtolicâ auctoritate derogâſſet, cujus tamen derogationis nullum reperitur ſignum. Novitium itaque illud commentum de literatura *Hieronymiana* reputo, cùm aliàs multa fabuloſa attributa fuiſſe S. *Hieronymo* legamus apud *Baronium* in Annalibus ad Annum Chriſti trecenteſimum octuageſimum quartum.

Cur S. Joannis nomen Slavis in veneratione fuerit.

Ivani, ſeu *Jani* porrò nomen *Slavis* eſt celebre à *D. Joanne Baptiſta*, quod parum alioqui æqvus Divis colendis *Auctor annalium Sileſiæ in Caſimiro* dicto monacho annotavit, ut omittam alterum Sileſiographum recenſentem, *Henricum Barbatum* ſuis diplomatis in hæc verba principium dediſſe: *Nos Henricus* D E I, *& S. Joannis Baptiſtæ gratiâ Dux Sileſiæ*, *&c.* Aut ut non revocem notiſſima *Boëmis de S. Ivano & Jaromirio* Duce, à ſagittis hoſtium ope *D. Baptiſtæ* ſervato.

Curæus. *Schickfus.*

Præterea nemo negat, *Japheti*, ſeu *Jani*, *Slavos eſſe* progeniem; ſed *Eliſæ* non eſſe ſobolem, patet ex *Chronico Alexandrino*, docente ab *Eliſa Maurot* prodijſſe.

Quâ ratione dici poſſit: *Czechū & Lechum ex Illyrico* veniſſe, neque tamen Illyricum Patriam habuiſſe.

Quod attinet ad *Boëmorum*, *Polonorúmque* ſcriptorum conſenſum, difficilis non eſt reſponſio, dicendo *Czechum & Lechum* ex *Dalmatia*, ſeu *Illyrico* omnino in *Boëmiam*, & majorem *Poloniam* veniſſe, utramque gentem feliciter condidiſſe; ſed *Czechi*, *Lechive* atavus, reliquíve majores, an in Illyrico nati fuerint, neque exules illos *Illyrij*, & advenas *Bohemiæ*, *Poloniáque* tradidiſſe, neque eorum ſcriptores demonſtrâſſe.

Certè *Gordonus* in ſua chronologia aſſerit ex epiſtola *Gregorij M.* ſeptimo *Mauritij Imper.* anno, qui fuit *Chriſti* quingenteſimus nonageſimus, *Slavinos è Scythia* oriundos, eam *Pannoniæ* partem occupâſſe, quæ nunc ab illis *Sclavonia* dicitur; quod tempus collatum cum *Czechi* adventu in *Boëmiam*, (qui contigiſſe Anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, Auctore *Cutteno* hiſtorico Boëmo, & alijs dicitur) quàm exiguum ſit, nemo non advertit.

Atq;

Digitized by Google

Atque hinc nullo negotio quiſque aſſequi valebit, non ſequi *Slavus* ideo à diſperſione gentium ſemper fuiſſe in *Illyrico*, quia inde in *Boëmiam Czechus*, *& Lechus Slavonicam* coloniam deduxerint, cùm & illi advenæ *Illyrij* potuerint dici.

Quare cùm *Miechovij*, aliorúmque rationes ſub initium hujus Paragraphi allatæ non ſubſiſtant, nec *Æolij me* plagij jure convenient, quòd *Slavos* illorum familiæ ſurripuerim.

§ VI.

Non videri Slavos Roxanorum, ſeu Roxolanorum, Ruſſorúmve progeniem eſſe.

Opinio eorū, qui Slavos à Ruſſis ortum trahere autumant.

Rejectis diverſorum opinionibus, *Salomon Neügebaur*, *& Martinus Cromerus* de origine Slavorum, concludit tandem capite decimo libri primi, *Slavos à Ruſſis* prodiiſſe; qui *Ptolemæo* libro tertio capite quinto, *Plinio* libro quarto capite duodecimo, *Tacito* annalium decimó ſeptimo, ſeu hiſtoriarum primo, *Roxolani; Straboni* libro ſeptimo *Roxani* dicuntur.

Fundat ſuam ſententiam *Cromerus* in antiquitate *Roxanorum*, qui poſteriùs *Ruſſi* appellati; & in amplitudine *Ruſſiæ*: ſiquidem ferè in ſe continet, quidquid terrarum eſt inter *ſinum Venedicum*, *Livoniam*, *Sveciam*, *Oceanum glacialem*, *Rha ſeu Volgam*, *Mæotim*, *Mare Ponticum*, *Sarmaticos montes*, *Poloniam*, *Lithvaniam*, *& Samogitiam*, quas provincias à *Slavis* poſſeſſas, declaratum eſt ſuperiùs paragrapho quarto, explicato *Jornande*, *Tacito*, *Adamo;* quarum terrarum aliquas incoluiſſe *Roxanos*, auctores ſunt nominati ſuperiùs *Ptolemæus*, *Tacitus*, *Plinius*, *Strabo*.

Gvagninus de origine gentis Sauromaticæ agens, refert: poſt *Vandalos ex Saurmatia*, ſedibus à fluvio *Tanai*, & paludibus Mœotidis *Roxolanos*, *Roſſanos*, *Rutenos*, *Ruſſóſque* dictos, prodiiſſe, *Procopio* hiſtoriographo id atteſtante: *Volgaros* quoque ex ijſdem ſedibus à *Volga* fluvio exiiſſe, *Slavonico* ſermone cum *Roxolanis* concordantes, amicitiâ inſuper firmatâ, conjunctis viribus in *Taurica* regionem, quæ nunc à *Tartaris* Præcopienſibus occupata eſt, penetrâſſe, inibique locum domicilio ſibi delegiſſe; indè, creſcente populo, & diſſidio inter Chriſtianos Principes gliſcente, in *Thraciam*, *& Myſiam* aliquos; *in Ruſſiam*, *Podoliam*, *Lithvaniam*, *Podleſſiam*, *& Maſoviam* reliquos excurriſſe, in terríſque illis domicilia ſua fixiſſe, variáque nomina à locis accepiſſe, & hos *Polonis*, cæteríſq; *Slavis* genus dediſſe. A *Sudetis* verò ad *Sarmatas* remittit *Originis Slavicæ* cognoſcendæ cupidum, iniqvus inviæ dux viæ, qui peregrinum dubio deſeruit calle.

Hæc opinio licèt affinis ſit veritati, mihi tamen ſatis ſecuræ fidei non apparet.

Refellitur ſuperior ſententia.

Nam in eadem *Europææ Scythiæ*, ſeu *Sarmatiæ* plaga, *Baſternas* antiquiores *Roxanis*, *Roxolaniſve* apud *Stephanum*, *Orteliúmque* lego, quorum pars, ſeu tribus, *Roxani* tantùm cum *Peucinis*, & *Atmonis*. *Livius* etiam libro quadrageſimo hiſtoriæ Romanæ, ſub annum Urbis conditæ quingenteſimum ſeptuageſimum quartum (ùt vult *Salianus*) *Baſternas*, *ſeu Batarnas*, *à Philippo Macedonum* Rege evocatos Duce *Clondico* trans Iſtrum narrans, *Dardaniam* occupâſſe; & libro quadrageſimo primo, anno U. C. quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto cum *Dardanis* depugnâſſe; de ijſdem, *Dardanos* Romæ ſequenti anno (juxta *Polibium* apud Salianum) queſtos, *Scordiſcis Baſtar-*

Urbis conditæ.

ſtarnas lingvâ, & moribus æquales docet. Unde in parte *Pannonia* jam tum *Baſtarnarum* conſangvinei morantes, ampliorem reddunt *Slavorum* patriam, quàm *Roxani*.

Nec contemnendum hoc vetuſtatis, reor, argumentum, quod *Chronicon Alexandrinum* Raderianæ editionis ſubminiſtrat, *Baſtarniam* intra limites *Japheti* conſtituendo, & *Baſtarnas* literas noviſſe, memorando. *Baſtarnas* inſuper *Perſen* ſecutos fuiſſe in bellum *Argonauticum* anno *mundi* bis milleſimo octingenteſimo vigeſimo primo, docet *Valerius Flaccus* in Argonauticis libro ſexto ſequentibus carminibus:

Illinc juratos in ſe trahit Æa Batarnas,
Quos, Duce Teutagono, crudi mora corticis armat,
Æquáque nec ferro brevior, nec Rhomphea ligno.

Præterea ipſe *Cromerus* libri primi capite ſexto, aûctoritate *Jornandis* efficaciter oſtendit, diverſos eſſe *Vandalos à Winidis*, hóſque poſteriores in *Venedos Sarmaticos*, *Slavos & Antas* præcipuæ virtutis tribus diſpertitos eſſe; quomodo ergo *Ruſſi* potiùs, & non *Winidæ* dant *Slavis* originem?

De *Sauromatis Gvagnini*, & alterius cujuſdam de Sarmatis narrata; face & indice egent.

§ VII.

Slavos ſuum genus rectè referre ad Moſoch, ſeu Meſchec, ſextum filium Japhet.

Moſci vel Moſchi orti à Moſoch filio Japhet

AB hoc *Moſchiam*, ſeu *Moſchoviam* inhabitatam, & denominatam probabiliùs eſſe affirmat *Genebrardus*, *Arias Montanus*, *Mercerius* apud *Salianum* tomo primo Annalium Veteris Teſtamenti, ſub A. M. milleſimum nongenteſimum trigeſimum primum.

Neque obſtat *Joſephus*, *Moſchinos Cappadocas Moſoch* attribuens, cùm ipſe incertus id conjiciat ex *Maraca* Cappadocum Urbe, & *D. Hieronymus* opponat illi LXX. Interpretes, qui alios *Cappadocas* faciunt. *Chronicum* deinde *Alexandrinum* inter populos proſeminatos à *Japheto*, qui à *Media ad Heſperium* uſquè Oceanum diffuſi, *Boream*, ſeu *Aquilonem* reſpiciunt, enumerat *Moſſionacos*, *& Maotas*.

Noti inſuper *Moſcheni* populi, & *Moſchorum* tractus *Plinio* libro ſexto capite decimo nono: *Straboni* finitimis Colchis, libro vigeſimo primo geographiæ apud *Cromerum*. Noti etiam *Lucano* libro tertio canenti:

Sævisque affinis Sarmata Moſchis.

Quæ omnia antiquitatem gentis inſinuant; quod & annales hodiernorum *Moſcovitarum* confirmant, à multis ſeculis illas ſedes gentem *Moſcorum* tenere, aſſerendo.

Slavi à Moſchis *veniſſe probantur*, imò à vetuſtiore Populo poſteritatis Moſoch.

Hæc porrò *Moſchorum* vetuſtas vendicare ſibi videtur prima *Slavorum* in Europa incunabula; cùm *Wilſi*, ſeu *Weletabi* apud Eginhardum: *Uncrani* apud *Rheginonem*: *Vehri*, *Hevelli*, *Luſici*, *Liſicavici*, *Wloini* apud Witichindum: *Liutici* apud Hermannum Contractum: *Sclaveni* apud Procopium libro quarto: *Czechi*, *Poloni*, *Croatæ*, *Sileſij*, *Pomerani*, *Boſnenſes*, *Raſciani*, *Dulebiani*, *Drevvulani*, *Tmuvvlani*, *Volinij*, *Podolij*, *Paluci*, *Maſovij*, *Moravi*, *Sorabi* apud *Cromerum*, denominationis ſint recentioris.

Jam lingva *Moſchorum* Slavonicam originem ſapit, & ſæpius attributæ *Slavis* provinciæ, ex parte etiam nunc limitibus *Moſchovitici* Imperij continentur; ſiquidem, teſte *Petro Bertio* in deſcriptione Ruſſiæ, *Moſchovia ab oris Alexandri M. circa Tanais fontes ad extrema terrarum Borealémque*, ſive glacialem Oceanum extenditur longo tra-

tractu: ab ortu habet finitimos Scythas, qui *Tartari* hodie appellantur, genté vagam,& omnibus ſæculis bello illuſtrem, ab occidente *Livonia* illi, & *Finlandia*, ad Auſtrum *Lithvania.*

Conferat jam quiſpiam hanc Topographiam *Moſchoviæ* cum definitione patriæ *Winidarum Slavorum*, factâ à *Jornande*, an clariſſimè nõ diſpiciet magnam partem primæ *Slavoniæ* limitibus *Moſchoviæ* includi? Accedit non levis conjectura, *Muſianum* lacum eſſe hodie ſtagnum *Ilmen*, ſeu *Ilmer*, XII. milliaria Germanica latum, ſitú ſupra *Novogradiam*, veriùs *Novogradum*, ſeu *novam civitatem* Slavino, ad quam *Jornandes Slaviæ* nomen ortum fuiſſe tradit, quam itidem *Moſchoviæ* eſſe nemo negare poteſt.

Nec rejiciendum cenſeo, nomen *Tanais* fluminis, *Europam* ab *Aſia* ſeparantis, diverſum, cùm *Amazonius*, *Auctori* de fluminibus, & montibus, *Ctoſanóque* teſte, apud *Ortelium*, indigenis *Ameſicies* dicatur: ùt enim nomina hæc à *Meſchec* ſui principium omnino non reſpuunt (ſiquidem pateat limitanea flumina à ſuis Principibus, & coloniarum Ducibus ſæpe accepiſſe nomina) ità decurſu temporis, & alienigenarum ſcriptis facile mutationem aliquot literarum ſenſerunt. Quid quod ignotum antiquis *Tanais* fontem *Moſchovia* habeat, & *Mneſech*, ſeu *Mſczenecia*, *Moſchoviæ* provincia originem *Oecæ* fluvij infra *Novogradiam* inferiorem *Volgam* ingredientis oſtendat, ut plura loca ejuſdem *Moſchoviæ* taceam, quæ aliquid nominis *Moſoch* retineant, quemadmodum in tabula *Ruſſiæ Mercatoris* clarè apparet.

Ad hoc nomen credendus eſt alluſiſſe *Joannes* quidam *Danielis* filius, qui poſt diviſum in multos principatus *Ruſſorum Imperium*, à flumine, atque ab Arce *Moſqua*, ſeu *Moſcha*, obſcura priùs, ſede deinde ſui *Ducatus* illuſtri, certum territorium *Ruſſiæ* appellavit, ſapienter præſagiens *Patriarchæ* ſui *Moſoch* nomen in plures populos, non ſine gloria poſtliminio redíturum. Neque vanum ejus augurium fuit: quandoquidem, ubi præfati *Joannis* hæredes adjunctis ſibi proximis quibusque ejuſdem nationis, & lingvæ Principibus, paternum Principatum longè, latéque cum *Moſchi* nomine amplificâſſent, cæteri quoq; *Ruſſorum* populi, *Wladimirienſes*, *Novogrodenſes*, *Jaroſlavienſes*, *Thuverenſes*, *Mozaiſcenſes*, *Suſdali*, *Pſcovenſes*, *Rozanenſes*, *Severienſes*, & alij in *Moſchorum* nomen abière.

Unde non habet *Cromerus* evidentem rationem, quâ convictus cogatur negare *Moſoch* eſſe poſteros *Slavos*; præſertim, cùm libri primi capite nono, fateatur antiquiores, & nobiliores, quàm *Moſchi à Danielis* filio nominati, fuiſſe *Moſaicenſes Ruſſos*, & antiquitus fluvium cum Arce *Moſcha*, ſeu *Moſqua*, in ampla illa *Ruſſia* denominata exſtitiſſe; quod an manifeſtum indicium non ſit poſteritatis *Moſoch*, judicent ſapientiſſimi antiquitatis eruderatæ Cenſores, quibus notum, perſpectúmque eſt, nihil in terris fuiſſe adhuc illuſtre, quod temporum curſu non reddatur obſcurum, & ignobilia nobiliſſimorum Regnorum ſemper exſtitiſſe exordia. Objectiones in contrarium ſolvuntur.

Neque titulus Metropolitæ *Kiovienſi* olim, nunc *Moſchico*, *à Patriarcha Conſtantinopolitano* datus, aut à magnis *Moſchoviæ* Ducibus uſurpatus, *Ruſſiam* totam ſacræ, profanæque poteſtati eorum ſubjiciens, *Ruſſos Slavorum* faciet *Aborigines*, quod *Cromerus* intendit. Nam *Ruſſiæ* æquè, ac recentium *Moſchovitarum* nuper natum nomen, & fortaſſe tam *Metropolita Kiovienſis*, quàm *Dux Moſchoviæ* antiqvum ſuum jus in *Ruſſiam nigram & albam* prætendit, ideóque *Ruſſiam* ſinè limitatione ſuo titulo inſerit; quod an legitimè faciat, viderint illi, quorum intereſt.

Cæterùm duo manent explicanda: alterum, quare in hiſtoria Romana, Græcâque antiquiori, etiam de bellis Cur exigua apud Veteres Moſchorum memoria.

Digitized by Google

Sarmaticis agente, exigua ſit *Moſchorum* memoria? alterum eſt, quomodo *Jornandæ* auctoritati ſatisfiet, qui diſertè affirmat, *Slavos* eſſe partem populoſæ *Winidarum* nationis? Par difficultas eſt de *Ruſſis*, quam licèt *Cromerus* conatus fuerit *Roxolanorum* nomine tollere, à *Winidis* tamen reus plagij meritò agitur.

Non placet ad *Scytharum, Sauromatarum, Sarmatarúmque* nomen confugere, licèt apud *Goropium Becanum* legam ex *Plinio*, *Scytharum* nomen uſquequaque transîſſe in *Sarmatas*, atque *Germanos;* atque ex *Ptolemao, Mela, Dionyſio, Europæam Sarmatiam Viſtulâ, & Tanai* finiri advertam, præter illa, quæ *Curtius* libro ſeptimo, & libro ſexto de *Scythia*, tam Europæa, quàm Aſiatica ſcriptis mandavit.

Reinerus Reineccius tomo tertio de familijs, *Henetorum & Moſchorum* auctorem facit *Moſoch* ſeu, *Meſchec*, filium *Japheti*, nobiſcum; at *Heneti* notiſſimi *Homero, Herodoto, Straboni, Ptolemæo, Apollonio* in Argonauticis, ùt vidimus paragrapho quarto, quidni ſub *Henetorum* nomine etiam *Moſchi*, quibus id nominis attributum universè, ùt & cæteris *Sarmatis*?

De Baſtarnis. *Baſtarnarum* nomine comprehenſos *Moſchos*, ſeu *Moſoch* omne genus fuiſſe crediderim, ſuſpicórque *Baſtarnas* ipſos à *Moſoch* prodijſſe, & cùm alios *Scytharum, Sarmatarúmque* ab agricultura *Aroteras;* alios à paſtu pecorum *Nomadas* Græci dixerint, indiciú mihi eſt, corruptum *Slavonicum* vocabulum **Paſtýř**/ quod paſtorem ſignificat, Græcis *Baſtarnas* condidiſſe.

Sed & *Moſchos* ab armentis nomen accepiſſe, apud Græcos arguit Græca vox Μόσχος, vitulum, ſeu bovem *Euripidi* ſignificans. *Baſtarnarum* deinde nomen à Græcis *Romani* Hiſtorici mutuati, ſeptentrionales populos eodem appellârunt universè ideo, quia *Aquilonares* regiones antiquis minùs perſpectæ fuerunt.

Fatetur hanc ignorantiam *Strabo* libro ſeptimo ſcribens: *Quid autem ſit ultra Germanos, & alios eis confines, ſive illi ſunt Baſtarnæ, ut plerique putant, ſive alij interjecti, ſive Jazyges, ſive Roxolani, ſive alij in curribus domicilia habentes, non eſt facilè dictu.* Præterea *Moſchos* ſub *Baſtarnarum* nomine intelligendos eſſe, videtúr etiam *Strabo* eodem libro inſinuare, locum, ſeu habitationem eorundem deſcribendo, qui *Slavis* olim adſcriptus: *Regionis*, inquit, *totius, quæ inter Iſtrum, & Boryſthenem intervallo ſuperjacet, prima portio, & ſolitudo Getarum; deinde Trygetæ, poſt hos Jazyges* Sarmatæ, *& qui Baſilij, id eſt, Regij dicuntur, & Urgi, quorum plerique etiam ſæpe ad utramque Iſtri partem habitâſſe feruntur. In mediterraneis Baſtarnæ ſunt, Trygetis, ac Germanis confines, &c.*

Quem locum clariorem reddidit *Philippus Cluverius*, libro tertio Introductionis geographicæ, aſſerens *Baſtarnas à Viſtulæ dextra ripas ad oſtia uſq; Iſtri incoluiſſe, ipſas quoque oſtiorum inſulas tenuiſſe, Peucinorum nomen argumento eſt.*

Nec moveatur quiſpiam iſthic *Plinij* auctoritate, *Baſtarnas inter Germanos* collocantis, aut dubitantis *Strabonis* libro ſeptimo, an *Baſtarnæ* forent ex *Germanis* nati; ſcripſerunt namque id divinando potiùs, ex vicinitate *Germanorum*, cùm illis *Germania, Sarmatiáque* obſcurior eſſet, ùt ipſe *Plinius* non diffitetur libro quarto, capite de *Germania.*

Quanquam quid *Baſtarnis* notiores *Moſchos* reddo, cùm ipſi *Moſchi* adeò novi homines Rempublicam Mundi non acceſſerint, quos Anno Mundi termilleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, *Dario Hyſtaſpis filio Perſarum Regi* trecenta talenta tributi nomine perſolviſſe teſtatur *Herodotus* libro tertio, & eoſdem *Moſchos*, ſeu *Muſſynæcos* in exercitu *Xerxis* ſub A. M. termilleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum tertium, ligneas circa capita caſſi-

Digitized by Google

caſſides geſtâſſe, ſcutáque ac haſtilia brevia, ſed longa in haſtilibus ſpicula, (aliquid ſimile de *Sarmatis Corn. Tacitus* libro primo hiſtoriarum) habuiſſe, idem *Herodotus* libro ſeptimo enarrat.

Meminit eorundem *Valerius Flaccus* libro quinto Argonaut:

Vos quoq; non notæ mirati vela carinæ Moſſinæci.

Et *Tibullus* in panegyrico ad Meſſalam:

Quáque Hebrus Tanaïsque Getas rigat, atque Moſynos.

Magynos aliqui legunt, qui tamen ab *Ortelio* vocantur etiam *Scythiæ* populi.

Et quamvis non diffitear *Moſſynæcos* aliquando fuiſſe *Aſiæ* incolas, nec infallibiter definiri poſſit tempus migrationis eorum, *ex Aſia in Europam*; hodiernos tamen *Slavos & Moſchovitas* aliquid *Aſiaticorum Moſinorum* habere, arguit uſus lignearum domorum, à quibus vetuſti illi *Stephano*, *Lignei Moſynæci* dicti, ùt tradit *Ægidius Maſerius* commentator in *Valerij Flacci* librum quintum Argonauticorum.

Huc etiam ſpectare videtur, quod *Halicarnaſſæus* libro primo antiquit: Rom: agens de *Tyrrhenis* ſubijcit. *Hos quidem ajunt indigenas eſſe Italiæ, quidam advenas: & qui negant eos externi eſſe generis, nominatos dicunt à domicilijs munitis, quæ primi in his regionibus ſtruxerunt. Turres enim, & Tyrrheni, ùt Græci thyrſes, clauſa muris, & firma ædificia nominant. Volunt igitur ex re nomen eos inveniſſe, ſicut Moſynæcos in Aſia. Nam & illi habitant ligneas quaſi turres compactas celſis trabibus, ipſi vocant Moſynas.* Hæc ille.

Ex quibus omnibus patet, *Slavorum Aborigines* penitùs Orbi ignotos, degenerésque non fuiſſe.

Suſpicio ſcriptoris. Quod attinet ad *Jornandem*, *Slavos Winidis* attribuentem, reſponderi poteſt poſteriori ævo *Baſtarnarum* nomen in *Winidas* tranſiiſſe, quos ego arbitror dictos à *Slavonico* vocabulo **Wina**/ culpa ſeu pœna, unde **Winicý**/ Rei, damna inferentes, & **Winiti**/ damnum inferre, peccare, plectere ſignificat, diverſæ *Slavonicæ* linguæ dialectis. Poterant itaque *Baſtarnæ Attilæ* commilitones, *Winidos* ſe appellare, quaſi plectentes peccata, exemplo ſui Imperatoris, qui *Flagellum Dei*, dictus.

Hanc conjecturam certiorem reddit *Jornandes* de rebus Geticis capite vigeſimo tertio ſcribens, *Slavos ſuo tempore (ità facientibus peccatis) ubiq; deſævire.* Aut certè *Baſtarnæ* illi, qui ad bella extra ſuam patriam diverſis occaſionibus ablegabantur, nuncupati ſunt *Winidi*, ſeu *Vendi*, à Patria lingva, **Wen di**/ hoc eſt, *foras proficiſcere* (tale aliquid de *Vandalis* paragrapho ſecundo) cùm ſciamus morem Svevorum fuiſſe, ut certi ex ſingulis pagis ad bella communia toti genti mitterentur, & *Jormandes* inſinuet præcipuos eſſe *Antas*, *Slavos*, *Venedos* in populoſa natione *Winidarum*, ex bellis, utpote præclarè geſtis, contra Romanos notiores. Et *Crantzius* quidem ex *Helmoldo* refert *Winetam* nobiliſſimum emporium in oſtio *Oderæ*, quà *Balthicum* alluit pelagus, genti *Slavonicæ* nomen dediſſe *Vinidarum*; ſed quis ejus *Conditor*?

Hæc de nomine *Winidarum* eò certiora quivis cenſebit, quò recentiori memoriâ tenebit querelam communiorem hiſtoricorum, & de inopia ſcriptorum, qui res *Scythicas*, & *Sarmaticas* complecterentur; & de mira nominum varietate, & mutatione, quibus ijdem populi fuerint denominati, ùt docet *Ortelij* theſaurus Geographicus in voce *Scytha*.

Atque ex his omnibus conſtat non à modernis *Moſchovitis*, ſed ab antiquiori illa poſteritate *Moſoch* ſtirpem *Slavorum* rectè deduci per *Moſynos*, *Baſtarnas*, *Winidas*, ampliúſque eorum ſolum, vetuſtius *Baſternarum* nomen eſſe, quàm *Ruſſorum* ſit, fueritve.

N 2 §. VIII.

§ VIII.

De Literis Alexandri Magni, quas Slavicæ Genti dediſſe ſcribitur, déque tempore adventûs Czechi & Lechi Ducum Bohemiæ & Poloniæ.

FLoruiſſe *Slavorum* in mundo gentem ante occidentale Imperium tempore *Alexandri M.* ab illóque in præmium ſtrenuè navatæ militiæ aquilonares occupâſſe provincias, & ejuſdem juſſu cum Gallis in Europam veniſſe, author eſt apud *Paprocky* Boëmicorum ſtemmatum ſcriptorem, *Vincentius Kadlubek* Epiſcopus Cracovienſis in ſuo Chronico ſcripto ſub A.C. milleſimum ducenteſimum ſeptimum, afferens ſuæ aſſertionis teſtes literas *Alexandri M.* in hæc verba:

Nos Alexander Philippi Regis Macedonum hæres, Monarcha figuratus, per Nactanabum annunciatus, ſummi Dei filius, allocutor Brachmanorum, Solis & Lunæ conculcator, à Solis ortu ad occaſum, à ſeptemtrione ad meridiem Dominus, Illuſtri Proſapia, ac lingva Slavorum, Maſſagetisq; ſalutem.

QUi nobis ſemper in fide veraces, in armis ſtrenuiſſimi, noſtri milites, & coadjutores robuſtiſſimi fuiſtis, damus vobis hanc totam plagam terræ, quæ extenditur ab Aquilone uſquè ad partem Italiæ meridionalis, ut nullus auſus ſit iſthic manere, aut ſe locare, niſi veſtrates, & quicunque alienus inventus fuerit illic manens, ſit ſervus veſter, & ejus poſteri ſervi veſtrorum poſterorum.

Datum ex magna Alexandria novæ fundationis noſtræ, ſuper magno Nilo fluvio Ægypti, arridentibus nobis magnis Dÿs, Jove, Plutone, Marte, & maximâ Deâ Minervâ. Teſtes autem hujus rei Illuſtris Anſtellus Tritoteca noſter, & alÿ undecim Principes, quos nobis ſine prole decedentibus relinquimus noſtros hæredes, & totius Orbis ſucceſſores. Anno Regnorum noſtrorum undecimo.

Plurima hanc donationem dubiæ reddunt fidei.

I. Barbaricus nominis faſtus, cujus nullum exemplum in *Q. Curtio, Arriano, Diodoro, Siculo, Plutarcho* exſtat; qui tamen multarum *Alexandri* epiſtolarum mentionem faciunt. Refutantur Alexandri M. literæ.

Nôvi equidem à *Plutarcho* ſcriptum in *Alexandro*, eum omnino adversùs barbaros inflatum fuiſſe, & mirè præſetuliſſe probatum ſibi ortum, & ſtirpem ſuam Divinam; ad Græcos verò divinitatem uſurpâſſe modicè, & parciùs; apud *Arrianum* tamen libro ſecundo, idem *Alexander* jam victor ſcribit ſequentia *Dario*: *De reliquo quando ad me ſcribes, ad Aſiæ Regem ſcribere te memineris; neque tanquam ad parem ſcribe, ſed veluti omnium tuarum rerum Domino ſignifica, quid petas.* Et apud *Curtium* libro quarto: *Rex Alexander Dario, ille, cujus nomen ſumpſiſti.* Et infrà: *De cætero cùm mihi ſcribes, memento non ſolùm Regi te, ſed etiam tuo ſcribere.* En quo titulo uſus, & quem ambivit à barbaro Rege?

II. Nomen *Slavorum*, à nullo, *Alexandri* geſta ſcribentium reperitur ſignatum; nec ſignari potuit, cùm cœperint *Slavi* hoc nomine clarere poſt *Alexandri* mortem *Illyricum* invadendo A.C. DXLIIX. juxta calculum *Baronianum*.

III. *Maſſagetæ & Slavi* dicuntur fidelem, & ſtrenuam operam militiæ *Alexandri M.* navâſſe; at in enumeratione copiarum ejuſdem, non modò apud veteres hiſtoricos nulla eorum memoria; ſed etiam *Curtius* libro quarto refert *Maſſagetas* II. millibus agmen *Darÿ* clauſiſſe, & *Beſſum* à *Dario* admonitum, ut *Maſſagetas* equites in *lævum Alexandri* cornu invehi juberet.

Digitized by Google

ret. Apud eundem libro ſexto ipſe *Alexander* ad milites ait: *Sogdianos, Dacas, Maſſagetas, Sagas, Indos*, ſui juris eſſe, omnes hos ſimul, ſi terga *Macedonum* viderint, ſecuturos utique hoſtes. *Arrianus* itidem libro quarto narrat, *Maſſagetas* cum *Scythis* conjunctos depugnâſſe contra *Craterum Alexandri* Ducem, & re malè geſtâ *Bactrianorum & Sogdianorum* ſociorum impedimentis direptis, cum *Spitamene*, *Alexandri* adverſario, in ſolitudinem confugiſſe. Quòd ſi in *Indiam Scytha & Daca* deinde ſecuti *Alexandrum*, & primi invasêre *Pori* Regis exercitum, ùt *Curtius* libro octavo tradit; adeòque quiſpiam cenſeat *Slavos Scytharum* nomine fuiſſe comprehenſos, indè his literis non adſtruet fidem, cùm redux ex *India Alexander* nuſquam in *Ægyptum* revertiſſe legatur, ubi tamen illud diploma datum fuiſſe aſſeritur. Nec *Paphlagones*, *Henetorum* patres, donationem hanc *Alexandri* robuſtiorem reddunt, etſi ſub eorum nomine *Slavi* latuiſſent: hi namq; pariter in caſtris *Darij* militant contra *Macedonas*, teſte *Curtio*, libro quarto referente, *Darij Prætores*, qui prælio apud *Iſſon* ſuperfuerant, cum omni manu, quæ fugientes ſecuta erat, aſſumptâ etiam *Cappadocum & Paphlagonum* juventute, *Lycham* recuperare tentâſſe.

Et licet *Arrianus* libro primo, *Gordij Alexandro* moranti legatos *Paphlagonum* provinciam ſuam fœdere inito ſubjeciſſe, eóſque *Calæ Phrygiorum Satrapæ* ſubditos fuiſſe, *Cappadocis* etiam *Sabictam* ſatrapam conſtitutum enarret; nunquam tamen eorum in exercitu *Alexandri* meminit, niſì quis communi mercenariorum, vel aliorum nomine eos inſinuatos contendat, cui aſſentiendum tum reor, ubi cauſas aſſignaverit, cur *Arrianus*, *Curtius*, *Macedones*, & *Theſſalos Græcos* tantùm, aliquoties miſſionem ab *Alexandro* accepiſſe memoret?

Slavos tandem *Illyriorum* nomine intelligi non poſſe, patet ex paragrapho V.

IV. Donatio illa Aquilonaris Orbis non potuit ab *Alexandro Slavis* donari, cùm eæ partes jugum ipſius ſenſerint nunquam. Europæis quidem *Scythis*, devictâ Indiâ, inferre bellum *Alexander* cogitabat, teſte *Arriano*, ſed intuliſſe non legitur, præterquam quòd terræ illæ à *Scythis* potentiſſimis fuerint poſſeſſæ, *Curtio* libro ſeptimo prolixè eorum potentiam deſcribente.

V. *Alexandria in Æpypto* deſignata eſt A. Mundi ter milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, qui fuit ante Chriſtum CCCXXX. Et Regni *Alexandri IV.* ſecundùm *Salianum* tomo quinto Annalium. Atqui in hac Urbe undecimo anno Regni ſui *Macedonici Alexander* non fuit, exiſtens tunc in *India*: annum verò undecimum Imperij Græcorum non attigit, mortuus anno Imperij ſeptimo, Regni decimo tertio, qui fuit A. M. ter milleſimus ſeptingenteſimus trigeſimus, ante Chriſtum CCCXXIII. Quomodo ergo diploma illud *Slavis in Alexandria Ægypti* anno undecimo Regnorum Alexandri?

Quidquid ſit de literis *Alexandri M.* an ſuſpectæ & adulterinæ cenſeri debeant, & an ſub nomine *Slavorum Alexandro* noti eſſe potuerint; dubitari tamen non poteſt ſub *Henetorum* aliíſque nominibus gentem illi non ignotam fuiſſe, non minùs quàm *Bojos*, quos *Alexandro M.* conciliatos aſſerit *Brunnerus*. *Brunner. l. 1. Annal. Bojor. n. 7.*

Frater *Martinus Ordinis Prædicatorum* in ſua Compilatione hiſtorica, quam in membranis *Cœnobium Henrichovienſe Ciſtercienſium* ſervat, aſſerit *M. Aurelium* pugnâſſe contra *Slavos*, *Glaucos*, *Quados*, in Marcomannia, quod bellum contigiſſe ſub A. Ch. C. LXXVI. *Baronius* docet. Id an *Martinus* ideo ſcripſerit, quòd *Baſtarnas*, *Roxolanos* (qui lingvâ *Slavi*) & gentes omnes ab *Illyrici* limite uſque ad *Galliam* conſpirâſſe contra Romanum Imp: apud *Julium Capitolinum* in Marco legerat; an verò ex aliquo Authore deſcrip-

ſcripſerit, cùm in præfatione, ad Opuſculum de ſummis Pontif: & Imper: ex Chronicis *Damaſi* Papæ, *Oroſij, Pauli Diaconi, Giſilberti, Lobini Epiſcopi, Richardi Cluniacenſis, Eſcodij, Viterbienſis, Vincentij* fateatur ſe concinâſſe, incertum eſt. Certum mihi ſub M. *Aurelio Boëmiam* à Marcomannis inhabitatam fuiſſe.

Veroſimilis Neugebaveri ſententia.

Salomon Neügebaverus à *Cadano*, in hiſtoria Polonica, deducens ex *Ruſſis Slavos*, cum *Cromero* conſequenter docet, non ex *Dalmatia*, ſed ex *Ruſſia & Sarmatia* eos populos, qui nunc *Poloni & Boëmi* dicuntur, progreſſos, vacuas, aut certè infrequentes *Vandalorum* ſedes in Sileſia occupaſſe, indeq; in *Germaniam* interiorem, & *Bohemiam* arma protuliſſe. Nam faciliùs, citiùsque hâc ſecundùm dextrum latus *Carpathi* montis ad interiorem *Germaniam* aliquomodo vacuam tunc penetrare poterant è *Ruſſia* profecti, quàm in *Slavoniam*, aut *Dalmatiam*, longiùs à ſe diſtantes, & *Romanorum* Imp. armis munitas. Exiſtimat tandem hos populos è *Ruſſia ſub Attila* tempora circiter A. C. CDXLII. abiviſſe. 442.

At hoc eſt contra torrentem ſcriptorum *Boëmorum* niti. Deinde cur *Lechus* primò ex *Boëmia* in *majorem Poloniam* coloniam ſuam duxit, ſi minorem attigit? Cur ex *Dalmatia, & Croatia Slavis* Victoribus abundante, non potuit aliquis Ducum, æmulus avitæ gloriæ, juventutem, aut otioſam turbam à bello, ſpe melioris glebæ, in novas ſedes educere, novam coloniam condere?

Vapovius, & Herburtus Czechum in Boëmia primas ſedes fixiſſe A. C. DI. *Cuthenus & Boregk* A. C. DCXXXIX. *Hagecius* DCXLIV. affirmant. Sit penes Auctores interea fides, donec veritas ipſa eluceſcat. Hactenus R. P. Andreas Stredonius S. J.

Atque hîc *Libro ſecundo* finem imponimus; qui licet exiguus mole, & omnium qui in his *Miſcellaneis* ſequentur, minimus, tamen ob moleſtiſſimam, dubiam, & laborioſiſſimam tractationem longè cariùs *Authori* conſtitit, quàm ſi *Hiſtoriam* à *Czecho Duce*, uſq; ad *Reges Bohemiæ* deduxiſſet.

IN-

Digitized by Google

INDEX
COPIOSISSIMUS
IN LIB: II.
MISCELLANEORUM.

Numerus folium, a *columnam primam*, b *columnam ſecundam ſignificat.*

A.

S. Adalbertus non fuit Miſniacus, aut Lubecenſis, ſed Bohemus, & in Bohemia natus, fol. 48. columnâ b.

Alani populi, f. 31. b 35. a. non fuerunt Slavi, f. 43. b.

Alexandri M. literæ ad Slavos an veræ. 98. a. b. & ſeq.

Antes populi Slavorum, 90. a.

Antoninus Imp. cœleſti ope vincit Marcomannos. f. 7. b. columna Antoniniana, ib.

Aquila in Militia Romana, f. 22. a. num aurea, f. 26. a.

Arces Bohemiæ non ſunt conditæ ab Hermunduris, ſed à Czechis, f. 40. b.

Arminius cædit Maroboduum, f. 5. b. occiditur, f. 7. a.

Attila invadit Europam, f. 9. b. Romanum Imperium f, 17. a. moritur ib. ejus ſocij & commilitones, ib. fuit genti Slavorum peramicus, f. 21. a. b.

Avares populi, 31. b.

Aureoli Tyranni hiſtoria, f. 21. a. b. & ſequ:

Auſta Civitas Boh. nunquam inter Miſniæ Urbes cenſa, f. 45. b. ſed oppignorata fuit Marchionibus Miſniæ, 47. b. & 48. b.

B.

Baſtarnæ vel Baſternæ populi, 93. b. 94. à. de ijs 96. a. b. 97. a. b.

Bavari ſunt Boij, f. 3. a. f. 5. b. Vide *Boij.*

Berkarum nobiliſſima ſtirps nunquam in Clypeo geſtavit Urſos, f. 48. a.

Bernſteinij nunquam geſtarunt Urſos, ſed Uros, f. 48. a. b.

Blondi hallucinatio, 31. b.

Bohemia nomen Germanicum, f. 1. a. & 33. b. 77. b. Bojohemia, Bojohæmum, Bohemia, idem eſt. Ibid. & 77. b. Bohemia pridem inhabitata, f. 1. & 2. inter diverſos populos olim diviſa, f. 2. b. eadem Hercynia, f. 2. & f. 6. a. 77. a. ſitus, 77. a.

Bohemiam Czech ingreditur, f. 17. b. Vide *Czech*, invênit in Bohemia pauculos Germanos, f. 18. a. cur eam Czech præ alijs vicinis regionibus elegerit, f. 20. a.

Bohemia nomine non poteſt intelligi Miſnia, neq; Miſniæ nomine Bohemia, f. 45. a. f. 47. b. f. 52. b. 53. a. neque Bohemi ex Miſnia prodiêre, Ib.

Bohemi non ſunt Wandali, Vide *Wandali & Venedi.* non ſunt Heruli à f. 49.

in *Bohemia* plures Duces ſimul imperitabant, f. 62. b. à Bohemiæ Ducibus antiquis deſcendunt per Matres Reges Franciæ, Saxoniæ Duces, Marchiones Miſniæ & Thuringiæ, f. 64. ordo Veterum Bohemiæ Ducum, f. 65.

Bohemi Czechi coloniam ducunt & fundant Regnum Sclavoniæ vel Slavoniæ, f. 27. a. b. & 54. a. b. 75. a.

Bohemiæ Reges an fuerint ſtirpe Roſenſes, f. 48.

Bojorum origo fabuloſa, 78. a.

Boij Calliæ populus ubi primitus habitârint, f. 2. eorum nomen unde, f. 1. a. in Bohemiam veniunt, 2. a. ubi primùm in Bohemia conſederint, 2. b. in Græciam migrant ib. eorum in Bohemia militaris virtus, 2. b. 3. a. Cimbros expellunt, 3. a. auxiliantur Hæduis, Ib.

Boij caruêre literis & fuêre analphabeti, 3. b.

Boij oppreſſi, aut pulſi à Maroboduo, 5. a. b. ad Nariſcos abeunt, 17. b. 20. b. originem dederunt Bavaris, 3. a. b. depulſi Bohemiâ, 4. b. quò receſſerint, 73. a. b.

Bojorum deſerta, locus, f. 4. b.

Borbonij ex Bojorum gente, 3. a.

Bubienum Marobodui regia, 5. b. ubi ſteterit, ib: occupatur, 7. a fabuloſa origo, 78. a.

Bulgari Slavicus populus ex Aſia prodijt, 15. a.

Bzovv ſeu Bſſow Mielnikum eſt, 56. b.

C.

Carolus M. in Germanorum lingva educatus, f. 1. a.

Carolus IV. Imp. cur S. Sigiſmundi corpus Pragam attulerit, f. 37. b.

Cata-

Digitized by Google

Catalaunia unde dicta, 35. a.
Chronologiæ ſumma authoritas in hiſtoria, 53. a. 58 b. Chronologia Czechi difficilis, 24. a. Vide *Czech.*
Cimbri ex Bohemia pelluntur, 3. a. de eorum lingva Goropij ſomnia, 14. a.
Cœnobiorum Clypei ſæpe differunt à Clypeo Fundatorum, 70. a. b.
Crantij grandis error, 46. a. & 37. a. in eo deliquit, quod carpit, 77. b.
Croatiæ vel Corvatiæ nomen, 21. a. Czech inde ortus 75. b. 46. b.
Czech citiùs vênit in Bohemiam, quàm ponat Hagek, 41. b.
Czechi hiſtoria, 21. a. b. 22. 23. & ſeq. ejus adventus in Bohemiam, 17. b. 18. a. 20. a. b. 21. & ſequentibus, 52. 53. Codicilli de ejus adventu ſententia, 21. a. b. & aliorum Ib. & ſeq. de Czechi adventu difficilis controverſia expenditur, 62. 63. 54. 55. 70 a. b. & à f. 71. variæ ſententiæ, 24. a. b. 25. b. 26. a. b. 27. a. Czech venit ex Illyrico, 27. a. 75. a. an ipſe Illyricanus fuerit, 92. b. ex Croatia, 75. b. 46. b. ejus ditio in Croatia Pſary, 22. a. de Czechi ætate controverſiæ à f. 50. Czech non fuit Neklan Princeps Bohemiæ, a. f. 52.
Czech & Lech à Cenchreis & Lecheis malè derivantur, 62. a. non fuêre Miſniaci, 52. b. 76. a. non advenêre rectà ex Sarmatia, 76. a.
Czechorum appellationis cauſſa, 23. b. 26. b. 47. a. 36. b. Czechitæ ob amorem Ducis ſui ſibi impoſuêre nomen, 26. a.
Czechitæ ducunt coloniam in Slavoniam, 75. a,

D.

Dagobertus Francorum Rex à Slavis Czechitis ſuperatur, 75. a.
de *Dalemincijs* multa, 46. a.
Dalamanticorum Slavorum ſedes, 47. a.
Dalmatiæ duæ non ſunt, nec fuerunt, ſed una tantùm, 45. a. b. Dalamantia vel Daleminzia diverſæ ſunt provinciæ à Dalmatia, 46. b.
Dalmatæ Miſnenſes nulli fuerunt unquam, 45. b.

G.

Gallia olim germanicè locuta, f. 1. a 14. a.
Genealogia Witikindi Sax. Ducis, 64. a. item primorum Ducum Bohemiæ & Poloniæ, 65.
Gepidæ quinam fuerint, 31. b.
Germani ab Japeto, 14. a. eorum Gentes valde diverſæ, 4. a. eorum plurimæ Migrationes, 73. a. Germanicæ lingvæ apud Hiſpanos quædam veſtigia, 35. a. cur Germani ad nos, 40. b.
Gero Marchio fraudulentus ſicarius, 60. occiſus ab Udalrico Duce Boh. ib.
Goropij Becani ſomnia de lingva Cimbrorum, 14. a.
Gothi irruunt in Imperium Romanum, 16. b. recepti à Romanis, ib. eorum populi diverſi ex Nicephoro, 31. a. quando ſint facti Chriſtiani, 32. a. non ſunt locuti Svecicè, 35. b. Gothicæ literæ inventæ, 36. a.
Gvagnini ſententia de Czecho & Lecho, 23. a.

H.

Hagecij hiſtorici Bohemiæ defenſio, à f. 56.
Helvetiorum origo à Vitis, 44. a.
Heneti ex Aſia veniunt in Europam, 25. a. in Illyricum, ib. eorum migrationes, à f. 16. vide *Sarmatæ, Venedi.* de ijs 88. a. b. an fuerint Slavorum populi 88. 89. a.
Hercyniæ ſilvæ magnitudo, 2. a. b.
Hermunduri in Bohemia, 3. b. eorum ſedes, 4. a. a. manent in Boh. pulſis Boijs, 4. b. pelluntur à Slavis. 20. b. quales fuerint, 40. b. delentur cũ Attila, 41. a. Hermunduri in Miſnia, 47. a.
Heruli non fuêre Slavorum populi, ſed Gothorum 67. b. eorum hiſtoria, 68. a. b. eorum ſedes, ib:
Herulorum Regia ſedes Viennæ, 68. b. primitus incoluêre Mechlburgum, ib.
S. Hieronymus an Biblia in Slavonicam lingvam converterit, 92. a.
in *Hiſpanica* lingva multa veſtigia Germanicæ lingvæ, 35. a. nulla Venedicæ vel Slavonicæ, 87. b.
Hiſtoria authoritate placere debet, non novitate, 38. b. 43. b. admittit vetuſtas traditiones, 79. a.
Hunni. eorum antiquitas, 14. a. in Europam veniunt, 9. a. Regnum Moraviæ deſtruunt, 21. a. b. non ſunt Slavorum populi, 44. a. ſed amici Slavorum 73. b. Slavi Hunnis immixti, ib.
Hvvozdiecum Arx ad Miſnam Urbem à Bohemis conditur, 66. a.

I.

S. Ioannis Baptiſtæ nomen Slavis in veneratione, 92. b.

L.

Lazius omnes Slavorum Migrationes in ſuis libris (de Migrationibus Gentium) omiſit, f. 23. b.
de *Lecho* militiæ Duce à f. 62. 63. 64.
Lech Czechi frater; vide *Czech.*
Libicium patria S. Adalberti in Boh. 48. b.
Lingvæ multum immutantur tempore, 35. b. 81. b. 82. a.
Lingva Slavica primigenia eſt, 13. a. b. 37. b. ejus amplitudo, ſanctitas, defenſio, 13. 37. 77. b. Lingvarum multitudo & varietas, 89. a.
Literæ vetuſtæ Ducum ac Regum Boh: 69. b. 70. a. b.
Lomatia vel Glomatia, & Srbia, 44. b.
Luſatij Slavorum populus primitùs, 44. b.

M.

Digitized by Google

M.

Magdeburgum Metropolis Slavorum, f. 18. b.
Marcomanni Sveviæ populus, 5. a. 6. a. 10. b. unde dicti, 10. b. eorum ſedes in Bohemia, 6. a. b. & ad Danubium, 5. a. octies ſedes ſuas mutarunt, 75. b. cædunt Romanos, 7. a. iterum, 7. b. eorum incurſiones in Imperium Rom. à f. 7. 8. vincuntur cœleſti auxilio, 7. b. cæſi ſæpe, 8. a. conciliantur Romanis, 8. b. quomodo ſint amiſſi, 11. a deleti, 17. b. tranſlati aliò à Romanis, 73. b. eorum geſta à f. 7. eorum Reges, 7. a. quò devenerint Czecho adveniente, 41. a.
Marobodus Svevorum Rex invadit Bohemiam, 5. a. ejus hiſtoria, 5. a. b. quàm latè imperârit, 6. b. Svevus fuit ex Tacito, 42. b. & f. 5. a. & 10. a. b. non fuit Slavus ib. & 11. a. b. nec ejus nomen eſt Slavicum, 42. a.
Marobodus ædificat Bubienum, 5. b. cæditur ab Arminio, ib. vincitur à Catvalda, 7. a. recipit ſe in Italiam, 6. a. de eo, 73. a.
Mielnik olim Bflow dictum, 56. b. 57. a.
Migrationes primæ Gentium pedeſtres, 2. a.
Migrationes Germanorum circa adventum Chriſti, 73. a.
Migrationes Slavorum, 58. 59. tria tempora in ijs obſervanda, 58. & ſeq.
Miſnenſium origo, 47. a. b. Miſnij diverſi à Bohemis, 47. b.
Miſnia nomen, non eſt impoſitum per errorem, 45. a. non eſt dicta quaſi Myſia, 47. a. unde dicta, ib: non eſt eadem cum Bohemia, 45. a.
Miſnæ Urbis variæ occupationes, 67. b.
Moſci & Moſcheni, 15. b. Moſchovitarum imperium tardiùs exortum, 14. b. Moſchi à Moſoch filio Japhet, 94. Slavorum natio à Moſchis orta probatur, 94. a. b. 95. & ſeq.
Moſchovia vel Moſcoviæ extenſio, 96. b. Moſchi vetuſti, 96. b.

N.

Neklan non fuit Czechus Ductor noſtræ gentis, à f. 52.
Niemetz vox, unde nata, 58. a.
Nominum derivationes futiles à f. 42. 43.
Novitas in hiſtorijs damnatur, 38. b.
Nucetum Przemyſli, 66.

O.

Obotriti Slavorum populus, 44. b.
in *Obſcurum* Scriptorem, 70. a. b.
Odoacris Regis Italiæ hiſtoria, 50. b. 68. 69. non fuit ſtirpe Roſenſis, 68. b. non fuit Przemyſl Libuſſæ maritus, 68. b. & ſeq.
Orator obſcurus, 70. a. b.
Oſi populi, 44. b.

P.

Pannoniæ vetuſtum nomen, 34. a. non accepit nomen ab Herulis, 57. b. Pannoniam obtinuêre Marcomanni, 8. a.
Paprocij error in Arminio, 6. b.
Pauli Diaconi teſtimonium de Czechorum populo, 52. a. b.
Perenſteinij Proceres non geſſêre in Clypeis Urſos, ſed Uros, 48. a. b. eorum antiquiſſima apud Ethnicos memoria, 64. a. b.
Piaſecij ſententia de Czecho & Lecho, 23. b. refellitur, 66. 77. a.
Polabi Slavi, 44. b.
in *Polonia* Proceres Roſarum ex S. Adalberti gente deſcendunt, 55. b.
Poloniæ Ducum & Regum ſeries, 65.
Populi multi cum Attila periêre, 11. a. quinam certent de antiquitate, 13. b.
Praga quibusdam eſt Bubienum, & regia Marobodui, 78. a.
Przemyſl ab aratro vocatus ad Imperium, 66. a. b. non fuit ex Miſnia, nec Odoacer Italiæ Rex, ib.
Pſary ditio Czechi in Croatia, 22. a.

Q.

Quadi Germaniæ populus, f. 12. b. 44. b. 45. b. de ijs, 44. b. Sveviæ populus Quadi, 10. b. eorum ſedes, 6. a. 10. b. cæſi à Romanis, 7. b. iterum incurrunt in Romanos, 8. b. in Romanum ſolum tranſlati, 8. a. quò abierint, & quomodo deleti, 11. a, 17. b.

R.

Radogaſtus vel Redigaſt Slavorum Rex, f. 9. a. ejus idolum aureum, 19. b.
Reges Bohemiæ non proveniunt à Roſenſibus, 48. a.
Regna nova in Europa oriuntur circa Attilæ tempora, 9. b. 11. a. 17. b.
Romanis Scriptoribus ignotæ regiones Sarmatarum &c. ultra Germaniam, 96. a. b.
Roſenbergicorum non fuit originarius Rex Odoacer, 68. b. ex Roſenſibus non proveniunt Reges Boh. 48. a. nunquam in Clypeo tulêre Roſas Reges Boh. 69.
Roxolani Sarmatiæ populus, 15. a.
Ruſſi, ab his non eſt orta natio Slavorum, à p. 93.

S.

Sarmatia duplex Aſiatica & Europæa, 71. b. ejus populi, ib.
Sarmatarum migrationes in Illyricum, 23. b. 73. 74. 76. b. in Boh. & Moraviam, ib. Sarmatæ vexant Illyricum A. C. 263. fol. 22. b. commoventur funditus, 23. a. incurſant Rom. Imperium, 8. a. b. 22. b. 74. a. 76. b.
Sarmatæ nomen commune & antiquum Slavorum, 16. a. Sarmatæ ubi primùm habitârint, 76. a.
Sarmaticæ & Slavicæ Migrationes & quâ viâ, 72. a. b. & ſeqv.
Sarmatæ Majores Slavorum, 22. b.
Sarmatis & Slavis amici ſunt Hunni, & cum ijs facilè miſcentur, 73. b.
Saxones adventitius populus, 19. b. âſtu occupant terram per ſparſos pulveres, ib. aliqui migrant in Angliam, ib.
Saxonum vetuſti Duces cum Bohemis Ducibus ſangvine conjuncti, 64. a.
Sclavi an Slavi dicendum, 14. b. V. *Slavi*. 79. b.
Scordiſci, 93. b.
Serbi ex Aſia prodiêre, 15. a. V. *Sorabi*. Serbi duplices, 44. b.
S. Sigiſmundus cur Pragam à Carolo IV. allatus, 37. b.
Sileſiæ Urbium origo à Slavis, 14. a. unde Sileſiæ nomen, ib:
Sileſiæ Ducum prima Genealogia, 65. Sileſiorum nomina, 44. b. in Sileſia multæ mutationes populi, 45. a.
Silingi populi unde dicti, 35. a.
Sinæ in antiquitate ſua nimis glorioſi, 13. b.
Slavi ſunt origine Sarmatæ, 72. a. V. *Sarmatæ*.
Slavi in interiore Europa adventitius eſt populus, 71. a. b.
Slavi non ſunt orti ex Germanis, ut fabulatur Crantzius, 37. a. an Slavi ſemper fuerint in Illyrico, 91. & ſeq.
Slavorum literatura Bukwicia, 91. a.
Slavi à Moſchis provenisſe probantur, 94. 95.
Slavica lingva non eſt orta ex Germanica, ut ignari ejus lingvæ putarunt, 35. b. 37. a. b. Slavorum lingva à turre Babel, 13. a. b. Vide *Lingva*. & 79. b.
Slavorum populi falsò citati, 44. a.
Slavorum populi verſus ſinum Venedicum, 44. b. deſcribitur eorum regio, 90. b.
à *Slavis* maximæ Urbes in Septentrione conditæ, 59. b.
Slavi unde dicti 78. a. b. 14. b. 79. a.
Slavorum veſtigia in ſeptentrione, 60. a. b.
Slavorum migrationes præcipuæ, 55. & ſeq. 27. a. 16. a. b. 20. a. b. 21. a.
Slavi an Sclavi dicendum, 14. b. 79. b.
Slavi non ſunt ex Paphlagonia, 89. b. nec ex Jonia, aut Æolia, 91. 92. nec prodiêre ex Roxolanis, 93. 94.
Slavi pridem advenêre in Illyricum, 23. b. 24. a. neque tamen ibidem ab initio fuêre, 91. b. 92. a.
Slavi ſemper in Bohemia juxta Piaſecium, 23. b.
de *Slavorum* origine Sabini ſententia, 25. a
Slavica gens ad Joniã ſita humaniſſima, 25. a. b.
Slavorum nomen ſerò ab hiſtoricis proditum, 15. a. 98. b. ſub Sarmatis latuerunt olim, V: *Sarmatæ*.
Slavi ex Sarmatia Aſiatica & deinde Europæa prodiêre, 15. a. 61. a. Slavorum veterum vita, arma, mores, religio, 84. a. Slavorum primæ ſedes, 89. b. 90. a.
Slavi quàm latè olim in Germania dominati ſint, 18. b. 19. a. enumerantur Slavorum populi, ib.
Slavorum in has oras adventus, 27. a. 17. b. 9. a. non venêre ex Miſnia, 61. b.
Slavoniæ vel Sclavoniæ regnum, eſt colonia Bohemorũ Czechitarũ, 27. a. b. 61. b. de hac re 92. b.
Slavici populi ad ſeptentrionem quomodo ſubjugati, 59. 60. V. *Gero*. Slavorum ducenta millia uno die perimuntur, 60. a. fraude & dolis oppreſſi, ib. a. b.
Slavinum Civitas, 79. a. 89. b.
Sorabi vel Srbi Slavorum populus, 44. b. V. *Serbi*.
Svvatavva Lechi vel Itzi filia, 63. ejus Genealogia, 64. eſt magna Avia Saxoniæ Ducum, ib.
Svvatoplucus Slavus ab Attila Ungariæ præficitur, 21. b. Svevorum nomine ſæpe omnes Germani comprehenduntur, 4. a. Svevi an venerint è Gothia, ib. Svevorũ inter ſe bellũ in Bojohemo, 5. a.

T.

Taciti errores in Germania deſcribenda, 2. a.
Tolenzi populi Slavorum, 44. b.
Toliſtoboij ex Bohem: populi, eorúmq; hiſtoria, 2. b.
Traditiones in hiſtorijs defenduntur, 79. a.

V.

Vandali V. *Wandali*.
Venedi Slavorum populi, 15. b. eorum ſedes, 16. a.
Venda puella, 84. b.
Venedorum vel Vendorum origines, 25. a. V. *Sarmatæ*, *Slavi*, & 89. a.
Vendorum migrationes, 16. a. an Venedi ſint Heneti, 89. negatur ib.
Venedi vel Vendi in Luſatia, & ultra verſus mare ſuperſtites Srbi vel Serbi & Sorabi appellantur à Bohemis, 37. a. cur ab aliquibus appellentur Wandali, 36. a. 85. b.
Venedicus ſinus, 15. b. videntur Venedi ad ejus litora ab initio habitaſſe, 72. b.
Veneti populi diverſi, 87. 88. lacus cur amârint, ib: an ijdem ſint Heneti, 88. a. b.
Venetiæ conduntur, 17. a. 34. a.
Vilzi (Wlcy) vel Ulſi Slavorum populi, 44. b.
Vindelici vetuſtiores Wandalis, 34. b. eorum peregrinationes, 36. a. b.

Vinu-

Digitized by Google

Vinuli populus Slavorum, 19. a.
Vini uſus quando primùm in Bohemiam inductus, 58. a.
Vinidi diverſi à Wandalis, 94. b. de ijs toto C. 23. plurima.
Viti populi non fuêre Slavi, 44. a.
Uliphilas Presbyter Gothicas literas invênit, 36. a.
Ungari, V. *Hunni*.
Urſini Proceres non prodiêre ab Odóacre, 68. b. V. *Roſenbergici*.

W.

Wandali Germaniæ populus, 28. b. 30. a. b. 31. a. b. & ſequent. 38. a. b. 81. b. 85. 86. eorum ſedes, patria prima, & migrationes, 29. a. de ijs 31. a. b. & ſequ. 81. a. b.
Wandali cur ſint appellati Venedi, 36 a. 84. b.
Wandali non appellantur à fluvio, ſed à peregrinando, Germanis Wandelen / 29. a. 40. a.
Wandali loquebantur Teutónicè, 32. b. 81. b.
Wandali ad Chriſtum converſi, 32. a. 34. b. Arrianiſmo corrumpuntur, 32. a. 84. a.
Wandalorum geſta quædam, 31. b. 32. b. multa ijs falsò imputantur, 34. a. Wandali veniunt in Pannoniam, 16. b. vaſtant Romanas Provincias, 17. b. 85. b. fundant Burgundiam, 33. a. in Hiſpaniam tranſeunt, 35. a. 86. a. tum in Africam, 28. a. 86. a. Wandali reſidui à Slavis pulſi, 20. b.
Wandali nunquam in Bohemia habitarunt, 28. 29. 30.
Wandalorum origo, 81. a. b. lingva, 82. a. mores, ib. pugnandi ratió, 83. a. vafrities 82. b. primò fortes, poſtea delicijs enervati, 82. 83. habitus eorum, 83. a. Wandalorum ſedes, 85. b. Wandali à Gothis pelluntur ib. in Galliam irrumpunt, ib.
Wandalorum interitus in Africa, 28. a. 86. a.
Wandalus fluvius, 40. a.
Weleslavini de Czechi adventu ſententia, 21. 22. & 74. a.
Wineta emporium Winidarum, 97. b.
Wiſigothi, 31. b.

Z.

Zech quando advenerit in Boh. 74. a. ſub Attila, 12. b. Vide *Czech*.

Errores pauculi irrepſerunt, quibus benigni Lectores ignoſcent.

Folium.	*Columna.*	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
14.	b	40.	Urbis.	*Urbs.*
15.	a	3.	Slavo.	*Slavva.*
16.	a b	27. & 42.	300. Fac:	147.
26.	a	12.	ante 300.	*poſt* 300.
33.	a	25.	Burgundiorum.	*Burgundionum.*
40.	b	50.	quorum.	*quarum.*
58.	b	penult.	ante Fac:	*circa.*
68.	a	18.	527.	427.
77.	b	interveniſſe.		*intervertiſſe.*
78.	b	19.	clauſerim.	*hauſerim.*
93.	a	40.	Sarmatiæ.	*Sarmatia.*
94.	b	in fine	oris.	*Ariis.*

FACULTAS

REVERENDI PATRIS

PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

PER PROVINCIAM

BOHEMIÆ.

CUm duos Miſcellaneorum Hiſtoricorum libros, SECUNDUM (qui de Bohemiæ Incolis tractat) & TERTIUM (qui ſingulorum Bohemiæ Diſtrictuum deſcriptionem continet) à P. BOHUSLAO BALBINO EX SOCIETATE NOSTRA conſcriptos, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA PRÆPOSITO GENERALI ad id mihi datâ, Facultatem concedo, ut prædicti duo Libri typis mandentur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo officij mei munitas dedi. Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 21. Martij, 1680.

L. S.

WENCESLAUS SATTENWOLFF
Provinciæ Bohemiæ Societatis
JESU Provincialis Præpoſitus.

Digitized by Google

MANTISSA
AD
HISTORIAM NATURALEM BOHEMIÆ,
SEU
AD LIBRUM I. MISCELLANEORUM.

Magnopere in fine Libri I. LECTORES meos oraveram, ut ſi quid à me præteritum (quis enim omnia complecti memoriâ poſſit?) haberent ad *Hiſtoriam naturalem Bohemiæ* ſpectans, dignum quod commendaretur litteris, mecum communicarent. Dedêre iſtud precibus meis Viri quidam egregij, & rerum naturæ ſtudioſi, benigniſſiméque ac multâ comitate & honore verborum, quæ ſubjicio, ſuggeſsêre.

Ad Caput XXIX. de Gemmis fol. 75.

Ad Budwiciũ in Muldava uniones naſcuntur.

IN *Watavva* fluvio coloris argentei, fælicem eſſe piſcatum gemmarum & unionum, narraveram in diſputatione *de Gemmis*, admonuit Vir doctus, & peramicus, nè *Muldavam ſeu Wltavam* flumen ſilentio tranſirem, qui multis in locis conchas haberet gemmiparas, quæ *Uniones* gignerent, nihil nitore, lævore, ſplendore, aliíſque dotibus *Watavæ* conceſſuros. Ad *Budvvicium* regiam Urbem nominatim, poſt *Portam Pragenſem*, ad pontem quem *longum* appellant (quâ *Wodnianum* iter eſt) *Muldavam* ditiſſimum eſſe, atque his pretioſis Naturæ Cimelijs ad miraculum abundare. Anno 1674. *Bornavillanum* ex Cæſareæ Militiæ Ducibus, cùm id ſibi placiturum ultro ipſe ſæpius oſtendiſſet, & à *Senatu* Urbis poſtulaſſet, ad eum locum à Senatu adductum; mox Senatûs imperio homines quoſdam, qui Conchas matres diſcernerent, & peritè in hoc gemmeo negotio verſarentur, in flumen deſcendiſſe, & piſcationem exorſos complures extuliſſe conchas, in quibus nitidiſſimi Uniones continebantur, quos conchæ reddere cogebantur ex ſinu, ſummâ ſpectantis Ducis voluptate, cui Senatus cùm humanitatis gratiâ præcipuos Uniones obtuliſſet, *Ducem* gratanter accepiſſe, & liberaliſſimè Piſcatores remuneratum eſſe.

Ad C. XVII. de Fodinis Bohemiæ, fol. 49.

Libri Montani amiſſi.

NOn ſemel cum de *Fodinis* metallorum tractarem Libro I. conqueſtum me eſſe memini: grandia illa Volumina oculis meis ſubtracta, quæ velut Fatorum libri ad ſolium Jovis, apud ſupremos Monetæ Præfectos in *Vetere Bohemia* ſervabantur; in quibus Voluminibus nomina Montium, & Fodinarum, & Vallium, totáque generatim & ſpeciatim Metallicarum foſſionum œconomia, tum etiam, quod metallum, & quo in loco, & quàm ubere venâ flueret, & quid adhuc explorandum, tentandum, & extundendum reſtaret, conſignabatur. Hæc querela mea ſæpius iterata permovit Illuſtriſſimum Virum, ut ſuo ipſe nomine ac privatim à Metallicorum primoribus peteret: annotari ſibi nomina *Fodinarum ac Montium*, in quibus hactenus Foſſores in Bohemia fæliciter ſudaſſent, quáſque conſtaret fæcundo ſinu Metalla (aurum præcipuè, & argentum)

** pro-

profudiſſe. Facilè Vir tantæ authoritatis, quod flagitabat, impetravit, ſtatimque hunc, quem mox ſubjiciam ad me *Indicem* miſit; quem ut erat germanicè ſcriptus, nè quid meis verbis Lectori obſcuritatis offundam, recitabo ad verbum & exſcribam.

Enumerantur Auri & argenti fodinæ per Bohemiam

Der befreyten Berck-Städt vnd Oerther Nahmen, wo Berckwerck ſeyn gefunden worden in Königreich Böheimb.

Schlackenwaldt.
Schönfeldt.
Stadt Iglau.
Kuttenbergk.
Jochimsthal.
Tabor.
Crumau. Crumlovium.
Rudolphſtadt.
Eül. Gilovium.
Laudterbach.
Neydorff.
Schönſicht.
Schönlindt.
Cladrau. Cladrubium.
Stadt Michelsberg.
Krambling.
Trey-Hackhen.
Platten.
Graßlitz.
Abertham.
Pleyſtadt.
Breßnitz.
Maria-Kupffer.
Mieß *Miza.*
Glatz *Glacium.*
Przibram.
Bergreichenſtein.
Nicklas-Berg.
Krauppen.
Sebaſtian-Berg.
Sonnen-Berg.
St. Georgen-Berg.
Schutzdorff.
Arnsdorff.
Illiſchau. Nalzow.
Bawollau. Bavorow.
Wilhelmsthall.
Behrneyſtadt.
S. Catharina-Stadt.
Reichenbach.
Kreyen.
Laſin.
Freynung.
Gechnitz.
Katerberg.
Cloſter-Grab.
Ziemaldt.
Engelsberg.
Hellgrundt.
Stechnitz.
Graßmacher.
Fronberck.
Graffenſtein.
Gratz. Gracium poſt Dobrawodam.
Gottes-Gab.
Hennyſt.
Cappß.
Muckenberg.
Fribaß.
Gerringer.
Wieſenthall.
Heinrichsgrün.
Sauerſack.
Schueſterbeindt.
Trinckſeyffen.
Schlochowitz.
Owalcka. Opalka.
Neudeck.
Zügenſchacht.
Hürſchenſtandt.
Kodoboritz.
Hloſowa.
Wiſcheritz.
Kaſchir.
Thum.
Ehlbogen.
Wilhertz.
Schönbach.
Plan.
Mutterſtorff.
Polowitz.
Promahoff.
Auſchawitz.
Reichenau.
Pilgram. Peldrzimowium.
Prumſel.

Behro

Behro oder Bahre.
Wierwitz.
Prokopsberg.
Schmeltz.
Heiligen Berg. Sanctus Mons.
Droſa.
Hohe-Elb.
Schwartzenthall.
Marſchendorff.
Neufriedt.
Stuppney.
Laßdorff.
Deutſchen Brodt.
Schirlowitz.
Ins geſambt 100. Stȧdt vnd Oerter.

Nota: etiam hunc *Indicem* abſolutum non eſſe, cùm produci plura *Fodinarum* nomina poſſint, & in Libro I. à nobis ſint producta; ſed quis enumeret omnia? ſolus *Lynceus* omnes Metallorum fodinas pervidiſſe cantatur in fabulis.

Eadem manus Metallarij, quæ ſequuntur, adjecit:

Præcipuæ tres fodinæ in Boh. — Zum Kuttenberg gedigen Goldt vnd Silber zu Tag außgewachſen / ſo ein Münch gefunden / vnd die Kutten darüber geworffen / welches Bergwerck etlich 100. Jahr / vnd mehr / bey dem geringen Standt ins 80. Jahren 1200000. Marck Silber geben. (Cuttna.)

Rudolſſtat. — Rudolphſtadt bey Budweiß / hat von Anno 1547. biß Anno 1601. in 54. Jahren Sechtzehen vnd einmahl Hundert vnd 20000. Marck Silber geben.

Jochmſthal — Jochimsthall von Anno 1586. biß Anno 1601. in 15. Jahren dreymahl hundert Tauſent 5000. ſieben Hundert vnd 90. Marck Silber geben.

Summa. — So haben dieſe 3. Berg-Stȧdte dieſe zeit übergeben Sechs vnd Zwantzig Tauſend 76603. Marck Silber / thut an Geldt (die Marck 9. Reichst: gerechnet) vier vnd zwantzig Tauſendtmahl Tauſendt 89427. Reichst:

So iſt dieſe zeit vber an Goldt / Silber / Zühn / Kupffer / vnd Bley / auch andere Berckſtȧdte vnd Bergwercken auff das wenigſte gerechnet / in dieſen Königreich Böheimb ſo viel gewonnen worden / daß ſich ſambt der obigen Summa zuſamben gar gewiß auf ſechs vnd dreyſſig Tauſentmahl Tauſent / ſechs hundert Tauſent 51795. Reichst: oder 365½ Donnen Golts belauffet / erſtrecket ſich auff 36½ Million Golds / Eiſen Bergwerck vnd andere Mineralien gar nicht beſchrieben.

Zur Eülen in Böheim eine Goldt ſtüffen / in Hornſtein gebrochen 12. Pfundt ſchwehr / von Stȧdlern nachgeſchlagen worden.

Der Rotlew bey Prag von dem Bergwerck ſo reich worden / daß Jhro Kayſ: Mayeſt: Carolo IV. einen Schuldt-Brieff über 1. Tonnen Goldts in einer guldenen Schießl zum Schau-Eſſen verehret / hat die hohe Schul / vnd mehr andere ſchöne Gebeü zu Prag gebauet.

Paul Behr in Jochmsthall 100000. Jochimsthaller Außbeith in kurtzer zeit gewonnen.

Optarent forſitan *Lectores Benevoli*, ſi qui Germanicam non callent, laudabili in rebus Naturæ curioſitate, poſtrema hæc (nam prima, nihil aliud continent, quàm *nomina Fodinarum*) hæc inquam, poſtrema latinè reddi. Dedit mihi hanc operam Vir amicus è Societate noſtra numerandi ſcientiâ clarus in primis, idque ita habet: *P. W. N. S. I.*

Kuttenbergæ excrevit aliquando purum putum aurum & argentum; quod *Monachus* quidam reperiens capitio ſuo, ut locum notaret, contexit. Hoc metallum aliquot centenis annis & ampliùs, tempore etiam auri minùs feraci intra ſpatium 80. Ann: duodecies centena millia marcarum argenti protulit. *1200000.*

Rudolphopolis prope *Budvvicium* ab An: 1547. uſq; ad Annum 1601. intra 54. An: millies mille, & ſexcenta viginti millia marcarum argenti dedit. *1620000.*

Vallis Joachimica ab An: 1586. uſq; ad An: 1601. ſpatio 15. An: ter centies & quinquies mille, ſeptingentas & nonaginta marcas argenti dedit. *305790.*

Dederunt ergo hæ tres Civitates metalliferæ intra hanc annorum ſeri-

3125790. em, ter millies mille, centies & vicies quinquies mille, ſeptingentas & nonaginta marcas argenti. In pecunia (marcam pro novem Imperialibus
28132110. computando) vicies octies millies mille, centum triginta duo millia, centum & decem Imperiales.

Intra hoc ergo tempus Boëmiæ Regnum ex auro, argento, ſtanno, cupro & plumbo (alias civitates metalliferas, earúmque metalla obiter & perfunctoriè numerando) tantum lucratum eſt, ut ſimul ſumptâ ſummâ ſuperiori lucrum aſcendat infallibiliter
4072421. marcar: & 6. Imperial: ad quater millies mille, ſeptuagies bis mille, quadringentas viginti & unam Marcas cum ſex Imperialibus, ſive tri-
36651795. cies ſexies millies mille, ſexcenties quinquagies ſemel mille, ſeptingentos nonaginta quinque Imperiales; ferrum ac alia mineralia nec in cenſum referendo.

Rotlewi Civis Pragenſis potentia

Rotlevv Civis Pragenſis ex metallicis Foſſionibus tam dives evaſit, ut *Imperatori Carolo IV.* Chirographum, quo obligatio debiti plus quam *Tonnæ Auri* continebatur, in aurea lance velut ferculum ad oculos paſcendos, obtulerit & donârit. Erexit inde *Carolus Univerſitatem* Pragenſem, pluráque ædificia præclara Pragæ ſtantia.

Paulus Behr Civis Jochmſthalenſis centum millia Imperialium ex fœlici foſſionum labore intra breve tempus recepit. Hactenus ex Germanico converſa.

Civitates Metallicæ.

Illud ad extremum huic tractationi ſubjici poſſe videtur: fuiſſe inter manus meas *Cuttnenſium, Przibramenſium, & Budvvicenſium* argentifodinarum *Rationaria*, ac præcipuè inſignes Memorias Metallicæ *Urbis Budvvicenſis*, quem laborem amore Patriæ ſuſceptum Vir Conſularis, honoratus & doctrinâ præſtans *Mathias Franciſcus Baltauff* Notarius Publicus mecum benigniſſimè communicavit. Poſſem ex his Memorijs adducere plurima digniſſima ſcitu, præſertim Oppidorum & *Civitatum Metallicarum* in Vetere Bohemia receptas conſvetudines, Jura, Privilegia, Exemtiones & Immunitates (quæ nunc omnia iniquitate temporum jacent) ſed opportuniùs in *Libro de Civitatibus, & de ſtatu Civili* pertractabuntur.

Ad Caput XXXIII. de Lapidibus fol. 83.

Lapides ſepulchrales à natura efformati Culmæ.

CUm nuper *Culmæ* poſt *Auſtam* Urbem Regiam diverſarer, mirabile mihi lapidis genus oſtenſum eſt; nihil illud quidem ab alijs ſaxis aut colore, aut duritie, alijsque notis differebat, (ijs ſimillimum quos ad *limen* ſuperum & inferum muniendum in portis domorum, & ad margines feneſtrarum adhibent murarij) ſed creſcendi ratio, & figura, magnam mihi movit admirationem; Vallicula ſedet in imo ad occidentale *Arcis Culmenſis* latus, cujus crater orbiculatus vix ſexagenas, aut paulò ampliùs ulnas patet, quantum in profundum, ſi effoderetur locus, pateret, conjicere non potui. In ea Latomiola, quotquot in conſpectu ſunt lapides, tum etiam ij, qui à ſolo in altum creſcendo eluctantur, *ſepulchralium lapidum* figuram (quibus videlicet ſepulchra in Eccleſijs conteguntur) referunt, tam perfecto opere, ut nullâ chalybe, aut ferro perfectiùs elaborari poſſint. Exiſtimabam primo aſpectu, congeriem eſſe ſepulchrorum, quos humana manus in hunc locum conjecerit, at ubi penitùs inſpexi, & manum ſaxis admôvi pertentando, facilè quid eſſet, adverti: Omnes ij lapides, nihil ſunt aliud, quàm *ſuperficies Sepulchrorum*, quibus Epitaphia ſolent inſcribi; non tamen, ut alia ſaxa jacent, ſed in angulis duobus ſui quadrati ſtant, alijs duobus angulis in ſublime elatis, velut *Judæorum ſepulchra* ſtare videmus. Plerique eorum lapidum longitudine tres, aut ſummùm quatuor ulnas, latitudine unam cum dimidia æquant, qui ſcilicet majores ſunt, veluti juſtam magnitudinem

nem

Digitized by Google

nem conſecuti quieſcunt; alij medio-
cres, aut planè minimi creſcunt & au-
gentur paulatim, dum denique reli-
liquorum magnitudinem & figuram attingant. Adeò ubique *Natura* ipſa mortalitatis nos admonet, ac nè poſt peccatum pœnam mortis nos evaſuros putemus, priùs quàm naſci contigerit, efformat ſepulchra, ſignificans nos in hoc naſci, ut moriamur.

Ad Cap. XLIX. de Terra ſigillata. fol. 114.

Terræ ſigillatæ ingens copia.

UNo milliario *Culmâ*, *Arce Illuſtriſſimi Comitis Joannis Franciſci de Kolovvrat*, admirabile prorſus Naturæ donum *Terra ſigillata* (quæ venenis omnibus reſiſtit, & quamvis receptum virus ſudore expellit) *Terra* inquam *Lemnia*, ſeu *ſigillata*, non tam reperta, cùm ſemper in propatulo jaceret, quàm agnita eſt pauculis retrò annis, quódque magis mirum, tantâ copiâ, ut quod jacet humi, quódque ſpectatur, multos currus implere poſſit, valles & colliculi vicini ad eum pagum qui *Lokſſitz* appellatur, quodammodo à natura ſulcati, nihil aliud ſunt, quam puriſſima Terra ſigillata, ac ſine fæcibus, quæ alibi lotione purgantur. Acceſſi ipſomet hortante & mittente Domino locum: DEUS bone! nullo foſſionis inſtrumento opus erat, non palâ, non furcâ, non ſarculo; hiſce manibus & digitis collis ſuperficiem ſcalpſi, & volas aliquot rubræ illius terræ, quæ velut argilla ſponte ſequebatur facillimâ tractatione, unam in maſſam coëgi; collectum eſt, quod ferè tres libras æquaret; poſt dies aliquot pharmacopœis, & talium rerum peritis maſſam illam exhibui; lota eſt per artem, ut fieri ſolet, támque pura, tam illimis reperta eſt, ut ex lotione nihil prope ſordium colligeretur; eam maſſam diviſam Amicis pluribus miſi, & gratum munus fuiſſe ſcio. Plures ad eum pagum Agri, eodem colore tincti, ſatis indicant intus & in ſolo ingentem Terræ ſigillatæ vim in agrorum viſceribus latêre.

Pagus Lokſchitz.

De fonte mirabili.

E regione colliculi illius, in quo me terram collegiſſe modò dixeram, ad lapidis jactum, puriſſimus & cryſtallineus Fons emicat ignotâ origine ex colle proſiliens; ſuſpicor ex venis albæ terræ ſigillatæ profluere, quod & aquæ candor & ſapor affirmat: ex eo fonte, quantumlibet potârit Viator, nullum ſentiet detrimentum, adeò potiùs bulimiam quandam, lupinam ingluviem, & voracitatem in eum diem acquiret. Narrant Incolæ (idque ipſo Illuſtriſſimo Comite narrante didici) aureis illis ab aurea Majorum ſimplicitate ſæculis, ſi quis Paterfamilias in vicino pago famulum ſibi vel ad Equos, vel ad Boves, vel ancillam ad domeſtica opera pretio adducere vellet, diſertè in contractu & ſtipulatione cavere, & excipere ſolitos, *nè ex eo fonte familia potaret*, nevé aquâ illius fontis ſitim reſtingveret, quòd qui haurirent, voraciſſimi redderentur, timebántque ruſtici, nè panibus & obſonijs ſuppeditantis non ſufficerent famulis, qui ſibi ultro famem obſonaſſent, & ut Senecianè loquar, *manufeciſſent*.

Ad C. LXIV. fol. 147.

Salamandræ Carlſteinenſes.

MEmini me in *Miſcellaneis* hiſce meis *Inſecti* cujusdam aſpectu horridi mentionem feciſſe, quod *Cenchrides* ex vicinis *Carlſteinenſi Arci* montibus apportent in nidos parvis prolibus; oblata mihi tandem nuper eſt ejus Inſecti effigies, ſtatim *Salamandram* agnovi, quæ in fodinis, præſertim *Jochimſthalenſibus* reperitur, & quas nobis *Geſnerus* in foſſilibus depinxit. Illud unum admirationem non parvam movet, quòd *Cenchris* etſi rapaciſſima, nó tamen valentiſſima Avis, pigro huic & gravi inſecto deferendo vix par eſſe poſſit, affirmant tamen Religioſi Viri, qui deferentem viderunt; dicendum igitur videtur has *Carlſteinenſes Salamandras* minimi generis eſſe; nunquam enim

Digitized by Google

magis Natura; quàm in Inſectis varietate ludit, neque ſibi certum magnitudinis terminum præfigit, ſed materiæ exuberanti, aut etiam deficienti ſeſe accommodare conſvevit.

Ad C. XLI. fol. 102. de Tilijs.

Platanus arbor in Italiã advehitur.

Jawor / Maßholderbaum.

PLatanum arborem primitus Italiæ datam non eſſe, ſed umbræ ſolius gratiâ ex alieno orbe petitam, & Italiæ illatam affirmat *Plinius*, an ſatis verè, nihil diſputo; creſcere tamen apud nos, et nõ rariſſimè *Platanum*, vel nomen quod habemus oſtendit, habeóque in eam rem ſatis idoneos Authores, qui peritiſſimè ligna cædere & vel ſarmento oſtenſo ſpeciem arboris nominare noverunt, qui ſe aliquando in ſilvis noſtris *Platanos* creſcentes teſtabantur vidiſſe. At quod de umbra *Platani* paulò antè dixeram (hanc enim propè unicam commoditaté adferunt *Platani* cæterà ſteriles) *Quercus* nobis & *Tiliæ* in Germania præſtant, ut Platanos aliunde petere non ſit opus. Nam (ut de *Helveticis quercubus* portentoſæ magnitudinis, ac *Tilijs* taceam) vel in *Hercynia* noſtra, & in cæteris ſilvis, imò ſæpius propter vias, & villas ruſticorum tantæ altitudinis, proceritatis, & opacitatis viſuntur, ut etiam cautiſſimæ, & ſuſpicioſæ *Aves* (graculi, picæ, cornices &c.) in earum culmine ſecurè conſideant, & contectæ ramis & frondibus, ſubtus tranſire Viatorem patiantur, neque tamen ipſæ locum commutent. In Pago *Chodovv* (Germanis *Meigelshoff*) ubi quondam *Chodovee*, de quibus alibi, ſilvas & limites Bohemiæ tuebantur, *Quercum* mihi grandem Illuſtriſſimus Comes *Maximilianus de Lammingen* nuper oſtendit, cujus latitudinem in pectore arboris (ut ita dicam) filo dimenſi ſumus; annitente, & adjuvante laborem excellentiſſimo in arte Medica Viro *Franchimontio*; inventæ ſunt ſeptem Orgiæ ſeu una & viginti ulnæ latitudinis, quam *Quercus* implebat; nec ego latiorem, & craſſiorem *Quercum* me in vita vidiſſe exiſtimo: Rami juſtæ magnitudinis arbores æquabant, ſed ipſa arbor annoſa, & ſenectutis morbó exſucca, brevique moritura. Mollior *Tiliarum* quàm quercuum natura eſt, ideóq; ingenioſè *Ovidius in Transformationibus*, *Virum in Quercum*, *Uxorem in Tiliam* commutatos finxit; at quantum proceritatem & altitudinem attinet, *Tilia* ſæpe nihil marito concedit, formâ & venuſtate apicis, foliorum inſuper odore gratiſſimo deniq; in medicinis uſu longè ſuperat; ſed hæc alteri loco ſervantur, de magnitudine *Tiliarum* dicere inſtitueram. *In Blazov Clatoviâ Sufficium* proficiſcentibus duæ ſeſe offerunt *Tiliæ*, quarum craſſitiem priùs quàm ſe in ramos dividant Vir peramicus in mei gratiam A. 1680. 8. Octobris filo dimenſus eſt, tranſmiſitq; in literis menſuras; altera non procul inde ſtat in pago *Albrechtice* ſeu *Albrechtſrith*. Comperi illam in *Blazov* ulnas Pragenſes octodecim, & digitos duos, alteram minorem tredecim ulnas craſſitie æquare, aut potiùs ſuperare. Porrò *Pragenſis ulna tres Spithamas* continet. Poſſent plura *Tiliarum & Quercuum* exempla proferri.

Arborum apud nos magnitudo

Quercus ingens.

Tiliæ ingentis magnitudinis.

Ad C. XXVII. de Fontibus. fol. 69.

Fons Kurzimenſis.

AD *Fontium* miracula ſpectat quod ſequitur, idq; ad majorem operi meo conciliandam fidem Sacerdotis religioſi verbis commemorabo:

Eſt quidam fonticulus prope Civitatem Kurimenſem, medio quadrante milliaris circiter â Civitate diſtans, occidentem versùs jacens. Hic, maximó uſui eſt: alit enim (utpote aquam dulciſſimam in ſe continens) non ſolùm Pecora, verùm & homines; dum per canales, ſeu ſubterraneos aquæ ductus in Civitatem influit, & in duas magnas lapideas ciſternas aquam dividit. Civitas Kurimenſis tantò avidius aquã hanc expetit, exinde quaſi hanc non haberet, nec guttam

Digitized by Google

aquæ in Civitate haberent; cùm inibi nec unicus fons detur, neq; dari poſſit, ut patet experientiâ toties tentante, & maximas in hunc finem expenſas Civitate faciente. Igitur ab immemorabili conſvetudine cæremonia hæc ſequens ab incolis obſervatur. Annuè in feſto SS. Pentecôſtes poſt veſperas decantatas tota Civitas proceſſionaliter, per vias concinendo, ad hunc fonticulum, cum Decano loci procedit, ad quem dum ventum; Decanus loci, vel alius ad nutum ejus Sacerdos, ritu Romano aquam hanc benedicit, & ſale benedicto permiſcet; quâ Benedictione terminatâ populus avidiſſimè ad vaſcula; ad hoc ſecum eò portata, aquam de fonticulo haurit, & circa circum in planitie gratioſiſſima ſedens hâc aqua potatur. Mediâ circiter horâ inibi ſedetur, tandem iterum candelis â fonticulo accenſis ablatis, & extinctis, denuò proceſſionaliter in Eccleſiam revertitur. Traditione habetur, quod ſemel (neſcio an Decani temporis illius, aut populi potiùs illis temporibus forſitan heterodoxi culpâ aut negligentiâ) hæc ſacra Cæremonia fuit prætermiſſa, & ideo aqua ſtatim ex Fonticulo amiſſa. Videns hoc Civitas, quòd aquâ careat, & per conſequens & cereviſiâ (nam ex illa braxatur) cæremoniam repetijt, proceſſionaliter eò proceſſit, aquam non benedictam Decanus eò in vaſculo portavit, illam benedixit ante fonticulum, & benedictam ad ſiccum fonticulum fudit; & ecce necdum proceſſio ad Civitatem redijt; aqua denuò ad utramque ciſternam plenis aquæ ductibus, & fiſtulis fluxit. Contigit autem apud eundem fonticulum An. 1668. quiddam notatu dignum: Adventante proceſſione ad locum conſvetum, & finitâ benedictione aquæ, populus de more aquam avidiſſimè hauſerat & biberat, ſed unus (forſitan adhuc ſtomachum heterodoxum habens) eſt enim adhuc ſuperſtes, & mihi bene notus, populum irriſit, & quòd ità aquam biberet, exploſit, inquiens, ſi vinum eſſet, pariter biberet; ſed aquam, aquam eſſe, neque ſibi conſvetudinem eſſe aquam bibere. Hæc forſitan protulit ex aliqua ſuperbia: nam protinus quaſi exanimis cecidit, & magno ſpatio temporis ità jacuit, timor & tremor adſtantes omnes apprehendit, & maximè Decanum loci (ille defacto in modernum tempus eſt: Mathias Carolus Rottecius, Proto-Notarius Apoſtolicus, Vir ſanè egregius) hic eandem aquam benedictam ſubitò ex fonte hauſit, in faciem ejus fudit, & ſenſibus iterum reddidit. Ab hoc tempore ille irriſor nunquam apud illum Fonticulum comparuit, & neque aliàs per ſe, neque cum proceſſione ſacra eò pergere, & ire voluit, fortè timens, ne ſibi quid deterius contingeret. Huic funebri ſpectaculo præter Dominum Decanum adfuêre & noſtri duo Patres, nempe Def: P. Placidus à S. Fulgentio, & P. Nathanael à JESU Crucifixo, etiamnum hîc Pragæ ſuperſtes. Hæc ſimplici, & impolito calamo de fonticulo Adm: Rever: Paternitati Veſtræ ſignificanda duxi, manens interim ſervus in Chriſto obligatiſſimus

Benedicitur die Pentecoſtes.

Pœna in eum qui aquæ potores irriſerat.

Adjicit P. S. *Huic benedictioni ego ipſemet interfui, & tam fonticulum, quàm populum cum magna admiratione ſpectavi,*

P. Cyprianus à S. Thereſia, Auguſtinianus Diſcalc: ad S. Wenceslaum Neo-Pragæ 14. Februarij 1680.

Hæc Vir ille Religioſus & Sacerdos.

In quosdã Criticos.

Facere non poſſum hoc loco, quin Caſtigatores quoſdam pauculos ſuperciliosos, obiter, & leniter objurgem, qui & hanc Narrationem de *Fonticulo Kaurzimenſi*, cùm audiſſent referri, & alia plura, quæ Lib. 1. attulimus, maledico dente carpunt, in convivijs rodunt, in circulis vellicant, omnia in dubium revocant, ut cùm ipſi, quacunq; demum ex cauſa, nihil proferant, reprehendendo aliquid ſe poſſe demonſtrent. *Ego*, inquiebat aliquis, *Kaurzimij vixi, nunquam de hoc Fonte audivi*, alius, quod de *Mſſeno l. 1.* ſcripſeram (ex cæcis foſſis glaciem aliquando impetu ventorum intus naſcen-

centium hyeme erumpere, & fruſta ſolidæ glaciei per aërem deferre) carpebat: *nunquam id fando audivi; fabuloſa hæc ſunt, ijſq; ſimilia, quæ apud Olaum leguntur: Voces hyeme congelaſcere, quæ poſtea tempore æſtatis diſſolutæ rareſcant, & à viatoribus audiantur.* Quid his hominibus facias? num igitur omne quod vos non audiſtis, pro falſo habebitis? equidem non omnia, quæ ſcripſi defendenda ſuſcepi, omnibus nihilominus Narrationibus authores, aut idoneos teſtes, aut etiam me ipſum appoſuiſſe, id verò glorior. Fides ſit penes authores, quos audivi, quis plura requirat? ſi Authorem laudavi, fidem exſolvi. De Mſſeno, & de ventis glaciem ferentibus locupletem habeo teſtem *R. P. Georgium Conſtantinum Soc. JESU*, in ipſo *Mſſen*, vel *Mſſeno* natum, qui ſe id oculis ſuis ſpectâſſe, & juvenem magno in periculo, dum iter cum ſocijs in patriam haberet, fuiſſe, ne obrueretur, non ſemel mihi ſanctè confirmavit, dederátque mihi in eam rem chirographum, quod poſtea, cum uſui amplius fore non videretur, diſcerpſi. *At ego*, pergit Obtrectator, *in Mſſeno fui, nihil audivi.* Nihil probat, non audiſſe; ſed audiſſe probat, & quidem audiſſe â Sacerdote Religioſo, Sene, Viro optimo, & fidei (ut omnes, qui eum norunt, teſtabuntur) incorruptæ, & cui pretium ex fingendo non eſſet. Si obtrectator, non advenas, non incolas, hodie natos, non ſexum, aut ætatem rerum, quæ geruntur, incurioſam interrogâſſet, veritatem forſitan audiſſet ex ſenibus, neque ea, quæ fieri non poſſunt (ut eſt verborum gelu conſtrictorum fabula) rebus, quæ fieri poſſunt, & quas alibi quoque fieri, *in Jonſtono*, aliiſque Scriptoribus legimus, comparâſſet. Valeat hoc loco Thucydideum illud, quod in laudatiſſima illa oratione funebri ad Athenienſes ſuos dixit: *Qui inexpertus eſt, propter invidiam* (aut aliam animi affectionem) *quidquid ſupra ſuum captum audit, ait ſupergreſſum eſſe veritatem, fidémque non habet.*

De Glacie in Mſſen.

Thucydides lib 2. de bello Peloponneſiaco.

Ad C. XXX. de Gemmis. fol. 76.

AD *Adamantis, & Gemmarum* bohemicarum hiſtoriam ſpectat quod ſequitur: *Klencz* (Chodonum pagus eſt, Bavariam versùs, propè poſtremus, ob id veredarij Equi, quas poſtas vocant, & Præfectus ejus publici muneris, ibidem hoſpitantur) ad eum inquam pagum *Klencz* paucis abhinc annis *Ruſticus* lapidem lucentem invênit in ſolo (*Adamas* erat juſtæ magnitudinis ſed impolitus) hunc ſibi à ruſtico oblatum alio pretio redemit loci Dominus *Maximilianus Comes de Lammingen* (à quo id audivi) Gemmarijs deinde perpoliendus oblatus eſt, qui tandem ex adamante illo uno gratioſum, nec minùs pretioſum poculum efformârunt.

Adamas in propatulo repertus.

In eodem Pago *Klenczij* bonæ fortunæ auſpicium reperit Avorum memoriâ *Leonardus Haz*, erat is Regius telonarius, ſimúlque ùt paulò antè innueram, Veredarijs & Poſtæ Præfectus. Fortè ita evênit, ut per *Klenczium* duo Auguſtani Cives ſeu gemmarij, ſeu aurifices iter *Pragam* haberent, & ad *Leonardum*, veterem Amicum diverterent. Commodùm eo tempore herilis Ancilla *Caſeum* formabat, abſolutóque opere, ut indurarentnr faciliùs, lapidem quendam impoſuit. Hoſpites accedunt, lapidem ſagacibus & eruditis oculis contemplantur; mirantur in tam viles uſus pretioſiſſimam gemmam adhiberi; *Leonardum* familiariter ſevocant, docent: quantum ex eo lapide pretium conficere poſſit, mille florenos ipſimet numeraturos pollicentur. *Leonardus* Vir non detrivio, attentus ad rem, & ſagax, qui ſibi potiùs quàm alteri lucrum vellet, ſuſpicatus id quod erat, negavit eum lapidem eſſe venalem; jam ſe pridem ſtatuiſſe ad *gemmarios* deferre, ſed ita reliquiſſe, quòd ſatis ſecurus à furvis manibus videretur,

De lapide pretioſo, qui caſeis premendis imponebatur.

cùm

Digitized by Google

cùm lateret. In optimam partem accepêre *Auguſtani*, Hoſpitis ſui excuſationem, cúmque iter ad *Cæſaris Aulam* haberent, *Rudolpho* curioſiſſimo Naturæ Principi *Gemmæ* indicium faciunt; confeſtim *Pragâ* mittitur cum mandatis Aulicus, qui lapidem deportet. *Cæſar* gratiſſimus (nè longum faciam) cui prompta *Leonardi* voluntas, ſine omni licitatione gemmam donantis, placuerat, nobilitate lapidis perſpectâ, *Leonardo* unius anni telonium, ſeu telonarium vectigal ejus loci (unde duodecim millia florenorum ſeu quatuor aureorum millia annuatim colligebantur) donavit. Cognitum eſt pôſtea, *Rudolphum Cæſarem* ex eo lapide *Salillum* efformari juſſiſſe, quod elegantiâ & pretio, *Menſæ* illi *Cæſareæ*, quam Libro I. deſcripſimus reſponderet. Hujus *Leonardi* filius *Joannes Hieronymus Haz* in Albomontenſi ad Pragam prælio, cùm fortiter, & ſtrenuè rem geſſiſſet, à *Cæſare Ferdinando II.* Nobilitatis Inſignibus, & novo cognomine *de Hartenfels* ornatus eſt. Hæc omnia Leonardi nepos, *Joanis Hieronymi filius*, *Joannes Henricus Haz ab Hartenfels*, cùm illac anno ſuperiore per *Chodones* tranſirem, mihi narravit; ſed gemmam nominare non poterat. Addebat illud quoque *Joannes Henricus*: Patrem ſuum in fundo *Klenczenſi Virgulam auream* quæ ſolo extiterat, & corallij ramoſi inſtar habebat, reperiſſe, quam *Achacio Illing* Mercatori Noribergenſi, mihi quoque notiſſimo ad pondus vendiderit.

Gem̃a Cæſari offertur.

Virgula aurea in Klencz reperta.

De Carbone foſſili ad C. XXXIII. fol. 83.

Carbones lapidei.

CArbones foſſiles, quos propè uni *Cubitenſi* Provinciolæ adſcripſeram Lib. I. multis per Bohemiam locis effodi poſſe ſignificarunt Amici: non procul *Cœnobio Chotieſſovienſi*, viâ Miſam ducente, ad pagum *Welkyſſe* non procul, inquam, viâ militari, & regiâ foſſiones apparent, & plurimi lapidum aggeſti cumuli. Omne illud ſolum (quod in ditione eſt nobiliſſimi Equitis *Kfellirzij*) lapidibus carbonarijs conſtat, quos *Fabri*, aliique artifices, quibus cum igne negotium eſt, cupidè effodiunt, domúmque reportant.

Ad C. L. de Zinzibere. fol. 118.

IN ſilvis quas vocant *Baſtinijs*, aliiſque *Bohemiæ* montibus, probatiſſimum *Zinziber* ab aniculis quæri, & effodi nimis quàm certum eſt, meóſque & Amicorum oculos teſtor. In *Cœnobij Cladrubienſis* ditione in ſilvoſo monte, *Girny*, naſci *Zinziber* liquet: in hanc ſilvam ſine arbitro Ruſticus quidam ex pago vicino *Lhota* abdebat ſeſe, & ingentem *Zinziberis* copiam domum referebat ad ſuos, non parvo operæ pretio, ut confirmant, qui hominem novêre; pollicebatur is Suis, ante mortem ſe patefacturum, ubi colligeret, locum; ſed nihil minùs factum, quippe occupatus à morte, ſine dato indicio, diſceſſit è vitâ.

Zinziber in monte Girny.

Ad C. LVIII. de Feris fol. 134.

CApreolos ſilveſtres candidiſſimâ pelle, qui, ut ait Poëta de Equis, *candore nives anteirent, curſibus auras* ſæpe jam captos in Bohemia & impulſos in retia memoravimus; eadem fælicitas & ut Plinius loqui ſolet, *ferarum raritas* Illuſtri Equiti D. *Wenceslao Zebrzid Zakawecz de Zakawa* Domino in Giwgan A. 1666. contigit, qui *candidiſſimum Capreolum ſilveſtrem* venatu captum ad S. P. N. *Ignatij* ſacrum diem Collegio Societatis JESU *Clatoviam* miſit, eóque candido munere fælicitatem illius diei ſignavit.

Capreolus ſilveſtris candidus.

Ad C. XL. fol. 100.

PIper apud nos ultro naſci nunquam audivi; permirum tamen

Piper in ſtomachis Avium.

Digitized by Google

men illud, quod ad me optimâ fide perlatum eſt, præterire non poſſum: *Jaroslaum Stampach* Leidlicij Dominum in Aucupio ſuo cum cæteris avibus tres turdelas excepiſſe retibus, quarum ſingulæ in utero Stomachi quatuor aut quinque veri & probati *piperis grana* intus ferebant; unde illis avibus in paſtu piper? ex partibus Orientis credibile non eſt, *Piper* tam diu ſtomacho contineri potuiſſe, quin calore conſumeretur. Igitur aut in Bohemia, aut in vicina aliqua nobis regione collectum eſſe oportuit. Hoc poſtremum de *Pipere*, uti & ſuperiora tria *de Capreolo, de Zinzibere, de Carbonibus* ad me perſcripſit paulò antè laudatus Eqves *Wenceslaus de Zakavva*.

Crh, vel Brawnik.

Ad Caput X. De Montibus. fol. 30.

Czerchow Mons in limitibus trium Provinciarum.

MOns *Czerchovv* poſt *Tuſtam* in Plſnenſi provincia celebratur apud Accolas longè, latéque, neque iſtud immeritò: ſtat poſt Pagos *Chodonum, Trhanovv & Chodovv*, altitudine inſigni, unde in vicinos montes deſpectus. *Czerchovv* ipſe tres Provincias diverſas diſpeſcit, ac tres dominos agnoſcit: locum mihi Incolæ oſtendêre, potéſtin ejus Montis apice *Menſa* in eum modum ſtatui, ut ad eam *Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, & Dux Bavariæ* tertius, quiſque in ſolo ſuo conſidere poſſit; putant Incolæ id ſæpius in Antiquitate factum, mihi nunc quidem otium non eſt, trium iſtorum Principum congreſſus & colloquia indagare; ſcio tamen *Joannem Bohemiæ Regem* hoc itinere ad Bavaros & Palatinos commeare ſolitum, *Tuſtæ* etiam viciniſſimâ Urbe (ut in *Epitome* narraveram) Conventum Bohemiæ Procerum habuiſſe.

Nec præteriri ſilentio debet, & à me in antiquitatis honorem commemorabitur, quod ibidem ab hominibus magno natu didici, videlicet: quoties Regibus noſtris illac iter eſſet, *Chodones* (quibus in Vetere Bohemia ſilvarum & limitum tuendorum erat commiſſa cuſtodia) in Campis ad *Klencz* pagum ordinatâ militiâ ſub vexillis ſuis ſpectandos ſe Regi præbere ſolitos, unâque *cadum* vel potiùs *Vannum flaviſſimi mellis pleniſſimam* offerre, Oratione diſerti alicujus viri præmiſsâ; quo dono indicare *Chodones* volebant, & gloriabantur: diligenter limitaneas illas ſilvas & montes obiri abs ſe, ex quibus ſilvis tantam mellis copiam colligere potuiſſent.

Chodones Bohemici ad Bavariam Mel Regibus offerre ſoliti.

Ad C. X. fol. 30. de Saxis.

MIra prorſus eſt, de grandi ſaxo ad *Tuſtam*, ſeu *Domazlicium* narratio, quam cui Capiti & argumento ſubjicerem diu dubitavi, ſed parum iſtud facit, modò conſtet de fide: narravit igitur mihi Vir fide digniſſimus, & locorum illorum peritiſſimus, *Tuſtæ Civis*: eſſe in ditione Tuſtenſium *Piſcinam*, cui Majores nomen dederint *Babylon*; non ita procul ab ea piſcina fluvium *Biſtrzice* dictum (qui unus Molas omnes in hoc tractu locorum trudit, impellitque) fluere, & penes eum ſaxa grandia, & dorſa duo ſaxea alterum alteri incumbere propè in eum modum, quo in Moletrinis molares duo lapides componuntur, ut grana frumenti in farinam conterant, commolántque: ergo illud, quod ſubjectum eſt *Saxum* immobile, & globoſum eſt, quod ſuperjacet, alterum *mobile*, quod vel unâ manu impellere, & ut rotetur, efficere poſſis, etſi pondus centenorum centenariorum (ut voce uſitatâ loquar) excedere videatur. Ob eum motum & Molarium lapidum ſimilitudinem rude vulgus mira quædam de his ſaxis duobus comminiſcitur, & plerique *Molam Cacodæmonis*

Saxa duo in ſtar molarium lapidũ.

Čžertowý Mleyn.

Digitized by Google

nû appellant; hîc illum molere, & farinam conficere vaniſſimè & ſtultiſſimè credentes. Vir doctus quo narrante hæc didici, cauſſam cur tam facilè ſaxum ſuperius moveretur, eſſe putabat, lævorem ſubjectj lapidis, tum etiam æquilibrij naturam, quòd juſtiſſimo pondere ſuperincumbat alteri, ſuperior inferiori. Ego nihil hoc loco definio, cùm in rem præſentem non venerim, illud tamen obſervo: ſi ex ſola æquilibrij ratione *Saxum* moveretur, jam pridem in caſum impelli potuiſſe, & impulſum fuiſſe, ſi fortè violenti alicujus, & validi hominis brachio truderetur, ita enim æquipondium & æquilibrium amitteret; quod tamen Vir ille doctus fieri poſſe pernegabat. Credibile exiſtimo: *Saxum* ſuperius in umbilico in inferiorem lapidem globoſum inſertum eſſe, aut inferius Saxum aliquam cuſpidis ſuæ partem in ſuperius Saxum immittere, atq; ita fieri, ut ob æquipondij rationem Saxum ſuperius facilè moveatur, ac nihilominus ex ſubjecto ſaxo (cui ſcilicet inſertum eſt) decidere nullo pacto poſſit.

A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER III.
DECADIS I.
MISCELLANEORUM HISTORICORUM
REGNI
BOHEMIÆ,
TOPOGRAPHICUS
ET
CHOROGRAPHICUS,
QUI
FINES ET TERMINOS TOTIUS BOHEMIÆ,
TUM
IPSORUM DISTRICTUUM FIGURAS, ARCES, OPPIDA & Urbes (additâ etiam Regij Comitatûs Glacenſis, & Sileſiæ, brevi, ſed accuratâ, deſcriptione) continet, ac complectitur;

TUM

OPERA PUBLICA BOHEMIÆ, PONTES, BASILICAS ET TEMPLA CELEBRIORA, PALATIA, COENOBIA, ÆDIFICATIONES ſumtuoſas,

Verbo:

Quidquid *MEMORABILE BOHEMICÆ TELLURI* inhæret arte & labore hominum perfectum;

Deinde

SUBTERRANEAS MOLES, ET PER EAM CAUSSAM SPECTRORUM, Theſaurorum, Vaticiniorum, Præſtigiarum &c. exempla pertractat.

Enumerantur Centum ſeptuaginta ſeptem Prælia, quibus Bohemiæ ſolum contigit cruentari.

Ad extremum

Melchioris Goldaſti Calviniani calumniæ adverſus Gentem Bohemam refelluntur, earúmque loco *Teſtimonia* magnorum Virorum *pro Bohemia* recitantur.

AUTHORE:

BOHUSLAO BALBINO è SOCIETATE JESU.

Opuſculum varietate rerum, lætiſque ac jucundis narrationibus paſſim diſtinctum, & à pluribus deſideratum.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch, M. DC. LXXXI.

Digitized by Google

Nullum ego Regnum ætate noſtrâ in tota Europa tam frequentibus, tam auguſtis, tam ornatis Templis ditatum fuiſſe, quàm Bohemicum reor: Templa in cœlum erecta, longitudine atque amplitudine mirabili fornicibus tegebantur lapideis, Altaria in ſublimi poſita, auro & argento, quo Sanctorum Reliquiæ tegebantur onuſta, Sacerdotum veſtes margaritis textæ, ornatus omnis dives, pretioſa ſupellex; feneſtræ altæ atque ampliſſimæ conſpicuo vitro, & admirabili opere locum præbente. Neque hæc tantùm in oppidis atque Urbibus, ſed in Villis quoque admirari licebat, &c.

Pius II. Pontifex in hiſt. Bohemiæ C. 36. ad Alphonſum Magnum Arragonum Regem, de Vetere Bohemia ſcribens.

Digitized by Google

MISCELLANEORUM HISTORICORUM REGNI BOHEMIÆ LIBER III. CHOROGRAPHICUS ET TOPOGRAPHICUS.

CAPUT PRIMUM.

An Bohemia Germaniæ, & Imperij Germanici Provincia, & pars ſit, & an ad Imperium Germanicum referatur? Bohemiæ Ordines olim ad Imperij Comitia vocari ſolitos; eoſdem poſſe in Imperio bona emere, & poſſidere.

Quid Imperij Romani nomine hoc loco intelligamus.

MAgnam in Quæſtione, quam proponimus, ambiguitatem, atque ut Philoſophicâ voce utamur, *æquivocationem & amphiboliam* latêre, nemo prudens dubitabit; nam ſi *Imperij Romani* nomine contineri credimus, quidquid uſquam *Roma* rerum Domina aut concupivit, aut tenuit, aut armis quæſivit, *cui margine Cali* (ùt Claudianus canit) *clauſit opes natura ſuas*, nimirum non ſufficiet Europa, Aſia, & Africa, deſignanti, & ad vetera decora Imperij hianti, idem erit Imperij terminus, ac mundi; ſi rurſus *Germanici Imperij* nomine circumſcribimus *Europam*, nè id quidem ratione faciemus, cùm non omnia, quæ olim

Digitized by Google

Nimis antiquæ cauſæ bellum juſtum non faciunt.

olim fuerint, perſeverent, benéque ab *Accurſio* ſcriptum eſſe ſciamus (quem *Beſoldus de Jurisdictione Imperij Romani* capite 6. citavit) periculoſum fore, ſi *Imperator* (idem eſt de alijs Regibus) omnia velit recuperare, quæ antiquo jure ad Imperatorem ſpectabant, *hoc*, inquit Accurſius, *eſſet revangare mundum*; jam ſi *Imperium*, ſolis Germaniæ Provincijs definiamus, quæ in *circulos* ſuos tributæ immediatè Imperatorem reſpiciunt, earum in numero *Bohemiam* non inveniemus, quæ nullo *circulo Imperij* continetur, neque unquam ad Imperium aliter, quàm *mediatè* (ut in Philoſophia loquimur) id eſt, per Regem ſuum, (qui ab Imperatore Inveſtituram ſolenniter accipit) refertur, idem Rex *Elector* eſt, & *primus* ab Imperatore *Imperij Princeps*, ùt in aurea Bulla *Caroli IV.* Cæſaris reperitur; Illud ergo in controverſiam cadit: utrúmne *Bohemia* (quod exteri quidam Scriptores, & Germanicarum rerum minùs periti docuerunt) Imperatori ſic obnoxia ſit, ut Imperator (quisquis demum ille ſit ex quacunque gente editus) *ex Bohemia ali, & ſuſtentari debeat, vel ex hoc Imperatorio titulo, Juris aliquid in Bohemiam conſequatur?* hoc ego ajo, tam ſtultè, & ridiculè dici, ut quisquis id ſentiat, eum prima *Imperij Romani* fundamenta, & quid *Bohemia* ſit, ignorare eâdem operâ ſit neceſſe. Hoc ampliùs addo: longè etiam minùs *Imperatoribus Bohemiam* obnoxiam eſſe, quàm ullam, quæ in Imperio cenſeatur, Provinciam, eámque immunitatem, ſeu gentis *antiquâ libertate, & armorum* fœlicitate quæſitam, & inventam, ſeu *Privilegiorum* ab ipſis Imperatoribus conceſſorum multitudine ità ſtabilitam, ut me in Hiſtoricorum numero haberi nolim, ſi id meridiano Sole clariùs, ſi id agatur, demonſtrare non poſſim.

§ I.

Ferdinandus I. pro Bohemia in Comitijs Imperij perorat.

Libertas Regni Bohemici.

Regem ſuum reſpicit *Bohemia*, & per eum Imperium, ac *Imperatoris Majeſtatem comiter colit*, ultra nihil debet aliud, quàm quod *Rex Bohemiæ* debet, quem honorari ab Imperio, non onerari, & in gratioſis, non in odioſis includi, *Ferdinandus I. tanquam Bohemiæ Rex*, poſtea Imperator, in publicis Imperij Comitijs fidenter aſſeruit Auguſtæ Anno 1548. cùm Imperatoris Fratris, & communi omnium Ordinum Decreto, *Matriculatio*, ſeu *taxatio Regni Bohemiæ* indicta fuiſſet; audiamus verba Auguſto ore prolata conquerentis: Daß in deren zu Wormbs Anno 1521. verfaſten Matricul das Königreich Böheimb mit 400. zu Roß/ vnd 600. zu Fuß belegt worden / da doch die Stände der Cron Böheimb gantz keiner Reichs-anſchläge bekentlich / vnd gar nicht wuſten geſtändig zu ſeyn / daß weder der angezogene Wormbſiſche / noch anderen älteren Reichs Anſchläge mit ihrer Königl. May: löblichen Vorfahrern Könige zu Böheimb wiſſen noch willen geſchetzen / viel weniger dieſelbe jemahls darein gehohlen / oder einige Hülffe darauf entrichtet / oder auch die wenigſte zu leiſten ſchuldig geweſt wären. Weil auch die Steuren im Reich mehrentheils auff die Stände in den 10. Kraysſen beſtimbt; die Cron Böheimb aber in einigen deß Reichs Bezirck niemahls gewiſen worden / ſey leichtlich abzunehmen / daß dieſelbe Cron mit dem Reich in vorigen zeiten gantz nicht geſteuret / vnd dannenhero jetzt vnbillig in die Anſchläge deß Reichs gezogen würde. Hactenus *Ferdinandus*, quæ in actis publicis eorum Comitiorum leguntur; recitátque eadem fuſiore ſtylo *Landorpius*; itaq;

Ferdinandi I. Oratio pro libertate Bohemiæ.

Landorpius in actis publicis Tomo 1. lib. 10. C. 32.

itaque neque tum, neque poſtea quicquam ex *Bohemia*, niſi precariò, pro Imperio aut indictum eſt, aut datum; ſubſcribunt præſtantiſſimi Juris conſulti: *Buxtorffius, Cluten, Carpzovius, Maurus, Freherus, Daniel Otto, Bertramus, Quirinus Cubachius, Henricus à Griesheim, & Dubravius, ac Henelius;* quos quidem, utì & *Ferdinandi I.* Orationem refellere conatus eſt *Goldaſtus*, ſed tam frigidis, & nihili rationibus, ut glacies æquè frigida non ſit, quàm quæ à *Goldaſto* adferuntur. Delentur igitur unâ fideliâ, & quodammodo è rerum natura tolluntur, quæcunque *Goldaſtus* libri II. Capite X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. (otioſè, ùt apparet) diſputavit, utpote quæ *Privilegijs* noſtræ genti datis, *& Diplomatis Carlſteinenſibus* (quæ alibi referemus) è diametro adverſantur, & Regiâ *Ferdinandi I.* proteſtatione ſunt decuſſa. Narrat alio in loco idem *Goldaſtus* ex *Lehmanno* A. 1387.

Buxtorff. diſſertat. in auream Bullã c. 8. Cluten in Sylloge rer. quotid. C. 24. Carpzow. diſſert. de Capitulat. Cæſar. Hartmannus Maurus An: 1520. Freherus Notæ ad Petrum de Andlaw l. 2. c. 2. Dubraw. l. 19. hiſt. Boh. Henelius in Sileſiogr. C. 7. Goldaſtus l. 2. c. 16. & 17.

Goldaſti malignitas.

Gold. l. 4. c. 8.

Mergetheimi in Franconia in Comitijs, præſente ipſo *Wenceslao Cæſare* actum eſſe, ut in ſuos *Circulos* Imperium divideretur, atque in primo Imperij circulo comprehendi debuiſſe: *Regnum Bohemiæ* cum ſuis incorporatis Provincijs, Comitibus, Baronibus, Equitibus &c. tum *Marchiam Brandeburgicam, & Duces Saxoniæ.* Fatetur tamen idem *Goldaſtus*, hæc omnia conſilia, & partitionem, nunquam ad finem perductam, & depoſitione *Wenceslai* Cæſaris omnino ceſsâſſe. Et quanquam aliquid ejuſmodi interceſſiſſet, irritum poſtea redditum eſt *Conſtitutione Cæſareâ Friderici III.* (quam *Eyſen* recitat) nam Rex *Georgius* (quod notari digniſſimum eſt) caveri ſibi voluit, *nè Bohemia in partitionem Imperij trahatur, nè ulli Capitaneo circulari, ſubijciatur, ſed libera, & abſoluta ſui Regis diſpoſitioni relinquatur;* quod *Conſtitutione* editâ ſanxit *Imperator.*

Lehman. in Chronico Spirenſi l. 7. c. 68.

Ab Eyſen in deduct. Bohem. Num. 21.

§ II.

Objectiones Goldaſti ſolvuntur.

l. II. III.

OB has, pluréſque alias cauſſas, cùm ſuperioribus ſuis libris magno conatu, *Goldaſtus* alia omnia, ùt dixi, de *Bohemia* docuiſſet, tandem poſtea libro IV. capitis VIII. fine, vi veritatis adactus, hæc ſcripſit: *Bohemia eundem in Imperio ſtatum obtinet, quem Boruſſia, Livonia, Helvetia, quæ nulli circulo ſunt addictæ.* quâ voce ſeipſum refellit, & jugulavit *Goldaſtus.* Hæc amabò perpendat, quisquis authoritate nationalis alicujus Scriptoris inductus eſt in fraudem; contrarium certè *Ferdinandus I.* affirmat, *Privilegia Regni, literæ publicæ, & authenticæ*, quas in *Archivi Carlſteinenſis* Indice adferemus, loqvuntur: fateor ultro, *Bohemiam* Imperatorum penuariam cellam, & ùt *Barclayus* ſcripſit, *menſam* jam altero ſæculo eſſe, & fuiſſe; at id nunquam factum probari poterit, niſi cùm Regibus noſtris Imperij Majeſtas acceſſit; quò pretioſiorem, & cariorem Imperio Romano, *Bohemiam* eſſe oporteret, quæ tamdiu illi Imperatores aluerit, aliátq; in bella pro Imperio gerenda, & pecuniam & ſangvinem impenderit, aliáque nunquam ſatìs exſolvenda (quæ invidioſè commemorare nolo) præſtiterit. Quam mihi *Goldaſtus*, & Authorum alius, literam adferre poterit, ex qua *Bohemiam*, ſi Rex ſuus abnuat, *Imperatori* alimenta, aut aliud quidpiam debere monſtretur? at *Bohemia in Germanico ſolo & fundo ſedet.* quid iſtud evincit? an Saxonia, Miſnia, aliæque Provinciæ in Germania non cenſentur? Cur igitur *à Bohemia* plus requiris? ad pauciora potiùs cogi poteſt, cum & *Regnum* ſit, & à diverſa natione inſeſſum, & ab omnibus

In Argenide.

Bohemia Regi ſuo & nulli alteri obnoxia.

 Impe-

Digitized by Google

Imperij oneribus abſolutum. Sed nec illud de ſolo tam certum, ut negari ab homine paulò præfractiore non poſſit; limites præſcribebat potentia, nec ulli termini terrarum primitus fuerunt, quos vel Jus naturæ, vel Gentium aſſignârit, valétque hîc illud Æneæ Sylvij dictum, quo hiſtoriam ſuam *Bohemiæ* concluſit: *Regna armis acquiri, non legibus;* quæ ſententia, etſi conſtitutis jam regnis, & diviſis Provincijs, ægre ſubſiſtat, in prima tamen occupatione terrarum, juſtiſſima, & certiſſima reperietur, cùm novas ſedes, eásque vacuas quærerent Populi, & inventas implerent cultoribus, ùt *Czecho & Lecho* contigit, qui deſertas magnâ parte *Bojorum*, *Quadorum*, *Lygiorum*, & *Marcomannorum* ſedes ingreſſi, novam ſibi, ac ſuis Patriam condiderunt.

Teutoniæ in medio generoſa Bohemia Regnum
Conſtituit, Populi fortis, & acris opus!

Ex antiquis inhabitatoribus terrarum ſubjectio male probatur.

Cecinit *Georgius Fabricius;* quod diſtichum alio in loco, utpote præclarum virtutis Czechicæ ab homine Germano teſtimonium, pridem laudavi. Itaque enerve, & ab imbelli manu telum eſt, quod jecit *Goldaſtus*: *Bohemiam ad Imperium, & Germaniam, vel ex eo etiam pertinere, quòd in ea quondam Boÿ ſedem fixerint, & Bojohemum ſit Patria Bojorum;* eâdem enim operâ Nos *Gallis* adſcribet, cùm ipſi *Boÿ* è Gallia Celtica profecti, *Sigoveſo* Duce longè ante Chriſtum natum in has oras advenerint, ùt omnes ſciunt, atque ipſemet *Goldaſtus* poſtea narravit; nihil ex iſtis primis hominum novas ſedes quærentium colonijs ad hodiernum ſtatum Provinciarum convellendum rectè poteſt adferri; quæ enim rogo, regio in Europa reperietur, quam unica tantùm gens ab orbe condito inſederit, quot & quàm varios cultores, & incolas *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, *Sicilia*, *Germania* prioribus ſæculis habuerunt? lege *Wolfgangum Lazium* in libris de *Migrationibus Gentium* hæc tractantem; quas terras omnes, ſi *Goldaſtus* primis cultoribus reſtituere velit, maximas ſinè dubio nugas egerit; non eget *Goldaſto* Dictatore, & Sectore Orbis, quem Divina Providentia, & Potentia, primis hominum temporibus, temere populis ex terra Sennaar profectis, habitandum conceſſit, & occupandum, & implendum reliquit in medio; regnis poſtea conſtitutis, & ſedibus nationum diviſis, de *Jure* diſputare & primos cultores rurſus inducere, tam ſtolidum mihi videtur, quàm ſi quis aves, & feras libero volatu & curſu commeantes, uni regioni adſcribere tentet, negétque ab alijs capi poſſe, & examinari priùs oportere, ubi primùm cubilia, nidóſque poſuerint. Nonne olim in *Latio* habitâſſe *Græcos* longè priùs, quàm *Romanos*, & ipſam *Italiam*, magnam *Græciam* appellatam in hiſtorijs legimus? quid tamen *Juris in Italiam Græcis* unquam fuit? adde quòd non deſint Scriptores, qui *Slavos* (quos illi quanquam falsò, ùt ante probatum eſt, *Vandalos* vocant) longè ante, quàm *Saxones & Germanos* cæteros, haſce regiones ab *Albis fontibus* uſq; ad mare Balthicum continuo terrarum tractu coluiſſe, & inhabitâſſe contendant. Sed de his ſatìs: nam quod certum, & per ſe clarum eſt, ſi nimiùm explicare coneris. non tâ illuſtrabis diſputatione, quàm potiùs obſcurabis.

Gold. l. 1. de Jurib. Boh. c. 2.

Gold. l. 1. c. 4.

Primæ migrationes gentium Avium volatui ſimiles fuêre.

Conſiderent Lectores, oro, quæ paulò antè ex *Ferdinandi I.* ore Regio prolata attuli; multa enim in verbis illis latent, quæ ſoli prudentes videant, & colligant, in *Regni & Regum Bohemiæ* favorem.

Quod gratioſè conceſſum eſt, non debet trahi in debitum.

Sed aliam formam *Goldaſtus* aſſumit velut *Proteus*, ut quod jure evincere non potuit, blandiendo, & quaſi per delicias aſſequatur: *Regnum Bohemiæ*, inquit, *hactenus fuit Imperÿ noſtri horreum, & ſvavis alumna, atque nutricula Imperatoris in honorem ſacri Romani Imperÿ.* Semel ex te verum audio *Goldaſte!* ſvavis es homo! ſed quàm

Digitized by Google

quàm gratus, qui iſtam *nutriculam tuam*, & Tuorum alumnam, tam indignis modis in hiſce libris tractâſti, *& velut nutricis pallium*, ut Plautinè dicam, impurus infans maculoſam efficere, velut *Copronymus*, voluiſti. Proh quanti hæc *nutritio Bohemiæ* noſtræ ſtetit, & ſtat etiamnum! ingrati ſunt, qui beneficium aut neſciunt, aut contemnunt! Quanquam autem Bohemi *Circulum in Imperio*, in quo cenſeantur, non habeant, tamen gratiſſimi, & cordati homines veteres Germani, *Bohemorum Gentem* in ſuos *circulos* libenter admittebant, & ultro invitabant; in *Torneamentis Germaniæ* Nobilitas Bohemica cùm decurrere placuit, aliquando in *Circulo Bavarico*, aliquando in *Saxonico*, ut Ludorum Præfecti ſtatuerant, numerabatur, quod veteres *Torneamentorum Libri* teſtantur. Alia Univerſitatum, & Academiarum ratio: in *Academijs Italicis* (ùt *Bononiæ*, *& Patavij*) item in *Germanicis* (ùt in *Academia Ingolſtadienſi*) *Bohemi ac Moravi* cum *Suevis & Auſtriacis* ſub una natione comprehendi ſolent, ùt *hiſtorici Univerſitatum* illarum docuerunt.

Bohemiæ Nobilitas cui circulo inſcripta in ludis publicis.
Liber Torneamentorum Georgij Reuxneri

In UniverſitatibusBohemi comprehenſi ſub Nationibus alijs.
Horatius Gabatius in ſtat: & Privilegijs almæ Univer: Juriſtar. Bononienſ.
Anton. Riccobon. l. 1. de Gymnaſio Patav.
Wigulejus Hundius in Metrop. Salisburg: Tract. de Fundat. Monaſter: & Colleg. Bavar.

§. III.

Bohemiæ Reges ab Imperatoribus in Imperij corpus honoribus, & neceſſitate ipsâ ſunt attracti.

FAteor ultro *Regalia* ab Imperatoribus *Reges Bohemiæ* accipere ſolitos; ſed eam rem alienis, non meis verbis, explicabo: *Bohemia quoque*, ait Piaſecius, (*ut Sileſiam taceamus, quæ longè pòſt avulſa à Polonia, & ſponte ſuâ conjuncta Bohemiæ, majores retinet libertates) non poteſt dici verè, & propriè feudum Imperiale, ùt alia feuda, cùm non ſit ab Imperio profecta, nec unquam fuit vectigalis Imperij, ſed libera, & volens acceſſit ad Societatem Imperij, allecta conſortio dignitatis Electoralis. Unde ad Indictiones, & collectas Imperij nìl confert; ad gratuita onera, vel defenſionem publicam Imperij non obligatur; in ſerie circulorum, ſeu Tribuum, in quas Imperium eſt partitum, non numeratur, nec comprehenditur; nullúmque fœdus unquam inivit cum ordinibus Germaniæ pro defenſione mutua, ſeu manutenendo communi ſtatu &c.* Hæc & plura alia *Piaſecius Epiſcopus* Przemyslienſis, quæ ego nec refello, nec approbo; ſed eò adduxi, ut diverſitas ſententiarum Lectoribus meis innoteſceret; quod argumentum, ſi quis operosè & diligenter ventilatum videre, ac legere velit, *Paulum Stransky* conſulat. Nam cùm ego me tantis rebus definiendis imparem eſſe ſemper exiſtimârim, præcipuam tamen hanc quæſtionem de Bohemia omittere non potuerim, aliorum ſententias adduxi, meam ſubtraxi.

Piaſecius in Chronico ſuo: temp: ad An: 1619.

Bohemiæ libertas.

Stransky in Reg. Bojem. C. 3. toto.

Porrò *Bohemiam*, ejúsque Reges, multis honoribus ad Imperij ſocietatem à Cæſaribus invitatos diu reſtitiſſe, nè Imperio obnoxij viderentur, ex *Annalibus* noſtris datur intelligi: lege quæ de *Wratislai II.* (primi *Bohemiæ* Regis ab *Henrico IV.* Cæſare creati) tum *Wladislai I. & Wladislai II.* Regum noſtrorum coronationibus, tradunt Scriptores; tandem nihilominus, metu, qui in conſtantem Regem cadit, victi, & reverentiâ Cæſareæ Majeſtatis allecti, prẹſertim armis Germaniæ conterriti, quibus ſemper ſe pares futuros ſperare non poterant, manus dedêre, & quantum licuit ſinè oneribus (quod eorum conatus in *Annalibus* conſignati indicant) honores, & beneficia à *Cæſaribus* oblata, recepêre. Itaque *amici* Imperij primùm, *Vicarij Imperatoriæ Majeſtatis*, *Principes Electores* appellati, ad *Comitia Imperij* vocati, regionibus, & Provincijs additis

Quibus artibus Bohemiæ Principes ac Reges in German. ſint attracti.

ditis *Moraviâ*, *Sileſiâ*, *Luſatiâ*, ditati, denique ad ipſum *Imperium*, & auguſtam Imperij dignitatem ſunt vocati, ut tantis honoribus onerati, recedere ab Imperio, & liberare ſeſe ad extremum non poſſent: *Fridericus I.* unum id quæſiſſe ſummo ſtudio videtur (cujus rei *Privilegia Regno Bohemiæ* ab eo data fidem faciunt) ut *Bohemiam Imperio* adjungeret, ſed integrè iſtud perficere non potuit, alijs bellis impeditus, & morte præventus. Idem alij Cæſares præſtare conati ſunt; denique, cùm ſub *Ottogari* filio *Wenceslao*, *Bohemia* rurſus potentiam, & vires priſtinas recepiſſet, paulò pòſt Carolus IV. Aureâ Bullâ editâ (maximè, quòd ſperaret, Familiam ſuam diu in *Bohemia* regnaturam, & Imperaturam) ſic *Bohemiam Imperio* copulavit, ut abrumpi, & avelli ampliùs non poſſit, ex quo id conſequebatur *Carolus*, ut ante omnes alios Principes ad *Imperij Romani Auguſtam* dignitatem *Bohemiæ Regibus* aditum aperiret, cùm Principibus alijs populos, alijs opes, alijs terras, alijs animum, alijs authoritatem, alijs amicitias ad ambiendum Imperium, alijs alia de futura ſperaret. Una *Sanctionis* illius, ſeu *Bullæ aureæ* inſpectio, tum illa præſidia, & Privilegia, quibus *Regum Bohemicorum* potentiam munivit, & ſepſit, omne *Caroli* conſilium pandet, ut manu quodammodo tangi poſſit, quod dixi. Eandem cæteri Imperatores ſunt ſecuti viam, adeò ut *Rudolphus II. Imperator* in Pace Religionis An. 1610. *Bohemos præcipua membra Imperij Romani* appellare nihil dubitârit. §. 8.

Conventus Imperij in Bohemia celebrati.

Non igitur mirum *Regno Bohemiæ*, quosdam *Imperatores* tantum tribuiſſe, ut velut in Imperij Romani Provincia, conventus celebrarent: *Budvicij* in Bohemia Anno 1227. *Leibuſij* in Sileſia Anno 1228. *Pragæ* Anno 1297. *Cadanæ* Anno 1298. *Egræ* ſæpius, ac Patrum ætate *Rudolphum II.* Conventum Ordinum ab Imperio deputatorum *Pragæ* Anno 1610. habuiſſe, *Goldaſtus* recenſet; quanquam de *Budvvicenſi, & Leibuſienſi* Conventu ægre inducor, ut *Goldaſto* ſubſcribam. Idem *Goldaſtus* multis argumentis, & documentis evincere conatus eſt: *Bohemos, Moravos, Sileſios, licèt origine Slavos, natu eſſe Germanos; veros Germaniæ Cives, & ad officia tam Politica, quàm Eccleſiaſtica in Germania admiſſos; Fideles Imperij appellatos, poſſeſſionatos in Imperio, immunes à vectigalibus in Imperio;* at, quod addit *Goldaſtus: Barones Bohemiæ à Germanis* oriundos, in paucis locum habet, ùt in *Epitome* probavimus, & plerosq; non *Germanicæ*, ſed *Slavicæ* originis eſſe, cùm de Nobilitate agemus, luce meridianâ clariùs oſtendemus.

lib. 3. de Jur. Regni Boh. C. 1. & ſeqq.

Nobilitas Bohema ex potiſſima parte eſt Originis Slavicæ.

§. IV.

Nobilitas Bohemica Status eſt Imperij; adhibentur Officijs Imperij, poſſident Imperij ditiones.

QVod attinet ad Imperium, idem *Goldaſtus* ex omni antiquitate demonſtrat, ad *Comitia Imperij* non modò *Bohemiæ Reges* ipſos, ſed etiam *Regni Bohemiæ Epiſcopos*, Pragenſem, Olomucenſem, Litomiſslenſem vocari ſolitos, multò etiam magis poſtquam *Vice-Cancellarij Imperatoris* munus geſsêre; quod idem intelligendum de *Proceribus Bohemis* eſſe contendit, & de *Ordinibus* ipſis, tum de *Legatis* loco ſuorum Regum ad *Imperij Comitia* venientibus, vel etiam munia Imperij gerentibus, quod ſæpius fieri contigit. Neque obſtat *Goldaſto*, quòd hodie ad Comitia in Imperium non vocentur, cùm plurimos *Goldaſtus* enumeret Epiſcopos, Abbates, Principes, Comites, &c. qui, quamvis ſint Imperij mem-

Epiſcopi Regni Bohemiæ ad Comitia Imperij vocabantur.

Gold. l. 2. C. 16. in fine.

membra, non vocantur tamen ad Imperij Comitia, & ſi veniant, excluduntur. Placet in exemplum adducere aliquorum nomina, qui ex *Coronâ Bohemiæ* Provincijs Imperialia munia geſsêre; unde conficitur: nationem noſtram in Imperio Germanico non pro extranea, & peregrina, ac hoſpite, ſed pro *domeſtica, ac Cive* ſemper habitam, & in poſterum habendam; præcipua ex *Goldaſto* deſcribo:

Bohemi adhibiti officijs Imperialibus.

Albertus de Leskovvetz Archi-Camerarius Cæſareæ Majeſtatis *Friderici II.* Anno 1232.

Conſtit. Imperial. Tomo I. A. 1232.

Franciſcus Canonicus, & Cuſtos ad Sanctam Crucem Wratislaviæ, *Protonotarius Imperialis,* Anno 1426.

Conſtit: Imperij P 2. Anno 1426.

Michaël Paceſt Præpoſitus Boleslavienſis, *Secretarius Imperialis* ſub *Sigiſmundo* Imperatore Anno 1414. & 1426. Idem munus geſſit *Michaël Prieſt* Canonicus Pragenſis, An: 1420. & 1421. Ego (pace *Goldaſti*) crediderim, unum eundémque fuiſſe *Michaëlem*, & nomen ſolum corruptum, & ab ignaro ex uno duos factos.

In literis Sigiſmundi Cæſ: paſſim.

In reſcripto ad Ordines Bohem:

Cancellarius Aulicus Imperialis ſub *Carolo IV. Pretzlaus Wratislavienſis Epiſcopus* Anno 1352. ſubſcriptus.

Joannes Epiſcopus Litomiſlenſis (à Novo foro cognomine) quàm diutiſſimè *Cancellarij Aulici* Imperialis munus geſſit, paſsímque *Caroli IV.* Diplomatis ſubſcriptus in *Conſtitutionibus Imperij* reperitur.

Aub: Miræus lib. de reb: Boh. C. 8.

Protonotarius, vel Supremus Aulæ Cæſareæ Scriba *Wladislaus* Canonicus Pragenſis, & Wiſſehradenſis, Anno 1347.

In Conſtit: Imperij A. 1347.

Secretarij Imperiales ſeqvuntur: *Nicolaus de Cremſir*, Anno 1355. in diplomate de ſucceſſ: Elect. Boh. *Joannes de Glatz* Anno 1357. in Bulla Metenſi. *N. Decanus Glogovienſis*, Anno 1366. in Diplomate quodam apud *Richardum Streinium. Petrus Præpoſitus* Olomucenſis. Anno 1371. in Diplomate Pragenſi. *Nicolaus* Præpoſitus Camicenſis, A. 1376. in Diplomate Noribergenſi.

Magiſter Curiæ Imperialis Petrus de Wartemberg in Koſt ſub *Carolo IV.* ſucceſſit autem in hoc Aulæ Cæſareæ officio *Burchardo* Burgravio Magdeburgenſi.

Paſſim in Diplomatis Caroli IV.

Bohuslaus de Welharticz Mareschalcus Imperialis, An: 1369.

Lehman. in Chronico Spirenſi.

Joannes de Duba Camerarius Imperialis; ijſdem annis, *& Joannes de Wartemberg Pincerna Imperialis.*

Ibidem.

Sub *Wenceslao Cæſare Cancellarius Imperialis Joannes Archi-Epiſcopus Pragenſis* Anno 1377. & poſt ejus deceſſum *Joannes* Epiſcopus Olomucenſis, pòſt *Patriarcha Aquileienſis* (non *Antiochenus*, ùt *Goldaſtus* memoriâ lapſus ſcripſerat) *Jodoci & Procopij* Marchionum Moraviæ Frater, An: 1396.

Apud Bzovium Tomo XIV. ſubſcriptus literis.

In actis Concilij Baſileenſis.

Goldaſt. l. cit.

Regiſtrator Imperialis Wenceslaus de Jenikovv, An: 1376.

Pergit poſtea probare *Goldaſtus*, allatis quàm plurimis ſubſcriptionibus ex Conſtitutionibus Imperij, Decrêtis, Reſcriptis, Diplomatibus Imperatorum: *Epiſcopos, Abbates, Prælatos, Barones, Equites, Civitates Bohemiæ, Moraviæ, & Sileſiæ, non modò S. R. Imp: Principes, Nobiles, & Fideles appellari, ſed etiam cum Germanis indifferenter collocari, & connumerari. Nec obſtat* (verba ſunt Goldaſti) *quod obijci fortè poſſet: hoſce Imperatores fuiſſe Reges Bohemiæ cui objectioni olim reſpondit Carolus IV. Imperator: Reges Bohemiæ, nihil alienum à moribus aliorum Imperatorum facere, ſi Bohemos præcipuè ad munia, & Officia Imperialia promoveant, eodem nempe jure utentes, quo Saxoniæ Duces olim ſuos Saxones, Suevi Suevos, Bavari Bavaros præ cæteris Germanis promoviſſent.*

Caroli IV. Cæſ. Bohemorum in Imperio juſta defenſio.

Gold. l. 3. de Juribus Regni Boh. C. 1.

Ad extremum *Goldaſtus* probat: *Bohemis* ab omni memoria licuiſſe honoratas poſſeſſiones Principatuum, Caſtrorum &c. *emere in Imperio. Sigiſmundus* Rex Ungariæ vendidit *Joanni de Wartemberg* Principatum Cuſtrinenſem An. 1397. eidémque oppignoravit totam Marchiam *Brandeburgenſem* ſuper Oderam Anno 1398. ùt teſtan-

Bohemis in Imperio licet ditiones emere, & poſſidere.

B

In Beylag. Germanicis apud Goldaſt.

teſtantur Diplomata. Sic *Rudolphus Baro de Nova-Domo, & Hermannus Baro de Maltitz, Bohemi* (Goldaſtum hîc deſcribo) *jam ſub Rudolpho I. Cæſare, Dominia in Germania poſſidebant, quorum nomine ad Comitia cum cæteris Imperij Comitibus vocati, Decretis ſubſcribebant, ùt videre eſt in Diplomate Rudolphi I. de Ceſſione Marchionatuum Oſtlandiæ. Egræ, Anno 1289.* Plura idem *Goldaſtus* congerit exempla, ùt *Sslickiorum, Riſenbergiorum;* Nos quoque *Comites Guttenſteinios* in Franconia ditiones habuiſſe in eorum Originibus probavimus; neque hodie deſunt exempla *Lobkovviciorum, Janovvskiorum, Robenhauptiorum &c.* Sic *Carolus IV.* Imperator conceſſit *Petro* de Wartemberg Domino in Coſt, *Telonium* Seltzenſe ad Rhenum An: 1371. & *Wenceslaus* confirmavit Noribergæ in Comitijs Anno 1376. ùt habet *Goldaſtus.*

In Archivo Carlſteinenſi leguntur authenticæ *Gerlaci Archi-Epiſcopi Moguntini,* & Imperialis Cancellarij ſupremi literæ, datæ Norībergæ An. C. 1356. in craſtino Epiphaniæ; quibus ille teſtatur: *Quòd liceat Regibus Bohemiæ, & omnibus Bohemiæ Magnatibus, ac Perſonis alijs, terras in Imperio poſſidere.* Notandum Quæ omnia licet admittantur à Nobis, ex ijs tamen vel parum, vel omnino nihil *Goldaſtus* conficiet, cùm in odioſis & oneroſis Imperij rebus non includi *Bohemiam,* nuper allata *Ferdinandi I.* demonſtret Oratio. Quod ſi tamen *Bohemiæ Proceres,* vel munia, vel terras in Imperio ſitas poſſideant, eam dubio procul ob cauſam, *non verò propter Bohemiam* ijſdem cum Imperio oneribus & Legibus ſubjacebunt, ac proinde *velut domeſtici & Cives* onera & odia ſuſtinebunt.

CAPUT II.

De Bohemiæ Veteris finibus. Miſniæ, & Luſatiæ partem aliquam olim in Bohemia cenſam fuiſſe: nominatim Zittaviam & Görlicium. Bohemiæ fines ultra Comitatum Glacenſem uſquè Wartam, & Camencium quondam extenſi. Item procul in Auſtriam, & in Palatinatum uſquè Noribergam, & in Bavariam. Marchia Brandeburgica nunquam fuit pars Bohemiæ. De Pruſſia Crucigerorum.

Coſmas ad A. 1023.

IN confeſſo eſt, alios olim fines *Bohemiæ* fuiſſe, alios nunc eſſe: *Coſmæ Decani* temporibus, ùt patet hiſtoriam ejus legentibus, etiam aliqua *Miſniæ* pars à Cæſaribus donata Noſtris Ducibus, *Bohemiæ inſerta* fuit, ac nominatim *Miſna* Civitas, quam Anno Chriſti 1075. Henricus IV. Imperator *Wratislao* Regi noſtro donavit; cui Rex Præfectum, & Gubernatorem impoſuit Generum ſuum ſpe-

Fabric. l. 5. Origin. Saxon. in Henrico II.

ctatæ virtutis virum *Vipertum Peganum Marchionem Oſterlandiæ.* Secutum eſt bellum Miſniacum, feliciter à Regijs geſtum, quod *Coſmas* deſcribit. Vide, quæ libro II. de *Miſnia* attuli, cùm novitium Scriptorem refellerem, aſſerentem Jus in *Miſniam* Reges noſtros habuiſſe propter id unum, quod ex *Anhaltina,* vel *Roſenſi* Familia deſcenderent, quæ vaniſſima Scriptoris illius conjectura, nullo omnino nititur fundamento.

Dreſſer. in Iſag. hiſtoric.

Bohemiæ Terminos olim latiores.

§. I.

Digitized by Google

§ I.

Limites Septentrionales Bohemiæ.

PIrnam in *Miſnia*, *Wenceslaum* Regem noſtrum ante Annum 1299. (*Bernardo* Miſnenſi Epiſcopo vendente) tenuiſſe ſcribunt *Fabricius & Dreſſerus*, ſúntque in eam rem authenticæ literæ. Anno 1300. *Wenceslaus Rex Bohemiæ*, nomine *Alberti Imperatoris*, rexit terram Miſnenſem; ſed iſtud nullam poſſeſſionem oſtendit. Idem de *Luſatia* probari poteſt; de *Görlicio*, *Zittavia* nominatim; (prior illa *Pohorzelecz* cùm conderetur aut inſtauraretur à *Sobieslao* Bohemiæ Duce Anno 1131. appellata eſt; *unde tandem Görlitz flexu, ſeu commutatione quadam literarum factum*, ait Dreſſerus) *Zittaviæ* ipſum nomen Bohemicum eſt; ædificata vel certè munita ſcribitur à *Wenceslao* circa Annum C. 1255. ex quo tempore in *Bohemorum* ditione, ac poteſtate remanſit; educatus eſt in hac Urbe *Wenceslaus II. Bohemiæ Rex*, qui Anno C. 1273. Regnum auſpicabatur, & plurimùm amavit *Zittaviam*. *Fabricius* rem miram, & alibi à me non lectam adfert: *Luſatiam inferiorem* ad *Regem Bohemiæ* pertinere tanquam *Electoris* poſſeſſionem, ejúsque partis *Luſatiæ* urbem primariam eſſe *Lukam*; res eſt controverſa, *Fabricij* tamen authoritas eſt apud me momenti non levis. In veteribus *Bernæ Regalis* Indicibus, inter alios *Bohemiæ Diſtrictus Zittavienſis* ſemper numeratur. Quod univerſam *Luſatiam* attinet: apparet ex *Fabricio*, cæteriſque Scriptoribus paulò antè An: 1300. quæcunque *Rex Bohemiæ in Luſatia* olim tenebat, progreſſu temporum, aut conjugij, aut oppignoratione, aut etiam vi & fraude, præſertim poſt *Ottogari* cladem Regno univerſo nutante, aut alio titulo, avulſa, & *Miſniæ Marchionibus* tranſcripta fuiſſe. *Joannes Lucemburgicus* Bohemiæ Rex *Friderico III.* Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ meritò offenſus (quòd *Juditham* filiam ſuam, quam ſibi deſponſaverat pridem, & habebat in *Miſnia*, in *Ludovici Bavari Imperatoris* gratiam in *Bohemiam* remiſiſſet, Regiæ filiæ illudens, & ſuam affinitatem repudians) ſcripto confeſtim Exercitu (ùt erat irritabilis maximè, & primus inter ejus ætatis Principes bellator) ſuperiorem Luſatiam adoritur, Görlicium capit, commiſſóque cum *Friderici* Præfectis non magno, neque difficili prælio, quidquid ibi unquam *Bohemiæ Reges* habuerant, recuperat, ejectíſque alienis Præfectis, *Bohemos* cum præſidio militari imponit; eâ ratione *Luſatia ad Bohemos* rediit, *Friderico*, ejúsque ſucceſſoribus, non armis (quippe inferioribus) non tranſactione (cùm ad *Bohemiam* pertinuiſſe conſtaret) *Luſatiam* repetere, & recuperare valentibus, quam uſquè ad ætatem noſtram *Regno incorporatam*, ut ſic loquar, tenuimus. *Miſniam*, ut omitterent, faciliùs noſtri Reges exorari ſe paſſi ſunt: habebant in *Miſnia Reges Bohemiæ* Arces, & oppida 64. ùt fatetur *Fabricius*: ergo *Fridericus II. Miſniæ Marchio*, cui grave videbatur ditionem interpolatam, & alijs Dominis obnoxiam habere, cum *Georgio Podiebradio* Rege tranſegit, ut Jus, quod in *Miſniacas* illas Arces habebat, abdicaret (quod etiam impetravit in Egrenſi colloquio) cùm priùs Elector *Brixiam* Bohemiæ Urbem, arcem *Riſemberg* ad *Oſſecam*, aliáque plura cum jure omni *Georgio* reſtituiſſet. *Glacenſem* quoq; *Diſtrictum* inter *Bohemicos* nominatum in *Berna Regali* invenies: *Ælurius* affirmat, primùm Anno C. 1459. 24. Junij *Glacenſem Bohemiæ Diſtrictum*, Comitatûs, ut vocant, titulum accepiſſe. Bohemicè olim locutos *Glacenſes*, ejúſque Comitatûs Incolas negare non

Fabric. l. 2. Annal. Urbis Miſnæ. — *Dreſſer. l. cit.* — *Ex ſupplemento de Pirna.* — *Goldaſt. in Beylagis n. 20.* — *Dreſſer. in Gerlicio.* — *Dreſſer. in Zittavia.* — *Fabric: Lib. Origin Saxon: in Diterico III.* — *M.M.SS.* — Luſatia avulſa à Regno cæde Ottogari. — Redit ad Bohemos. — *Fabr. in orig: lib. 7.* — Georgius Rex Boh: deceſſit parte Miſniæ. — *Ælurius in Glaciograph: in Præf:* — In Comitatu Glacenſi.

Digitized by Google

non poſſumus: vidi ipſe Tribuum, Opificúmque lêges antiquâ Bohemorum linguâ ſcriptas, eáſque petentibus ſum interpretatus; meminêre etiam ſenes, *Eccleſia S. Wenceslai* ad Arcem Glacenſem, ubi *Bohemicus Capellanus*, itâ vocabant, ſacris præerat, ad quem plures, quàm decem Bohemici Pagi referebantur; in ipſa Urbe Glacenſi *Judicem* habebant *Bohemi*, qui *Bohemicè* Jus diceret; oppida, & urbeculæ Comitatûs, Bohemicis, quæ alibi commodiore loco referemus, appellabantur nominibus; *Glacij* præterea à ſæculis pluribus, *Cerevisia Hradecenſis è Bohemia* in Taberna propinabatur; donec tandem Anno 1517. Comes *Udalricus ab Hardek* Glacij Dominus civibus cereviſiæ coquendæ Jus in perpetuum contuliſſet. Neq; *Bohemiæ* limites *Glacenſi Comitatu* olim claudebantur, cùm conſtet (ût in *Wartenſi* hiſtoria probavi) non modò arcem *Wartæ*, ſed etiam *Camencij* excitâſſe *Bohemos*, quibus hoſtes arcerent.

Id. Ælur. in Glaciogr. ſect. 1. N. 5.

Id. ſect. 3. init.

§ II.

Limites Auſtrales, & Occidentales.

De Limitibus Auſtriam verſùs.

JAm *Auſtriam ſuperiorem* verſùs, ampliùs quàm hodie videamus, extendebatur *Bohemia: Weitrach* (Bohemis Witoraz) Civitatem Auſtriæ habebamus. Uſque ad *Plagenſe Cœnobium*, *Roſenſium* Bohemorum Ditiones porrectas fuiſſe, in monimentis ejus *Cœnobij*, quæ legenda mihi quondam Loci Abbas obtulit, vidi, & ex *Annalibus Roſenſium* libris, qui apud me ſunt, ſi ea res agêretur, nullo negotio probare poſſum; eadémque ratio eſt de pluribus alijs, aut oppidis, aut ditionibus, quas odiosè commemorare hoc loco nihil attinet. Illud præteriri non poteſt, tam profundè in *Bavariam limites Regni Bohemiæ* extenſos *Caroli IV.* temporibus fuiſſe, ut ob amplitudinem terrarum *Bavariæ Capitanei* (itâ appellabantur) ex *Bohema Nobilitate* crearentur, qui nominati à Regibus, regionibus illis præeſſent. Talis erat *Borzivojus* ille Bohemus Baro, Anno 1397. à *Wenceslao* Caroli Filio conſtitutus. Ego tamen exiſtimo errorem eſſe in voce, & non *Borzivojum*, ſed *Borſonem* appellatum *Comitem Oſſecanæ* ſtirpis, quam ſuſpicionem meam alio in loco firmiùs approbabo.

Hiſtor: Roſen: M. S. C. 1.

Bavariæ pars ſpectabat ad Bohemiam.

Bruſchius Centuria 1. Monaſter. Germ: in Ebraco.

De *Palatinatu* audiamus vetus M.S. ad Ann: 1349. *Carolus Imperator magnificè Regnum Bohemiæ amplificavit hoc tempore; emit enim plurimas ditiones propè ad ipſa uſquè mœnia Norobergæ. Sanè in Erlſtein pago, medio Norobergâ milliari, limites Regni Bohemiæ viſebantur; videlicet quatuor ſedilia ex ſaxo, & columna inſuper, Regnum ab Imperio diſcriminans; in ea columna ſupernè duæ cruces, quarum altera Imperium, altera Bohemiam reſpiciebat, & denotabat.* Hæc manuſcriptus Codex. Et ſubſcribit, qui tum vivebat *Beneſſius*: *Emit*, inquit, *Carolus plurima, & dilatavit Regnum Bohemiæ, ad omnes partes:* ad Annum 1370. *Carolus Imperator emit oppidum Fürſtenberg prope Civitatem Francfurt, ibique Caſtrum firmiſſimum, & Pontem ſuper flumen Oderam extruxit, ipſe toto vere inſtans operi eo in loco moram traxit.* Et ad Annum 1348. *Carolus in Palatinatu plura emit uſque ad mœnia Civitatis Noribergenſis.* Quâ ratione igitur avulſa ſunt à Regno tot caſtra, tot urbes, tot Provinciæ? De *Bavaria & Palatinatu Dreſſerus* candidiſſimè, & breviſſimè negotium explicuit: *Imperante*, inquit, *Wenceslao Pigro Palatini cum Ducibus Bavaricis &c. Imperatori fidem & obedientiam renuntiant, Oppidáque & arces, quas antè à Ruperto Palatino ſeniore Carolus IV. emerat, recuperant, & inter ſe diſtribuunt.* Hæc ad

M.S Vita Caroli IV. incerti Authoris.

Palatinatûs non modica pars ad Bohemiam referebatur

Beneſſ. Canonic. Pragen. l. 3. Chron. Pra: ad A. 1369. & 1370.

Item Regio ad Franckfurt penes fl. Oderam.

Dreſſ. in Iſagoge hiſtorica tit. Bavariæ.

Quomodo alienata ſint à Reg: Boh. oppida Bavariæ.

Digitized by Google

ad verbum Germanus homo *Dreſſerus*, quibus ego adjicere nihil poſſum; aliquod tamen ſummarium publicarum literarum (quas apud *Goldaſtum* legere eſt) conficiam: Literæ *Ruperti* Comitis Palatini, Renunciatio Jurium ſuper quibusdam terris *Bavariæ*. *Hagenoviæ* Anno 1352. *Confirmatio Feudorum* Imperialium in *Bavaria Regi Bohemiæ* factorum, *Ludovici Brandeburgici* S. R. Imperij Archi-Camerarij. Nürnberg. 1353. Similes habentur ab omnibus Principibus Electoribus, v. g. *Gerlaci* Archi-Epiſcopi Moguntini, tanquam Electoris Confirmatio Incorporationum *Bavariæ* cum *Regno Bohemiæ* Anno 1355. in Nürnberg. Vide Indices *Archivi Carlſteinenſis*, quos alibi recitabimus. Recognitio *Theodori de Wildenſtein* Præfecti Ducis *Bavariæ*; quòd ſi Dux moriatur, debeat terram ejus *Carolo Regi* Bohemiæ reſignare. Francofordiæ 1349. die Veneris poſt Sanctum Joannem. De ſilva *Vehlnerforſt*, habes literas in *Goldaſto*. 1353. Hagenoæ Anno 1354. *Ruperti* ſenioris Palatini Electoris Traditio Feudi Imperialis in *Hohenſtein*, *Hirsberg & Averbach* in *Bavaria*, *Regno Bohemiæ*; Hagenoæ die Veneris poſt SS. Simonem & Judam. Conſimiles habentur literæ *Ruperti Junioris*. Literæ *Ludovici* Marchionis Brandeburgici, qui promittit *Carolo* Regi Bohemiæ ex parte præcedentium contractuum: quòd ſi aſſignatio terrarum *Bavariæ* in manus ſuas venerit, eam velit circa jura ſua protegere. Dreſdæ Anno 1355. die Veneris ante feſtum S. Mathiæ. Rurſus *Rupertus ſenior* Palatinus, recognoſcit: nullum eſſe Jus feudale, ſive in terris Bavariæ, ſive alibi emptis à *Carolo*, niſi ab Imperio ſuper *Hohenſtein* & *Auerbach*. Wertheim 1353. Idem *Rudolphus Palatinus* promittit, quando *Carolus Rex Bohemiæ* perſolvet 2400. Marcas argenti, tum debere ſe providere, ut omnes terræ ſuæ prædicto Regi jurent. 1355. die Mercurij ante S. Georgium. *Gerlacus Archi-Epiſcopus Moguntinus* atteſtatur: *Duces Bavariæ Rupertum ſeniorem, & Juniorem* vendidiſſe *Regi Bohemiæ* terram *Bavariæ* (enumerantur Arces, & Ditiones omnes &c.) Noribergæ. 1355. die S. Thomæ. Idem *Gerlacus Moguntinus* confirmat emptionem Juris feudalis ab Eccleſia *Trevirenſi* ſuper Caſtro *Stirberg* cum ſuis pertinentijs, quod *Landgravius Leuchenberg* nunc tenet à Regno *Bohemiæ*. Noribergæ 1356. Eâdem Regum noſtrorum providentiâ, & augendi Regni ſolerti ſtudio, *Cubitenſis & Egrenſis* Regio longè antè Bohemiæ Regno acceſſerant, ùt in hiſtoria narrare memini, tantàque eâ tempeſtate *lingva Bohemicæ* authoritas apud vicinos *Miſniæ*, *Bavariæ*, atque etiam *Auſtriæ* populos fuit, ut (quod exemplis probare in proclivi mihi eſt) non pauci ex *Bavaris*, *Palatinis*, *Miſnijs*, *Auſtriisq.* Principibus probè, & luculenter Bohemicè loquerentur; Nobilium verò & Optimatum, ſed maximè Mercatorum filios ad Bohemicam lingvam diſcendam *Pragam*, aliòve mitti ſolitos memoriæ veteres demonſtrant, ſic ut etiam ad cœnobia & clauſtra Religioſorum, ea conſvetudo perveniret, ùt obſervat *Gaſpar Bruſchius*; exempli gratiâ: *Mittuntur Waldſaſſio Monachi Ciſtercienſes in Bohemiam ad lingvam Regionis diſcendam*, pergit Bruſchius: *omnes enim ferè Waldſaſſenſes Monachi antiquitus trilingves erant, Latinam videlicet, Bohemicam, & Germanicam callentes*. Sed quid hæc minora adducimus, cùm conſtet paulò ante *Henrici Aucupis* tempora (ùt alibi probatum eſt) omnes propè ſeptentrionales Provincias à *Danubio & Albi*, uſq; ad mare, & *Venedicum Sinum*, Slavicè locutas, ídque manifeſtum redditur ex *Witikindi* Annalibus, qui *Ottoni I. Henrici Aucupis* filio erat à ſacris, comésque bellorum, quem *Ottonem M. Slavicam* etiam calluiſſe lingvam teſtatur.

Anno 1327. novum feudum Regno

Goldaſt in Beylagn. N. 40.

N. 43.

N. 44.

Citantur Literæ publicæ de Bavaria Bohemiæ jungẽda.

In Beylagn N. 31. 32. 35.

Gold. l. cit. n. 37.

N. 38.

N. 19.

N. 41.

Lingvæ Bohemicæ uſus olim magnus.

Bruſch. Cent. 1. Monaſt. in Waldſaſſio 1358.

Slavicæ lingvæ amplitudo.

Witikind. l. 2. Annal. Saxon. in fine.

Digitized by Google

Privilegia Regni M. S.

Plawenſes Principes incolæ Regni Boh:

gno acceſſit, Ditiones ſcilicet *Plavvenſium*, quas Joanni Regi ſubjecerunt, cúmque poſtea id feudum neſcio quo modo evanuiſſet, *Carolus IV.* Imperator, omnes eas Urbes, atque arces, quæ ad *Regnum* aliquando pertinuiſſent à *Burgravio Plavvenſi Rutheno* cognomine, Anno 1357. recuperavit; *Erneſtus* tandem *Elector* Saxo Anno 1466. *Plavenſem* ob ejus injuſtitiam omni ditione exuit, qui exul in Bohemiam conceſſit; at *Elector* certam ei pecuniam poſtea numeravit, quâ ille *Tauzim* (Deiſing) & *Engelsburgum* (Angelſtau Horu) comparavit, eóque in oppido, & arce conſedit; unde velut domeſtici in *Bohemia Plavenij* haberi cœperunt, & Regni primis officijs honeſtabantur; certè priore ſæculo *Cancellarium Regni Henricum Principem Plavvenium* habebat Bohemia.

§. III.

De Marchia Brandeburgica.

De March: Brandeburgica.

JAm verò qui *Marchiam Brandeburgicam* Bohemię adjiciunt, falluntur egregiè: non enim unquam inſerta Regno fuit, licèt à Regibus noſtris, vel Regia eorũ familia teneretur; cùm *Waldemarus* verus Marchio (*verus* dixi, nam pſeudo-Waldemarus exortus eſt poſtea, totúmque turbavit Imperium, ut in Regum libris, ſi DEUS vitam dederit, narrabimus) cùm, inquam, *Waldemarus* ſinè liberis objiſſet, eam Provinciam, quaſi rem caducam, & ad Imperium devolutam (ùt olim *Rudolphus I.* in Auſtria fecerat) *Ludovicus Imperator* filio ſuo *Ludovico*, cognomine *Romano* (quod Romæ natus eſſet) contulit, hanc poſtea *Otho* Bavarus Princeps vendidit *Carolo IV. Regi Bohemiæ* pro filio *Sigiſmundo*, ùt ſcribit *Cromerus*; filius *Caroli Wenceslaus* vendidit *Jodoco* (*Juſtum* alij Scriptores appellant) & *Procopio*, Moraviæ Marchionibus; iſti bellis civilibus ad egeſtatem redacti, *Wilhelmo II.* Miſniæ Marchioni pro quadraginta millibus ſexagenis vendiderunt, aut, ùt *Weleslavinus* exiſtimat, oppignorârunt; at, cùm *Wilhelmi* Frater *Fridericus* Saxoniam obtineret, eſſétque *Elector*, nè in una familia utraque dignitas *Electoris* reſideret (quod Majores noſtri religioſè cavebant) reddita eſt à *Sigiſmundo* Cæſare I. *Wilhelmo* pecunia, & *Brandeburgia*, totius Imperij voluntate, in *Concilio Conſtantienſi Friderico Norimbergenſi Burggravio* (unde Brandeburgicæ ſtirpis prima appellatio) cùm *Feudi* onere eſt relicta.

Cromer. li 13. hiſtor. Polon. Fabric. l. 7. Origin Sax.

Quod modò ſcripſeram, *Othonem Carolo IV.* Marchiam vendidiſſe, violenta nimiùm illa venditio fuit: *Beneſſius* ejus temporis Scriptor audiatur: *Anno 1373. Otto Marchio Brandeburgenſis, Gener Caroli IV. præteritis filijs Imperatoris, contra pacta, voluit inſtituere hæredem (quia ipſe carebat liberis) Fridericum Ducem Bavariæ; itaq; Imperator conſcripto Exercitu occupavit plurimas Othonis arces, ità, ut adactus ſit venire Pragam; quo petente Carolus per banderias inveſtivit filios ſuos Wenceslaum, Sigiſmundum, & Joannem, & ijs deficientibus, Marchiones Moraviæ Ducem Joannem, & filios ejus Jodocum, Joannem, & Procopium, & dedit Ottoni pro Marchia innumerabilem pecuniam, & caſtra Sultzbach, Flos, & cætera, & Civitates,* quæ ibi enumerantur. Hæc Beneſſij verba dilucidè, atque perſpicuè explicant illam *Marchiæ Brandeburgicæ* emtionem. At poſtea mutari omnia contigit: nam *Sigiſmundus* Imp. Caroli IV. filius & Boh. Rex A. 1417. *Friderico Burgravio Noribergenſi Eittel-Friderici II.* abnepoti (ut dixi) ob res ſapienter, ac fortiter domi, belliq; per *Ungariam, Bohemiam,* & *Ger-*

Beneſ. l. 4. Chronic. Ao: 1373.

Henel. in Sileſiograph. Reiſn: in Baſilico Genealog. Ricciol. To: 3. Catal. 49.

Digitized by Google

& Germaniam geſtas, hanc *Marchiam* dedit cum *Marchionis* titulo, ſuúmq; in eo Principatu ſucceſſorem, *Electorémque* conſtituit; à quo *Friderico* omnes *Brandeburgici Marchiones*, quotquot in *Marchia, Pruſſia, Ducatu Juliacenſi, Franconia*, alibique floruerunt, ac florent, rite deſcendunt, ùt omnes Genealogiſtę demonſtrant. At huic donationi (vel quidquid fuit) factæ à *Sigiſmundo* non ſemel etiam publicis literis, & Comitiorum Articulis ipſi *Sigiſmundo* porrectis, *Bohemiæ Ordines* reclamarunt: quòd nimirum *Carolus IV. Imp. Marchiam* illam (quidquid ſit de *Electoris* dignitate) collectâ in hunc ipſum finem à Regno Bohemiæ extraordinem pecuniæ ſummâ (quæ ducenta millia Ungaricorum ſuperabat) emerit à *Palatinis Principibus*, eâque ratione *Marchiam Bohemiæ* conjunxerit, ac ſaltem *Feudum* effecerit; de qua cauſſa exſtant plurimæ in Archivo Regio publicæ multorum *Imperij Principum* literæ, quarum ſuo loco expreſſam faciam mentionem. Omnes enim hiſtoriæ noſtræ (ſi fieri poſſit) ut Veritas conſtet, *publicis Transactionem literis* optimè innituntur, & ad hanc minimè fallentem (ut ita dicam) *libram & libellam* exiguntur juſtiſſimè. Suſpendant igitur tantiſper aſſenſionem ſuam, ſi dubium oboriatur, *Lectores* eruditi, dum *Acta publica* adferantur. L. VII.

Pruſſiam Crucigerorum, Majores quoque noſtri ad *Bohemiam*, noſtróſque Reges *Patrocinij nomine* pertinere exiſtimabant, tum quòd eam devictam *Ottogarus Rex* primùm Crucigeris tradidiſſet, & Ordinis Patronus nominatus eſſet, & quòd contractu quodam interveniente cum *Alberto Brandeburgico* acquiſiviſſe viderentur. Fuit ex ea cauſſa à *Ladislao* miſſa ad *Caſimirum II.* in Poloniam Legatio, quam irridet *Cromerus*. Sed de his omnibus, præſertim de *Feudis Bohemiæ*, agemus poſtea libro ſingulari.

Ottogarus Rex Pruſſiam Crucigeris tradidit.

Cromer. in Hiſtor. Polon. l. 12.

CAPUT III.

De Regionibus, ſeu, ùt nunc vocant, Diſtrictibus Bohemiæ; fines, & termini ſingulorum; Oppida, Civitates, & Arces; tum quâ dote commendentur, ac tandem quâ figurâ quiſque eorum chorographicè delineari poſſit.

Carolus IV. Bohemiam in 15. regiones non diviſit.

In Rep. Boi. C. 2.

PAulus Stranſky, in ſumma, quam ſecutus eſt, brevitate, inſignis Bohemiæ Reipublicæ Scriptor, egregiè lapſus videtur, cùm *Bohemiam* in Diſtrictus XV. à *Carolo IV.* Patriæ Patre diviſam affirmat, eámque *Caroli* partitionem poſteros omnes amplexos eſſe, & ad noſtra uſque tempora perſeverare; clariſſimè refellitur hæc ſententia ex codice authentico, cui titulus eſt, *Berna Regalis*, in quo Codice civitates omnes, quid quæque Regi, aut Cameræ Regiæ pendere quotannis ſolitæ ſint ſub *Carolo IV. & Wenceslao* ejus filio, diligentiſſimè annotatur; additæ ſunt ſeſſiones *Juſtitiariorum*, ſeu *Popravvczonum* (ùt tum Capitaneos regionales vocabant) ſcilicet nomina Urbium, in quibus Capitanei exercebant judicia, & diſſidentes componebant; vide, quæ ſcripſimus pridem in *Auctario I. Hiſtoriæ S. Montanæ* Cap. I. Porrò in eo Codice non 15. ſed 12. tantùm numerantur Diſtrictus, in partes, quantum fieri potuit æquales, diviſi hoc ordine: I. *Pragenſis* ſeu *Gurimenſis*, in quo *Praga* major cenſetur. II. *Plsnenſis.* III. *Lito-*

M. S. Coll. Prag. N. 340.

Bohemiæ vetus diviſio.

Litomericenſis. IV. *Grecenſis* ſeu *Hradecenſis.* V. *Rakovvicenſis*, ad quem etiam *Verona* ſeu *Berauna* referebatur. VI. *Chrudimenſis.* VII. *Prachinenſis*, in eo *Kamyk*, *Brzeznicz*, *Netolicz &c.* VIII. *Slanenſis*, in quo *Praga minor*, *Raudnicz*, *Welvvar &c.* IX. *Boleslavienſis.* X. *Zacenſis*, in quo etiam *Uſti* ſuper Albea, id eſt, *Auſta ſuper Albim.* XI. *Czaslavienſis.* XII. *Bechinenſis*, in quo *Uſti* ſuper Luznitz: nondum enim à *Taboritis* Urbs illa exciſa conciderat. Hinc patet Diſtrictus *Podbrcenſem*, *& Wltavienſem*, nondum *Wenceslai* Regis temporibus appellationem habuiſſe, nec *Pragenſem* à *Gurimenſi* fuiſſe diviſum; ſerò tandem in Comitijs Anni 1569. & 1579. Praga non, ùt *Stransky* exiſtimavit, *Diſtrictus* peculiaris facta eſt, ſed ob prærogativâ dignitatis à *Gurimenſis Diſtrictûs Capitaneorum* Jurisdictione exempta, ſic ut in poſterum ab ijs, quos Rex conſtituebat, Præfectis tribus, tres Pragenſes Urbes, *Antiqua*, *Nova*, *& Parva Praga* regerentur.

Stransky l. c. Pragenſes Urbes non reguntur à Capitaneis Diſtrictuū.

Porrò de Præfectorum Regiorum, & Regionalium Capitaneorum authoritate, poteſtate, & cujus ordinis, & dignitatis illos eſſe oportuerit, & quæ eorum munia fuerint, déque alijs huc pertinentibus, in ſequentibus *Miſcellaneorum* libris agemus. Omiſſo igitur *Pragenſi* Diſtrictu, quem *Stransky* nobis obtrudere voluit, XIV. Diſtrictus habemus: *Kaurzimenſem*, *Hradecenſem*, *Chrudimenſem*, *Czaslavienſem*, *Bechinenſem*, *Prachenſem*, *Plznenſem*, *Rakovvnicenſem*, *Slanenſem*, *Zatecenſem*, *Litomericenſem*, *Boleslavienſem*, & quos ſub Wladislao Rege additos ſuſpicor, *Podbrcenſem*, *& Wltavienſem.* Superſunt tres regiones, & Provinciæ, ab ortu Solſtitiali *Comitatus Glacenſis*, ab occaſu æquinoctiali *Territorium Egrenſe*, ab occaſu ſolſtitiali *Territorium Cubitenſe* (de quibus, quâ ratione *Bohemiæ* adjuncti, & ut ità dicam, incorporati ſint, alia habebit tractatio) Has tres regiones, ſi quis inter *Diſtrictus* Bohemiæ connumeret, non pugnabo: *Cubitenſis Diſtrictus* jam paſſim vocatur; *Egrenſe territorium*, *& Glacenſem Comitatum*, ego quidem *Diſtrictus* appellare non ſoleo. Ante omnia Lectores admoneo: enumeraturum me quidem hoc loco quaſdam Urbes, Arces, Oppida Regionum ſeu Diſtrictuum ſingulorum, at nihil (niſi rariſſimè) præter nomen additurum. Memorabilia enim Civitatum, & Arcium alteri tractationi reſervo, hîc quasdam, eásque præcipuas tantùm nominaſſe ſufficiet.

Regiones Bohemiæ ſeu Diſtrictus.

§. I.

De Diſtrictu, ſeu Provincia Kaurzimenſi, quæ ejus figura, quæ Diſtrictûs Urbes, Oppida, ac ditiones præcipuæ; qui termini, & quâ dote commendentur.

AC primùm *Kaurzimenſis*, *vel Gurimenſis* (ut ſcribebant Veteres) *Diſtrictus* omnium antiquiſſimus habetur à vetuſtiſſima Urbe *Kaurzim*, quam *Ptolemai Caſurgim* eſſe multi exiſtimant; habuit Duces ſuos antiquiſſimos, quos etiam aliquando *Praga* formidavit. Si in *Kaurzimenſi* Provincia *Pragam* reponas, nullus reliquorum Diſtrictuum huic poterit comparari, ſed nos *Pragæ* alium dabimus locum. *Pragâ* igitur ad Solis ortum ex antiqua, vel novâ Urbe eunti *Kaurzimenſis Diſtrictus* occurrit; *Equini capitis frænati*, niſi fallor, effigiem refert, ſic ut in Equi fronte *Praga* ſedeat; auriculas poſt Pragam occupent ad ſeptentrionem ſita loca; os cum fræno uſque *Woticium* porrigatur, reliqua *Caput & Cervicem* conficiant.

Caurzimenſis Diſtrictus figurâ habet Equini capitis.

Si totum obire *Kaurzimenſem Diſtri*

Limites hujus Diſtrictûs.

Diſtri

ſtrictum placet, haſce lineas terminales habeto: Pragâ per *Podskal* exito; tum per ripam Muldavæ fluminis (qui ad Podbrcenſem Diſtrictum refertur) ad *Oſtrovv* ſeu *Inſulam* (quondam Cœnobium illuſtre Benedictini Ordinis) applicato. Hîc notare te oportet; quidquid tibi hoc toto itinere (quod deſcribo) à ſiniſtræ manûs parte occurret, id omne ad *Kaurzimenſem Diſtrictum* pertinere. Jam igitur Cœnobio *Oſtrovienſi* à dextris ſtante, per *Sazavæ* fluminis (qui ſiniſter erit) crepidinem, ſub ipſum *Porzicium* (quod quia ad Wltavienſem Provinciolam ſpectat, ad dexteram ſtabit) *Konopiſſtium* rectâ contende, eâque munitiſſimâ arce, ùt & Janovicio à ſiniſtrâ, *Hradek* rubro, & *Koſovâ horâ*, mox *Nedrahonicio* à dextra parte relictis, versûs *Koſtelecium*, quod *Podolsky* dicimus, te præcipitato; at quia *Koſtelecium* in *Bechinenſem* Provinciam (cujus hîc limites obvios habebis) refertur, ad ſiniſtram totum te converte, & *Miliczino* à dextris ſtante, *Jankovium* ingredere; perge deinde *Wlaſſimium*, *Sſtiepanovium Sternbergenſe*, *Kacovium*) hæc enim ſunt in hoc Diſtrictu oppida terminalia) tum *Albim* (ſed vitato priùs *Sukdol*) continges, qui jam tibi hujus Diſtrictûs limitem aget uſquè *Mielnicum*, quo à dextris ſtante, ad *Muldavæ* ripam tranſibis, & adverſo illo & à dextris fluente penes *Liben Pragam* aſcendes; atq; itá totum *Kaurzimenſem* Diſtrictum obiiſti.

Limites hujus Diſtrict.

In hoc Diſtrictu Kaurzimenſi liberæ Regni Urbes cenſentur tres: *Kaurzimium*, *Colinum*, & *Broda bohemica*, de quibus in Urbibus agemus. Oppida Regiæ Cameræ: *Gilovia* cum aurifodinis, *Brunduſium* Civitas, & Arx Albi imminens (de qua in tractatione de Arcibus) *Przerovia* olim Sſelembergicorum, poſtea Vetero-Pragenſium, nunc Regia ditio, *Koſtelecium Albenſe* ſeu ad Albim (imò veriùs in ipſo *Albi*, locus olim munitiſſimus & aliquot prælijs nobilitatus) *Sſelakovvice*, *Zapa* (Stranskij Patria) *Saczka*, ubi olim ex miraculo S. Apollinaris (quod in Epitome narravi) Collegiata Eccleſia, deinde Cœnobium Canonicorum S. Auguſtini ſtetit.

Regiæ Urbes & ditiones in Caurzimenſi.

Ditiones Nobilitatis: *Klecany* (quæ ob campanarum Boleslaviam peregrinantium fabellam ridetur) *Kluczovv*, *Kauniczc* (cognomine Illuſtriſſimæ ſtirpis Comitum) *Cerhenice*, *Zasmuky*, *Colodiege*, *Aurzinoveſium*, *Ratage*, *Sternberga* à Sternbergijs condita, *Koſtelecium* ſuper nigras ſilvas (de quo in arcibus) *Pyſſeli*, *Hradek* ad Sazawam, *Liſſno* arces partim ſolæ, partim cum oppidis; Oppida *Domaſſinum*, *Beneſſovium Hodiegoviorum*, Cœnobium ad Sazawam S. Procopij, miraculis illuſtre, cujus Abbas Regni Prælatus eſt. *Auvval* ejuſdem *S. Procopij* natalis locus; *Skara* caſtrum ad Auwal dejectum, in quo *B. Arneſtus Pragenſis* Archi-Epiſcopus eſt genitus; *Konopiſſtie* (de quo in Arcibus) *Wlaſſim* (unde *Wlaſſimia* Baronum ſtirps nomen accepit) *Genſtein*, val *Genzenſtein* (arx olim Baronum ejuſdem nominis) *Byſtricium*, *Janovice* dictæ carbonariæ (Uhlirzsky) *Jankovv* (locus infeliciſſimi prælij A. 1644.) *Chotieſſany*, *Sſtiepanovv*, *Kacovv*, *Machovice*, *Sſtirzin*, *Sskvvorecz* (unde Sskworeczky illuſtris olim Dominorum familia) *Rziczany* (Rziczaniorum originaria ſedes) *Planiany*, *Nebvvizd* cum periculoſa, ac triſti viatoribus ſilva (cui gemina eſt *Brodam* versùs ante *Auvval*, quæ *Fidrholtz* dicitur) *Brzezany* duplex, *Czeſtinkoſtel*, *Chocemicium*, *Chraſt* (Chraſti eſt in Chrudimenſi) *Kolovvraty* (ſinè dubio familiæ cognominis ſedes) *Kvietnice* (ditio prima Maternarum Equitum vetuſtæ ſtirpis) *Launiovice* (quondam Cœnobium Præmonſtratenſium Virginum ſub Præpoſito) *Lobkovvice* (unde Lobkovvicij) *Poſtupice* (unde nobiliſſima Koſtkarum ſtirps) *Radborz* (granatis gemmis celebre) *Winorz* (primigenia Equitum ſedes) *Wodolinevvoda*, hodie

Nobilitatis ditiones in hoc tractu.

Digitized by Google

hodie Odolka (quanquam iſta ad Slanenſem Diſtrictum ob arcem *Nelahozeves*, cui adjungebatur, hodie pertineat) ad Albim *Neratowice*, *Obrziſtvo*, *& Chvvatieruby*, tria hæc loca à Salmonum piſcatu notiſſima; *Clomtnum*, *Chvvaly*, *Tauſſim* (habitatione quondam *Caroli IV.* dum ſtaret caſtrum, conſecratum) *Dubecz*, *Petzinovv* (unde fortè ſecta Piccardorum Pecinovvska, & Fratres Pecinovvſſti) *VVotice*, *Caſtrum Kaſſin* è regione *Aulæregiæ*, aliáque plura. Ad *Brodam* vicus eſt *Hrzib* nomine, clade Taboritarum inſignis, quo eodem in loco A. 1434. à Catholicis propè internecione ſunt deleti, ùt in Hiſtoria narravi.

Quibus rebus Diſtrictus Kaurzimenſis abundet.

Caurzimenſis Provinciæ præcipua dos eſt ſilvarum multitudo, quâ unâ merce maximè ſeſe Regiæ Urbi *Pragæ* commendat, innumeris ratibus ſecundo *Sazavâ & Muldavâ* Pragam continenter deſcendentibus, & quidquid lignorum, frumenti, ac cæterarũ mercium advexerint, in Urbe præſenti pecuniâ vendentibus; *Salmonum* quoq; capturâ, ùt ante notavi, certis locis fælix eſt *Kaurzimenſis* Provincia.

§. II.

De Reginohradecenſi Provincia; figura ejus, ac Termini, Urbes, Arces, Oppida, ac ditiones, ac denique dotes præcipuæ.

Quâ figurâ exprimi poſſit Reginohradecenſis provincia.

R*Eginohradecenſis* Diſtrictus omnium Bohemiæ Diſtrictuum ampliſſimus, ab Urbe primaria *Reginohradecio* appellationem traxit; repræſentat, ùt conſideranti facilè patere poteſt, manipulum, aut *Faſciculum Florum*, eâque figurâ exprimi poteſt, ſic ut flores ipſi ſupernè in faſciculis latiores â Podiebradio adusq; fontes Albis extendantur, petioli autẽ florum & faſciculi ipſius infima, & anguſta pars, à *Bohdanecz & Nachod* usq; ad fontes *Moravæ*, qui in hoc Diſtrictu oritur, perveniant. Aptiſſimè verò floridi faſciculi figurâ pingetur: cùm enim Civitates, & potior Diſtrictûs hujus pars *dotalis* ſit, & *Reginis*, quæ coronatæ ſunt, dotalitio nomine tribuatur, faſciculum florum in manus *Reginæ* dare videntur Reges, cùm *Reginohradecenſem Provinciam* tradunt; ad id exemplum in hiſtorijs legimus in certis regnis, quædam dari Reginis in *ſoccum*, quædam in *amiculum*, in *faſciam*, in *ſtrophium*, & alios mundi muliebris apparatus.

Termini Diſtrictûs.

A Praga ortum hibernum versùs euntibus poſt grandia ſex milliaria, *Podiebradij* Diſtrictus inchoatur, & generatim ab occidente, *Boleslavienſi*, ab Aquilone montibus *Cerconoſſijs*, & ſilvis Sileſiticis, ab oriente *Comitatu Glacenſi & Septentrionali Bohemiæ* plaga, ab Auſtro Diſtrictu *Chrudimenſi* circumſcribitur.

Civitates & Oppida.

Urbes liberæ *Nymburgum Regis*, Reginarum verò Bohemiæ: *Hradecium*, *Jaromirium*, *Bydzovium novum*, *Trutnovium*, *Curia*; de quibus in hiſtoria Urbium agemus: aliæ Nobilitati ſubjectæ Civitates, & Oppida: *Giczinium*, *Braunovia*, *Dymokurium* cum arce, *Copidlno*, *Chlumecium* (ubi in ſilva vicina *Lotharius Imperator à Bohemis* cæſus, & captus eſt:) *Gilemnicium*, *Peczka* cum arce, *Smirzicium*, (familiæ cognominis ditio) cum Arce, *Nova Civitas* à Pernſteinijs condita cum arce, *Opoczna* cum arce, *Tynicium*, *Zezelicium*, *Horzicium*, *Wrchlabium*, ſeu *Hohenelb* (Albipolis) frequentiſſima omnis generis artificum ſedes, *Hoſtinna*, ſeu Arnau, *Policium*, *Dobruſſka*, *Trzebochovicium*, *Solnicium*, *Rychnovium* pannificio nobile, (originaria Baronum Richnowskyorum hodiéque ſuperſtitum) *Coſtelecium* ad Aquilam, *Uſta*, vel *Auſſti* ad Landſcronam, munificentiſſima naturâ loci Arx *Cumburg*, eique reſpondens *Veliſſ*, tum Adrſpach, (unde Adrſpachenſis certa linea

Digitized by Google

linea Berkianæ gentis) *Nachod* (originaria Comitum de Nachod) cum Arce, multis obſidionibus nobilitata, *Boruhradek &c. Podiebradium* oppidum cum Arce Regia (quam Regibus noſtris ſtirps Podiebradienſis, ſeu Cunſtadæa vendidit) *Barchovv* (originaria Daſſiczkiorum de Barchowa) *Czernin*, *Czernikovvice*, cum arce à Ziſka diruta, *Dietenicium*, *Dobrzenice* (originaria) uti & *Dobalice Dobalskiorum*, *Herzmanice* (Fridlandiæ Ducis natale ſolum) *Lomnice* cum arce Procerum Waldſteiniorum, *Mokrovauſy* (lineæ Zarubianæ Equitum clariſſimorum ſedes) *Semilovv*, *Slaupno* (unde ſe *Cordula* Equites cognominant) *Kunieticzka Hora*, arx jam deſerta, olim inter munitiſſimas habita; *Libicium S. Adalberti* & fratrum ejus Martyrum patria; *Trosky* geminæ arces ſunt velut ſororiantes duplici in rupe, æquali etiam ferè arcium ædificio, prope ſe ſtantes, & quaſi mutuò reſpicientes: quæ dextra eſt, *Pragâ* ſpectantibus *Baba* (Vetula) quæ ſiniſtra eſt, *Panna* (Virgo) irritâ Ziſcæ obſidione celebris, appellatur. *Ziehaunie*, *Hradiſſko*, *Mieſtecz Wodrany*, Przemyslai Ottogari (ùt traditio) eſt Regis bellicoſiſſimi nativitate celebris; *Sslibovvice*, *Hluſſice*, *Kunczice*, *Wamberg*, & *Zamberg*; *Litice* arx memorabilis, de qua ſuo loco; *Jablonka*, *Orlice*, *Krulich*, *Mladkovv*, *Skalice*, *Rizmburg*, *Rockenſtein* in edito monte; *Hradiſſtie*, *Police*, *Ssimburg*, *Schatzler* caſtrum deſertum, latronibus quondam infame; *Pilnikovv* (Silvariorum Equitum originaria ſedes) *Branna*, *Paka* (effigie DEI Matris, ad quam ſupplicationes plurimæ ducuntur, nobilitata) *Miletin*, *Drzevvnice*, *Bradlecz* arx deſerta, *Libanie*, *Aulibice* (Aulibiciorum Equitum origo) *Smidary*, *Petrovvice* duplex, *Skrzivvany*, *Chotieſſice*, *Nechanice*, *Rokytnice* duplex; *Kyſſperg* caſtrum, *Zampach*, & *Potenſtein* Arces (unde Zampachij clari Proceres nomen ſunt mutuati) prior deſerta, hæc adhuc defenſioni accommodata; *Czaſtolovvice* (olim Procerum de Czaſtolowitz originaria ſedes) & in ea Arx inſignis; *Woſtromierz*, Equitum ejusdem nominis; *Sadovvy* (familiæ Sadovvskyanæ Equitum prima ſedes) *Koczlirzovv*, *Zirecz* vel *Schurtz*; *Ples* arx ad Jaromirium (unde Kordulæ & Pleſſij Equites) pluráque alia, quæ numerare infinitum foret.

Quibus abundet hic Diſtrictus.

Reginohradecenſis Provincia *Phaſianis* avibus ultra omnes alios *Bohemiæ* Diſtrictus abundat: *Phaſianotrophia* multis in locis olim vidimus, & nunc etiam videmus conſtituta: *Smirzicij*, *Giczinij*, *Dimokurij*, *Chlumecij*, *Czaſtolovicij*, multisque aliis in locis, ut Libro primo *Miſcellaneorum* diximus. *Caſeolorum* quoq; præſtantiâ (nè quid etiam parvi per negligentiam omittam) in Antiquitate hanc regionem celebratam, conſtat ex *Bohuslao de Lobkovvitz* (qui Regi *Wladislao* aderat) ad ejus Regis nuptias, quæ *Budæ* celebrabantur, *Reginohradecenſes* caſeos in Ungariam uſquè petitos, & devectos fuiſſe. *Nymburgum* (quod in regione perfrigida mirum) Peponibus præſtantibus, aliisque Pomonæ muneribus circumfluit. *Equorum grandium* generosâ propagine commendabatur olim *Reginohradecenſis* Provincia, præſertim ad *Giczinium*, ſic ut fortiores, & præſtantiores Equi in Cataphractorum Equitum uſum, non aliunde peterentur; hodie quoque *Cæſarea Equilia* duo (olim etiam *tertium* Fridlandiæ Ducis *Smrkovicenſe*) in hac regione cenſentur, aliquâ Cœli ipſius in hoc animal inclinatione; cœlú enim in Equorum educationem aliquid poſſe obſervant Equorum Curatores, & Magiſtri; at illa verior, & juſtior gloriatio eſt: quòd viros militares, ac præcipuos Duces militiæ optimos ea pars *Bohemiæ* ſemper protulerit; neminé nominabo, ſed in antiquitate *Wartembergici*, *Röderi*, *Smirzicij*, *Treczka*, *Oppersdorffij* Turcicis prælijs celebrati, *Sadovvsky*, *Kapauny*, *Bub-*

Th. Mitis in vita Bohuslai ex ejus Epiſtolis.

Militares Viri ex hoc Diſtrictu prodière.

na, *Berca* multiplices, *Nachodij*, *Bibrſteinij*, *Harantij*, *Herzanij*, *Krzinecij*, *Richnovij*, *Stoſſij*, *Waldſteinij* (quanquam iſti ad *Boleslavienſem* Provinciam non minùs pertineant) *Slavata*, *Zampachij*, *Zaruba*, *Sselembergij*, *Czertoregij*, *Haugvicij*, *Beneda*, *Amcha*, *Bukovvskij*, *Dobalskij*, *Raſſinij*, *Kordula*, *Rodovvskij*, *Dobrzenskij*, *Odkolcij*, *Ugezdecenſes*, *Mladota*, *Straca*, *Talaczkij*, *Woſtrovecij &c.* hanc regionem natalem habuerunt.

Memorabilia hujus Diſtrictûs. *Miſcell. l. 1.*

Memorabilia, & notatu maximè digna hujus Provinciæ loca ſunt: *Montes Gigantûm*, & in ijs ſpectrum *Ribenzal* (de quo peculiari tractatione egimus) *fontes Albis* in ijsdem montibus orientis; gemmarum, & pretioſorum lapidum copia; *Jaromirium* typhlarum piſcatu nobile; fluvij *Salmonum & auratarum* pleniſſimi; *ferarum* ubique ingens numerus; *Piſcinæ* piſcium refertiſſimæ (inter eas *Blato* Piſcina ad *Podiebradium*, uno ampliùs milliario quaquaverſum diffuſa) ad *Jaromirium & Skalicium* antra quædam ſubterraneis ambitibus, & meatibus admiranda; *Liticij* arcus triumphalis *Georgij* Regis, tum arces egregiæ non paucæ de quibus ſuo loco agemus; Inclytum *Braunovienſe* Cœnobium, & quondam divitijs in Bohemia primum *Opatovicenſe* Benedictini Ordinis, de utroque in Sacris.

§. III.

Chrudimenſis Provincia.

Limites Diſtrictûs.

CHrudima Urbs Regia, & prima per eam viciniam dignitatis, Regioni *Chrudimenſi* nomen dedit; Boreales ejus limites *Reginohradecenſis*, Orientales, & meridionales *Moravia*, Occidentales *Czaslavienſis* Provincia contingit. De Figura, quam *Chrudimenſi* Diſtrictui tribuerem, diu dubitavi: corio extenſo animalis cujuſpiam, *Caſtoris* præcipuè, vel *Fibri* perſimilem eſſe dixerim, & approbârunt amici: *Svvoganovv*, *& Biſtry* ex Diſtrictu quodammodo exiens *capitis* pellem, *Svvoys & Petrovvitz* duo anguli oppoſiti, primores pedes, *Daſſice & Hlinsko* poſteriores, cætera reliquum corpus conficient, *cauda Caſtoris* ad Przelaucenſem angulum mergetur in *Albi*: & ſanè ingens *Caſtorum & Fibrorum* per eum Diſtrictum in fluvijs (*Aquilâ*, *Chrudimka*, *&c.*) multitudo reperitur, & capitur.

Figura.

Quæ hîc Urbes & Oppida.

Liberæ Urbes & Reginis dotales (ùt in *Reginohradecenſi* monueram) hîc ſunt: *Chrudimium*, ipſum *à Chrud* Conditore, *Altameita* à telonio, & *Policzka* à decipulis dicta (quòd hîc *Moravos* hoſtes quondam *Bohemiam* ingreſſos iniqvum in locum pertraxerint) aliæ Urbes, Oppida, & arces præcipuæ cenſentur: *Pardubicium* cum arce perelegante, quod *Rudolfus Imp.* à *Perenſteinijs* præſenti pretio emit, cum vicinia tota, ad delicias aucupiorum, piſcationum, venationum accomodatiſſima; in Regis itidem patrimonio eſt *Przelauczium* oppidum ad Albim. Nobilitati parent: *Litomiſſlium* Civitas perfrequens cum arce, inſigni architecturæ opere fabricata, *Brunduſium* ad Aquilam, *Mieſtecz-Hermanni*, *Chraſt* Epiſcopi Reginohradecenſis ditio, *Cholticium*, *Chrauſtovicium*, *Daſſice*, *Coſſumberga*, Slavatarum originaria ſedes, *Rychmburga* (vetus ditio Dominorum de Pardubicz, qui album Equum dimidium gerebant in clypeo) *Chocna*, *Novohradum*, *Cruceburgum*, *Raubovice*, *Biſtry*, *Zumberga*, *Roſice*, *Worle*, *Slatinany*, *Aurzeczice*, *Svvogeſſice*, *Moraſſice*, *Dobrzicovvium*, *Lamberg*, *Svvoganovv*, *Sezemice* (ubi quondam Cœnobium Virginum ſtetit) *Secz*, *Tuniechody* (Equitú ejusdem nominis prima ſedes) *Auhersko*, *Landscrona* Civitas, Eximij Medici *Marci* patria, multis rebus celebris, ut ſuo loco dicam; *Trzebova* Bohemica, *Hlinsko*, arx

Digitized by Google

arx *Lipka*, *Teinecz*, *Luzie*, *Stolany*, *Friſavva*, *Camenicium* forenſe, *Podlazice* Cœnobium quondam, nunc pagus.

Piſcinarum multitudo.

Memorabilia, & viſu digna Regionis hujus loca ſunt: *Pardubicium*, parva quidem Civitas, ſed à *Perenſteinijs* Proceribus venuſtiſſimo domorum ordine condita cum *Arce* Regibus digna, in quibus nihil venuſtas munitioni derogat: à *Dorſtenſonij* Svecico Exercitu oppugnata acriter arx, & Civitas, & incenſa, expugnari non potuit. Viſendum quoque eſt in hac ditione piſcinarum opus, deductis labore magno canalibus per piſcinas omnes, quæ quadringentæ præterpropter numerantur; maxima earum *Czeperka*, quæ ad tria milliaria germanica diffunditur, ut ad eam Equo obeundam vix una ſufficiat dies. Litomiſslenſem arcem viſu digniſſimam eſſe judicant architectonices periti; uti & nobilem *Baſilicam Altomeitæ*. Ridetur vetere proverbio quidam *Meita* incola dictus **Rugeba z Meyta**/ quo cognomine inſulſum hominem hodie appellamus; nec minùs ridicula ſententia Senatus *Przelauczenſis* A. 1598. lata ad 16. Cal. Martij. ob quam hodiéque vexantur ſic, ut omne gratiæ datum edictum, *Przelauczenſe* vocemus. *Turris* quoque *Pardubicenſis* inauratis egregiè pinnis, & cuſpidibus, proverbio locum fecit, cùm dicimus rem aliquam *ad inſtar Pardubicenſis turris*, ſplendere & fulgere.

M.S. Rationes Cameræ Regiæ & Stransky in Rep. Boi.

Quæ dotes Regionis.

Regio hæc, etſi non magna, magnis dotibus commendatur: inprimis *Equis* generoſis, & fortibus; tum *piſcibus cyprinis*, *& lucijs* optimi ſaporis: omnes enim reliquos *Diſtrictus* multitudine piſcinarum exſuperat; tandem *Vitrorum* confectione, quæ in hac Provincia ad *Heralecz*, *Wrziſstie*, *& Friſavam* in altiſſimis ſilvis elegantiſſima, nitidiſſima, & ſummæ perſpicuitatis funduntur, & flantur. *Pardubicenſes Gladios & Enſes* magno ubique eſſe in pretio *Fournier* noſter teſtatur.

Fournier in Notitia Orbis. l. 4. c. 6.

§. IV.

De Provincia Czaslavienſi.

Termini.

CZaslavienſis Diſtrictus ab Urbe vetuſta *Czaslavia* nomen accepit: nam *Cuttnam*, vel *Cuttenbergam* (ùt in Epitome probavi) longè ſeriùs, repertis argenti venis, fundari contigit: fines ejus à Septentrionibus *Reginohradecenſem*, ab ortu *Chrudimenſem*, ab occaſum *Kaurzimenſem*, à meridie *Bechinenſem* Diſtrictum, & *Moraviam* contingunt.

Figura.

Forma, & Figura totius Diſtrictus, ſi diligenter examines, *Crumenam* aliquam repræſentat; cujus crumenæ, ut ità dicam, *gula*, funiculis prope *Iglaviam ad Pecinovium* adſtringitur; aptiſſima verò, & conveniens Provinciæ figura eſt *Crumena*: ſiquidem hic Diſtrictus jam propè quatuor ſæculis opulentavit *Bohemiam*, & ob argenti copiam, Regum noſtrorum, & totius Regni inopiam ſublevavit; unde odioſè *Ziſka*, *Cuttnam Antichriſti crumenam* (quòd catholicâ religionem ſtudioſe ſectaretur) appellabat.

Urbes & Oppida Czaslavienſis Diſtrict.

Regiæ, ac proinde liberæ Urbes in hac Provincia cenſentur: *Cuttna* (de qua modò) tum *Czaslavia*, ac deinde *Teutobroda*; hæc quâ ratione regiam dici poſſit, explicuit *Stranskius*; tandem *Przibislavia*, Cyclopis Ziſſcæ morte nobilitata. In Nobilium patrimonijs ſunt arces, & oppida, atque integræ ditiones (*Maleſſovv* cum arce priore ſæculo patrimonium Regium Anno 1586. fuit) quæ ſequuntur omnes: *Novvydvvory*, *Zebuſſice*, *Ronovium* (cognominis ſtirpis Procerum, originaria ſedes ex *Lippaorum & Berkarum* familia deſcendentium) *Wilimovium* (ubi celeberrimum Benedictinæ Familiæ

C. 2. Reip. Boi.

Digitized by Google

miliæ Cœnobium aliquando ſtetit) Arx *Polnenſis* (nam Civitas ad *Moravos* ſpectat) duplex *Jenikovia*, *Krzivvſudovv*, *Lipnicium* cum arce præclara quondam, & permunita; *Zleby* (Lippæorum perantiqua ditio) *Lichtemburg* (itidem rami Lippæi patria ſedes, ùt in Stemmatographia dicemus) *Ledecz*, *Svvietla*, *Zrucze* (unde Equites Zruczkij) *Chotieborz*, *Okrauhlice*, *Czechtice* (originaria ſedes Equitum de Czechticz) *Koſſetice*, *Heralecz*, *Mieſtecz Wognu*, *Studenecz*, *Bohdanecz*, (originaria ſedes Equitum Bohdaneczkiorum) *Zbraslavice*, *Worlik*, *Senozaty*, *Borovva*, *Humpolecz*, *Drzevnice*, Villa *Martinice*, *Ovvcarze* (ditio Majorum meorú priore ſæculo, id teſtantur Tab: Regni & Paproczky in Equitibus fol. 407.) *Pabienice* (à Woraciczkijs condita) *Sautice* (Czabeliczkiorú originaria) *Wſſeborzice*, *Zabielczicze*, *Krutzburg*; *Frauenthal*, & *Zdiar* Cœnobia, illud Virginum, hoc Virorum, utrumque Ciſtercienſis inſtituti; tum *Sedlecium* ejuſdem ordinis, ac plura alia oppida, & arces. *Sazava* hîc ortus, mediam ſecat *Provinciam*; *Chrudimka* alter quoque fluvius hîc naſcitur, & in *Albim* ſupra *Pardubicium* devolvitur.

Memoratu digna in Czaslavienſi.

Memoratu digna loca ſunt: *Kuttenberga*, fodinæ argenti ſcilicet, tum machinæ, quibus maſſæ, & glebæ argenteæ foras evehuntur; fornaces, quibus argentum eliquatur, & purgatur; officinæ, in quibus pecunia procuditur, aliáque monetaria, & montana artificia. *Sedlecenſe* Cœnobium mira continet multa, inter quæ grande illud *Cæmiterium*, in quo ſtant ordine locati oſſium, & ſceletorum humanorum exercitus. *Jenicovij* Beatiſſima *Virgo Lauretana* ſummâ pietate colitur. Præcipua Provinciæ hujus commendatio eſt à *Natura*: *argentum*, de cujus proventu mirabili extat libellus patrio ſermone editus ab Amico P. Jo. Korzinek. Veteri Bohemorum parœmiâ huic regioni (ob labores fodinarum, & carbonú infinitam advectioné) Equorum armenta attribuebantur, eáq; in hunc modú circumfertur: Slánſſtj Holubářj / Litoměřictj Winařj / Rakownictj Piwowárnicy / Zatečtj Sládcy / Prachenſſtj Rybářj / Bechynſſtj Rybnikářj / Plzenſſtj Wowčácy / Cžáſlawſſtj Koniřj. quis de alijs Regionibus Bohemiæ Veterum ſenſus fuerit, ex nullo audire potui.

§. V.

Provincia Bechinenſis.

Termini Provinciæ.

Sequitur amplitudine inſignis *Diſtrictus*, quem à Caſtro fortiſſimo, & antiquiſſimo *Bechynâ*, *Bechinenſem* vocavit antiquitas; is ab oriente hiberno *Moraviam*, ab æſtivo *Czaslavienſem*, à meridie *Auſtriam*, ab occaſu *Prachenſem*, à ſeptentrione partim *Wltavienſem*, partim *Caurzimenſem* Provinciam contingit.

Figura.

Si Figuram telluris hujus, & quibus illa limitibus, ac terminis coërceatur, diligenter examines, *Alæ cujuſpiam* (quales *Angelis* à pictoribus tribui ſolent) aut Inſtrumenti Muſici (quod Křjdlo / *Alam* à ſimilitudine, aut alterius, quod *Harffen*, ſeu *Decachordium* appellant) effigiem notabis; eâque formâ examuſſim totam poſſe in Ala *Provinciam Bechinenſem* depingi, videbis: infima inſtrumenti pars ſtabit in *Reichenau*, non procul à *Freyſtadt* in Auſtriæ confinibus; apex Inſtrumenti ad *Jankovv*, reliqua jam omnia aptiſſimè concordabunt, ut vel primâ Tabulæ chorographicæ inſpectione videbis.

Urbes & Oppida.

Regiæ, liberæque Urbes, & ad Comitia vocandæ nominantur: *Budiejovicium*, ſeu Budvicium, *Taborium*,

rium, *Peldrzimovium.* Fabulatur *Stransky*, qui à *Buditi Budiegovicium* appellatum putavit: nam vetus *Budvicium* (hodie pagus) à Roſenſibus in gratiam recèns nati pueri *Budivogij*, vel *Budiegový* conditum, ex Annalibus vetuſtiſſimis Roſenſium conſtat, & vetus iſtud, in meliorem locum *Ottogarum* transtuliſſe, & deſcripſiſſe locum Urbis (quæ nunc *Budvvicium* eſt) retento etiam vetere nomine, Equite *Hrziz* ædificationem Regiam procurante, ex *Epitome* noſtra poteſt intelligi citatis Authoribus; ſed poſtea cùm de Urbibus Bohemiæ agetur, & *Budiegovicij* & *Taborij*, & *Peldrzimovij*, & aliarum Urbium origines, & fortunam attingemus.

Porrò præcipuæ hujus regionis Urbes Nobilitati ſubjectæ, hiſce Regijs, quas modò nominavimus (ſi vetera *Jura & Privilegia* reſpiciantur, & ſerventur) nihil conceſſuræ, tum Arces, & oppida permunita, & quondam opulenta cenſentur: *Crumlovium* cum Arce perampla; *Bechyna* arx eximia; (fallitur inſigniter, & fallit *Stransky*, qui Bechynam arcem nec à Taboritis quidem capi potuiſſe ſcribit: captam enim priùs ab ijs, & cùm à Catholicis recepta eſſet, denuo à *Procopio Raſo* Taboritarum campeſtrium Duce captam in *Epitome* oſtendimus) *Sobieslavia* civitas, *Rzeczice* duplex (Rubra & Cardaſſij) *Cerequice* duplex (nova & Leskovecia) *Camenecium* cum Arce præclara, *Czernovicium*; Civitas *Poczatky*, *Weſſelium*, *Caplicium*, *Lomnicium*, non infrequentes ſunt urbeculæ; his adde: *Neuſtupovium*, *Lautcovium*, *Zelivium* (cum Cœnobio) *Svvinas*, *Paczovium*, *Chauſtnice* cum Arce pervetuſta, & originaria Dominorum de Chauſtnik, qui in clypeo ſcalas penſiles gerebant, eo prorſus, quo *Scaligeri Veronenſes* modo; *Byſtricium* novum (cum Cœnobio Minimorum de Paula, quod vivente adhuc *S. Fundatore Franciſco* excitatum eſt) *Horzepnikum*, *Novohradum*, ſeu *Gratzen*, *Roſenberga* (oppidum cum arce nova, & vetuſtæ ruinis) *Liſſovium*, *Landſtein*, arcem olim munitiſſimam (unde *Landſteinij* Roſenſium patrueles) *Batelovv*, *Bozegovv*, *Budislaviam*, *Cukrſtein*, *Deſſny* fonte medico nobile (*Dirni* Equitum originaria) *Hlubokam* arcem olim inexpugnabilem habitam; *Hrzimovv* pagū (Collegij Crumlovienſis Soc: Jesu) *Humpolecz*, & *Worlik*, *Kamen* arculam naturâ loci munitam; *Kalenice* (Equitum de Kalenicz natalem) *Lhotas* tres, *Mnich*, *Nemyſſle* (Mitrowskiorum originariam) *Rziſnicium* (originarium Equitum de Rziſnitz) *Slavkovv*, & *Slavvkovvice*, & *Tuczapy* utrumque vetuſtorum Equitum originariam, *Wczelnice* (ubi Eccleſia Wencelikorum Equitum ſepulchris plena) *Wieznıky*, (originaria) *Witanovice*, & *Olbramovice*, (utrumque originarium *Naczeradecz*, *Miliczin*, *Lukavecz*, *Wozice* cum turri antiqui operis; *Cheinovv* olim Archi-Epiſcopalem ditionem; *Richnoviam novam*, *Koſtelecium Podolskianum*, *Bernardicium*, *Milevvsko* cum Cœnobio Præmonſtratenſium (de quo alio loco) *Zdiar Pluhovvy*, *Straz* (Procerum de Straz originariam ſedem) *Licovium*, *Strzimilovv*, *Kumzakum*, *Daudlebium* (quam vetuſtorum Equitum *de Daudleb* primam ditionem fuiſſe Hiſtoria vetus Roſenſis affirmat)* *Dobramvvodam* (de qua in miraculis) *Dvvorziſtie*, *Riſſenberg*, *Hroby*, *Zerovvice* cum veteri arce Wencelikorum Equitum, *Hohenfurt*, ſeu *Altovadum* (nobile Ciſtercienſium Cœnobium) *S. Coronam* (alterum ejuſdem ſacri ordinis ditiſſimum quondam Cœnobium) *Borovany* Canonicorum Regularium S. Auguſtini; *Rudolffſtatt* argenti fodinas divites, à Rudolfi II. Imperatoris nomine; *Lukavvecz*, *Paczov* (Maloveciorum vetuſtam ditionem, ùt ex Eccleſia ipſa noſcimus, quam loco pylarum, *dimidij Equi*, ipſa ſcilicet Maloveciorum inſignia ſuſtentant) *Kamberg* (familiæ Equeſtris de Camberg

Plurimæ Nobiles ſtirpes in Prachenſi exortæ. *M. S.*

berg originariam ſedem) *Borotin* (eorundem Malovecium diu ſedem) *Radenin*, *Drachovv*, (unde Equites militaribus factis inclyti Drachowsky) *Pardovvicz*, *Zatoni*, aliáque plura.

Memorabilia hujus regionis.

Memorabilia hujus Provinciæ loca & quæ notari poſſint, hæc ſunt: *Eccleſia S. Viti Crumlovij*; Inſignis item Eccleſia *Altovadenſis* cum Cœnobio, in qua Roſenſes Proceres compoſiti velut ad conſultandum in ſenaculo mortui ſedent; hoc Cœnobium regioni Prachenſi Stranskius attribuit. Arces: *Crumlovienſis*, *Novodomenſis*, *Trebonenſis* (& in hac olim Bibliotheca rariſſimorum librorum) tum ſubterranei *Trebonæ* meatus (ad defenſioné) *Bechinenſis*, *Camenecenſis*, aliæq; nonnullæ. *Jordan* piſcina ad *Taborium*, quarta magnitudine, niſi fallor, omnium per Bohemiam piſcinarum. *Taborium* ipſum Civitas caſtrenſis erecta, origine memorabilis eſt, cùm *Ziſka* militibus, quem quisque teneret locum in caſtris, domos per contubernia extruere imperâſſet tentoriorum loco; unde *Tabor* ſeu *Caſtra*, primum, & accomodatiſſimum novæ urbi nomen impoſitum; jucundum erit videre, & caſtrorum locum agnoſcere ex alta turrri, unde Urbs ipſa deſpicitur. In mœnibus turrem videbis pènuariam ab ipſo *Ziſka* conditam, in cujus uno latere *Ziſcæ* effigies, Monachi raſum caput manu ſiniſtrâ pertentantis, & in id caput clavam dextrâ vibrantis, ſpectatur.

Quibus abundet hęc regio.

Abundat hæc Provincia, ad *Novamdomum*, *Trebonam*, *Budvicium* Cypriniſ ſeu Carpionibus, ob piſcinarum, quæ vivo flumine implentur, multitudinem optimi ſaporis; ſed illud alijs Diſtrictibus non conceſſum: quod ad *Tinam*, & *Piſekam* Salmones fæturam emittant, unde *Salmunculi* paulò medio digito majores, magno numero in *Watava* capiuntur, & amicis per *Bohemiam* gratum munus mittuntur; quo me munere procul abſentem non ſemel honoravit Piſecenſis Urbis Primas Martinus *Trojer* Vir humaniſſimus, & peramicus.

§. VI.

Provincia Wltavienſis.

Figura & limites Diſtrictûs.

MInimus omnium in *Bohemia* Diſtrictus cenſetur *Wltavienſis*, ſic appellatus, quòd ejus tota longitudo flumine *Wltavâ*, vel *Moldavâ* alluatur; longitudo Diſtrictûs ſex noſtratia milliaria vix excedit, latitudo vix tria; aptiſſimè per Canis ſedentis figuram exprimi, & pingi *Diſtrictus* poſſet, ſic ut in apice capitis *Oſtrovv*, ſeu *Inſulanum Cœnobium* ſedeat, in ore, & roſtro canis *Porzicium*, & *Borotinum* protrahantur. Nulla in hoc Diſtrictu Urbs Regia, nulla, ùt vocant, *Cameræ* bona reperias, etſi à *Capitaneis*, ſeu à Præfectis æquè, ùt aliæ Provinciæ, regatur. *Sedlczanum* primaria Regiunculæ eſt Civitas; *Oſtrovv* Cœnobium antiquitate venerandum Inſtituti *Benedictini*, quod jam *S. Adalberti* temporibus ſtetit, de quo agemus in ſacris; *Porzicium*, *Sstiechovvice*, *Hradiſtie*, *Tloſkovium* cum caſtro; *Nevvyklovv*, *Woſeczany* (originaria ſedes Equitum, qui Monachum, aut peregrino habitu virum geſtabant in clypeo) deinde, ùt dicebam, *Sedlczany*, *Hradek* rubrum, *Nedrahonicum*, *Kraſna Hora* Arx, ac tandem cum Arce oppidum *Wobdienice*, *Bozebin*, *Bozkovice*, *Chlumecz Lobkovicianum*, *Giſtebnicium*, *Koſovva hora* cum Arce, *Kraſsovice*, *Mitrovice* (originarium familiæ Wratislavianæ) *Poczepice* (originaria ſedes Poczepickiorum) *Prczice*, *Radicz* duplex, *Smilkovv*, *Svvogkovv* (Capauniorum prima ditio) *Tenecium* ad Sazawam, *Woraczice*, *Zabradka*, & plura alia.

Quâ dote commendetur Diſtrictus.

Quâ dote hæc Regio commendetur, præter *Piſcium* omne genus in *Mul-*

Digitized by Google

Muldava gignens, & infinitam *lignorum & frumenti* copiam (quæ omnia Regiæ ſedi *Pragæ* ſecundo *Wltavvâ* ſuppeditat) dicere non habeo. Memorabilis in hoc Diſtrictu locus eſt *Cœnobium Inſulanum*, de quo alibi. Cur tam brevi ambitu concluſam regionem *Diſtrictum* eſſe, & appellari voluerint Majores, dixi pridem in I. Appendice ad Hiſtoriam S. Montis. De *Nevyklovv* vetus eſt apud *Bohemos* proverbium, cujus originem nemo poteſt dicere (**Nechce ſe Čertu do Newyklowa**) ſuſpicor: Proverbio cauſam dediſſe *Energumenum*, qui divinâ Sacerdotij poteſtate à Viro quopiam Sancto *Cœnobij Oſtrovienſis* in hac regione ſit exactus ex obſeſſo corpore, & egregiè caſtigatus, & multatus, huc uſquè loci ſibi tam deteſtabilis memoriam circumferre putatur, nolitque redire.

§ VII.

Podbrdenſis Provincia.

Laus Diſtrictûs, & figura.

INter mediæ magnitudinis Diſtrictus cenſetur *Podbrdenſis*; ſed ſanctimoniâ locorum, rerum pretijs, & raritatibus quibusdam, nulli alteri *Bohemiæ* Districtuum conceſſurus: deſcripſi pridem hanc Provinciam in *Hiſtoria S. Montis*, ejúsque memorabilia diligenter ſum proſecutus.

Hiſtor. S. Mōtis Appendice I.

Pulmonis ſpecie accommodatiſſimè totus exprimi poſſet hic *Diſtrictus*, ut (ſi argutari liceat) ad *S. Montis Divam* quæ in limitibus hujus & *Prachenſis* Diſtrictûs ſtat, velut calore cordis excitetur, elevetur, & ſpiret. Contiguos Diſtrictus habet ab ortu æſtivo *Caurzimenſem*, ab hiberno *Wltavienſem*, quà longiſſimus eſt, totum; à meridie *Prachenſem*, ab occaſu ſolis *Pilſnenſem*, à ſeptentrionibus partim *Slanenſem*, partim *Rakovvnicenſem*.

Ditiones in Provincia Podbrdenſi

Regia in hac Provincia Urbs eſt *Berauna* (Veronam Cæſaris *Caroli IV.* tempore dicebant) de qua ſuo loco in Urbibus agemus. *Cameræ* Regiæ bona non pauca, & opima *Kralovvydvvur*, arx *Tocznik*, *& Zebrak* cum oppido (multis ſæculis ſedes *Hamzburgicæ*, ſeu *Zagiciorum* familiæ, quæ in hac vicinia à *Zbraslavv* latè uſque in *Zageczovv* regnabat) *Dobrziſs* cum plurimis villis, agris, & ſilvis, olim ad *Inſulanum Cœnobium* pertinens, nec non *Cninenſibus* auriſodinis; arx celeberrima *Carlſteina*, *Caroli IV.* Regium opus (de qua in arcibus) & *Tetin S. Ludmillæ* Martyris cæde nobilitatum caſtellum, & oppidum, ad cujus crepidinem in præterfluente aqua auri ramenta colligi ſolent. Ex his *Fiſci Regij* ditionibus quædam à proximis Regibus, ut ita loquar, arendata, quædam oppignorata, quædam vendita, tenentur à Dominis. Inter *Proprias* Dominorum ab antiquo poſſeſſiones numerantur: *Nizburg* caſtrum, *Lochovvice*, *Horzovvice* (originaria ſedes Equitum *de Horzovvicz*, qui corvum roſtro annulum aureum tenentem geſtabant in clypeo) *Comarovium* (originaria ſedes Equitum Peſſikiorum) ubi celebres ferrifodinæ, *Mniſſek*, *Chraſſtiany*, *Augezd*, *Bukovva*, *Hluboſſ*, *Korkinie* originaria ſedes Bohemæ, & Polonæ nobilitatis, quæ rates geſtat; *Puzin* arx vetus, & Eccleſia, locus ſepulchri familiæ Bechiniorum de Lazian; *Meyto* oppidum, *Hoſtomice*, *Kameyk*, *Knin*, *Waldek* (certæ lineæ Hazmburgicorum nomenclatio) *Gince*, *Kradek*, *Zdicze*, *Skrziple*, *Radkovvice* (originarium) *Smolotely*, *Svatopole* (quondam Præpoſitura Nepomucenſis Cœnobij) *Suchomaſti* vetuſta ſedes *Svvarovvarum*, multis immunitatibus gaudens; *Zvvikovecz*, *Suchydul*, *Dubno*, aliáque plurima.

Quæ memorabilia hujus Diſtrictûs.

Memorabilia hujus Diſtrictûs loca ſunt: Cœnobium *S. Benignæ* Auguſtiniani ordinis; Arx *Carlſteinenſis* ante omnia, ædificijs, Coronæ Regiæ, & Reliquiarũ ſacrarum aſſervatione inclyta;

clyta; tum *Aulæ Regiæ* Cœnobium Ciſtercienſium, *S. Ivani & Teslinenſis* Benedictinorum ſolitudines, Mons *Veliz*, origine Berkarum Procerum in Bohemia maximi nominis ſignatus, tum arces illæ Regiæ, quas paulò antè nominavi, & *Tetinium &c.* quæ omnia in *Hiſtoria S. Montis* latè deſcripſimus, eòque benevolos Lectores remitto. Abundat hæc Provincia *ferro*, abundat *Cervis* omnium per Bohemiam optimis, ùt multi exiſtimant, præſertim in montibus, qui *Baſſtiny* à ſimilitudine propugnaculorum dicuntur, & in montibus *Brdijs*, unde Provinciæ huic, quòd montibus illis ſubjaceat nomen, **Krag Podbrſký**; atque adeò luculenter erravit *Stranſky*, qui hoc nomen à *licio* deduxit, cùm nihil hîc liciorum, & quod artificio texendi fiat, appareat; Peregrinationibus ad *S. Montem* vix hujus Provinciæ aſſiduè teruntur, totáque Regio Pietati eſt conſecrata; *Cninum* oppidum aurifodinis pridem inclaruit, ùt *Tetinum* arenis aurum volventibus. Figlinum opus, & figuli ad *Beraunam*, omnes per *Bohemiam* artificio vincere ſe gloriantur; qui cùm fornacibus, & officinis aſſiſtant, facie ex flammis accenſá, proverbio datus eſt locus, ut eos, qui tubercula ex frequentibus hauſtibus relicta in vultu gerunt, *Beraunenſes* eſſe dicamus, aut per jocum, quid *Beraunâ* novi (velut inde orti) apportent? quærere ſoleamus.

Quibus rebus abundet hæc regio.

§. VIII.

Provincia Prachenſis.

Figura hujus Regionis.

HÆc Regio, magnitudine, figurâ, & terræ ipſius conſtitutione prorſus *Bechinenſi* reſpondet, ſic, ut propemodum in hujus area *Prachenſis*, in *Prachenſi Bechinenſis* deſcribi à Chorographo poſſit; itaque uterque Diſtrictus *Alæ* alicujus (ùt nuper in *Bechinenſi* diximus) aut *Decachordi* effigiem præfert, & ſi utrumque junxeris, *Cordis* habebit imaginem. Appellationem trahit ab arce vetuſta *Prachno*, vel *Neprachovv*, cujus rudera ad *Horazdiovicium* in præalto monte, quem in crepidine aurifer fluvius *Ottava* allambit, hodiéque ſpectantur. Reconcinnare, & excitare Arcem hanc ante Annum Chriſti 1500. tentavit *Puta Schvvihovius*, ſupremus Regni Judex, maximus in ſtirpe ſua ædificator, ſed mors opus abrupit; pendent in caſum etiamnum lapides, & mœnia, ſéque antiquitatem ſentire demonſtrant.

Limites Diſtrictûs.

Porrò Diſtrictus iſte ab ortu *Wltavienſem*, & *Bechinenſem*, à meridie *Auſtriam* ſuperiorem, ab occaſu *Paſſavienſem* Diœceſin, & partem *Plſnenſis* Diſtrictûs, à ſeptentrione *Podbrcenſem* Provinciam confines habet; à *Bechinenſi* uno flumine *Muldavâ*, toto latere dirimitur, & in duas, ùt dixi, æquales ferè partes ſecatur. Regiæ Urbes Prachenſis Diſtrictûs ſunt: *Piſek*, *Suſſice*, *Wodnianum*, & *Prachaticium;* quanquam poſtrema Urbs imminutâ nonnihil libertate, tutelam *Roſenſium*, nunc *Crumlovienſium Ducum* reſpiciat; de his Urbibus alio in loco agemus. In Nobilitatis cenſu non omnino ignobiles Urbeculæ numerantur: *Strakonicium* cum arce Magni Prioris Melitenſium Equitum ſedes, *Brzeznicium* cum arce Geniskiorum Baronum, *Horazdiovicium* cum arce, *Netolicium* Crumlovienſiũ Ducũ, olim *Przibramum* cum fodinis argentiferis, *Cameræ* Regiæ, ac fiſco tributum; *Brzezy*, *Bratronice*, *Bukovany* (Bukowanskiorum origo) *Bergreichenſtein*, **Kaſſperſký Hory**, *argentifodinæ*, *Kadovv* originaria Equitum, *Kaſperg*, *Keſtrzany*, *Strzela* (arx vetus ſagittæ figurâ, quam olim Strakonæ Domini, *Bavorij* ferebant in Clypeo) *Tiſo-*

Urbes & Oppida.

Digitized by Google

Tiſovva duplex, *Trzebomyslice* (originaria Dubskiorum) *Welbarticium* Caſtrum antiquiſſimum Procerum de *Welbarticz* (qui ab eadem origine cum Dominis de *Novadomo* deſcenderant, licèt clypeo differrent) in quò *Ziſkianis* temporibus, Regni coronam aſſervatam fuiſſe, dum ob eam *Carlſteina* obſideretur, author eſt *Theobaldus*; *Wyſoka*, *Trzebsko*, in quo celebré & ædificio, & imaginibus Eccleſiá exſtruxit Eques *Czaſtolar*; *Wimberg*, & *Winterberg*, *Huſinecium* Huſſij Hæreſiarchæ Patria &c. oppida alia, tum arces non aſpernandæ: *Orlik* arx munitiſſima ad *Muldavam*, tum in peninſula, quam confluentes *Muldava*, & *Ottava* efficiunt, arx *Zvvikovv* (in qua, velut inexpugnabili, antè quàm *Carlſteina* conderetur, *Coronam Regni* aſſervari ſolitam accepimus) arx *Strzela*, *Helffenburgum* ſpectris infeſtum, naturâ loci invictum, *Rozmitalium* Archi-Epiſcoporum ditio (originaria *Procerum Leonum* ab eadem cum Hazmburgicis ſtirpe deſcendentium) *Drahonicium* (prima ſedes *Ssiczioruum* de Drahonicz) tum alia oppida, & pagi: *Milinum*, *Zaluzany*, *Hradek Staroſedlsky*, *Bielczice*, *Blatna* cum arce, & ingentis magnitudinis piſcina (an lacu?) ex quo *Uſlava* fluvius naſcitur, arx *Tochovice*, arx *Lnarz*, aut *Sslüſſelburg*, *Sedlecium* (quam ditionem Proceres Sternbergici Kwocznam, ſeu Gallinam ex ovi nixu quiritantem appellabant: quòd velut Gallina pullos, ſic Sedlecium reliquas Sternbergicis ditiones pepererit) *Oſelecz* originaria ditio Equitum ejus nominis, uti & *Dlauhovves* & *Chanovvice* cum arce (Equitum Dlauhoweskiorum, & Chanowskiorum) *Rzepice* (Equitum Rzepiczkiorum) *Mirovice*, *Mirotice*, *Bavorovv*, *Wolin*, *Lasko* cum arce, *Nalziovv* cum arce, *Frymburg* arx diruta, *Wolinium* Præpoſiti Prag: Eccleſiæ ditio; *Zaborzi* (originaria Zaborskiorum) *Zichovvice*, *Cerhonice*, *Sstiekni* aum arce, *Keſtrzany* cum arce, *Kraſelovv* (originaria ditio Equitum Chanowskijs, & Malovecijs cognatorum) *Czizovvy* cum arce, *Protivin* cum arce, *Blatto* cum arce, *Mochovice* cum arce (originaria Mochovskiorum ſedes) Arx *Carlsberga*, *Menſtein* cum arce, & *Wimberg* cum arce, *Lehnicium* (oppidulum fide in Cæſarem, & ejus tum Ducem *Buqvojum* olim in motibus Bohemicis poſt An. 1618. celebre, ex quo is nuncios duces itinerum, & exploratores fidiſſimos circùm ſe habebat) *Brzezy*, *Hartmanice*, *Zablati*, *Chvalczin*, *Weldanice*, *Rychnovv*, *Zelnavva*, *Ssenau*, *Svvietlik*, *Schvartzbach*, *Witkovia*, aliáque plurima. Ad Netolicium *Tempe* ſtant operis memorandi (*Kratochvvil*) viridarium nobile, à *Gulielmo Roſenſi* ad ſuperioris ſæculi finem figurâ quadratâ ædificatum. Sunt in hac Provincia duo Cœnobia quondam opulentiſſima Ordinis Ciſtercienſis, *Altovadenſe*, & *Spinea*, ſeu *Aurea Corona*, (quod Stransky in Diſtrictu Prachenſi, uti & ipſum Crumlovium collocavit) illud à *Roſenſibus* Dynaſtis, hoc ab *Ottogaro* ultimo ejus nominis Rege fundatum; illud ſuâ potentiâ nixum ſtat adhuc, iſtud magnâ bonorum parte ab ijs, quibus minimè oportuit, orbatum, paulatim è cineribus reſurgit. Præter hæc memorabilia Regionis loca ſunt, & viſu digna præcipuè Arx *Rabi*, ubi antiquiſſimam arcium muniendarum rationem intelliges, idémque eſt in *Zvvikovv*, *Orlik* & *Hluboka* arcibus perantiquis. Si Regionem hanc *Matrona* inſtar exprimerem, *Mundum illi muliebrem* copioſè circumponerem: abundat enim unionibus, & gemmis, neque hâc dote ulla *Bohemiæ* pars cum ea conferri poteſt: leguntur uniones ab Orientalibus (ùt *Anſelmus* fatetur) vix tantillo differentes in amne *Watavva*; auri obryzi inter arenas plurima grana reperies; arenæ quondam artificio lavabantur, & ſiccabantur; unde nomina Urbium *Piſek*, id eſt *arena*, *Suſſice*, id eſt *Siccatio*; ſed de his

Theobald. in Huſſiticis.

Memorabilia Diſtrictûs.

Quibus abundet hæc Regio.

l. de gemmis. vide l. 1. Miſcellan.

Digitized by Google

jam aliqua ſuperiùs diximus. Argentum ad montem *Reichenſtein* (auro aliquando cum venis argenti permixto, quod etiam in fodinis *Crumlovienſibus* eveniſſe legimus) & ad *Przibramũ* effoditur; Ad *Nalziovium, & Hradek* argento Majores noſtros multùm locupletatos invenio; at omnia metalla ſuperat *S. Mons* (ſi eum ad hunc *Diſtrictum* ex *Podbrcenſi*, ùt multi faciunt, & ùt olim fuit, attrahere velimus) nihil enim ſanitate præſtantius, quam cœleſtibus beneficijs, & miraculis in *S. Monte Virgo* Beatiſſima mortalibus ægris conciliat, cujus rei innumera exempla omni teſtificatione comprobata leguntur; hæc præcipua, & maximè memorabilis hujus Regionis dos, & gloria cenſeri debet, quæ etiam nobis olim utramque paginam fecit.

In Hiſtoria S. Montis.

CAPUT IV.

Idem Argumentum pertractatur.

§. I.

Provincia Pilſnenſis.

Fines Diſtrictûs.

Diſtrictus *Pilſnenſis*, Catholicæ Religionis ſtudio (primariæ Urbis, à qua illi nomen, exemplo) inclytus, amplitudine, nî fallor, poſt *Hradecenſem* primus, populi multitudine, ac nobilitatis Equeſtris & probatiſſimæ numero (heu quondam!) cæteris omnibus præferendus. *Pragâ* ad Occidentem hibernum tendentibus, ſuperato *Podbrcenſi* Diſtrictu, poſt ſex, & paulò ampliùs milliaria, occurrit. Limitem ejus ad Orientem, is quem modò nominaveram, *Podbrcenſis*, cum altero *Prachenſi* occupat. Ad meridiem *Bavaria*, ad occaſum *Palatinatus* ſuperior, *& Egrenſis Provincia;* ad Septentrionem ejus *Zatecenſis, & Rakovnicenſis* Diſtrictus concludunt.

Figura Diſtrictûs.

Figura totius *Plſnenſis* Diſtrictûs, ſi rectè examines, *Cochleam Limacis* examuſſim refert, ſic tamen, ut ad *Landeckam, Teiſing, Miles, Mantin* Limax, ùt ſolet, ex domuncula illa ſua paululùm caput proferre videatur.

Urbes & Oppida.

Regiæ urbes hoc loco perinſignes ſunt: *Plſna* ipſa Nova (nam *Vetus* in oppidulum pridem tranſiit) Urbs adversùs hæreticos glorioſa, & triumphatrix (de qua alibi) *Clatovia, Strzibro*, ſeu Miza, *Domazlicium*, ſeu Tuſta, & *Rokyczana*. Regis (quod ſciam) in hac Provincia patrimonium modicum eſt, ſed Nobilitatis, ac Procerum eò majus. Præcipuæ Regionis Civitates, oppida, & arces, ultra modò dictas invenies: *Tachovium, Tinam Horeſſij*, cum arce præclara, *Dobrzanum, Nepomukum*, cum *Zelena Hora* ſeu *Grünberga* Arce elegantiſſima, lætiſſimâque; *Kdinium, Przeſticium, Hoſtaunam, Negirzskum, Radnicium, Stodam, Ronſpergam, S. Crucem*, cum arce noviter, & eleganter à Comite de *Lammingen* extructa, *Ssvvihovv* cum arce antiquiſſima æterni per ſe operis, niſi manu dejecta fuiſſet; *Blovicium* cum arce Hradiſſtie dicta, *Planicium* cum arce, *Mutietin, Wſſeruby, Kaczerovv* cum arce, *Ssliahlavvy, Tauſſkovvium* duplex, *Proſtiborze* (originariam Equitum Proſtiborzsky) *Bielam, Straſſice*, (Straſſickiorum primam ſedem) *Sſelenberg, Oſek, Wolſſe, Zelenam Lhotam, Neiſſtetl, Niemczice* cum arce noviter exſtructa, *Planam Procerum de Zeberg*; tum alias arces plurimas: *Bezdruzice* (ori-

Digitized by Google

(originem unius rami Kolowratiani) *Przimdam*, ſeu *Fraunbergam* (de qua arce mira eſt apud *Hagecium* narratio) arcem *Ryzmberg* à *Ssvvihovijs* conditam munitiſſimam, quæ nunc cadit in cumulum, *Raupoviam*, (originalem Baronum de Raupowa) *Leskovv oppidum*, *Schental*, *Schenvvaldt*, *Schenbrun*, *Srbice* duplex, *Zakavvy* (Zakaweciorum) *Kadovv* (originariam Equitum ejusdem nominis) *Zadub* (natalem locum Zadubskiorum) *Lukavice* (Lukawskiorum) *Bor*, *Nebylovium* (originariam Nebylowskiorum) *Przichovice* (Przichowskiorum) *Radinie*, & *Wildſtein* arces, *Porzicium*, *Zinkoviam*, *Teſſenicium*, *Byſtrzicium* ſuper Uhlavam, *Opalkam*, *Janovicium* (originarium Janowskiorum) *Merklinium* (de Merklin Equitum) *Lubum* (Laubskiorum) *Klenovvy* (Klenowskiorum) *Bieſſiny* (Bieſſiniorum) *Herſtein* (Procerum Herſteiniorum) *Kanice* (Kaniczkiorum) *Teirzovv* (Teirzoviorum) *Kolovvecz*, *Ssvvamberg*, (Procerum ejus nominis) *Pernatice* (Equitum clariſſimorum ſub Carolo IV.) *Krzimice* (originalem Krzimiciorum magni nominis Equitum) *Nectiny* (Benedarum vetuſtam ſedem) *Czachrovv* (originarium) *Svvoyſſin* quondam Templariorum Caſtrum, arcem *Trpiſt*, arcem *Kunzvvart* (hodie Königswartam) arcem vetuſtam *Lopatam*, *Obitecium*, vel *Obicium* (Equitum Obiteckiorum) *Kidliny* (Equitum ejus nominis prima ſtatio) & *Chudenice* Czerniniorum, plurimáque alia. Silva à latrocinijs celebris in hujus regionis limite, hinc atque inde à lateribus *Miſa* fluvij **Wybřidudh** ob cædes olim appellata, à viatoribus timetur. Cœnobia opulentiſſimè quondam fundata in hoc Diſtrictu cenſentur: *Cladrubienſe* S. Benedicti Ordinis, *Chotieſſovienſe* Virginum, & *Teplenſe* virorum Præmonſtratenſis Inſtituti, *Plaſſenſe* Ciſtercienſium, *Pivvonkanum* Eremitici Ordinis S. Auguſtini.

Memorabilia maximè & viſu digna hujus Diſtrictûs loca ſunt: *Grünbergenſis* arx ædificationibus, & palatio viſenda (niſi eam in Prachenſi numeres) in arce *Raupovvienſi* fornax viſitur, quæ mille Imperialium pretio quondam conſtitiſſe dicitur: ſunt in ejus fornacis fronte, & lateribus, *Raupovienſium* Baronum cognationes, & Genealogia tota, vero auro illitis Familiarum Nobilium Clypeis. Argentifodinæ divites hunc Diſtrictum plurimùm in antiquitate commendabant: *Plana* S. Anna *Sslickios* Comites maximè ditavit; *Miza* ipſum argenti nomen ſibi vendicavit, ut *Strzibro* appelletur. Hîc *cerevisia* è tritico, quam *albam* dicimus, coquitur primæ notæ, eáque cum *Strigenſi* in Sileſia concertat. Miſenſis certè propè tota *Noribergam* per Mercatores devehitur. Cùm tota hæc regio ovium paſcuis lætiſſima, & aptiſſima cenſeatur, nullibi oves plures, quam hîc invenies; unde *Plſnenſes* facetè *Ovvczaky*, id eſt, ovium cuſtodes, & paſtores appellari per jocum ſæpius audimus; ac proinde, ut nomen ſuſtineant, *caſeorum* bonitate, & compingendorum arte ſingulari, omnes reliquas apud nos Provincias ſuperare *Plsnenſis* vulgò creditur.

Memoranda Diſtrictûs loca.

Quibus rebus abundet.

§. II.

Zatecenſis, ſeu Lucenſis Provincia.

VEnio nunc ad *Zatecenſem* Provinciam, quæ olim à *Pragenſi Principatu* ſeparata, ſuos (ùt *Caurzimenſis*, *Lippenſis*, *Warenſis*, &c.) ſingulares habuit Duces, à quibus regeretur, ùt in *Hagecio*, ac *Dubravio*, cæteriſque Scriptoribus noſtris eſt legere. *Zateczenſis* ab urbe primaria,

maria, *Lucenſis* cognominatur à *pratis*. Limites Provinciæ. Septentrionalia *Zatecenſis* ſunt montana *Miſniæ*, & pars quædam *Litomericenſis* Provinciæ, Orientalis *Slanenſis & Rakovvnicenſis*, meridionalis *Plſnenſis*, Occidentalis *Cubitenſis* Diſtrictus. Regias Urbes liberas quatuor numerat: *Zatecium*, *Pontem*, *Launam*, & *Cadanam*, de quibus nobis poſtea ſermo recurret. Figura. *Figura* Zatecenſis Provinciæ *quadrata*, excepto quòd extra illud quadratum ad *Chiſs* & *Rabſtein* acuminetur; itaque expanſi cujusdam vexilli, cujus manubrium à *Wruticio* uſque in *Rabſtein* protendatur, effigie poteſt exſculpi. Urbes & Oppida. *Cameræ Regiæ*, ſeu Patrimonij Regij ditio, eſt frequens populo Civitas *Commotovia*, (quæ *Georgio Lobkovicio* ablata avorum memoriâ fuit) tum *Brzeznicium*, & *Przyſeznicium*, ubi anguſtiæ Thermopylarum ſimiles *Bohemiam à Miſnia*, & *Voitlandia* defendunt. Aliæ Civitates, Oppida, arces, & pagi in ditione Nobilitatis, ac Procerum cenſentur præcipuæ: *Bor*, ſeu *Girkavia*, *Maſstiovium*, *Libſteinium* (originaria ſedes lineæ *Maſstiovvskiorum*, & *Libſteinskiorum de Kolovvrat*, quarum prior ſtirps pridem interijt) *Nepomyſsle*, *Ruvenicium*, *Poſtoloprt*, ſeu Poſtelberg, olim grande, & opulentum Cœnobium S. Benedicti *Porta Apoſtolorum* nuncupatum; *Geſſenicium*, *Catharinæ mons*, *Sebaſtianberg*, *Blatna*, *Hogensdorff*, *Novoſchumburg*, *Kralupy*, olim Regium telonium; *Daupovv* (originarium ejus familiæ) *Hrzivice* originarium Equitum clariſſimorum de Hrzivitz) Novum *Pichlberg*, *Pietipſy* originarium Pietipeskiorum, *Roczovv* vetuſtiſſima Kolowratiorum ſedes, fundato ibidem Cœnobio *Auguſtinianorum Eremitarum*; *Sedczice* à Sekercis conditum, *Strogetice* (originaria Equitum) arx *Schorffenſtein*, Arces *Novohradum*, *Liczkovia*, *Walecz*, *Blſſany*, *Haſſenſteina* caſtrum quondam munitiſſimum (à quo *Lobkoviciorum* peculiaris Linea appellationem accepit) *Claſterecium*, *Rotenhaus*, *Sonneberga*, *Egerberga*, *Kinſperg*, *Eiſenberg*, *Zdiar*, ſeu *Sora* (originaria ſtirpis Zdiarskiæ ſedes) & plures aliæ. Præter alia viſu digna, habet *Brixia* perelegantem abſque ullis columnarum fulcris *Eccleſiam*, comitiorum Regni auxilijs, cùm antiquum Templum flammis concidiſſet, exſtructam: *Launenſis Eccleſia* ab artifice maximo *Beneſſio* (qui *Palatium* quoque *Regium* *Pragæ* exſtruxit) commendatur; Circa A. C. 1515. *Commotovienſis Collegij*, & *Eccleſia* fabrica laudatur à peritis. *Przyſeznicium*, repertis An. 1341. *Carolo IV.* optimo Principe regnante, argentifodinis clarum habetur. Ad hunc Diſtrictum *Joachimi vallem argentiferam* antiqui referebant. Quibus abundet hic Diſtrictus. Abundat hic Diſtrictus (potiſſimùm ad *Zatecium*) humulo, ſeu lupulo, éſtque ille melioris notæ, quàm reliqua *Bohemia* ferat, certatimque in exteras Regiones pretio diſtrahitur; unde non mirum toto hoc Diſtrictu præſtantiſſimas cerevisias proſtare, ùt *Zatecenſem* (quæ *Samecz* dicitur) *Girkavienſem*, *Eidlicenſem*, *Commotovienſem*. Sed frumenti in hac Provincia mirabilis eſt proventus, quæ dos illi cum *Slanenſi* communis, jactabántque veteres, ſi vel in *Lauczka* (vallis eſt è medio *Zatecenſi* tractu per *Slanenſem* uſquè ad *Muldavæ* crepidinem longis ambagibus producta) frumentum bene provenerit, *Bohemiam* eo anno non eſurituram.

§. III.

Rakovvnicenſis Diſtrictus.

Limites Diſtrictûs.

Hic Diſtrictus poſt *Wltavienſem* breviſſimus, & minimo ambitu circumſcriptus, totus ſilvis, & montibus impletur; ad Orientem *Slanenſi* & *Podbrcenſi*, à meridie eidem *Podbrcenſi*, & *Plſnenſi*, ad occi-

Digitized by Google

occidentem *Zatecenſi*, & ad Septentriones eidem *Zatecenſi & Slanenſi* conjungitur. Figuram etiam propè quadratam habet, ſed infrà ad *Kralovicium* cuſpidatam, ſic ut in Vietorum malleo, aut in Pictorum, quem coloribus imbutum ſiniſtrâ tenent aſſerculo, tota ejus Provinciæ area aptè poſſit effingi. Urbs hîc una libera, & Regia *Rakonicium* eſt, ſæpius proximis bellis (ùt aliæ per *Bohemiam* omnes) data in terram; noviſſima omnium cæterarum Urbium ſui Juris facta An: 1588. cùm antè à *Regia Camera* dependeret. Eſt in hoc Diſtrictu amplum patrimonium Regis ad *Arcem* Regiam Krziwoklad, (ſeu Burgelis) quam *Wladislaus I.* ejus nominis *Bohemiæ Princeps* conſtruxit, & validè permunivit, pertinens. In hac arce gaza omnis Regia quondam ſervabatur, ac Viri magni, ſi quid peccâſſent, hoc velut carcere claudebantur, adeò, ut etiam *Principes*, *Duces*, *Archiduces* ex antiquitate nominare poſſimus, qui capti in hac arce ſederint. *Silva Regia* ad arcem hanc ſitæ commodiſſimè *Misâ* ſecundò *Pragam*, ac deinde in omnes ferè Cameraticas ditiones, materiam, cùm opus eſt, ſubminiſtrabant per flumina. Eidem *Regiæ Cameræ* ſubeſt novum oppidum *Straſſecium*. In Nobilium ditione cenſentur reliqua omnia oppida: *Senomaty*, *Kralovvice*, *Kruſsovv*, *Soſna*, *Petrsburg* cum arce; *Cziſta* (ditio Canonicorum Eccleſiæ Metropolitanæ) *Krakovvecz* (certæ lineæ *Kolovvratiorum*, ùt aliqui exiſtimant, prima ſedes) *Horoſedlæ*, *Pſovvlca* arces, &c. *Cereviſiæ* bonitate *Rakovvnicium* omnes Diſtrictus provocat, ſed hibernis menſibus; nam, cùm aliorum Diſtrictuum Cereviſiæ potiſſimùm æſtate commendentur, hæc una ferè *Rakovvnicenſis*, hieme bibitur innoxiè, & ventriculo calefaciendo adhibetur. Præter *Krzivvoklad* veterem arcem, & novam *Czerniniorum Petrsburg*, vix aliud, quod viſu dignum ſit, hic *Diſtrictus* ſuppeditat.

Figura.

Memoranda hujus reg.

Quâ dote commendetur.

❁) ✠ (❁

§. IV.

Provincia Slanenſis.

PRagâ ad Occidentem æſtivum euntibus, prima Regio *Slanenſis* occurrit. Multi minorem *Pragam*, & *Arcem S. Wenceslai*, ac *Sedem Regiam* in *Slanenſi* computare non dubitârunt, ſed *Pragæ* apud me ſingularis ſervatur tractatio. *Zrzitsko à Zrzito* monte, alij *Slamko Slanenſem* Diſtrictum appellant. Stetit in hoc tractu quondam *Urbs Regia*, ædificijs, divitijs, & omnibus Urbium fælicitatibus affluens *Slana*, de cujus opibus multa Majores noſtri narrabant; aliam hîc Urbem Regiam non invenies, ſed quædam Cameræ Regiæ bona ad arcem *Krzivvokladum* ſpectantia; quale eſt *Aunhoſt*, & alia paucula. *Welvvariũ* non contemnenda quondam Civitas, Burgravij Pragenſis ditioni ſubjicitur, ùt, cùm de *Magiſtratibus Regni* agetur, dicemus. In cenſu Nobilitatis ſunt cætera, ùt *Raudnicium* venuſta quondam Civitas cum arce pereleganti, quam cùm arſiſſet, reſtituit Dominus loci *Wenceslaus Princeps Lobkovitius*; *Budina* oppidum muris incinctum, arcem habet vetuſtam *Procerum Hazmburgicorum*; *Kladna* itidem arcem oſtentat, ùt *Muncifag* oppidum, *Smecznam* arcem inſignem, & *Patek*, & *Mikovicium* oppida cum arcibus. Arces quoq; celebres ſunt: *Okorz* (quæ una quondam, cùm *Welvvarium Ungari* tenerent, *Pragam* protexiſſe legitur) *Buſstiehradum* (Kolowratæi rami Buſſtiehradenſis originaria ſedes) *Hoſpozin*, tum arx vetuſta *Zierotin* originaria Bohemicorum Zerotiniorum, qui *Aquilam* ferebant in Clypeo; *Horeſſovvice*, *Kornhaus*, *Wrany*,

Slanenſis regiones oppida & pagi.

Digitized by Google

ny, Wrbno, Strzedokluky, Tuchomierzice, arx *Nelahozeves, &c.* quædam ſinè arcibus oppidula, ùt *Teinecium*, in quo olim *Virgines S. Claræ* habitâſſe puer memini; *Rubrum Augezd, Srbecium, Dievicium, Slavietinum, &c. Budecium* in hoc Diſtrictu quondam ſtetit, urbs perinſignis, Schola prima univerſæ Bohemiæ, in qua primùm ſub idololatris *Bohemiæ* Principibus magica ſacra docebantur; at poſtea hâc Academiâ à *SS. Cyrillo & Methodio* expiatâ, literis Slavicis, & ſacris Chriſtianis informabatur *Bohemiæ* juventus; conſtat S. *Wenceslaum Budecenſes* ſcholas in pueritia frequentâſſe, hodie propè nulla Urbis ſuperſunt veſtigia. Monte *Zrzit* celeberrimo *Slanenſis* Regio exornatur, quòd *Czecho* in has oras venienti *ſpeculæ* vicem præbuerit, ad quem etiam montem in *Cztinovves Czechum* conditum Veteres hiſtorici tradunt; itaque prærogativâ quadam ob primas apud ſe *Czechi* ſedes Diſtrictus *Slanenſis* gloriari poteſt; ſed de hoc monte alibi plura. *Slanenſis cerevisia* olim per Bohemiam commendatiſſima fuit; antiquis etiam ob *ſalem* (cujus hîc fons ſcaturiebat) *Slana* fuit in honore; hodie nulla *Slanenſi* Regione frumenti feracior habetur. *Tellus tota hortuli* cultiſſimi ſimilis, quatuor fluvijs irrigatur, & clauditur. Præcipuum, quod in hac regione videri poſſit, ſunt: *Raudnicenſis* arx, *Slanenſia* duo Cœnobia, Mons *Zrzit*, ex quo tam læta totius Regionis facies deſpicientibus ſe offeret, ut nullum ſpectaculum lætius, & viridius, ut ſic dicam, oculis uſurpârim. Porrò *figuram* regioni dare, qualisnam ea ſit, difficile admodum videtur, ob varias fluminum (qui regionem circumeunt, & peninſulam efficiunt) ambages; *Bipenni* tamen maximè ſimilem eſſe, aut *peltæ*, in eáque delineari Diſtrictum hunc poſſe exiſtimo, eâ quidem ratione, ut *cuſpis*, quæ pungere poteſt, ad *Doxanenſe* Cœnobium perveniat, *corpus* ipſum *peltæ*, quâ dividit, à *Divicio uſque Pragam* trahatur; manubrium deinde ſculptor adjiciat.

Dotes regionis.

Figura.

§. V.

Provincia Litomericenſis.

IN *Litomericenſi* Diſtrictu deſcribendo, *Paulus Stransky* (etſi olim in Senatu Urbis primariæ ſummum Magiſtratum geſſerit) non ſatis diligenter, ùt mihi quidem videtur, eſt verſatus. *Fabulam* imprimis *Hagecij* ſecutus, *Litomericium à* **Lito mi ty Měřice** deducit, quòd minùs à nomenclatura Urbis diſcedat, quàm derivationes cæteræ. At, quis non videt, ſi à *Lidomiro*, vel *Litomiro* (quem antiquitas tota *Litomericena* Urbis conditorem agnoſcit) appellationem ducamus, nullam nos nomenclaturæ vim inferre, ac multò ſuaviùs, unâ tantùm literâ extritâ, vel mutatâ, deflectere, quàm ſi tot ſyllabas colliſas contrahamus? nimirum malebat *Stransky à Molitore* aliquo nominis auſpicium petere, quàm *Litomericium* ſuum à *Litomiro* conditum, aliquando Nobilitati ſerviviſſe fateri. Similem errorem admiſit in duobus Cœnobijs *Litomericenſis* Diſtrictûs: *Oſſecanum* enim *Ciſtercienſibus non Ottogarus*, ſed Ryzmbergica ſtirps, ùt in *Epitome* probâvi, *Submielnicenſe* verò Auguſtinianis Eremitis non *Comes Hroznata*, ſed (ùt ibidem oſtendimus) *Equites de Cetau* vel *Citovva*, qui Ibycem vel Caprum ſalientem gerebant in clypeo, fundârunt. At de Cœnobijs in hac, & cæteris per *Bohemiam* regionibus, alius erit ſcribendi locus. *Litomericenſis* regio ab oriente *Boleslavienſem*, à meridie *Slanenſem*, ab occidente *Zatecenſem* Diſtrictum contingit, ab occidente ad ſeptentrionem uſquè, primùm

Fines Diſtrictûs.

Digitized by Google

mùm *Miſnia*, deinde *Luſatia* ſuperior, ſunt ei confines. Poſt *Litomericium* Regia Urbs eſt *Auſta*, aliam hîc non invenio; *Mielnikum* (quòd adjicit *Stransky*) in *Boleslavienſi* cenſetur. Regio *Litomericenſis Bohemiæ Paradiſus* appellatur ex merito, omnia illi inſunt bona, fruges omnigenæ, hortorum deliciæ; valles frumento fluctuant, montes vitibus coronantur; accedit, quòd viâ parabili, flumine ſecundo ſcilicet, per *Albim*, quidquid uſquam in reliqua *Bohemia* bonorum eſt, ad *Litomericenſes* devehatur; & quidquid à mari aſcendit, hoc primùm *Litomericio* offeratur, ſeu merces ſpectes, ſeu quod ultro venit: *Salmones*, *Typhlæ*, *Sturiones &c.* ut propè ſingulis annis novum aliquod marinorum piſcium genus ad *Litomericium* capiatur. Sed vino, quod **Podſtalſtý** ex re appellant, (quòd ſub rupibus poſt *Uſtam* Urbem creſcat) nullum generoſitate par habet Bohemia (nam *Mielnicenſe* æquiparari non poteſt) vehitur etiam in *Auſtriam*, & cum primæ notæ vinis, exoticis etiam & transmarinis, concertat.

Figura Regionis.

Figurā Pyramidalem tribuit huic Regioni *Stransky*; ſed ſtriæ, & plicæ hinc atque illinc baſim nimiùm inæqualem efficiunt, ut longè aptiùs per *Cornucopia*, *botris*, *pomis*, & alijs anni fructibus, tum etiam *humuli lupulo*, & *frumenti ſpicis* refertum, cujus camura, & ſubtilior corniculi pars ad *Hanſpach*, & *Rumburg Luſatiam* versùs protendatur, exprimi poſſit; & ſanè hic Diſtrictus, & *horreum*, & *cella vinaria*, & *cornucopia Bohemiæ* dici poteſt. *Litomericenſis* Provincia habetur inter meliores, eadémque inter ampliores.

Quibus rebus commendetur.

Fodinæ hîc ſunt ſtanni pręſtantes poſt *Crupnam*, thermæ ſaluberrimæ *Teplicenſes*; argentum olim in *Hrob*, ſeu *Grab*, & in *Roztok* eruebatur. Ad *Podſedicze* ſeptem Pragâ milliaribus, *gemmarum fodinæ* reperiuntur. Nobilitati parent Civitates muratæ *Bilina*, *Teplicium*, *Duchczovium*, in quibus & arces egregiæ, & ſumptibus maximis exſtructæ viſuntur. *Auſſa* quoq; vetuſtam arcem oſtentat, & *Lippa*, *Munkaczovv*, *Svvadovv*, *Libochovicium*.

Oppida & loca inſigniora.

Oppida ſunt *Camenicium*, *Radauſsovv*, *Trzebenicium*, *Schluckenau*, *Kreibitz*, *Blanckſtein*, *Levvin*, *Hoſska*, *Zahorzany*, *Zvvikavia*, *Broczno*, *Libochovvia*, *Libczovves*, *Brozany*, & mettallica oppida duo, *Crupna*, & *Hrob*, de quo jam dixi. Arces quaſdam præclaras hæc Provincia habet: *Dieczin* propugnaculum eſt limitaneum adversùs *Miſnios*, aliæ quoque arces pro cuſtodia *Patriæ* conditæ, ùt *Rumburg*, *Tollenſtein*, (montibus auro ditiſſimis inædificatum, vetuſta ſedes Baronum Schleinitziorum) *Ronovv* (Ronowiorum Procerum) *Birckſtein*, *Brzeznicium* ad *Auſtam*, *Riſenburg* (arx deſerta ſuper Oſſecam Cœnobium, originaria Comitum de Oſek, qui raſtrum hortenſe ferebant in clypeo) *Haſenburg*, *ſeu Klopay* (à Zagicijs conditum) *Mileſsov* (Kaplirziorum ab annis mille continuata ſedes) *Koſstialovv*, *Kameyk* (originaria ſedes ejus nominis Equitum) *Libczovves*, *Enczovvany*, *Giſterpy*, *Brzezno*, *Daubravvska Hora*, *Libieſſicium*, *Skalka*, *Sulevice* (Kaplirziorum originaria ſedes) *Czizkovicium*, *Nedvviedicium*, *Ugezdum*, *Sobochleba*, *Schönſtein*, *Svadovia*, *Strecovia*, *Zitenicium*, (Præpoſiti Wiſſehradenſis) *Ploskovicium*, *Konogedy*, *Stolinky*, *Libchava*, *Beneſſovium Salhauzianum*, *Berzkovvicium* (originaria ſedes cognominis familiæ) *Beſſcovicium*, *Czernczice* (originarium Procerum ejusdem familiæ) *Citovv* originarium; *Doxanenſe* Cœnobium Virginum Præmonſtratenſis Inſtituti ad confluentem *Albim & Egram* ſitum, inter hortulos, & amœniſſimum circuitum, velut quidam *Paradiſus* ſpectatur; *Drahobuz* (originarium) *Honſpach*, arx *Koſtomlaty* antiqua, & Nova, *Lipa* Wartembergicorum, *Mireſſovvice*

Digitized by Google

Arx (originaria) *Razyce, & Wchynice* (originaria utraq; ſedes Chinskiorum) *Suvietſe* quondam Virginum Cœnobium, *Ziernoſeky*, & quis enumeret omnia?

§. VI.

Boleslavienſis Provincia.

BOleslavienſem *Diſtrictum Stranſky* à Juniore Boleslavia appellationem traxiſſe ſcripſit luculento errore, cùm *Boleslavia Junior* Patrum memoriâ primùm (A. 1600.) inter Regias Urbes cœperit computari. In libro vetere *Bernæ Regalis*, quem initio hujus tractationis laudavi, diſertè poſt titulum *Diſtrictûs Boleslavienſis* ſubjicitur: *Boleslaviâ* vetus, ſeu ad *Albim*, ut appareat, cujus Urbis gratiâ Diſtrictus ſit appellatus; & quia *Boleslavia* bellis nuperis in acervum lapidum abijt, & ad Urbis Regiæ dignitatem *Nova*, ſeu *Junior* aſcendit, nihil mirum hodie *Boleslaviam Juniorem* primariam hujus Provinciæ Urbem cenſeri, ſed nomenclatura ex Vetere primùm fuit petita. Fines hujus Diſtrictûs. Diſtrictus hic inter ampliores Bohemiæ cenſetur. Ab oriente *Hradecenſi* Provinciæ, à meridie *Kaurzimenſi*, ab occidente *Litomericenſi*, à ſeptentione partim *Luſatia* ſuperiori, partim *Sileſia* conjungitur, idq; per montes *Giganteos*, quorum pars ad hunc Diſtrictum, altera ad *Reginohradecenſem*, pars reliqua ad *Sileſiam* ſpectat. Arces & Oppida. Ex hoc *Diſtrictu*, & *Luſatia*, & *Sileſia* annonam maxima ex parte petit. Reginæ dotalis Civitas *Mielnicum* hâc regione continetur, quæ libertatem Regijs Urbibus parem ſemper habuit, ſtrenuéque ſeſe adversùs *Arcus Præfectos* libertati ſuæ graves defendit: habet enim mœnibus impoſitam *Arcem Regiam* cum vicino territorio, quod unà cum arce pignoris titulo diverſis Proceribus, noſtrâ, & patrum memoriâ, à Regibus utendum fruendúmque conceditur; *vinum Mielnicenſe rubrum* (ex *Gallia* jam pridem *Carolo IV.* apud nos regnante, allatis in melle vitibus) omnia *Vina rubra* per Bohemiam vincit. Novimus hoſpites *Italos*, *Gallos*, *Germanos*, qui Mielnicenſia vina nativa pro melioribus Italiæ vinis biberant, & advecta ex *Italia* eſſe jurabant; ex quo ſatis refellitur *Silvius*, qui *vina Bohemica acida*, & nullius rei eſſe ſcripſit. Regij fiſci, C. 1. hiſt. Boh. & Cameræ in hac Provincia ditiones multæ quondam fuerunt, nunc pauciores ſunt, ad arcem videlicet *Brunduſinam* ſpectantes; venationes Cervorum, Aprorum, aliarúmque ferarum, & hujusmodi Regum delicijs potiſſimùm accommodatæ, ùt *Opoczinum*, *Hlavvenecium &c.* De *Vetere Boleslavia*, Canonicorum *Collegio*, *Beatiſſimæ Virginis Baſilica*, & memorabilibus ejus loci, ac viciniæ, egimus peculiari opere, ut ſupervacaneum ſit repetere. Epitome hiſtorica Bohemiæ l. 6. & l. 7. Caſtella, oppidáque potiora Nobilium in hac regione cenſentur: *Bakovv*, *Mſſeno*, *Biela* muro cincta, ùt etiam *Turnovium*, *Sobotka*, *Mimonie*, *ſeu Niems*, *Gablona*, (*Beata Zdislava*, loci quondam Dominæ, ſacro corpore glorioſa) *Kurzivvoda*, *Fridſtein*, *Dub* (Oppersdorffiorum quondam) cum arcibus, & caſtellis oppida: *Liſſa*, *Brodecz*, *Danbravvice*, *Krzinecz* (rami Ronoviorum, qui Krzineckij dicti ſunt, originaria ſedes) *Koſſatky*, *Svvogany*, *Hradiſſtie* Monachorum, *Wartemberg* (originaria maximorum ejus nominis Procerum ditio) *Benatky* (quam *Tycho Brachæus* diu incoluit, & *Benachiam* in cœleſtibus ſuis operibus appellat) *Ronovv* novum, *Wyſoka* oppidum gemmarum patria, *Dietenice*, *Zaſadka*, *Doxi*, *Fridlandia*, *Reichenberga* (olim Liberkum) *Zakopy*, *Katuſyce*, *Waleczovv*, *Navvarovv*, *Waltinovv*, *Liben*, *Hruſſovv* (originaria ſedes, & arx Hruſſovviorum) *Dra-*

zicz

Digitized by Google

zicz (originaria ſedes Procerum vetuſtiſſimorum de Drazicz) *Rozdialovvice* (Equitum, qui pridem interierunt, prima ſedes) arx *Falkenburg*, *Libiechovv* cum arce, *Rzchnice* (originaria ſedes Wanczurarum) *Zielezna*, *&c.* Arces munitiſſimas in editis collibus, & petris habet hæc regio multas; principatum obtinet *Bezgezy* vel *Bezdiezy* (quam *Sigiſmundus* Cæſar expugnare nullâ vi potuit) memini me turris cujuſdam in ea arce murum dimenſum eſſe, qui octo ulnarum craſſitiem habebat; *Grabſtein* (Svecorum nuper nidus, unde illi *Regnohradecium* uſque dominabantur) *Dievvin* (ubi puteum vidi ſaxo exciſum ad centum Orgyas profundum) *Widim*, *Hauska*, *Doxa*, *Zvvirzetice* (unde ramus Zwirzeticiorum è Wartembergicis) *Waldſtein* (originaria Procerum ejus nominis à Wartembergicis deſcendentium) *Kozmonoſy*, *Brzezno*, *Stranovv*, *Byſſice* (Byſſiciorum Equitum originaria) *Bohuſovv*, *Bohozec*, *Arx Novoboleslavienſis*, *Samſſin*, *Semilium*, *Novum Berſtein*, *Lemberg*, *Dub*, *Ralsko* (prima ſedes Wartembergicorum, & Waldſteiniorum) *Hirſſperg*, *Skaly* ejus nominis caſtrum duplex, naturâ loci munitiſſimum, *Koſt*, *Bezno* (originarium Bzenskiorum Equitum) *Rzepin* caſtrum vetus, Equitum Teutonicorum &c. Memorabilia maximè hujus Provinciæ loca ſunt, inprimis *Montes Cerconoſſij*, ſeu *Gigantæi*, *Ribenzal* appellant, infames: volupe foret miras de eo narrationes audire, quas alteri loco ſervamus; oritur in ijs montibus *Albis*, ùt pridem dixi, tum etiam gemmifer, & auri grana volvens *Iſera* fluvius *Watavæ*, vel *Ottavæ* apud Prachenſes divitijs æmulus; digniſſimæ viſu ſunt Arces *Skalenſes*, tum quædam aliæ, quas nominavi. Ob pietatem verò in *DEI Parentem*, & prima Chriſtianæ antiquitatis monumenta *Vetero-Boleslaviæ Baſilica D. Virginis*, & altera *Collegialis*, *& prima* Canonicorum Eccleſia *S. Wenceslai* ſangvine irrigata. Ad *Mſſeno* vaſti ſunt hiatus, unde ventos Septentrionales *Bohemiæ* oriri â Majoribus noſtris eſt traditum. Abundat *Boleslavienſis* regio gemmis, & pretioſis lapidibus; unde figura ejus & loci poſitus, *monilis inſtar* exprimi poteſt, quale *Nurus Procerum* geſtant in pectore; ſic, ut anſa, vel *circulus* hujus *monilis* (quod inſtar tabellæ, latius erit, quàm longius) ad *Arces Troskianas* pendeat; latitudo verò monilis à *Mielniko* uſque ad *Grabſteinam*, ſpatio circiter decem grandium milliarium trahatur, infima monilis pars ad *Grompach*, *& Berſtein* gemmis congruis exornetur.

Memorabilia hujus regionis.

Quibus rebus abundet.

Figura Diſtrictûs.

§. VII.

Cubitenſis Regio.

Cubitenſis Regio pridem ad Bohem. ſpectat.

VIdeo ævo noſtro *Cubitenſe*, ſeu *Loctenſe* aut *Elbogenſe* territorium ſinè ullo diſcrimine cæteris *Bohemiæ* Diſtrictibus accenſeri; olim ſic non erat; ac niſi *disertè* exprimeretur; oneribus aliiſque odioſis Regum, & Comitiorum imperijs non tenebatur. Jam pridem *Joannis* Regis temporibus (circa Annum 1330.) & multis antè ſæculis *Vogeno* apud nos regnante, *Bohemiæ* adjunctum fuiſſe oſtendit *Stransky*; idem ex vita *Beati Hroznatæ* probari poteſt: nam *Lichtenſtadt* (locum in medio Cubitenſis Provinciæ ſitum) *Comes Hroznata* ex Bohemiæ Proceribus unus jam circa An. 1217. tenuit, atque (ùt eſt in ejus teſtamento) *Teplenſi* abs ſe extructo Cœnobio donavit; idem de *Thermis Carolinis* aſſeri poteſt, quas de ſuo nomine (ùt in *Epitome* narravi) *Carolus Cæſar Carolinas* appellavit. *Sigiſmundus Cæſar Caroli* filius hanc Regionem poſtea *Gaſpari Sslickio* Vice-

 Can-

Cancellario, & tum *Egrenſi Capitaneo*, qui in ditione *Veneta* patrimonium ſuum *Paſſanenſe* amiſerat, dedit, donavit; additum deinde eſt *Sſlickÿs Jus monetæ cudendæ*, quod olim *Paſſani* cum effigie *S. Annæ* in nummis habuerant, cui *Planæ* inſigne Sacrarium, veriùs Templum ædificavit *Sſlickiorum Comitum* poſteritas. *Joachimi Vallis* argento prędives in hoc Diſtrictu cenſetur; unde origo thalerorum; ſunt tamen, qui haſce fodinas ad *Zatecenſem* referant. De his plura in hiſtoria diximus, cùm de repertis ad An: 1516. argentifodinis ageremus. Conjectura quorundam eſt, non modò argentum, ſed aurum etiam in *Jochmſtalenſibus* fodinis olim repertum; ex eorum numero eſt V. Cl. *Wilhelmus Wilimovvsky* Menſor Regni, qui ſe in vetuſto *Codice Tabularum Regni* conſignatum legiſſe ad me ſcripſit: **aby ſe při Dſkách Zemſkých platilo Penězy dobrými Zlatými Jochmſtalſkými.** id eſt: *ut ad Tabulas Regni pretium ſolvatur probâ monetâ auri Jochmſtalenſis.* Niſi fortè hoc loco non *aurum* intelligatur, ſed *Floreni*, qui apud nos (ùt etiam apud Germanos) **Zlatý**/ (**Gulden**) appellantur; quod veroſimillimum puto. Urbecula munitiſſima *Cubitus*, in tractatione de *Urbibus Bohemiæ* locum habebit; illud inſigne ad memoriam: cùm plurimæ aliæ per *Bohemiam Civitates* à Svecis expugnatæ eſſent, *Cubitum* expugnari non potuiſſe, multóſque ibi *Svecorum* humum planxiſſe, unde illud noſtrum in Epigrammatis:

Iverunt Cubitum, Cubitum expugnare volentes,
Occubitus Svecis Ulnáq; Mortis erat.

Porrò *Cubitus* appellatur ab eo, quòd *Egra* fluvius *Cubitum* ſic alluat, ut *Cubiti figuram* ex montibus vicinis deſpectantibus, repræſentet. Quibus illac iter eſt prope *Cubitum*, ob rupes ad portam Civitatis occurrentes, ipſam ingredi Urbem coguntur, neque prætervehi poſſunt, ſed ibi in foro acto in gyrum curru, eâdem portâ (quæ una tantùm Urbem claudit) exire, & ad alterum latus deflectentes iter captum proſequi, quod mihi quoque accidiſſe, dum illac An. 1642. haberem, commemini; at hodie, ſi vera ſunt, quæ audio, ſupervacuo ſtudio rupibus, ſaxiſque perfractis, iter novum *Cives* effecêre, ut inſalutatâ, & non aditâ Urbe (quod erat illis olim & utile & glorioſum) currus prætervehi poſſit. Sunt in hoc Diſtrictu *Thermæ Carolinæ*, de quibus ſuo loco jam diximus, *Lichtenſtadium*, *Falconavium* cum arce, *Königsberga*, *Neideka*, *Schönpach*, *Stampach*, (originaria, & cognominis ſedes Comitum, & Equitum) *Schlackenvverda* cum arce, & horto, cui parem non habet Bohemia (hanc aliqui ad *Zatecenſem* referunt) Arx inſignis *Angelicus mons* appellata, *Audrcz* (originaria ſtirpis Audrczkianæ) *Himmelſtein*, *Beczovium* cum arce, *Luticium*, *Chyß*, *Bochovium*, *Felixburg*, *Künigshon*, *Slavvkovv* Civitas (ſtanni, quod hîc foditur) feraciſſima; *Haunſtein*, *Habrſperg*, *Hartnſtein*, *Neideck*, *Reichſtadt*, *Tauzim*, *vel Deiſing*, *Globenum*, *Schancza*, *Deyſa*, *Machovicium*, *Crupa*, *Kopecznum*, *Lukum*, *Przemluvicium*, *Polomum*, *Delbicium*, *Teleczium*, *Otnovicium*, *Reßvicium*, & alia plura. Memorabiles, & ſummâ admiratione dignæ ſunt in hoc Diſtrictu *Thermæ*, tum *hortus Schlackenvverdenſis*, tum *fodina argenti* in Joachimica valle, quæ hodiéque coluntur. Ob eam maximè cauſſam, ſi chorographicè regiuncula hæc exprimenda eſſet, crederem in *Gleba argentea* (Handſtein appellant) univerſam exſculpi poſſe.

Loca celebriora ejus Regionis.

Miſcell. L. 1.

Figura Cubitenſis Diſtrictûs.

Cubitenſis Comitatus cum caſtris omnibus, quâ Juris viâ in Regum Bohemiæ feudum, ac poſtea ditionem à *Ducibus Wirtenbergicis*, *à Ruthenis Plavvenſibus*, *à Plikÿs*, *ab Hertenbergÿs*, aliiſque pervenerit, in *Carlſteinenſis* archivi literis reperitur.

Cubiti poſſeſſores.

Archiv: Carlſ: Ciſta IV. lit. D.

Sſlackevvalda (Bohemis dicta Slawkow)

Digitized by Google

kow) in eodem Comitatu, in ditione primùm fuit Bohemicorum Procerum de *Riſenberg*, qui *raſtrum hortenſe*, ùt in *Oſſecenſi Cœnobio* videmus, ferebant in clypeis; ab his conjugio ad *Comites de Gleichen* pervênit; ex his *Erneſtus Henrico Principi Plavvento* A. 1440. vendidit; *Plavvenius* paulò pòſt (A. C. 1502.) Baronibus *Pflugijs de Rabenſtein*; ex hac gente *Caſparus Pflugius Regni Bohemiæ Cancellarius*, cùm *Joannem Georgium Saxoniæ* Electorem *Carolo V.* rebellem conſilijs, & factionibus in Bohemia excitatis, adjuviſſet, proſcriptus, ditionem amiſit, quæ *Regiæ Cameræ* An. 1547. eſt adjuncta.

§. VIII.

Egrenſis Regio.

Bruſch. in Egra.

EGra nobilis urbs cum territorio adjacenti, quâ ratione, & quando *Bohemiæ* adjuncta ſit, *Coſmographia Münſteri*, tum *Gaſpar Bruſchius* ejus Civis, noviſſimè, & breviſſimè *Stransky* docuerunt, qua de re nos etiam aliquid in *Epitome* noſtra diximus. *Chebbe* olim, ùt in *Goldaſto* legimus, vocabatur; unde Bohemi Cheb hodiéque appellant; Germani ab *Egra* fluvio, qui in *Pinifero Monte* cum cæteris quatuor fluvijs ortus, eam alluit, *Egram* appellare maluerunt. *Cubitenſi*, *&* *Egrenſi* Provinciæ ad ſeptentrionem, & ad occidentem adſitæ ſunt *Voitlandia*, *&* *Miſnia*; ad Auſtrum, ſeu meridiem *Palatinatus ſuperior*, & pars quædam Provinciæ *Plſnenſis*, ad orientem *Zatecenſis*, & angulus ſeptentrionalis Provinciæ *Plſnenſis*. In Egrenſi territorio Arces, & oppida potiora habentur. *Nechanice* oppidum, *Culma* olim *Chlum*, Eccleſiâ Divæ Virginis effigie, & beneficijs percelebris, & pauculi quidam pagelli. Ad *Egram* erumpit fons acidus (*Acidulas* vocant) mirè ſalutaris, & medicus, cujus aquæ in multas procul Provincias per Imperium, Poloniam, aliàsque Provincias, verno, & æſtivo tempore devehuntur. *Mulſum Egra* præſtantiſſimum quondam conficiebat, viciniſque omnibus, ac præcipuè *Bohemiæ* propinabat, hodie nihil de ea potione auditur, vinis aliarum terrarum omnibus honorem deferentibus. Sed *Theriaca Egrenſis*, quæ à *Virginibus ſacris* ibidem ſingulari arte paratur, magno omnibus eſt in honore. Regio tota angulosa ob tres angulos, & quandam ſubtus longitudinem, *Arcûs attracti ſpeciem* refert; atque ità *Egra* Urbs, locum, quâ ſagitta emittitur, versùs *Voitlandiam*, occupabit; *chorda* verò attracta per limites *Cubitenſis*, *Zatecenſis*, *&* *Plſnenſis Provinciæ* trahetur.

Limites Cubitenſes & Egrani.

Egrenſia memorabilia.

Figura Regionis Egrēſis.

Egram olim Imperialem Urbem fuiſſe, idem *Gaſpar Bruſchius* apud *Münſterum* velut pro aris, & focis defendit; ego id facilè quidem conceſſerim, ajo tamen, ſi quis præfractiùs paulùm pugnare velit, quæſtionem perdifficilem naſci poſſe; non enim tempus apparet, quo *libera &* *Imperialis* Urbs eſſe potuerit. Vide, quæ in notis ad vitam *B. Hroznatæ* ſcripſi. Scio *Adelheidam*, vel *Mechtildem* Comitiſſam in *Chebbe* (ità enim tum *Egra* appellabatur) *Theobaldi Marchionis Vohburgenſis* filiam, *Friderico Imperatori* nuptam, Tabulis nuptialibus *Egram* in dotem attuliſſe, A. C. 1178. ùt habet *Bruſchius in Waldſaſſio*; at (quod notandum curioſis eſt) non continuò quod *Imperator Conjugio acquirit*, id in Jura tranſit Imperij: poſſident enim & poſſidere poſſunt *Imperatores* privatim Provincias, & Regna, quæ ſuis hæredibus, non Imperio relinqvunt. At idem *Münſterus* narrat An. 1270. *Egram* ſeſe *Ottogaro Bohemiæ Regi* ſubjeciſſe; probandum igitur erit Egrenſibus

In Coſmograp: Minſteri.

Origines Guttenſt. c. 19. §. 10.

Bruſch. in Cœnobijs in Waldſaſſio.

Idem habet Weleslaw. in Geneal. in Ottogaro II.

Digitized by Google

ſibus publicis literis, eo intervallo inter An. 1179. & 1248. (nam eo anno *Hermannus de Ssvvamberg* à Rege Boh. Urbi Præfectus fuit (libertate donatam *Urbem Imperialem* evaſiſſe. Certè An. 1285. *Rudolphus I. Habſpurgicus* genero ſuo *Wenceslao Regi Bohemiæ Egrenſe territorium* (Goldaſtus putat exceptam ipſam Urbem fuiſſe) & *Cubitenſem Comitatum* in dotem filiæ conceſſit; ac tandem *Ludovicus Bavarus Imperator* A. 1315. Egram ipſam cum toto territorio, *Joanni Regi* pro 40. millibus Marcarum legitur oppignorâſſe. Extant originales, eæque multiplices literæ in *Archivo Carlſteinenſi* (quarum ſummam recitabimus ſuo loco) quibus obedientiam, & ſubjectionem primùm *Ottogaro*, deinde *Wenceslao*, tum *Joanni Regibus Bohemiæ* promiſiſſe ſe *Egrenſes* fatentur, atque iterum (donec redimantur) *Carolo Imperatori, & Regibus futuris Bohemiæ* promittunt An. 1357. in eámque rem ſunt literæ omnium Imperij Electorum. Vide ea, quæ attulimus in *Epitome Hiſtorica* l. 3. in Notis ad Cap: XVI. ubi hanc quæſtionem ex *Archivi Regij* literis explicare conati ſumus; quamvis & ibi non omnia ad liquidum ſint adducta, ùt patebit legenti. Huic urbi *Carolus Imperator*, confirmatis omnibus vetuſtis Privilegijs, ac Juribus concedit, nè per totam *Bohemiam*, neq; *Pragæ* (quod diſertè additur) ullum telonium ſolvere obligentur. Plura de rebus *Egrenſibus* in *hiſtoria Urbium Bohemiæ*, alio in libro adferentur.

Goldaſt. l. 1. C. 17.

Egram qui olim tenuerint.

Forma Contractuum Civilium. M. S. N. 254. in Bibliothe: Clement. S. J.

§. IX.

Unde tanta vis opum in Vetere Bohemia.

HActenus breviſſimè *Regiones*, & *Diſtrictus Bohemiæ* percurrimus, præcipuas Urbes, Civitates, oppida, & arces nominavimus, *Figuram* cuique regioni ſuam ex ſenſu noſtro (cùm neminem haberemus, quem in hoc ſequeremur) idoneam præſcripſimus; memoranda in ſingulis, & viſenda attulimus, tum, quâ ſinguli dote commendari poſſent, docuimus; jam aliud ſupereſt nihil, quàm, ut ea, ex quibus pretium aliquod confici poſſit, adducamus. Sed alia quondam fuêre, alia nunc ſunt ſæcula: plura vetamur: *Harpocrates digitum*! omnia igitur commiſcebimus: olim maximus in *Bohemia auri & argenti* proventus fuit, ut *Regnum aureum* Bohemia, & *Reges aurei Bohemiæ* etiam à Pontificibus dicerentur, præſertim, cùm *Indicæ, & Americanæ* opes Orbi noſtro adhuc ignotæ eſſent; *Equorum* maximum quoddam genus, ùt alibi dixi, è *Bohemia* petebatur; *ſtipendia Bohemi milites* faciebant, penè apud omnes nationes: *Italos, Gallos, Germanos, Polonos &c. gemmas, uniones, & pretioſos lapides* Venetis, & vicinis omnibus ſuppeditabant; *vinum* Luſatijs, & Miſnijs; *cereviſiam* toti Comitatui Glacenſi (ùt oſtendit *Ælurius* Glacenſis Hiſtoricus) Palatinatui, Noriberganis, Auſtriacis &c. *humulum*, ſeu *lupulum* Saxoniæ ſuperiori, & inferiori, & Bavaris; ijsdem *materiam, & ligna* per Albim uſquè Hamburgum in ædificia, in naves, & malos; *frumentum omnis generis, & fructus*, Miſniæ, Luſatiæ, Sileſiæ, Bavariæ, Palatinatui, Voitlandiæ; *piſces*, præſertim *Carpiones*, utrique Auſtriæ, Sileſiæ, & alijs quibusdam Regionibus; *ferrum, ſtannum, ſulphur, nitrum, chartam, vitra*, vicinis omnibus; *pecora, boves, oves, ſues*, ijſdem Provincijs; *merces* omnes Caroli IV. tempore tam Italicas in Septentrionem, quàm ex Septentrione in Italiam, alióque ituras, *Pragæ* deponi impetraverat, & imperaverat *Cæſar Caro-*

Memoranda Bohemiæ, & unde Majorũ divitiæ.

Fodinæ.

Equi.

Stipendia.

Gemmæ.

Vinum.

Ælur. in Glaciogr. Cereviſia.

Lupulus.

Ligna.

Frumentũ.

Fructus.

Piſces.

Metalla.

Pecora.

Merces.

Digitized by Google

Carolus; Nundinarum tempora tantâ frequentiâ in Bohemia celebrabantur, ùt hodie nuſquam magìs; *Studioſorum plurima millia*, qui in Univerſitate Carolina literis dabant operam, quantum *Bohemiæ* lucri apportarent, explicat *Hagecius;* ad *Sacras Chriſti, & Sanctorum honorandas Reliquias* quotannis tot millia *Pragam* ventitâſſe memorant Scriptores, ut uno die ad portas Pragenſes *centum millia Peregrinorum* numerata, alióque tempore in tota Triurbe Pragenſi, ob Peregrinorum multitudinem, *Panem defeciſſe* legamus; jam *Regum & Imperatorum Aulæ, Electorum*, ac cæterorum Germaniæ Principum Domus, qui recepto id temporis more Imperatorem ſequebantur, quantum ad augendas opes *Bohemiæ* contulerint, quis explicet ſatis? *Saxo, Palatinus, Brandeburgicus, Miſnenſes, & Anhaltini Principes, Archi-Epiſcopus Moguntinus* in Domibus ſuis prorſus in *Bohemia* apud Cæſarem habitabant; ad *Thermas Carolinas, & Teplicenſes, ad Acidulas Egrenſes* quotannis bis confluebant Miſnenſes, Saxones, aliíque vicini magno numero; *tranſitus perpetuus* fuit *Polonorum, Ungarorum, Sileſiorum, Auſtriacorum*, ac cæterorum in Imperij Germanici terras, atque ulteriùs in *Belgium, Galliam, Italiámque*, & contrà ad Imperatoris aulam tendentibus, non parum *Bohemiæ* adferebat emolumenti; accedit, quòd præter *Salem* (quem obcæcatis noſtris ſalſis fontibus, & confectionem *Salis* impedientibus, aliunde petere neceſſe eſt) nihil propè, nisi ad delicias comparatum, invehere quondam opus fuerit. *Crocum* Majores noſtri colebant in hortis, eúmque omni Orientali meliorem (ùt *Mathiolus* Vir magnus atteſtatur) vicinis regionibus vendebant; *Zinziber* & patrium, & nativum habebant, in *Podbrcenſi* Diſtrictu alibíque; alia *aromata* tardè in uſu Majoribus noſtris eſſe cœperunt, qui *allijs & cœpis* pro omni condimento ùtebantur; *lanæ & lini* copia tanta erat, ut hodiéque domi nobis ſuperſit, & *Bavari*, aliíque vicini certatim advolent emturi; nec *telæ*, aut *panni vulgaris* confectio deeſt; *ſuo lino, ſuóque panno*, in villis, pagis, & Civitatibus contegitur *Bohemia*; Exoticos pannos, ac Cameracenſes, ſubtiléſque illas telas *Nobilitati Mercatores* advehunt; vulgus non eget, tot paſſim linificibus, & lanificibus *Novædomi, Albipoli, Reichenbergæ, Commotovij, Novoboleslaviæ, Braunoviæ, Litomyſſlij, Crumlovij &c.* ac præcipuè in tota *Iglavienſi* vicinia, & in Diſtrictibus *Boleslavienſi, Reginohradecenſi, & Bechinenſi* eo labore occupatis; adde *Rubiam ſativam* (de qua ſuo loco) ex qua olim magna *Bohemis* opum acceſſio; & *Alumen*, tam neceſſarium artificibus certis, quod utrumque largè ſuppeditabat *Bohemia;* *monetæ verò Bohemicæ* tanta erat probitas, ut, quemadmodum noſtri Reges *Wenceſlaus, & Georgius*, tum cæteri, publicè ad *Electores* gloriati ſunt, nihil eſſe *monetâ Bohemicâ*, juſtius, ac purius, & ad valorem Bohemicorum, vel etiam *Pragenſium* groſſorum, & poſtea *Ferdinandi I.* temporibus ad *Jochmſtalenſium in Bohemia Thalerorum* pretium, aliæ groſſorum ſpecies exigerentur plerumque.

[Margin notes: Studioſi. — SS. Reliquiæ. — Aulæ. — Thermæ. Acidulæ. — Aromata. — *Vide Dec. 1. lib. 1.* — Lana & linum. — Panni. — Rubia. — Alumen. — Moneta.]

Taboritæ & Orphani gens ad latrocinandum genita, aliam faciendæ, & inferendæ in *Bohemiam* pecuniæ rationem quandam invenêre; ſcilicet ut vicinæ omnes Provinciæ (nì ſpoliari, necari, exuri vellent) damna, quæ latrones inferre minabantur, redimerent, ùt in Epitome noſtra, quæ manibus multorum teritur, pridem narravi. Denique verbo uno: præter *ſalem & Vinum* (quod ſoli propè Magnates, Majorum aureis illis ſæculis bibebant) nihil erat, quo careret *Bohemia*, multa erant contrà, quæ pro pretio ex *Bohemia* peterentur.

CA-

CAPUT V.

De Comitatu Glacenſi breviſſima tractatio.

CUm *Comitatus Glacenſis* (ùt infra videbimus) ad *Bohemiæ Coronam* pertineat, & *Bohemiæ* etiam noſtro tempore attribuatur, neceſſe eſt in his *Miſcellaneis* (cùm de *Diſtrictibus* agitur) aliquam ejùs fieri mentionem. *Georgius Ælurius* unicus eſt (quod ſciam) *Glacenſis Comitatûs* hiſtoricus, qui An. 1625. (*Glaciographiæ* titulo) *Lipſiæ* libro edito, quidquid de *Glacio* ſcribi potuit, magnâ diligentiâ, & (quod ſentio, dicam) Veritatis amore congeſtum, commemorat; adferam ex eo multa, multa adjiciam, refellam, adſtruam: ſinè præjudicio ſcribo, judicium legentibus relinquo.

§. I.

Glacio unde nomen? quis fundator? an fuerit Urbs Imperialis?

Origo Glacij fabuloſa

NOtandum eſt igitur ante omnia, *Georgium Ælurium* ignoráſſe omnino Veterem Provinciarum ad Septentrionem jacentium conditionem, & ſtatum, quódq; plures Scriptores peccant, dum gentis ſuæ origines auguſtiores conantur efficere, de *origine Glacij* mira ſomnia

Ælur. Glaciogr. l. 1. C. 1.

ſomniáſſe. Primò ait *Glacium* dici, quaſi *Clazomenæ* in *Jonia Aſiæ*, vel *Glantz* à ſplendore, vel etiam *Gotz*, quaſi dicas *Civitatem DEI*; eâdem pueritiâ à *Galatis Aſiaticæ Græciæ* populis *Glacenſem* nomenclaturam deducit,

Glacij nomen.

vel à *Glacie*, quòd mons ille *Glacenſis* calvitium quoddam præferat, & lævis, glabérque ſit; quæ omnia *Lector* eruditus ſomnia eſſe facilè intelliget. Ego in Nomenclaturis Urbium ad *Coronam Regni Bohemiæ* pertinentium,

Henelius in Sileſiogr. init.

Henelium diligentiſſimum Sileſiæ Scriptorem, toties jam in ea re laudatum ſequor, qui vetuſtas plerasque omnes *Sileſiæ* Urbes à *Slavis* primitus conditas, nomen etiam accepiſſe *Slavicum*, ſcribit, quiq; id negare auſint, eâdem operâ *Solem meridie lucere negaturos*, *Kladsko* igitur Bohemis, vel *Klodsko* dictum Polonis (ùt ex antiquiſſimis Scriptoribus vocant *Poloni* juxta, Bohemíque Scriptores, *Coſmas*, *Hagek*, *Miechovius*, *Cromerus*, *Dubravius*, cæterique omnes) à verbo **kláſti**, deductum eſt; quod componere, ſeu ligna conſtruere, & ſuper ſe locare, & **Kláda / Kladſko / ze ſau kladli**) *compoſitionem lignorum*, ſeu *congeſtum*, verbo: habitationem & domos conſtructas, *Slavorum* lingvâ ſignificat, atque inde antiqui (ùt Coſmas &c.) nunquam *Glacium*, ſemper *Kladskum*, vel *Gloſcum* appellent.

De Luca Romano Duce fabella.

Secundò: Ex eadem Antiquitatis ignoratione, ortum habet altera fabella: *Glacium* à Duce quodam Romano *Luca* (propiùs ad fidem *Lucium* dixiſſet *Ælurius*) circa An. C. 300. conditum per cauſſam caſtrorum, quæ in eo loco adversùs *Marcomannos*, *Sarmatas*, & *Quados* poſuerit. Authorem deſidero, unde hæc deſcripſerit; deinde neque hæc narratio congruit locis: nam, ſi Romanus ille *Lucas* à ripa Danubij (inde enim ad nos ex *Pannonia*, militare Romanis iter erat) tam procul in hoſtico caſtra figere potuit, jam & *Marcomannos* & *Quados*, eorúmque regiones ſuperare debuerat; adde quòd nulla in *Itinerarÿs Romanis* (quæ extant) & in *notitia Romani Imperÿ Lucæ* Urbis, aut Stationis Romanæ hoc loco ſit mentio, quod certè omiſſum non eſſet, præſertim, cùm *Quadi* & *Marçomanni* pro ſummis, & periculoſiſſimis *Romani*

mani Imperij hoſtibus, ùt ex ijs, quæ ſecundo Libro attulimus, conſtat, haberentur. *Tertiò*: nec illud ſuſtineri poteſt, quod de *Henrico I. Aucupe* narrat: illum circa An. 908. ex oppido, *Glacium* Urbem feciſſe, & ab *Ungarorum*, quos devicerat Duce *Glotzar* dicto, *Glacium* appellâſſe, ipſùmque *Urbis Imperialis* titulo decorâſſe; propè eſt, ut Terentianum illud exclamem: *ô Dave Dave! hæc non ſat commodè diviſa ſunt temporibus tibi! Primò*: nullibi extat ejuſmodi privilegium: ſed affirmat *Ælurius* ſe illud in M. S. quodam Codice *Glacij* reperiſſe, & deſcripſiſſe; at in re tanta incertæ alicujus manûs authoritas ad fidem faciendam non ſufficit, præſertim quòd privilegium iſtud ijſdem omnino verbis, nè ſyllaba unâ permutatâ aliæ quædam Urbes (ùt *Münſterberga*) ſibi datum (non *Glacio*) fuiſſe contendant. *Secundò*: ſuſpectum de impoſtura Privilegium facit, ipſa *Cæſaris* ſubſcriptio: *Henricus I. hujus nominis Imperator.* Quis enim neſciat, rarò Principes ac Reges, numerum nominibus ſuis apponere, minimè omnium *Primum* ejus nominis ſe dicere, idque ex *Meibomio* tot *Diplomata Regum ac Imperatorum* recitante diſcimus; *Tertiò*: nunquam ſe *Henricus Auceps Imperatorem* ſcripſit, neque unquam modeſtiæ cauſſâ *Imperator* ſuſtinuit appellari, ſed *Germaniæ Regem* tantùm, ùt probat *Baronius in Henrico I.* ad An. C. 1014. aliíque innumeri Scriptores. *Quartò*: idem *Henricus* ſui nominis loco (quod & cæteri Reges ac Imperatores factitabant, ùt oſtendit *Meibomius*) ſolitus eſt literas quaſdam *intortas* (quod *ſignum D. Henrici* vocabant) Decretis ſuis appingere, & tale ejuſdem *Henrici ſignum* ex pluribus literis, & lineis compoſitum ſpectatur in antiquis Scriptoribus, apud *Meibomium*, & *Münſterum*, & *Henrici II. in Coſma*, & nos ipſi innumera ejuſmodi *Caroli IV.* ſigna in membranis Cœnobiorum vidimus, aliíſque demonſtravimus: *Quintò*: Literas haſce *Henrici* ait *Ælurius*, ſcriptas eſſe linguâ Germanicâ; at vel iſtud unum ſubleſtæ fidei literas oſtendit; nam omnia eo tempore *Cæſarum decreta*, & *acta publica*, Latinâ linguâ edebantur, & primùm An. C. 1247. publica Inſtrumenta Germanicè (Latinis tamen literis, quæ Antiquitas hiſtoriarum amanti notanda eſt) ſcribi cæpta ſunt, ùt probat *Carolus Stengelius Abbas Ænhuſanus*. *Sextò*: Quiſquis ipſam hujus Privilegij (quod *Ælurius* recitat) Phraſin, & loquendi modos diligenter perpenderit, facilè perſpiciet, procul eſſe ab illa antiquitate, quam in ejus ævi literis legimus, totúmque illud *Henrici Diploma* verbis hodiernis, & ex moribus paucorum ante nos ſæculorum eſſe conceptum, & ſcriptum; diſplicet & illud: *Nos Henricus DEI gratiâ Electus Romanorum Imperator*, (à quo amabò electus, cùm Electores nondum eſſent?) & *ejuſdem Imperij ſemper amplificator.* Abhorrent hæc à veteri illa ſimplicitate. *Septimò*: ſcribit *Henricus Glacium* à ſe conditum, idque *Urbem Imperij* nominat. Quomodo igitur à *Luca* illo Romano? Deinde nè veſtigium quidem in ulla hiſtoria reperietur, neque ullus poſterorum Imperatorum hoc nomine *Glacium* ſibi reddi voluit, neque ipſi *Glacenſes*, cùm in tot *Bohemiæ* & *Poloniæ* Interregnis, & bellis, à Cæſaribus ſæpe *Bohemo* & *Polono* nomini infeſtiſſimis, impetrare facilè poſſent, ejus Privilegij mentionem ullam fecêre. Adde quòd *diviſio Imperialium Civitatum* longè poſteriùs ſit facta: neque Civitas *Glacium*, ſed *Oppidum* adhuc ante 300. annos vocatur. Liberat præterea *Civitatem Glacenſem* idem *Henricus* ad tricenos annos ab omnibus cenſibus, tributis, ſteuris, & *Cereviſiarys Contributionibus*; quas difficile eſt credere illo ſæculo, præſertim hiſce nominibus, in uſu fuiſſe; tandem ſuſpectum eſt, quod infra eundem annum, quo *Glacium* conditur, jam oppidum & *Civitas*

Glaciũ nunquam fuit Urbs Imperialis.

Terent. in Andria.

Refelluntur literæ Henrici I.

Henr. Meibõ: in Magdeburg. &c.

Meibom. l. c. & Münſter. in Coſmogr. l. 3.

Coſm: in hiſt: Boh. lib. 2. fine.

Stengel. P. 2. rer. Auguſt. C. 42.

Digitized by Google

tas eſt (quæ tam ſubita incrementa?) & Cives ab ipſo Cæſare, Ehrſamen appellentur, quem titulum à *Cæſaribus* nunquam *Civi* datum legi; multum eſt, ſi *fideles noſtri, aut dilecti ſubditi* nuncupentur.

Satis de ſubreptitio illo, & confićto *Henrici Aucupis* Diplomate (cui tantum quidam tribuerunt, ut *Glacium Imperij Urbibus* auderent æquare) quod ſi concidit, totam *Ælurij* ſententiam (utpote huic uni argumento nixam) concidere neceſſe eſt, idque ſit quartum *Ælurianæ* ignorantiæ Caput, quòd ex eo *Decreto* confici poſſe putat: *Glacium*, neque ad *Sileſiam*, neque ad *Bohemiam* pertinuiſſe, nulli nec *Sileſiæ*, nec *Bohemiæ* obnoxium, in medio, ſuúmque conſiſtere, & omnimode abſolutum, ſed iſtud originalibus, & authenticis Principum, Regum, & ipſorum *Imperatorum* literis (quarum Indicem *ex Archivo Carlſteinenſi* ſuo loco recitabimus, quibus nimirum plus fidei, & Authoritatis, quàm omnibus omnium hiſtoricorum narrationibus ineſt) è diametro adverſatur. Quanquam & ipſe *Ælurius* vi veritatis adactus, ùt jam videbimus, *Glacium Bohemiæ* partem, & Regno inſertum poſtea fateatur.

§. II.

De Diœceſi, & quinam Glacium ditione tenuerint.

Glacenſes ad Diœceſim Bohemicam ſpectant.

SEd *Diœceſim* quoque ſui *Glacij* (tanta tum erat rerum ignorantia! ac potiùs *Præſulum* negligentia!) *Ælurius* ignoravit, cùm aſſerit ad *Wratislavienſem* ſpectare. Scio *Miechovium* ſcribere, negligentiâ *Thomæ II.* Wratislavienſium Epiſcopi *Glacenſem Comitatum ad Pragenſem Diœceſin* fuiſſe devolutum; ſed iſtud ſubſiſtere nullo pacto poteſt, ùt ex *libris Erectionum* (quorum ſummam, ſi DEUS vitam dederit, adferemus) & ex publicis *Erneſti* literis luce meridianâ clariùs pateat, *Comitatum Glacenſem*, ac nominatim *Canonicos Regulares S. Auguſtini*, deinde *Melitenſes Equites*, qui *Parochiam regebant*, (verba ſunt *Erneſti*) in Diœceſi Pragenſi ab immemorabili tempore cenſos fuiſſe, idque longè ante *Thomam* Epiſcopum.

Erneſtus I Archi: in narrat. Viſionis.

De Dominis ac Poſſeſſoribus Comitatûs Glacenſis.

Jam quos *Dominos*, *Comitatus Glacenſis* habuerit, videamus. *Primùm:* dubitari vix poſſe video, quin ùt *Sileſia*, *Glacium* quoque primitùs ad *Polonos* pertinuerit, & *Poloniæ* nomine, velut tota *Sileſia*, ſit olim incluſum; quia verò etiam *fratrum concordia rara eſt*, inter *Bohemos*, & *fraternam gentem Polonorum* (Czechos, & Lechos) cruentiſſima bella, *Glacium* à reliqua *Sileſia* aliquoties avulsêre; idque ex *Cromero & Hagecio* datur intelligi. Anno 1074. *Wratislaum II.* Bohemiæ Ducem præſidium *Bohemorum Glacio* impoſuiſſe narrat *Hagecius*. *Brzetiſlaus II.* hujus filius rivalem Imperij *Udalricum* fratris ſui filium captivum *Glacij* clauſit; *Sobieſlaus I.* cùm *Glacium* cepiſſet ex *Polonis*, exuſtam, & ad terram datam *Arcem Glacenſem* egregiè exſtruxit, & de novo condidit Anno 1129. At rurſus ad *Sileſiam* redijt, eique conjunctum eſt, præcipuè poſtquam filij *Wladislai Ducis Poloniæ* poſt Annum 1160. *Boleslaus Procerus*, *Meczislaus*, & *Conradus Sileſiam* omnem inter ſe diviſiſſent, ac nominatim ad *Wratislavienſes Principes* ſpectavit; audiamus Cromerum: *Wratiſlavienſes An. 1276. ad Przemyſlum Ottogarum in periculo ſuo confugiunt, & caſtrum & Oppidum Cloczko ei tradunt;* (at quod ſequitur falſum eſt) *ex eo tempore Cloczko in poteſtatem Regis Bohemiæ devênit;* conſtat enim rurſus *Wratislavienſium Principum* fuiſſe; hi reddidêre iterum *Ottogaro*, at poſt ejus in acie occaſum, iterum ad ſe traxêre; quâ

Miechov. l. 3. hiſt. Pol. C. 58.

Hagek in Annal. Boh.

Bohemiæ & Poloniæ Principes tenuêre Glacium.

Id. Hagek & Stranski in Rep. Boë.

Tum Sileſiæ Duces.

Cromer. l. 3. hiſt. Pol.

Cureus & Polius & Hagek ad A. 1278. & ſeq.

Digitized by Google

Henel. in Breslograph. C. 5.

Hinko Berka Dominꝰ Glacij.

quâ ratione dein *Glacium ad Berkas* pervenerit, omnino non liquet; tenuiſſe tamen *Glacium Hinkonem Berkam* An. 1316. certiſſimum eſt, ex Confœderatione Procerum *Pragæ* die S. Marci facta, quam recitat vetuſtiſſimus Scriptor *Familiæ Roſenſis*; ſed longè ante id tempus poſt An. 1268. ad *Wartembergicam Stirpem Glacium* pertinuiſſe, tum ex hoc *Roſenſi* Codice, tum ex *Campano, & Dubravio* conſtat, quòd *Ottogarus Rex Glacium Wartembergicis* ademit. An. 1222. *Boleſlaus Münſterberga Princeps Joanni Regi Glacium* vendidit, isque rurſus, *Henrico VI. Wratislavienſi* Principi, eâ conditione donavit, ut poſt mortem *Henrici*, non *Glacium* modò, ſed etiam *Wratiſlavienſis Principatus ad Coronam Bohemiæ* devolveretur, quod factum 1337. Iisdem legibus à *Carolo IV.* Joannis filio, *Boleslaus Münſterbergenſis Glacium* accepit An. 1341. à cujus morte unà cum Principatu *Glacium* quoque ad *Coronam* eſt reverſum; ità *Glacium* ad comparandos quosdam *Principatûs* noſtri Reges, velut *eſcam* quandam *Sileſiæ Principibus* obtrusêre; poſt hæc *Carolus IV.* An. 1350. *Glacium* cuidam *Ulrico de Krzenovvitz* oppignoravit. At rurſus A. 1353. (ùt ex conſtitutione *Caroli IV. Pragæ* data, quam habet *Goldaſtus*, apparet) Glacenſis Comitatus Bohemiæ incorporatur; indè *Glacium* ſive emtione, ſive alio modo (id enim non conſtat) *Victorinus I. de Podiebrad Georgij Regis* Parens poſſedit, qui An. 1427. obijt; ab eo (quo titulo neſcitur) *Hinek Kruſſina Lichtembergius Glacij Dominus* legitur A. 1447. Recuperavit *Comitatum Glacenſem Georgius Podiebradius* An. 1455. Pòſt in *Georgij Regis* filios Duces *Münſterbergenſes* hæreditate *Comitatus Glacenſis* transmiſſus eſt. Sed A. 1500. ijdem *Münſterbergæ* Duces *Ulrico Comiti de Hardek* (qui eorum ſororem *Sidoniam* in conjugio habebat) pro 60. millibus Coronatorum *Comitatum* vendidêre, qui ex eo tempore *Comitum Glacenſium* titulum præferre cæperunt.

M. S. Codex Hiſt. Roſ. Dubraw. in hiſt. Boh. Campan. in Theſib. hiſt. in Ottogarò.

Et Wartẽbergici.

Cureus in Annal. Sileſ. Weleslaw: in Calend. hiſt. Carolus IV. Imp. in Vita ſua C. 8.

Cuthen. in Notis ad Silv. 1341. Lupac. in Calend. hiſt. Weleslaw. in Calend. hiſt. ad 12. April.

Iterum Sileſiæ Duces.

Goldaſt l. 1. de Jurib. Boh: C. 15.

Cunſtadæi Comites Glacenſes.

Comes de Hardek.

Ab *Hardekijs* An. 1537. redemtum *Glacium*, à *Ferdinando I. Dominis de Perenſtein*, (illic viciniæ Dominis, & *Novæ Civitatis Bohemicæ* per id tempus Conditoribus) donatum, ac rurſus *Erneſto Duci Bavariæ* Epiſcopo Paſſavienſi, & poſtea electo Archi-Epiſcopo Salisburgenſi oppignoratum narrat *Ælurius*; Ego ſic comperio: (ex *Comitijs Regni Bohemiæ* An. 1547. 23. Auguſti celebratis) *Joanni de Perenſtein* Glacium oppignoratum primùm (ridicula enim eſt ad tempus donatio, quam fingit *Ælurius*) poſtea permiſſum ab Ordinibus Regni, ùt *Erneſtus* (ſi priùs tamen pro *Incola Regni Bohemiæ* ſuſcipi ritè peteret, & admitteretur) *Glacium ab Joannis* filijs redimeret, quod ille A. 1549. numeratis centum quadraginta millibus florenorum, perfecit; cùm verò An. 1560. *Glacij* obijſſet *Erneſtus*, & jus ſuum in *Glacium*, *Alberto Bavariæ Duci* tranſcripſiſſet, *Regni Ordines* præſente ipſo in Comitijs *Cæſare Maximiliano* An: 1567. Art. 6. decernunt: non poſſe per *Conſtitutiones Regni Albertum* inter Incolas Regni numerari, ac proinde *Comitatum Glacenſem* quàm primùm vel à *Rege*, vel ab aliquo ex Statibꝰ redimendum; id cùm factum eſſet, & *Comitatus ad Bohemiam* rediiſſet An: 1579. *Cæſare Rudolpho* præſente, Comitijs maximis (nam ex omnibus Provincijs Coronæ annexis aderant delegati) decretum eſt: ut in poſterum *Glacenſis Comitatus Bohemiæ Coronæ* uniretur in perpetuum, eſſetque Regia, & velut *Patrimonialis Regum ditio*, quæ vendi, oppignorari, aut in dotem dari, aut alienari non poſſet; in eo ſtatu *Glacium* ad Annum uſque 1623. permanſit, quo devictis hæreticis rebellibus *Comitatum Glacenſem Ferdinandus II. Imperator*, Sereniſſimo Fratri ſuo *Carolo Wratislavienſi Epiſcopo* donavit; ac brevi eodem Comitatu recepto, eundem in Provinciolę cujusdam formam redegit, ut ſuum Capitaneum ſuum Tribunal, ſuas leges haberet,

Ælur. in Glaciograph.

Perenſteinij.

ErneſtusD. Bavariæ.

Ælur. l. c. Comitior. acta impreſſa art. 20.

Comitatus Glacenſis redit ad Reges & Regnum Boh:

Henninges in Genealog Ducum Bavar.

Hartleder. in Handlungen S. R. Imp. l. 8. C. 83.

Comitia An. 1579. 9. Febr.

quæ ratio gubernationis uſquè hodie perſeverat. Grandis in hoc quoque *Ælurij* hallucinatio apparet, quòd diſputans de tempore, quo *Comitatûs* titulum, ac nomen, Regio illa *Glacenſis* acceperit, aſſerat id factum à *Friderico III. Cæſare*, An: 1463. qui ut ſeſe gratum *Georgio Regi* præſtaret (quòd obſeſſum, & jamjam capiendum à *Viennenſibus* ſuis, perjuris, ac rebellibus *Cæſarem* perſtrenuè vindicârat) filios ejus *Münſterbergæ Principes, & Glacenſes Comites* appellârit; nam, ut taceam *Fridericum Cæſarem*, quod non habebat ipſe, donare in alieno Regno non potuiſſe, conſtat jam pridem *Victorinum de Podiebrad* Georgij Regis Patrem *Comitis Glacenſis* titulum geſſiſſe, imò & *Duces Wratislavienſes*, aliquot antè ſæculis, *Glacenſem Regionem Comitatûs* titulo nuncupâſſe. Quid igitur *Fridericus Cæſar* contulit? videlicet: ut cùm *Principatum Münſterbergæ, & Comitatum Glacenſem* ditione tenerent, unà titulum (authoritate Cæſareâ) *S. R. I. Principum, & Comitum* gererent, atque ut in Imperio & Europa univerſa ijs titulis honorarentur. Providentiſſimè igitur, & longè in futurum proſpicientes *Georgij Regis filij*, ſtatim à Patris morte à *Rege Ungariæ Mathia* (qui tum *Sileſiam* habebat) *Principatum Münſterbergicum*, & à Rege *Wladiſlao Comitatum Glacenſem* confirmari ſibi, ac poſteris petierunt, impetrâruntque ampliſſimis literis, quibus *Wladislaus Rex Glacenſem Comitatum Regni Bohemiæ Feudalem*, donat in perpetuum *Familiæ Cunſtadææ*, liberat omnes ſubditos ab oneribus Regijs, ſubjicit *Cunſtadæis*, niſi quid in feudum peccarent: & *Regi Bohemiæ* debitam obedientiam exuerent; atque ita *Comitatum, Bohemiæ* incorporat, unitque, ut à Corona ſeparari ampliùs non poſſit, &c. *Datum Pragæ* 29. Aprilis A. 1472. Regni noſtri anno primo. Ego iterum collatis rebus omnibus exiſtimo: cùm *Bolko Münſterbergenſis Joanni Regi Glacium* venderet, iſque illud rurſus *Henrico Duci Wratislavienſi* concederet, tum primùm *Comitatûs* titulum accepiſſe; antiquiora certè ejus *Tituli* documenta non ſuppetunt.

Adverſus Ælurium.

Michaël Sachſ. P. 4. Chronici Cæſarei.

§. III.

Comitatûs Glacenſis Clypeus. Termini. Figura. Hominum multitudo. Civitates, & quædam ſingularia.

Inſignia Comitatûs Glacenſis.

GLacenſis *Comitatûs* Inſignia, ſeu Regionis *Clypeum* ait eſſe *Ælurius* tres lineas, ſed colores non explicat, ſunt eo ordine collocati, ut vel tres lineas rubras in albo campo, vel in rubro campo tres albas lineas inflexas dicere poſſit, at ipſa *Civitas Glacenſis*, ùt pleræq; per *Bohemiam Urbes*, *Leonem album* geſtat bicaudatum in ſangvineo campo furentem.

Ab A. 1550.

Lites de terminis.

De limitibus *Comitatûs*; *& Bohemiæ* magnum, & diuturnum ſuperiore ſæculo certamen fuit, hinc *Erneſto Duce*, & poſt eum procuratore *Rudolfi Cæſaris* Regio, indè *Nicolao de Bubna* Equite ſplendidiſſimo litigantibus, id certamen propè in quadraginta annos extractum *Septuaginta quinque millibus ſexagenarum* ex utraque parte traditur conſtitiſſe. Anno tandem 1586. ſententia lata, ac definitum: fluvium Aquilam uſquè ad Rubiconem, ſeu rubrum fluvium (ità vocant) verum eſſe Comitatûs, & Reginohradecenſis Diſtrictûs limitem, ſic, ut ſuperior ejus pars in *Bohemiam*, inferior pars altera ad Comitatum pertineat.

Figura Comitatûs.

Comitatus, qui propè *folio querno* figurâ perſimilis videtur, quà latiſſimus eſt, *quinque milliaria majora Germanica*, quà longiſſimus *octo milliaria*, ejùsque ambitus, ſeu peripheria univerſa,

Digitized by Google

Civitates & ſedes præcipuæ.

verſa, *viginti quatuor* milliaria comprehendit: Novem habet Civitates: *Glacium*, (à quo ei nomen) *Habelſchvverdam* (Bohemis olim Byſtrice à fluvio ſubterlatente ejusdem nominis) quam olim (ùt & *Mittelvaldam*) ad *Diſtrictum Hradecenſem* pertinuiſſe conſtat. Wunſchelberg/(Hradek Bohemis) *Landekam*. Minores Urbeculæ, *Neuroda*, *Stillfridorum* Baronum ditio, *Mittelvvalda*, *Reinertz* (Bohemis Duſſnik.) *Levvin*, *& Wilhelmsthal*, vel *Neuſtetlein*, olim *Cœnobio Camencenſi* ab *Joanne Rege* donata.

Hominum multitudo.

Pagos numerat ſupra centenos; populo (quæ communis montanis hominibus dos eſt) abundat ùt maximè, hodiéque narrat *Ælurius* An. 1620. cùm viceſimus quisque patrum familias (*poſſeſſionatos* appellant) ad bellum mittendus eſſet, milites ex ſolo Comitatu 720. cenſos eſſe.

Ælur. in Glaciograph.

Quibus rebus Comitatus abundet maximè.

Thermas ſaluberrimas habet *Landeka*, quas *Curæus* medicè deſcripſit; *Acidulæ aquæ* tanto erumpunt numero, ut earum duodecim ſuis appellentur nominibus; *Lapides Carbonarij* in fabrorum uſum effodi poſſunt copioſiſſimè, at quia materia ex ſilvis ſuppetit, negliguntur. In *Wilhemſthal* (quam Civitatulam *Wilhelmus Opperſdorffius ſupremus in Bohemia Monetæ Præfectus* An: 1581. reparavit, & de ſuo nomine dici voluit) auro & argento, avorum memoriâ ad aliquam nominis claritatem pervenerat, nunc jacent omnia.

Cingitur *Comitatus* univerſus altiſſimis Montibus & ſilvis, ex quibus cæsâ materiâ (duodecim millia orgyarum quotannis) in fluvios dejiciuntur, & *Glacium*, *Habelſvverdam*, *&* *Landekam* imò & *Glacio Niſſam* uſque quoties Emtores poſtulant demittuntur; hic præcipuus (præter tributa) in *Comitatu Regis* eſt proventus. Fluvij *Niſſa* (qui in Comitatu naſcitur) *Bila*, *Biſtrice*, cæterique, truttarum, aliorúmque piſcium feraciſſimi, ſic, ut majores vix alibi in his noſtris oris reperiri poſſint, medium quoddam genus inter *Salmonem & auratam* (Lachs Forell) ſingularis cujusdam ſvavitatis eſt, idque magno numero capitur; ſilvæ ferarum omni genere plenæ; Molares lapides circa *Lomnicium* (*Lomnicz* Bohemicè latomiam ſonat) optimi, procul devehuntur.

Ars tornandi.

Levinenſes Oppidani tornatores plerique ſunt, & miro artificio *cochlearia parant lignea*, quæ in vicinas, remotásque Provincias perferuntur; miraculo eſt ipſa rerum, quas torno perficiunt, parvitas; hoc ipſo anno, dum hæc ſcribo, 1673. emi aliquot obolis, dum illac iter facerem, unum *Ceraſi Nucleum*, in quo *duodecim duodena cochlearium* ſpectabantur, rurſus tantidem comparatam pixidúlam *Apis* magnitudine, quæ 24. cochlearia elegantiſſimo artificio diſtincta claudebat.

Arces deſertæ non paucæ hodiéque in *Comitatu Glacenſi* viſuntur. Ad *Levinum Homole* (Bohemicâ lingvâ quaſi dicas *metà lactis* denſati) ſpectabat olim ad *Kruſſinas*, qui *Nachod* Arcem tenebant; Arx *Carpenſtein* à *Carpis* populis, (ùt ſuſpicor, de quibus libro II. aliquid dixi) condita, ad *Landekam* latronum nidulus, An. 1443. *Schnellenſtein* circa Annum 1425. *Kejlberg* An. 1450. *Conradsvvald* 1469. dejectæ. Pagum (*Mellink*, Mielnik olim) totius *Comitatûs* antiquiſſimum vocat *Ælurius*, ibi, inquit, *taberna Bohemica*, *in quam Bohemi jus antiquiſſimum habuerunt!* ſed iſtud quid miri continet, cùm *Comitatum Glacenſem* ante duo ſæcula pluribus in locis *Bohemicè* adhuc locutum probari poſſit? In ipſa *Urbe Glacenſi*, *platea* dicta *Bohemica*, Bohemis conſtabat, quibus *Judex* ſuus Bohemicè Jus diceret, eáque lingvâ lites finiret; *Bohemicè Privilegia Tribuum Glacenſium* quarundam conſcripta ipſe vidi, ſed hæc antè dicta, prætereo. *S. Wenceslai* Eccleſia poſt arcem *Glacenſem* ſtabat ad *Melitenſes* *Equi-*

Lingvâ bohemicâ olim utebatur Comitatus.

Digitized by Google

Equites pertinens, in qua *Bohemus Sacerdos* Catholicus dicebat ad populum, cui Parochiæ undecim pagi, qui decimas ferrent, & ad ſacra venirent, attributi fuêre.

§. IV.

De Nobilitate in hoc Comitatu; déque ejus fidelitate; tum de mutatione Religionis.

Familiæ Nobiliſſimæ.

NObiliſſimas Familias in hoc Comitatu reperies: *Panvicij* (ex quibus *Erneſtus de Panvvicz*, cui hodie in hoc Comitatû *Tabulæ* commiſſæ ſunt, Diſcipulus quondam meus, mihique ſemper amore ſincero conjunctus, Vir eruditus, & Philoſophiâ, & Juris ſcientiâ clarus) *Panvvicij*, inquam, jam An. 1341. *Glacenſis Arcis Burgravij & Præfecti*, nunc *Commendantes* dicimus nominantur, eorum decora alteri loco ſervantur. Fuêre hic quoque *Glaubicij vel Globicij Equites*, ſunt hodiéque *Stillfridij* (atque ut quàm diutiſſimè perennent ac floreant, animitus voveo!) *Comites*, *Herberſteinij*, *Götzij*, Barones *Stredele de Montani*, *de Morganthe*, &c. tum Equites *Schenckendorffij* (atque ex ijs vetus Patronus *Wolfgangus Henricus* Vir omnium ſcientiarum) ſunt *Reichenbachij*, *Ullersdorffij* (ex quibus *Joannes Ullersdorff* amantiſſimus nominis mei, & ſtudiorum meorum) *Salhauſij*, *Moſchenij*, *Cziſvviczij*, *Eckersdorffij* (jam in Bohemiam tranſlati) *Donigij ſeu Ratoldi*, *Raſſinij*, & *Haugvviczij* (Bohemicæ originis tres ſtirpes) pluréſque alij, quos, dum *Arneſti* Sanctiſſimi Præſulis vitam *Comitatui Glacenſi* dedicarem, enumeravi.

Laus Nobilitatis in hoc Comitatu: ſemper Regibꝰ ſervata fides.

Nobilitas hujus *Comitatûs* plerumque pro *Bohemiæ* Regibus omni ætate ſtetit; quæ pulcerrima laus habetur. In *Huſſiticis* bellis, pro *Sigiſmundo*, *Alberto* pugnârunt, tantáque fuit eorum fides, ut quidquid vicina *Sileſia* clamaret, nunquam cogi potuerint, ut *Regem* ſemel coronatum deſererent; vide quæ in *Arneſti vita* de ſtudio Fidei Catholicæ memoravimus. At prioris ſæculi initio *Lutherus*, deinde paulò pòſt circa Anno Ch. 1530. *Gaſpar Schvvenckfeldius* hæreſiarchæ, uterque corruptis *Glacenſium* primarijs Viris, ac fæminis, omnem propè priorum ſæculorum gloriam corruperunt: *Lutheri* hæreſin tota propè Nobilitas, tum & pleraq; oppida ſunt amplexa; *Schvvenckfeldius* ipſe *Glacij* præſens (quem malè *Ælurius Anabaptiſticam* hæreſin docuiſſe tradit) libris virulentiſſimis ſparſis, ad enthuſiaſmum ſuum, & *privatos Spiritûs Divini* (ſcilicet) *inſtinctus* populo tam diſertè commendabat, ut non alibi fœliciùs, quàm *Glacij* errores provenirent. A. 1538. Myſtas ſuos *Schvvenckfeldius Glacij* habebat quendam *Fabianum Eckel*, poſt eum *Sebaſtianum Eiſenmannum* Achatem Schwenckfeldij; *Habelſchvverdæ* regnabat *Schvvenckfeldius* magìs, quòd in ea Civitate Anno 1533. viam illi muniverant *Anabaptiſtæ*, qui tanto numero *Habelſchvverdam* confluxerant, ut obſerato Templo, & conclavatis foribus, nemo Civium, anni unius ſpatio, *Templum* ampliùs adire voluerit, tota illa Civitas (præcipuè A. 1545.) *Domus* una videbatur, & *Anabaptiſtarum Commune*. Pellebantur illi quidem ex Urbibus, neque *Erneſtus Bavariæ* Dux conſiſtere illos patiebatur, præſertim advocato *Glacium*, *Chriſtophoro Neatio SS. Theologiæ Doctore*, *Decano* conſtituto, Viro Catholicæ rei propugnandæ, & promovendæ percupido (cujus, & *Hieronymi Hanovvsky* ſtudio, *Glacij Catholicorum Sacerdotum* parva Synodus An. 1556. celebrata eſt, hæretici libri publicè incenſi, *Prædicantes* hæretici

Religio Catholica priore ſæculo in Comitatu afflicta.

exacti

Digitized by Google

exacti) malum tamen hærebat in fibris, ſic ut A. 1559. undecim in *Senatu Glacij Schvvenkfeldiani* ſediſſe legantur.

Abſolutis ijs, quæ univerſim de *Comitatu Glacenſi* hiſtoriæ Veteres ſuppeditant, operæ pretium eſſet de ipſo *Glacio* ſcribere; at ſi deſcribendam mihi omnium Urbium hiſtoriam ſuſciperem, nunquam operi meo finem poſſem imponere. *Ælurius Glacenſem* Urbem tantâ diligentiâ deſcripſit, ut nihil ulli relinquere voluiſſe videatur; Sed in hoc minimè ferendus eſt ejus error, ùt antè narravi, quòd *Comitatum* in ſacris ad *Epiſcopum Wratislavienſem à Curæo* deceptus, pertinere putavit; nihil enim certius eſt, quàm & nunc, & olim ab immemorabili tempore ad *Archidiæceſim Pragenſem Glacium* pertinere, idque *Ælurium* ipſa illa, quæ de *Erneſto* attulit, docere potuiſſent. Mirificam *Divæ Matris* ſtatuam in *Melitenſi*, nunc in *Societatis Eccleſia* ſtantem, quæ vultum à *puero Erneſto* avertit, in eodem libro æri inciſam obtuli ſpectandam.

§. V.

Series Capitaneorum Comitatûs Glacenſis.

ADduxit *Ælurius* nomina quorundam, ſed ità corruptè, ut nihil corruptiùs eſſe poſſit; ſciat verò *Lector* paucos adferri, non omnes, alios enim Vetuſtas ſepelivit.

Wolfardus de Cedlitz circa Annum 1363.

Beneß de Wartemberg 1382. Bohemus Baro. malè *Ælurius Mertenberg* poſuit.

Stephanus Poduſka de Martinicz Bohemus ab An. 1389. uſque ad 1395. hujus vidi complures literas in Archivo Collegij Glacenſis cum *Nymphæis*.

Joannes Dux Oppavienſis & Ratiborienſis, qui Anteceſſorem ſuum occiderat A. 1396. juſſu *Cæſaris Wenceslai*, ab An: 1397. uſque ad A. 1400.

Bernardus Schnellenſtein A. 1416. & ſequenti.

Putha de Czaſtolovvitz. 1423. Baro Bohemus.

Haſko de Waldſtein. 1437. Baro Bohemus.

Marquard de Miſilevvitz, 1439. legendum de Mezileſicz, Bohemus.

Joannes de Toczik, lege *Tocznik* Bohemus 1447. Hi duo ùt apparet, ſub *Victorino Podiebradio* Magiſtratum geſsêre. Poſt hos

Hinek Kruſſina Baro Bohemus, Dominus Glacij, 1447. tum

Georgius de Podiebrad 1455. poſtea Rex Boëmiæ, loci Dominus.

Joannes de Warnsdorff 1463. Georgij jam Regis Aulicus.

Joannes de Panvicz, 1498. *Georgius de Preitenſtein* 1509. Hi duo poſtremi, ille pro *Ducibus Münſterbergæ*, hic pro *Comitibus Hardekanis*, Magiſtratum geſsêre, ùt etiam ij, qui ſeqvuntur:

Petſch, Cziſvvicz, Hund, Reinvvalt, Hancke, Regern, & Schaffman. At poſtquam Comitatus ad *Bohemiæ Reges* reverſus eſt, poſt *Erneſti Ducis Bavariæ* mortem A. 1560. Regij Capitanei fuêre:

I. Chriſtophorus Mucheker de Bukau, Pragæ nominatus A. 1572. huic

II. Joannes de Pobſchütz & Falkenau ſucceſſit, eóque mortuo

III. Chriſtophorus de Schellendorff, qui obijt 1583.

IV. Joannes de Panvitz mortuus 1588.

V. Melchior de Rechenberg Baro Lutheranus.

VI. Henricus de Logau, Vir Catholicus, Eques Melitenſis, Bohemici Prioratûs Receptor, Oppavienſis Commendator, &c.

Henrico altiùs aſcendente, in ejus locum ſucceſſit, An. 1607.

Digitized by Google

VII. Nicolaus Gerſdorff de Malſwvicz Dominus in Horka majore. Poſt hunc

VIII. David Baro de Czirnhaus & Polchenheim; quem Pſeudorex *Fridericus* confirmavit.

Receptum *Ferdinandi II. Cæſaris* armis *Glacium An. 1621. Carolo Archi-Duci Epiſcopo Wratislavienſi* donatum, & brevi rurſus ad *Regem* devolutum fuit, impoſitúsque eſt Capitaneus Regius

IX. Philippus Rudolphus Comes à Liechtenſtein Stirpis Caſtelkornaa, Pater *Caroli Principis & Epiſcopi Olomucenſis*, de quo apud ſe nato meritò *Glacenſis Civitas* gloriatur. Patri ad novas dignitates abeunti, ſuffectus eſt (niſi me fallit memoria)

X. A. *1626. Adamus Godefridus Berka* familiæ Illuſtriſſimæ Procerum Bohemorum; tum

XI. Arbogaſtus Comes ab Anneberg. Eóq; defuncto

XII. Chriſtophorus Dominus de Lobkovvitz, poſtea Supr: Præfectus Regni Bohemiæ.

XIII. Melchior Ferdinandus Comes Gaſſin.

XIV. Joannes Comes de Bubna, Dominus in Zamberg, & Liticz. Hic mortuus ſucceſſorem accepit

XV. Joannem Comitem de Götz magni illius Militiæ Ducis filium; Dum hæc exprimuntur Typis deceſſit, & locum dedit Illuſtriſſimo Comiti *Wenceslao ab Althann* humaniſſimo, omnibúsq; Procerum virtutibus, & artibus ac ſcientijs excultiſſimo Viro.

§. VI.

Series Præpoſitorum Cœnobij S. Mariæ in Monte Glacenſi. Arx Glacenſis olim dicta Fraſtenberg.

De Præpoſito in Monte B. Virginis Glacij.

Canonicorum Regularium S. Auguſtini celebre Glacij Cœnobium, ut antè innuebam, ſub *Præpoſito* ejuſdem Ordinis, ſtetit in Monte ſuper Civitatem, ubi nunc altiſſimè ex laterculis & ſaxo propugnacula viſuntur, ſic, ut nè veſtigium quidem percelebris *Eccleſiæ Beatæ Virginis*, & totius ampliſſimi Cœnobij (uti & non procul *S. Wenceslai* Bohemicæ Parochialis Eccleſiæ ſuperſit. Cœnobium *Erneſtus I.* Archiepiſcopus ſub *Carolo IV.* fundavit; deſcripſi *Cœnobij* fundationem, Eccleſiam, opes, & quidquid memorabile de eo inveniri potuit attuli in *Vita Erneſti I.* Archi-Epiſcopi Pragenſis, omiſi tantùm *Ordinem Præpoſitorum*, quem hîc adferam ex *Archivo illius Cœnobij*, quod inter manus meas ſæpius fuit, non parvo labore hinc atque indè deſcriptum, partim ex *Contractibus* quibusdam in membrana ſcriptis, partim ex fragmento quodam, cui titulus eſt *Chronicon Glacenſe* M. S.

Catalogus Præpoſitorum Glacenſium.

I. Præpoſitus ab Erneſto Archiepiſcopo ex *Raudnicenſi* in Bohemia Cœnobio huc translatus, & præſentatus fuit *Joannes* (cognomen nullibi reperire potui) Vir ſanctimoniæ & doctrinæ famâ inclytus, natione *Bohemus*, cujus quaſdam Lucubrationes in *vita Erneſti* laudavi. Obijt An: Domini 1382.

II. Præpoſitus in Glacz *Joannes* natione *Auſtriacus*, electus & confirmatus An. 1382. 24. Aprilis. Reſignavit Præpoſituram in manus Vicariorum *D. Archi-Epiſcopi Pragenſis*, & ipſe reliquam vitam egit in *Cœnobio Saganenſi*.

III. Præpoſitus in Joannis locum *liberis* Capitularium votis electus An. 1396. *D. Petrus*, confirmatus 18. Aprilis; fuêre tum ſub illo in Cœnobio Glacenſi Presbyteri decem, Diaconus unus, & unus Converſus. Additur in quodam Manuſcripto: *D. Petrum* ante ingreſſum ſuum in Religionem fuiſſe *Cancellarium Wratislavienſem*,

inſu-

in ſuper bonum, & glorioſumRhetorem. Hæc ibi.

IV. Poſt obitum *D. Petri* electus eſt An. 1403. *Auguſtinus.* Confirmatus 7. Julij; qui reſignavit An. 1413. & ejus loco electus eſt tertio nonas Junij.

V. Præpoſitus Lucas. Hujus tempore fundatum eſt *Monaſterium Corporis Chriſti Cracoviæ in Caſimiria*, & ex *Glacenſi* Cœnobio Fratres petiti, ex his *Conradus* electus in Præpoſitum Cœnobij ibidem, & poſt Conradum *Joannes Auſtralis*, & poſt hunc *Georgius*, omnes tempore Lucæ Præpoſiti, qui etiam ad tempus fuit in Caſimiria. *Tantæ verò famæ fuit Monaſterium noſtrum in Cracovia* (exſcribo M.S. Codicis verba: *quòd etiam Regina Hedvvigis, tempore Joannis Præpoſiti cum Sereniſſimo Principe Wladislao Rege Poloniæ Conſorte ſuo, petiverit, & obtinuerit fraternitatem nobiſcum.*

Henricus Præpoſitus armis ſervavit Glaciū.

VI. Præpoſitus Henricus electus An: 1435. 1. Aprilis. Hic eſt ille *Henricus* qui *Glacium* ſervavit: cùm enim An. 1428. *Taboritæ* in conſpectu *Glacij Joannem Ducem Münſterbergicum* cum exercitu, Duce ipſo cæſo, profligâſſent, & Cives deſperatione Urbem dedere vellent, *Henricus* tum adhuc *Prior*, indutus loricâ & enſe, familiam Cœnobij armatam ad Civitatis portas adduxit, quo exemplo & cohortationibus *Henrici* inprimis, animati *Cives* corripuerunt arma, & hoſtibus viriliter reſtiterunt. Confirmatus primùm *Henricus* eſt 9. Septembris An. 1435. quòd *Adminiſtratores Archi-Epiſcopatûs* non *Pragæ*, ſed *Zittaviæ* degerent. Obijt plenus meritis An. C. 1453.

M.S. Cœnobij. V. vitam Arneſti I.

VII. Præpoſitus eodem anno electus eſt XI. Cal. Februarij *Jacobus*, jam decrepitæ ætatis. Sub hoc *Præpoſito* cùm *Fulnecenſe Cœnobium* (jam Anno 1398. fundatum) penuriâ Religioſorum laboraret, ex hoc *Glacenſi* miſſi eò Fratres fuêre, ùt *Chronicon* M.S. ſignificat.

VIII. Præpoſitus poſt *Jacobum*, qui triennium regendo non ſuperarit, electus eſt *Michaël de Niſſa* An. C. 1456. Hic *Michaël Chronicon* illud M.S. (à me toties in *Vita Arneſti* citatum) conſcripſit; diúque cum ſumma laude præfuit, ac demum An. 1489. 2. Junij deceſſit.

IX. Præpoſitus Benedictus, electus eſt ultimâ Junij, 1489. Hic maximas tricas, & contentiones habuit cum *Gregorio Werneri* Plebano Noribergenſi Promulgatore Indulgentiarum, (quæ lites in *Archivo Præpoſituræ* per longum, & latum, ùt ajunt recenſentur.) Reſignavit *Præpoſituram*, factúsque eſt *Præpoſitus Landskronæ*; ei ſucceſſit

X. Præpoſitus Georgius Beÿer, electus 7. Aprilis An. 1491. Confirmatus 6. Maij. Obijt A. 1504. in vigilia SS. Philippi & Jacobi. Poſt hunc

XI. Præpoſitus Paulus electus 17. Maij, & confirmatus 27. Maij, 1504. Poſt hos undecim non potui (quanquam diligentiſſimè inveſtigârim) ſucceſſionem *Præpoſitorum* conficere. Anno 1565. fuit *Præpoſitus Joannes.* Item Præpoſitus *Andreas*; ſed quando neſcitur.

Ultimus Præpoſitus fuit *Chriſtophorus Kermiſerus* An. C. 1593. Qui cùm unicus eſſet in illo Cœnobio, & hæreſi dominante tueri ſeſe non poſſet; nè in eorum manus veniret, *Pontifice, Cæſare, Archi-Epiſcopo Pragenſi*, atque ipſo *Kirmiſero* volentibus, & tradentibus, *Præpoſitura in Societatis JESU Collegium* permutata eſt, ùt in *Vita Erneſti* pridem narravi.

Arx Glacenſis Fraſtenberg.

Extremum hoc ex intima *Bohemiæ* antiquitate adjicio: Oppidum *Glatz* hoc ſemper nomine, nec aliter, appellari; ſed *Arcem Glacenſem* non item. In antiquiſſimis *Statutis Caroli IV.* inter Arces, quæ à *Regno* alienari non poſſint, legimus *Arcem Glacenſem*, ùt ait Carolus, ſeu *Fraſtemberg.* Mihi quidem compertum non eſt, quâ ratione apud *Glacenſes* hoc nomen exoleverit; nihilominus in alio vetuſto

Statuta Caroli IV. MM. SS. plurima, precipuè in Cæſarea Bibliotheca Viennæ M. S. Ambraſianum n. 400.

G M.S.

M. S. Codice omiſſum video illud *ſeu*; ac fortè *Fraſtemberg* aliud *Caſtrum* fuit nobile, & munitiſſimū quod proſtare, & ſervare ad ſecuritatem Regni multum intereſſet; res tota dubia eſt, arbitrio *Lectoris* finienda.

CAPUT VI.

De Sileſia Regni Bohemiæ Provincia. Hiſtorici Sileſiæ Scriptores; unde Sileſiæ nomen; de Principibus Sileſiæ, ac Principatibus; de Nobilitate Sileſiæ; de opibus, & terræ Genio; de Civitatibus; migrationes Germanorum in Sileſiam; quædam de Wratislavienſi Epiſcopatu, de Cœnobijs, & Templis; quâ ratione Sileſiæ Duces ad Coronam Bohemiæ acceſſerint; de nummo S. Petri; de Privilegijs Sileſiæ, præſertim Ducum Brigenſium. Transactio Koloyvratiana.

Sileſia Coronæ Bohemię conjuncta.

SIleſiam ad Coronam *Bohemiæ* hodie pertinere, atque eo ipſo, quòd *Rex Bohemiæ* coronatus ſit, alio nullo addito, eundem *Moraviæ Marchionem, & Sileſiæ ſupremum Ducem* eſſe, nemo dubitat; æquè dubium eſſe non poteſt, *Sileſiam* olim ad *Polonos* pertinuiſſe, imò & *Poloniæ* nomine apud Veteres Scriptores cenſeri, ùt in *Epitome hiſtorica Bohemiæ* probavi; quâ porrò ratione, & quibus tradentibus *Bohemiæ* acceſſerit, ibidem legi poteſt, idque ſuo loco explicabimus diligenter, cùm *Archivi Regij* literas compendio referemus.

§. I.

Iudicium de quatuor Sileſiæ Hiſtoricis.

Judicium de Sileſiæ Scriptoribꝰ

DE *Sileſia* ſcripſère permulti, quatuor potiſſimùm celebrantur: *Curæus*, *Schickfuſius*, *Polius*, *& Henelius*. *Polij hemerologium* nunquam videre contigit; qui vidère, negant magnum eſſe operæ pretium, cùm illa omnia ex ordine temporum in *Schickfuſio* legantur; tres reliquos diligenter, & ſæpius pervolvi; *Curæus* Scriptor eſt fabuloſus, *Schickfuſius* mala mens, malus animus, ut cum *Terentio* loquar; *Henelius* (quem ipſum aliquando *Camencij* apud Abbatem *Simonem Rüdiger* Prælatum incorruptæ, & integerrimæ mentis, Anno 1654. vidi, & familiarem habui) omne tulit punctum, & quamvìs *Schickfuſio* antiquior, omnes illos ſimplicitate, candore, veritate, cæteriſque hiſtoriæ dotibus vicit; quæ laus major evadit, quòd duos tantùm libellos (quod ſciam) ad *Sileſiæ* hiſtoriam pertinentes vulgârit, *Sileſiographiam*, *&* *Breſlographiam*, utramque *Francofurti* editam Anno 1613. in ipſo flore *Bohemiæ & Sileſiæ*: nam ſequentibus annis omnia mutari vidimus; præter alias igitur hiſtoriæ dotes laudem etiam ſummam brevitatis *Henelius* eſt conſecutus; ex eo præcipua de *Sileſia* adferemus, ijs adjunctis in loco, quæ in *Adverſaria* pridem retulimus; at priùs de *Curæo*, *& Schickfuſio* dicendum, nè prædamnatos, & ſolâ accuſatione, indictâ cauſsâ, obrutos illos eſſe, ſectatores eorum querantur. Quid fabuloſius obſecro in *Curæo*? quàm cùm narrat *Judæos ſemper permixtos fuiſſe Ger-*

Quædam fabulæ Curæi.

Digitized by Google

Curæus in Annalib. Sileſ mihi pag. 14.

Germanis, ac ſingulari DEI providentiâ factum (verba ejus annumero) *ut hæ gentes jungerentur;* rurſus ait, *Iſraëlitas ductores fuiſſe Cimbrorum.* Unde id quæſo accepit, aut quando id contigiſſe credemus? Illud paradoxum: *Henetorum lingvam*, quæ eadem ſit cum *Slavica*, olim fuiſſe, & appellatam eſſe *Gallicam*; quæ iſthæc ſomnia? *gerræ germanæ* Plautus diceret, *atque adepol lyræ, lyræ!* Talia, & illa ſunt: *Attilam* non in *Pannonia*, *ſed in Sileſia* regnaviſſe; *Svevorum* appellatione in Tacito *Sileſios* comprehendi; inde *Schvveinitz* (quaſi Urbis illius inſigne neſciret) & *Schvviebus à Suionibus*, & *Svevi* deduci; *Ottonem Imperatorem* non profectum eſſe Gneſnam ad Corpus *Sancti Adalberti* pietatis cauſsâ, ſed ut *Polono Principi Regiam Coronam* imponeret; aliud Veteres omnes tradiderunt: nimirũ urebat *Lutheranum* hominem pietas illa totius Antiquitatis, quâ *Divorum Martyrum* coluntur exuviæ. Sed in hoc maximè ridiculum ſe oſtendit; cùm *Divam Hedvvigem*, *Lutheranam* conatur oſtendere; ſcilicet animo ità comparatam fuiſſe, ut ſi *Lutherum* audiſſet, ſinè dubio *Lutheranis* acceſſura fuerit, *Romanâ Eccleſiâ* relictâ. Unde igitur ea mens *Divæ Hedvvigis Curæo* nota fuit? & an ob eam cauſſam pro *Lutherana* haberi poſſit, æſtimarique, quòd quid *Lutherana* fides ſit, neſcierit? hâc ratione *Turcæ* Chriſtiani à *Curæo* dicentur, quòd, ſi inter *Chriſtianos* nati, & educati forent, *Chriſtianè* crederent, & viverent. Hæc paucula in exemplum adduxi.

pag. 18.

pag. 23. & ſeq.

De Schickfuſij quibusdam erroribus.

Jam ad *Schickfuſium;* hunc ab ipſis *Sileſijs* non alio propè, quàm *mendaciſſimi Scriptoris* (quoties ejus mentio fiebat) titulo inſigniri ſæpius ipſimet audivimus. Quæ non ille in commendationem *Novæ* ſuæ *religionis* artificiosè confinxit? plus valuêre apud hæreticum hominem centum anni à *Luthero*, quàm tot ſuperiora ſæcula, quibus avita, & ab *Apoſtolis* per manus tradita ad nos uſquè religio in *Sileſia* floruit, argumentum ingens ſcribendi, ſi mala mens abfuiſſet. *Judæos Wratiſlaviâ expulſos* queritur, quaſi miraculum compunctæ pugionibus hoſtiæ, & ſangvinem per plateas Urbis rivis fluentem, & menſam illam in *Curia Wratislavia* repoſitam cruentam ignorare potuerit. Quid de perpetuo, & conteſtato omnibus hiſtoriæ locis in *Polonos*, & *Bohemos* odio dicam? quid de diſputationibus ſupervacaneis, & prorſus futilibus, de *antiquis Sileſiæ* nominibus, quæ pridem refutata legere in *Henelio*, aut in *Cluverio* potuit? an ergo neſciebat *Sileſios* novum, & advenam eſſe populum, quibus illa nomina *Taciti* temporibus uſitata nullo modo poſſent congruere? Sunt alia plurima, quæ nunc condonantur.

§. II.

Populi qui incoluêre Sileſiam. Termini Sileſiæ olim ampliores.

Sileſiæ Veteris populi

Cluver. l. 3. Dreſſer. p. 5. Lazius in LL. de Migrat. Gent. in Quad.

S*Ileſiam* olim à *Quadis*, quos *Germaniæ* populos fuiſſe, & *Germanicâ* uſos lingvâ eruditi omnes conſentiunt (videatur Vir irrefragabilis *Philippus Cluverius in Antiqua Germania*, & in *Introductionibus ſuis Geometricis*, idque disertè probantes, *Dreſſerus*, *Lazius*, aliique) à *Quadis*, inquam, habitatam, partim etiam à *Lygijs*, certum eſt, & ſubſcribit *Henelius* Neoſtadienſis Sileſius. *Quadorum* gente bellicis calamitatibus unà cum *Marcomannis* itidem Germaniæ populis, aut exciſâ, aut aliò migrante, ſucceſsêre *Slavi* gens *Sarmatica*, prægravante domi multitudine in *Illyricum*, & inde *Czecho*, & *Lecho Duce*, vel etiam rectiore itinere, transmiſſo

Jo: Rawen in Coſmogr. Henel. C. 1. Sileſiogr.

Viſtulâ, ùt libro 2. dictum, huc profe-
Unde Sileſia dicta.
cta. *Sileſiæ* nomen annos 500. non
ſuperat; inde natum exiſtimant *Polo-*
Vide lib. 2. Sleʒácy.
ni, Bohemique Scriptores, ʒe ſau ſe ſleʒ-
li/ id eſt: quòd multæ, & variæ gen-
tes in unam provinciam confluxerint;
Hagek in Annal.
Cromerus ait, hoc nomen *Sileſiæ à Sla-*
Cromer. l. 6. hiſt. Polon.
vis populis circa Annum Domini
1163. eſſe impoſitum. *Henelius* ait:
ex Lingva ſola Polonica (ſeu Slavica)
Sileſiæ nominis, uti & Urbium Sileſiæ
vetuſtiorum, rationem petendam eſ-
ſe; vide mihi nullo fuco affectûs de-
colorem, ac Veritatis ipſius oratio-
nem! idem refutat eos, qui *Sileſiam*
ab Elyſijs, vel *Lygijs* dictam putave-
Ortel. in Theatro Orbis.
runt, refellitúrque unà *Ortelius*, *qui*
Sileſiam ab amne, vel à Rege *Schleſo* de-
duxit; quis enim amnis, quis *Rex Si-*
leſiæ Schleſus unquam in ulla hiſtoria
Ælur. in Glaciogr. P. 1.
reperitur? ridiculè *Ælurius à Silendo*
Sileſiam derivat, quòd de ea nihil pro-
pè hiſtorici retulerint (quaſi verò *Ger-*
maniæ populorum nomina à Latinis
primùm ſint impoſita) ſed mox ſeſe
quaſi in melius corrigens à vocabulo
Schloſs Sileſiæ nomen inflectit, quòd in
ea præclaræ Urbes, & arces ſpecten-
tur; quæ, ùt reor, refutatione non
indigent, cùm nullâ authoritate, aut
ratione nitantur; quæ ſubijcit, Le-
ctoribus examinanda relinquo, vide-
licet: antiquæ *Sileſiæ* nomina fuiſſe
Lygios, *Monimos*, *Lutiburos*, *Batinos*,
Corcontios, *Aſciburgios*, *Cognos*, *& Si-*
dones, & alia nominum monſtra in
extremis hiſtoriarum marginibus ma-
lè hærentia. Porrò *Sileſia* in longum
Sileſiæ termini.
quadraginta milliaribus Germanicis,
in latum mediâ parte minùs extendi-
Michaël Neander in partib: Orbis.
tur. Latiores olim extitiſſe *Sileſiæ* ter-
minos in confeſſo eſt, & olim *Oſuenci-*
Münſter. in Coſmogr.
menſis, *& Zatorenſis* Ducatus (cujus
Duces *Piaſtæa ſtirpis Bohemicis* familijs,
ſæpius, nominatim *Baronibus Sſelem-*
bergicis per conjugia implexi fuère)
item *Severienſe*, *& Frauſtadienſe*, *ſeu*
Wuchanenſe territoria ad *Sileſiam* per-
tinebant. Illi duo ſub *Caſimiro Jagel-*
lonis filio ad *Poloniam* redierunt, *Seve-*
rienſe à Wenceslao Teſſinenſium Duce
Sbignæo Cardinali, *& Epiſcopo Cracovi-*
enſi pro 6. marcarum millibus vendi-
tum; poſtremùm à *Caſimiro Wladiſ-*
lai Lokteci filio Anno 1343. contra pa-
cta conventa interceptum, & à *Glogo-*
vienſi Ducatu avulſum ſcribit
Henelius.
Henel. in Sileſiogr.

§. III.

De Sileſiæ Principatibus; quot fuerint, ſíntq; hodie. Feudales ſunt omnes. Nobilitas Sileſiæ præcipua.

Sileſiæ Principatus.

SExdecim Sileſiæ *Principatus* à tot-
idem primarijs Urbibus appel-
lantur: *Wratiſlavienſis*, *Svvid-*
nicenſis, *Jaurovienſis*, *Glogovienſis*, *Sa-*
ganenſis, (hic olim Saxoniæ Duci pa-
ruit, quem *Ferdinandus I.* Anno 1548.
redemit; noſtrâ ætate Zdenkoni Lob-
kovicio venditus) *Oppavienſis*, *Oppoli-*
enſis, *Ratiborienſis*, *Teſſinenſis*, *Niſſenſis*
(hunc *Jaroslaus* Princeps, & *Wratis-*
lavienſis Epiſcopus à Patre ſibi datum,
odio *Henrici Barbati*, Wratislavienſi
Epiſcopatui in perpetuum circa An-
num 1200. adjunxit, quémque alijs
alij ditionibus, *Brzeciſlaus Epiſcopus*,
Grotkovienſi territorio, reddiderunt
auctiorem) *Lignicenſis*, *Brigenſis* (qui
ſuum ad noſtra tempora habuerunt
Ducem à *Piaſto* legitimè deſcenden-
tem) *Münſterbergenſis*, *Olſnenſis* (nunc
Principis Wirtembergici) *Carnovien-*
ſis, *ſeu Jägerdorffenſis* (quem unà cum
Oppavienſi, *Ducis* titulo, *Carolus Liech-*
tenſteinius obtinet) & *Croſnenſis* (qui
Electori Brandeburgico paret) cæteri
omnes (ſeptê illis, quos nominavi, *Sa-*
ganenſi, *Oppavienſi*, *Niſſenſi*, *Münſter-*
bergenſi, *Olſnenſi*, *Carnovienſi*, & deni-
que *Croſnenſi* exceptis, qui tamen feu-
dales ſunt) cæteri omnes *Jure Feudi*
in

Digitized by Google

in *Regum Bohemiæ* poteſtatem pervenerunt. Porrò *Croſna* unà cum *Zulichio*, *Sommersfelda*, & *Boberſperga* oppignorata *Brandeburgicis*, nec præſtituto tempore liberata, primúsque ex ijs *Croſnæ Ducem*, *Ferdinando I. Bohemiæ Rege* conſentiente, ſe ſcripſit *Joachimus II. Elector Brandeburgicus*. Plures alij in antiquitate *Sileſiæ Principatus* leguntur, ùt *Coſlenſis* (ab oppido *Kozle*) *Ribnicenſis* (à Ribniko) *Sprottavienſis* (à Sprotta) *Stinavienſis* ad Oderam (à Stinavia) *Glivicenſis* à Glivitio &c. Nimirum cùm *Principes* pluribus prolibus familiam ſuam auxiſſent, neceſſe erat, unum eundémque *Principatum* in plures dividi, ac nè alter frater alteri enormiter prælatus videretur, adjicere & *titulum Principatûs*; unde graviter hallucinaretur, qui emtâ, aut devolutâ ad ſe aliquâ earum ditionum, quæ *Ducem* olim habuiſſent, continuò propter eam ditionem, (niſi *Feudi Domini* ſpecialis accederet voluntas) *Principis*, *vel Ducis* titulum uſurpare ſe poſſe crederet; non enim his (quæ paulò antè enumeraveram) Civitatibus, aut oppidis, aut arcibus inhærebat *Principatus*, ſed ipſis Perſonis *Principum*, ac filijs, qui videlicet Principes nati fuiſſent. Ex *Piaſtæa* Principali, ac Regia *Poloniæ* gente plerique iſtorum Principum deſcendebant; unde illi conficiebant: *Poloniæ Reges* non in ſe, ac ſua (præſertim ſi *Piaſtæi* non eſſent) ſed ſe in *Poloniæ Regnum* Jus habere; certè *Henricus Barbatus*, aliíque *Sileſiæ Principes*, *Poloniæ ſe Principes* appellabant, quódque amplius eſt, in authenticis *Lignicenſium*, & *Brigenſium Ducum* literis adhuc An: 1307. legimus inter alios titulos *Hæres Poloniæ*, & quòd poſtea *Wladiſlaus Loktekus* eos per injuriam, ùt ipſi ſentiebant, in Regno occupando anteverterit. Hæc tamen ego ſinè ullius præjudicio ſcripta velim; quod in *Henelio*, cæteriſque *Sileſiæ* Scriptoribus reperiebam, exſcripſi; vide *Annales Schickfuſij*. Adferam in Genealogijs ſuo loco, in *libris Miſcellaneorum* ſequentibus, generalem quandam *Tabulam Sileſiæ Principum* familiæ *Piaſtææ*, ex quibus nulli omnino hodie poſteri ſuperſunt. *Jure clientelari* omnes *Sileſiæ Principes*, *Bohemiæ Regibus* nunc ſunt, ac fuerunt obſtricti, ob quam cauſſam Pactum confraternitatis inter *Joachimum Brandeburgicum*, & *Fridericum Ducem Lignicenſem*, velut naturæ feudi adverſans, reſcidit *Ferdinandus I.*

Quâ ratione factum, ut olim Sileſiæ Duces plures numerarentur.

Notandum.

Piaſtæi Poloniæ Principes

Schickfus.

Quatuor Baronatus Liberos, nullius, præterquam *Regis Bohemiæ* Majeſtatem agnoſcentes, habebat Sileſia: *Wartenbergæ Donenſes*, *Milicij Maltzanos*, *Pleſſæ Promnicios*, *Trachenbergæ Kurtzpachios*, deinde *Schaffgotzios*. Præcipui in Nobilitate Sileſiæ cenſentur: *Beſſij*, *Braunij*, *Donati*, *Kitlicij*, *Kochlicij*, *Kotulinskij*, *Logi*, *Mettichij*, *Opersdorffij*, *Barchvicij*, *Proskovij*, *Röderi*, *Schöneichij*, *Sedlniczkij*, *Tſchirnhauſij*, *Wrbna*, *Zedlicij*, pluréſque alij, ut Nobilitatem *Oppavienſem* prætercam, quam percenſebimus ſuo loco.

Baronatus Liberi Sileſiæ.

Nobilitas primaria.

§. IV.

Divitiæ Telluris Sileſiticæ.

De *Telluris genio* dicendum aliquid eſt: *Baccho* inimicam eſſe *Sileſiam* ſcripſerat *Dubravius*, cui *Henelius* reſpondet: *Croſnæ* jam Anno 1493. vineas fuiſſe; at *Dubravius*, forſitan feracitatem, & præſtantiam vini abeſſe *Sileſiæ* dicere voluit, quod eſt certiſſimum, & reprehendi non poteſt. *Agri* laudabiliores cenſentur, *Wratislavienſes*, *Strzelenſes*, & *Leobſchicenſes*, qui aliquando ſexto, ſeptimo, octavo, nonnunquam etiam decimo fructu cultores exhilarant; ſed præcipuus *Sileſijs ex lino*

Vinum Sileſiæ.

Henel. in Sileſiogr.

Agri.

Linum. Rubia.

lino (quod hîc laudatiſſimum naſcitur) & ex *ſativa rubia* (quâ lanæ primùm pręcolorantur, & ad alios colores penitùs, & firmiùs combibendos initiantur, & præparantur) eſt quæſtus. Ex *Acori* quoque radicibus, quæ ſponte proveniunt, alióque evehuntur, lucrum *Sileſia* quærit; nec auro, & metallis cæteris caret: *Goldberga* circa Annum 1200. tam ferax fuiſſe dicitur, ut ſeptimo quoque die 150. libras auri redderet, & 500. metallicos, ſeu foſſores numeraret; *Leoberga*, *Strigoviæ* (hodie in *Zuckmantel*) *Reichenſteinij*, *Langenoviæ in Grunau*, multisque alijs in locis, integra puri auri fruſta effodi novum non erat. *Reichenſteinij* præcipuè, ubi fodina, *Aurei Aſini* nomine, clariſſima; olim ad *Camencenſe Cænobium* Ciſtercienſium ſpectans, quæ, quâ ratione abalienata ſit, piget dicere. Eam, uti & *Silberbergam* ditioni ſuæ adjecit patrum memoriâ *Joachimus Ferdinandus Dux Brigenſis* An: 1599. emtam à *Petro Wok Roſenſi*, cui eam reliquerat moriens frater *Wilhelmus*, qui ipſe emerat 1581. 27. Sept. ùt *Roſenſia Archiva* teſtantur. Arenæ aureæ in fluvijs *Catto*, *Bobero*, *Zaco*, *Goldbach*, & cæteris colliguntur. Ab argento laudatur *Silberberga*, *Bythonia*, *Tarnovicium*, *Reichenſteinium*, *&c.* *Æs*, *plumbum* utrumque (album, & nigrum) *ferrum*, *ſtibium*, ſeu antimonium, *chalcanthum*, ſeu vitriolium, &c. deniq; & *marmor* effoditur. *Terra ſigillata*, probiſſima ad *Strigam* (ex qua etiam *Cerevisiæ Strigenſis* commendatio) quanquam non deſunt, qui vim illius *flatulentam*, *cavendámq; ijs*, *qui literis ſtudendo ſedentariam vitam exercent*, exiſtiment, ùt ait *Henelius*; at Sigillata candida ad *Lignicium* invenitur; ollæ ad *Trebnicium* ex ſepulchris gentilium, ùt ait *Henelius*, eruuntur è terra. *Sale* ſolo deſtituitur *Sileſia*, & vitra quantumcunq; conêris, non procedunt ſub manus, minùsque ſunt pura. Gemmæ quàm plurimæ, & pretioſi lapides, præſertim ſub *Gigantæis Montibus* leguntur, de quibus proprio libro egit avorum noſtrorum memoriâ *Sileſius hæreſiarcha Schvvenckfeldius*; in *Quiſſo* flumine conchas unionum feraces invenias; fluvij regionis principes habentur *Odera*, *ſeu Viadrus*, (quem non eſſe *Guttalum* Veterum *Henelius* demonſtrat) *Viſtula* (Viſtella Plinio, alijs Iſtula) *Boberus*, & alij, quos antea nominavi. Lacus duo ſunt ad Gigantûm Montes immenſæ profunditatis; Thermæ *Hirsbergenſes* non procul inde erumpunt ſaluberrimæ, quas breviſſimè deſcripſit *Henelius*.

Auri feracitas. Aureus Aſinus. Argentum. Terra ſigillata. Henel. in Sileſiogr. C. 4. Sal. Gemmæ. Uniones. Henel. l. cit. Thermæ.

§. V.

Civitates Sileſiæ. *Lingua.*

Civitatum nomina antiquitus à Slavis impoſita.

NUnc aliquas *Slavicæ Originis* Civitates adducam, nè (quod in *Pomerania*, *Marchiáque* contigiſſe videmus) earum quoque nomina ex memoria hominum deleantur: *Wratiſlavia* Urbs pulcerrima, & nullâ, etiam Imperialium Urbium inferior, *Breſla* à Sileſijs appellatur: condita eſt à *Mieczislao Polonorum Principe* paulò pòſt An. C. 1000. quam deinde *Wratiſlaus Bohemiæ Rex* eo tempore, quo, ùt *Cureus*, *&* *Henelius* loqvuntur, *magnam Poloniæ partem ſubegerat*, inſtauravit, & denominavit; ob cujus honorem literam W in Inſignibus gerit. *Primiſlavia*, ſeu *Primka* oppidum à *Primiſlao Sprottaviæ Duce* condita, hodie *Primkenavia*. *Teſſinium* (Cromero Ceſſinum) *Teſchen* Germanis. *Bernſtadium*, olim *Beriltovvia*, aut Berolthovia. *Briga*, olim *Brega*, *vel Bregum*, **Brch** vel Brzeg (quod ripam ſignificat) appellabatur; *Bythoniam*, Curæus *Bethaniam*

Dlugoſſ. ſeu Longinus in hiſt. Polon. Curæus Henel. l. c.

Digitized by Google

Dubrav. l. 17. hiſt. Boh.

niam novo nomine dixit. *Croſna*, Croſen; *Hotzeplotz Oſoblavia* Dubravio Olomucenſi, loci Domino, & Epiſcopo. *Jägendorff*, *Carnovia*: *Javoria* olim, nunc *Jaurovia* vel *Javver*. *Münſterbergenſem Principatum* Cromerus *Sambicenſem* appellat. *Neoſtadium* Polonis eſt *Prudnicza*. *Skoczovia* (Skotzuff) Cromero *Kozuchovia* appellabatur. *Strzela* olim, nunc *Strelen*. *Strigovia* vel *Striga*, quondam *Strzehom*; plura adferre tædium, quod mihi ſtatim obrepſit, non ſinit. Lingvâ olim *Slavicâ* utebantur *Sileſij*; at Germanorum coloniæ (ex *Saxonia, Marchia, Miſnia*) lingvam ùt fatetur *Henelius*, cæterique, mutârunt; *duæ* præcipuæ *Nobilitatis* in Sileſiam commigrationes, ad tempora *Rixæ*, vel *Richſæ Ottonis III.* Imperatoris filiæ *Mieczislao II.* nuptæ, & ad S. *Hedvigis* tempora pertinent; hæc, cùm ex clariſſima ſtirpe *Ducum Carinthiæ, & Iſtriæ* orta foret, magnam ex *Germania* Nobilitatem poſt annum 1200. in *Sileſiam* traxit; *Richſa* antiquior, poſt Annum 1015. magno *Germanorum* comitatu (utpote *Maximi Cæſaris Ottonis filia*) in *Poloniam* venit, nec deſinebat illa ſuæ gentis ſtudioſiſſima plures ac plures (è *Saxonia* præcipuè) advocare; quod cùm *Poloni* ægerrimè ferrent, à *Marito* impetravit, ut extra ipſam *Poloniam* in aliqua *Provincia*, *Poloniæ* attributa, *Germanis* hoſpitibus degere liceret; impetravit, iisque in vicinam Regionem (quę inde *Sileſia* antiquis Slezia, dicta eſt, & populi Slężácy Slavis, id eſt qui adrepſerint, appellantur) immigrâvêre, & quasdam Urbes, & oppida condidêre, novis iterum colonijs *Germanorum*, undique accitis, ſic ut progreſſu temporis, novus hic, & adventitius populus (cùm *lingvam Slavicam Polonorum* addiſcere non poſſet) antiquos *Sileſiæ* incolas *Polonos*, præſertim in *Sileſia* inferiore (*Luſatia*, *Miſnia*, *Marchiáque* conterminâ) in ſeſe converterit, & lingvam, ùt dixi, mutârit. In primo illo *Germanorum in Sileſiam* affluxu, fundata eſt *Civitas*, cui *Slavi* nomen dedêre Niemec (*Nimtſch*) vocantes (id eſt *Civitas Germanorum*) cúmque numero advenæ augerentur, *Turma* altera (quæ ferè *Franconibus* conſtabat) à ſuo nomine *Franckenſteinium* fundavit. Sed adhuc oppida penè tota & Pagi pleni ultra *Oderam* maximè, etiamnum *Slavicum* ſermonem retinent; unde illis ab *aqua* nomen impoſuêre *Germani*.

Lingva Sileſiæ quando immutata.

Henel. in Sileſiogr. Ælur. in Glaciogr. Curæus in Annalib. Sileſ. p. 6. 7. 36. Schickfuſ. in Annal. Sileſ. paſſim.

Ælur. in Glaciogr. l. 2.

§. VI.

De Chriſtiana Fide ſuſcepta; déque Epiſcopatu Wratislavienſi.

Sileſia olim Diœceſi Pragenſi (ſed ab Henrico Imp.) tranſcripta.

Quando Sileſij Chriſtianam fidē ſint amplexi.

CHriſto adjuncti ſunt *Sileſij* (ùt & *Poloni*) per *Bohemam Virginem Boleslai I.* Ducis filiam *Dambrovkim* (Dobravam vocat *Ditmarus*) nuptam Poloniæ Principi *Miecislao I.* cujus tam incenſum in rem Chriſtianam ſtudium extitiſſe narratur, ut *novem* ſtatim diverſis in locis ornatiſſimas *Baſilicas*, cenſibus, ac poſſeſſionibus maximis locupletatas extruxerit, inter eas *Divi Wenceslai* honori ſacram *Cracovienſem*, & in Sileſia *Smogorovienſem*, cujus cathedra primùm *Bicinam*, tandem à *Caſimiro Polono Miecislai II. filio Wratislaviam* eſt translata, inſulâ urbi vicinâ ad *Oderam*, Principi, Epiſcopo, & Canonicis attributâ; hæc geſta circa A. C. 1052. ferunt; at quia hæc translatio, inconſulto *Cæſare*, facta fuit, *Henricus IV.* Imperator An. C. 1086. in Comitijs *Moguntinis* eam irritam pronunciavit, & *Sileſiam* (quo jure, nihil diſputo) unà cum *Diſtrictu Cracovienſi in Diæceſin Pragenſem* tranſcripſit; ipſum diploma recitat *Coſmas Pragenſis Decanus*, qui cùm à *Cæſare* diploma illud obſignaretur, *Moguntiæ* ſe adſtitiſſe, & ſigna-

Coſmas hiſtor. Boh. l. 1.

ſignari vidiſſe teſtatur, editúmque eſt Hanoviæ à *Marquardo Frehero*. Auctus verò in tantum eſt *Wratislavienſis Epiſcopatus*, ut *Aureus* antiquitus appellaretur, *quem*, ait Silvius, *Huſſitarum Bella luteum reddidêre.* ob eam opulentiam in vetere *Taxa Annatarum*, (quam *Goldaſtus* licèt mendoſè edidit) quatuor millia florenorum pendebat, quantum in *Germania Epiſcopi* pauciſſimi, in *Corona Bohemiæ* nullus.

Æn. Silvius Comment. de Europæ ſtatu C. 18. Gold. in LL. de Bohem.

Wratiſlavienſis Epiſcopatus olim *Gneſnenſi Metropolitano* ſuberat, nunc eſt *Exemptus*, & ſub Eccleſia Romana, *immediatè*, ùt loqvuntur, *conſiſtit. Baſilica Cathedralis D. Joanni Baptiſtæ* conſecrata eſt, qui quondam *Tutelaris Sileſiæ* fuit, ut etiam viri Principes nomen ejus literis ſuis præfigerent, citátq; in eam rem *Henelius Henrici Barbati* Diplomatis initium hujusmodi: *Nos Henricus DEI, & B. Joannis, Patrísque mei Boleslai Gratiâ, Sileſiæ Dux &c.* Ordinem Ceremoniarum, & Cantûs & veſtitûs, atque ipſa *liliorum* Inſignia in *Wratislavienſem Eccleſiam ex Lugdunenſi Galliæ* nobiliſſima Eccleſia induxit circa Annum 1148. *Walterus Epiſcopus Zadorcorum* natus familiâ. Ad hoc exemplum poſtea circa Annum 1250. *Hugo de S. Caro* primus ex ordine Prædicatorum *Cardinalis* ad formam ejuſdem Eccleſiæ *Lugdunenſis Leodienſem Eccleſiam* compoſuit; *Lugdunum* verò *Carolus Magnus* (adductis Româ Pſalmodis & Cantoribus) invexit ordinem pſallendi ſecundùm Ritum Sacri Palatij, quod utrumque tradit *Theophilus Raynaudus.* Series Antiſtitum in *Schickfuſio & Henelio.* legi poteſt, primus An. C. 964. *Godefridus* nobilis Romanus appellabatur. Vidi olim M. S. Codicem, in quo clypei gentilitij Epiſcoporum picti, & ſingulorum geſta compendio relata viſebantur; Collegium quoque *Wratiſlavienſe S. J. Sebaſtiano Epiſcopo* omnium ejus *Eccleſiæ Præſulum* Vitas per elogia, ante pauculos annos dicavit: *Epiſcopum* liberis ſuffragijs eligunt *Canonici*; quem confirmat *Rex Bohemiæ*, à quo & *Regalium*, quæ habet, *Inveſtituram* petere, & *homagium* illi, atq; fidelitatem, *tanquam Princeps, & Vaſallus ligius, utpote Princeps Niſſenſis*, præſtare, & ad coronationem Regiã venire obligatur: eligendus autem eſt ordinariè è *Bohemis, Moravis, Sileſijs*, aut adjunctis *Regno Bohemiæ* Provincijs: ſic enim in celebri illa *Tranſactione Kolowratiana* (quam ſcilicet *Albertus de Kolowrat, ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius* A. 1504. confecit, quámque latè recitant *Schickfuſius, & Henelius*) eſt videre. Idem eſt de beneficijs Eccleſiaſticis, nè alijs, quàm Indigenis, Regnique, & conjunctarum Provinciarum incolis conferantur; quæ ſinè dubio *Fundatorum* prima fuit mens, & voluntas. Sed in his rebus ſua imperantibus & eligentibus relinquenda ſunt Jura, neque ij ſibi præſcribi ſinunt; viderint, qui de *Juribus* diſceptant, ego hiſtoricè, quæ in illa *Tranſactione* leguntur, recitavi.

Wratislavienſis Eccleſia cur lilia gerat in clypeo.

Th. Raynaud. Tomo VIII. in Mantiſſa ad Indiculum SS. Lugdunenſiũ.

Ib. in Leidrado.

❊ ❊ ❊

§. VII.

Quædam de Cœnobijs Sileſiæ, & Wratislavienſibus Eccleſijs.

Cœnobiorum in Sileſia origines

DE *Cœnobijs Religioſorum* Virorum à me quidem pauca poſſunt adferri, quòd in *Sileſia* minimè in eorum *Origines* inquiſiverim; quæ ſcio, pauca dabo: *Goldbergenſe* Cœnobium à *Diva Hedvvige* An: 1212. conditum *Lutherana* hæreſis in *ſcholam* convertit: idem cum *Parthenone Strelenſi* factum audivi. *Naumburgenſe* Canonicorum Regularium *D. Auguſtini* Collegium ab *Henrico Barbato*, ejusque Conjuge *Diva Hedvige* An. D. 1217. fundatum, & dotatum, poſt 67. annos in vicinam Urbem

Urbem *Saganenſem* tranſtulit *Sprottavienſis Dux Przemiſlaus.* *Suvidnicij* Monaſterium *D.Virgini* Matri ſacrum Nobiliſſimi fratres, & jam tum Comites, *Stephanus, Andreas, & Franciſcus Wrbnei* (quæ ſtirps Illuſtriſſima hodiéque perennat) An. 1220. erexerunt. *Trebnicenſis* Parthenon à S. *Hedvvige*, & ejus Conjuge *Henrico* pro *Ciſtercienſibus* Virginibus fundatus eſt, primæ ſacræ Virgines ex Cœnobio *Bambergenſi* translatæ. Aliorum Cœnobiorum fundationes per *Sileſiam* in *Schickfuſio* leguntur; *Wratislavienſia* ſacra quædam attingam: *Baſilica S. Joannis* (quam inter primas, & potiores *Germaniæ* collocavit *Henelius*) lignea primùm à *Caſimiro* circa An: 1052. condita eſt, ſub *Waltero* Epiſcopo ex lapide ſecto extructa cum tecto cupreo. *Mortes Epiſcoporum & Canonicorum*, certis prænunciabantur ſignis, vel *roſâ* in ſubſellio morituri jacente, vel *ſubſellio* à ſe ipſo clauſo, vel *campanis* nullo impellente ſonantibus. *Æneas Silvius* ſcribit: *Canonicos Wratislavienſes, dum horas canunt, rubeis cappis ornatos, Cardinalium Romanæ Eccleſiæ morem tenere.* Ciſtercienſium Cœnobia in *Sileſia* hunc habent ordinem antiquitatis, quem ex vetere Codice deſcripſit *Ælurius: Porta* An: 1131. *Lubens*, vel *Leubens* Anno 1164. *Cella* 1175. *Henrichovienſe* (in Ducatu Münſterbergenſi à Nicolao Wratislavienſi An. 1222. conditum) *Camencium* A. 1268. *Griſſau* An. 1306.

Baſilica S. Joãnis Wratislaviæ. *Henel. in Breslogr. C. 3.*

Præſagia mortis, & habitus Canonicorum

Sil. Comment. de Germania.

Sanctæ Crucis Templum ab *Henrico Probo* Wratislavienſium Duce ædificatum Anno 1288. affirmat *Henelius*; at iſtud de *Henrico Probo* ſuſtineri non poteſt, cùm conſtet *Henricum Probum* Anno 1241. adverſùs *Tartaros* fortiſſimè pugnantem in acie cecidiſſe; niſi alium *Henricum Probum Wratislavienſem* intelligat *Henelius*; ac certè *Probum* non fuiſſe, vel illud oſtendit, quòd idem *Henricus* Anno 1286. *Epiſcopum* unà cum *Clero Wratislaviâ* ejecerit, ideóque ſemel, ac iterum anathemate ſit ictus, ùt *Honorij II.* Pontificis literæ demonſtrant; ad expiandum igitur hoc crimen *Eccleſiam Sanctæ Crucis* fundavit, ùt habet *Miechovius*; antiquius eſt *Eliſabethanum* Anno 1253. conſtructum; *Magdalenæ* Templi Originem nullam adducit *Henelius*; hæc duo poſtrema Templa, quâ ratione *Lutheranis* ceſſerint, tacente *Henelio*, *Schickfuſius* commemoravit; *Bibliothecæ* adſitæ duæ ſunt, in quibus non tam mihi librorum bonorum numerus, quos alibi plures vidi, quàm *Numiſmata Conſulum Romanorum, & veterum Imperatorum* miraculo fuerunt, neque me unquam tot ſimul aureos, argenteos, æreóſque ex antiquitate nummos vidiſſe ingenuè confiteor. *Eccleſia Sancti Bernardini* ab ipſis *Wratiſlavienſibus* Civibus, dum in ea *Urbe* verſaretur *B. Joannes Capiſtranus* An. 1452. condita eſt; at An: 1522. *Monachis* ex Lutheri Evangelio ejectis, Templum in Parochiam, Cœnobium in *Hoſpitalem domum* converſum. *D. Jacobi Cœnobium* Divi *Franciſci* Sodalibus *Henricus Probus S. Hedvvigis* filius condidit, éſtque in eo tumulatus; hæc Eccleſia ſub *Ferdinando I. Sancti Vincentij* nomen accepit, translatis illuc è ſuburbano Cœnobio *Præmonſtratenſibus* (quibus Cœnobium illud Anno 1139. *Petrus Duving ex Dania Comes* condiderat) iſtud prætextu *Turcarum Viennam* obſidentium *Wratislavienſes* An: 1529. unà cum alijs duabus ſuburbanis Eccleſijs diruêre.

S. Crucis Eccleſia.

Raynald. in Annal. Eccl: ad A. 1286.

Miechov. in hiſt. Polon.

S. Eliſabethæ & S. Mariæ Magdalenæ Templa.

Beatæ Virginis in Arena Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Cœnobium à Maria *Petri Dani* Uxore fundatum. Habitarunt hi *Arroaſienſes* primùm in *Monte Silentij*, vel *Sobotka*, tum propter rigorem auræ deſcendêre, *Gorka* hodie ſub monte locus veteris Cœnobij appellatur; *Wratislaviam* deinde tranſtulêre ſe ad *Sancti Adalberti* Eccleſiam, quam tandem *Prædicatoribus* ceſsêre, occupatâ extra Civita-

Canonici Reg. S. Auguſt: Wratiſlaviæ.

Digitized by Google

Fundationes quædã Ecclesiarũ Wratislaviæ.

vitatem *Insulâ arenariâ*, quam suis habitationibus impleverunt.

Sancti *Adalberti* Cœnobium S. *Hiacynthus* instruxit, & in eo *B. Ceslaum* fratrem germanum suum (cujus Tumulum osculo venerari concessum mihi est) & *Godinum* collocavit; *Ceslaus* traditur fusis precibus ad DEUM ab *Arcis Wratislaviensis* obsidione *Tartaros* flammis cœlestibus depulisse. *Hospitale D. Mathiæ Cœnobium Sodalibus* cum rubea Stella excitavit *Anna* filia *Ottogari Bohemiæ Regis*, *Henrici Probi* Conjux, prout à Sorore sua *Beata Agnete Pragæ* viderat excitatum. Eadem *Anna* S. *Claræ* Parthenonem fundavit, & dotavit, circa Annum 1260. post Conjugis mortem, & isthic in *D. Hedvvigis* Sacrario est condita, & miraculis scribitur claruisse. Templum *S. Dorotheæ*, mole, & altitudine visendum pro *Sancti Augustini* ordine condidit *Carolus IV.* quod nunc *Minores* ex Sancti *Francisci* ordine obtinent. *Corporis Christi* Ecclesiam cum *Commenda*, ut vocant, *Melitensium*, *Senatus Wratislaviensis* occupavit. Sunt alia 14. *Wratislaviæ* Templa, quæ hoc loco adferre esset hominis otio abutentis, neque id à me in his de *Bohemia* libris postulatur; nullum puto me præterijsse, quod non diligenter inspexerim, licentiam à *Senatu Wratislaviensi* impetrante, méque per omnes illas Ecclesias æquè Catholicas, ac hæreticas deducente *R. P. Theodoro Moreto S. J.* Magistro in Mathematicis disciplinis meo. *Academiam Silesia* nullam habet hactenus. Anno 1505. *Wladislao Bohemiæ Rege, & Joanne Episcopo Wratislaviensi* nervis omnibus connitentibus, jam in eo erat, ut *Wratislaviæ* studiorum *Universitas* excitaretur, *Cracoviense* studium intercessit, & *Polonicorum* Antistitum, tum *Cardinalium* collectis sententijs, tantum apud *Julium Pontificem* effecêre, ut ad hanc *Novam Universitatem* recipiendam, & confirmandam, aut debitis Privilegijs ornandam, nunquam posset induci. agit pluribus de hoc Regis consilio *Münsterus*.

Münster. l. 3. Cosmograph. C. 502.

§. VIII.

Quâ ratione Silesia sese à Poloniæ Regno diviserit; authenticæ in eam rem Silesiæ Principum literæ citantur. An Silesia Vicariatus Imperij.

Quâ potissimùm causâ impulsi Silesiæ Duces à Polonia discessionem fecerint.

JAm aliquid de *Magistratu* quoque, & de cæteris ad regimen pertinentibus, dicamus: *Silesiam Poloniæ* Regni, quod *Lechus* condidit, Provinciam antiquitus fuisse notius, & certius est, quàm, ut à quoquam negari possit (ut jam ante dixi) post A. 1200. cùm *Germanorũ* colonijs impleretur Silesia, factum quoddam initium est cujusdam à *Polonia* abalienationis, quæ postea prorsus discessionem, & separationem attulit à *Polonis*: nam cùm in *Silesia Principes ex Piastæa* gente (quæ apud *Polonos* facilè 500. annos regnavit) summo, & absoluto jure dominarentur, & *Poloni*, *Silesiæ Principes* jam moribus *germanicis* imbutos aversarentur, & odissent, neque in *Electionibus Regum* suorũ, præsertim postea in Electione *Wladislai Loktici, seu Cubitalis* (quàmvis isti è *Piasto* descenderent) ullam eorum haberent rationem, offensi *Principes*, ad id Regnum occupandum *Wenceslao II. Bohemiæ Regi* aditum fecêre; hic, quòd *Elisabetham*, seu *Rixam Przemislai Regis filiam* unicam in conjugio haberet An: 1292. Exercitum per *Silesiam* duxit; primi *Oppolienses, Ratiborienses, Brigenses, Bithomienses, & Tessinenses Silesiæ Principes, Coronæ Bohemiæ* se subjecêre, ut omnes Historici, etiam *Poloni*, consentiunt, ac præcipuè sacer Scriptor, & coævus *Abbas Aularegiensis*. Hoc ini-

Digitized by Google

Dubrav. hiſt. Boh. l. 18. Hagek in Annal. Chronic: Aulæ Regiæ C. 43. Cromer. hiſt. Pol. l 3. C. 66.

initio facto, cæteri quoque *Sileſiæ Duces* debitâ ſucceſſione in *Polonia* excluſi, repulſæ, & contemtûs ſui dolore à *Polonis* diſcedere, ac nè vim ullam imposterum timere poſſent, *Regum Bohemiæ* potentiam reſpicere cœperunt; affecta tum res eſt, poſtea ex toto, per otium quodammodo, & liberè, nè quis vim aliquam ſuſpicetur, *Joannis* Regis noſtri, & *Caroli IV.* temporibus confecta. Extant omnium, & ſingulorum *Sileſiæ Principum literæ Originales in Archivo Carlſteinenſi*, quod per titulos in his *Miſcellaneis* poſtea ſuo loco recitabo; neque modò *Principum* ſed etiam ipſorummet *Regum Poloniæ*, *& Reipublicæ Polonæ*, *renunciantium in perpetuum Juri, quod in Sileſiam habere poſſent, cùm viciſſim Reges Bohemiæ renunciarent Juri, quod per Eliſabetham Polonam Wenceslao II. nuptam accepiſſent, Titulúmque Regis Poloniæ omiſſuros ſe promitterent*, cujus rei (contra quoſdam hujus, & prioris ſæculi Scriptores) locupletiſſimus, & irrefragabilis teſtis adduci poteſt ipſe *Carolus IV.* Imperator *in vita ſua*, ùt pridem retuli in *Epitome hiſtoriæ Bohemiæ.* Transactiones verò publicas Regum noſtrorum cum *Regno Poloniæ*, uſquè ad Patrum memoriam, ſub *Rudolpho II.* Imperatore factas ad verbum recitavit *Schickfuſius*, ſic ut nulla res magis, tantóque ſtudio, ac tam firmè conſtabilita videatur, neque niſi ignariſſimus in dubium audeat revocare. Vide *Archivi Carlſteinenſis* (quod iterum, iterúmque moneo) *Indices*, quos in ſequentibus libris adferemus, tum ea, quæ de *Carolo IV. in Epitome* noſtra ſcripſimus, atque etiam illa, quæ in præſenti opere in *Indiculis Chronologicis* noſtris adducemus, præcipuè ab Anno 1338. *Goldaſtus in Beylagis* ſuis publicas quaſdam ad *Sileſiam* ſpectantes literas ad verbum recitat: N. 27. *Recognitio & renunciatio Caſimiri Regis Poloniæ pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis omni Juri, actioni, quæſtioni &c. in Ducatibus Sileſiæ* A. 1339. Cracoviæ; enumerantur ſinguli Sileſiæ Principatus. Vide Indicem Chronologicum ad An: 1339. N. 42. *Caroli IV. Conſtitutio de Incorporatione Ducatuum Sileſiæ, & Marchionatûs Luſatiæ, quòd perpetuò Regno Bohemiæ ſint indiviſibiliter counitì.* enumerantur Ducatus, & Jus Regis. An: 1355. Pragæ 7. Idus Octobris. N. 45. *Gerlaci Archiepiſcopi Moguntini atteſtatio Incorporationis, & declarationis Caroli factæ ſuper Ducatibus Poloniæ, Sileſiæ, & Marchionatu utriusque Luſatiæ* Anno 1355. in Nürnberg. N. 47. *Caſimirus Rex Poloniæ reſignat omni jure terræ Svvidnicenſis, & Jaurenſis* A. C. 1356. N. 48. *Caſimirus Rex Poloniæ ob Ducatum Plocenſem, & alios Principatus Maſoviæ donatos Caſimiro, & Ludovico Ungariæ Regi à Carolo IV. Bohemiæ Rege, donat viciſſim Carolo & Coronæ Bohemiæ Oppida Bythen, & Creucenburg, & extingvit omnia debita.* *Aurea Bulla Caroli IV. ſuper Incorporatione Provinciarum Poloniæ, ſeu Sileſiæ ad Regnum Bohemiæ.* Pragæ, 1345. 7. Octobris. enumerantur hoc loco omnes Sileſiæ Principatus, atque inſuper *Maſovia & Ploczko.* Breviſſimè rem totam coævus, & ſacer Scriptor *Benedictus Pragenſis Canonicus* complexus eſt l. 2. Chronicorum: *Hoc*, inquit, *tempore, intervenientibus Tractatibus Joannes Rex Bohemiæ acceptâ pecuniâ maximâ, à Caſimiro Poloniæ Rege, ceſſavit ſe ſcribere Regem Poloniæ, ità tamen, quòd prædicti Duces omnes Sileſiæ, & Oppoliæ, Vaſalli feudales Regni Bohemiæ & Coronæ, temporibus perpetuis remanerent; & ſic factum eſt, & firmatum literis, & monimentis.* hæc ad verbum *Beneſſius.*

Sileſia Bohemiæ conjuncta authenticè.

Num. 40.

Beneſſ. ad An. 1320.

Nota.

Indices Chronologici Regni Boh. in Miſcellan.

Ad Annum 1335. eodem libro 2. longè diligentiùs, eandem tractationem, non modò ex parte *Poloni*, ſed etiam *Ungari* peractam deſcribit. Operæ pretium erit de *Sileſia*, *Regno Bohemiæ* adjuncta *Carolum IV.* Imperatorem, teſtem omni exceptione majorem, & qui rebus ipſis, dum gererentur, interfuit,* & quorum pars magna fuit,

Literæ Principum Sileſiæ ſubjicientium ſeſe Regi & Regno Boh:

Narratio fide digniſſima Imp. Caroli de Sileſiæ Ducatibus.

Digitized by Google

fuit, audire; cui Principi integerrimo, major ſinè dubio habenda fides eſt, quàm omnibus ijs, qui poſt annos 300. propemodum, ac 400. ea de re nationis ſuæ ſtudio occupati, ſcripſerunt: *Illo tempore miſit nos Pater noſter cum pulcro Exercitu ſuper Ducem Sleſiæ nomine Bulkonem, Dominum Münſterbergenſem: nam ille Dux non erat Princeps, neque Vaſallus Patris noſtri, & Regni Bohemiæ; Pater tamen noſter acquiſierat Civitatem Wratislavienſem per D. Henricum VII. Ducem Wratislavienſem, qui hæredes non habebat. Et idem Dux acceperat in donum Glacenſe territorium temporibus vitæ ſuæ, voluitque potiùs prædictam Civitatem, ac Ducatum Patri noſtro, & Coronæ Regni Bohemiæ perpetuò applicare, quàm fratri ſuo Boleslao dimittere, quia ipſe, & frater ſuus mutuò ſibi inimicabantur. Poſtquam autem Pater noſter accepiſſet poſſeſſionem Civitatis Wratislavienſis, omnes Duces* Sileſiæ, *& Oppolienſis ſubjecerunt ſe ditioni ſuæ, ac Coronæ Regni Bohemiæ perpetuò, ut defenderentur à Regibus Bohemorum, exceptis Duce Sleſiæ, Domino Svvidnicenſi & Münſterbergenſi, cujus territorium devaſtavimus, prout in Chronicis ſcriptum eſt; quod in tantum devaſtatum fuit, quòd ipſe coactus eſt mediantibus placitis, eſſe Vaſallus Patris noſtri, ac Coronæ Bohemiæ, ſicut & alij Duces. His peractis, arripuimus iter versùs Ungariam ad Patrem noſtrum, quem invenimus in Wiſſebrado ſuper Danubio apud Regem Carolum I. qui antè habuerat Sororem Patris noſtri, ipsâ verò defunctâ, acceperat Sororem Regis Cracoviæ Cazimiri, cum qua genuerat tres filios: primogenitum Ludovicum, ſecundum Andream, tertium* Stephanum; *Ibiq; fecit idem Rex Carolus pacem inter Patrem noſtrum, & Cracoviæ Regem, ità quòd renunciaret Pater noſter juri ſibi debito in inferiore Polonia, ſcilicet Gneſnenſi, & Caliſſienſi, & alijs inferioribus Provincijs Poloniæ. Rex verò Cracoviæ renunciavit Patri noſtro, & Regno Bohemiæ pro ſe, & Succeſſoribus ſuis, Regibus inferioris Poloniæ in perpetuum de omni actione omnium Ducatuum Sileſiæ, & Oppoliæ, & Civitatis Wratislaviæ. Nam antea erat diſſenſio inter eos: quoniam Avus noſter Wenceslaus II. Rex Bohemiæ, poſſederat inferiorem Poloniam prædictam cum Ducatibus Cracoviæ, & Sandomiriæ ratione unicæ filiæ, Przemyslai Regis inferioris Poloniæ, Ducis Cracoviæ, & Sandomiriæ, quam acceperat in uxorem; qui Przemiſl poſt mortem ſuam dederat Avo noſtro, & Coronæ Regni Bohemiæ in perpetuum tam Regnum, quàm Ducatus poſſidendos. Cazimirus verò prædictus erat Patruus ipſius Dominæ, & dicebat ſe Jus habere in Regno Poloniæ inferioris, aſſerendo, quòd fœmina non poſſet hæreditare in Regno. Et ſic guerra à longis temporibus duraverat inter Reges Bohemiæ, & Cazimirum, ac Patrem ſuum quondam Wladislaum Regem Cracoviæ, ſeu inferioris Poloniæ. Sicq; illa guerra concordata fuit per prædictum Regem Ungariæ, qui propter hoc ligavit ſe, & promiſit eſſe in adjutorium Patri noſtro contra Ducem Auſtriæ, qui abſtulerat fratri noſtro Ducatum Carinthiæ, & contra Ludovicum prædictum &c.* Vide Lector, quàm breviter, & nervosè totam hanc de *Sileſia* litem, & cardinem, in quo illa verſatur, *Carolus IV.* Imperator aperiat, ſimúlque animadverte, cùm *de Juribus Provinciarum* diſceptatur, ratione, non enſe (qui etiam injuſtitiæ ſervit) lites exequendas eſſe. Porrò *Svvidnicenſis Principatus* tardiùs, quàm cæteri, *Bohemiæ Regno* adjunctus eſt: An: 1368. *Bolko Dux Svvidnicenſis* ultimus absq; liberis moritur: Anno ſequenti *Carolus IV.* cùm quidam *Jus* ſibi in eum *Ducatum* arrogarent, adveniens in *Sileſiam*, debita omnia perſolvit, præſertim *Poloniæ Regi*, tributis in eam rem per *Bohemiam* indictis, ac nè quid moveri in poſterum poſſet, ab ipſa filia ſua *Auſtriæ Duciſſa*, jus ſucceſſionis pecuniâ præſente comparavit, adeóque firmiter *Coronæ Bohemiæ* conjunxit, ut omnis

Carolus IV. Imp: in Vita ſua C. 8.

Nota.

Nota.

Compoſitio de Sileſia inter Polonos & Bohemos.

Eliſabethæ ſeu Rixæ vel Richeæ.

Nota.

Svvidnicenſis Principatus tardiùs Bohemiæ adjunctus. *Beneſſ. l. 4. Chronici.*

Digitized by Google

Georgij Regis cum Polonis conventio. *Mechov. l. 4. hiſt. Polon. C. 61.*

omnis *Nobilitas* Provinciæ, ac Civitates, nullâ morâ, Anno 1369. *Wenceslao Caroli* filio fidelitatis, & ſubjectionis juramentum præſtiterint. An. C. 1462. 18. Maij. *Georgius Bohemiæ, & Caſimirus Poloniæ Reges*, novem diebus *Glogoviæ* unà verſati, æternum, & fraternum ſtatuère fœdus: *Georgius* verò caſtris (quæ alioqui ad *Sileſiam* ſpectabant) Oſvvieczin, Volok, Zathor, Zivecz, Ssevior, & Bervalt ſuo, & Regum poſterorum nomine *Polono* deceſſit.

Vicariatus Imperij an ſit Sileſia.

Jam & à *Germanis de Sileſia* quædam controverſia excitatur, tum ob ipſam *Sileſiam*, quæ inter *quatuor Vicariatus Imperij* nominatur, tum ob *Münſterbergam*, quæ inter *Montes ejusdem Imperij* collocatur; ſed refutavit illud utrumque validis argumentis *Nicolaus Henelius*, negavitque unquam in ulla *Imperij Germanici diviſione*, hos vel *Sileſiæ*, vel *Münſterbergæ* titulos inveniri, ac proinde ab aliquo ſciolo ſinè antiquitatis authoritate confictos.

§. IX.

Judicia, & Comitia Sileſiæ.

JUdiciorum, & Comitiorum in *Sileſia* rationem in ſumma brevitate diligentiſſimè explicavit idem *Henelius* toto Capite 8. & 9. ſuæ *Sileſiographiæ*, ut nihil adjici poſſe videatur. Odioſa multùm, & invidioſa ſunt, quæ ſeqvuntur; probat idem: *Regem Bohemiæ* (quà Sileſiæ Principem) conveniri poſſe in *Supremo Sileſiæ Tribunali*, quod quotannis ex Statibus Provinciæ, eorùmque Delegatis convocatur; adducit in eam rem *Privilegium Wladislai Regis*, datum An. 1498. neque id *Regi* eſſe indecorum, cùm ipſe *Imperator* coram *Comite Palatino Rheni*, *& Galliæ Reges in Suprema Curia Pariſienſi*, & Reges *Arragoniæ*, *Angliæ*, *Daniæ* in Regnis quique ſuis, & *Saxo Elector in Curia Lipſenſi* poſſint conveniri. Difficiliùs longè eſt illud, quod ſubjicit: poſſe *Status Sileſiæ* etiam capitalem in *Principes Sileſiæ* ferre ſententiam; ità *Nicolaum Principem Oppolienſem Niſſæ* ſententiâ à Judicibus urbanis pronunciatâ, capitali ſupplicio affectum; ſed hoc factum moleſtè tuliſſe *Regem Wladiſlaum*, & authoritatem ſuam læſam eſſe graviter queſtum, ipſemet fatetur *Henelius*. Porrò *Sileſia* in rebus profanis *Jure Saxonico* utitur; *Spiram* nemo ex *Regno Bohemiæ* appellare poteſt, ùt *Goldaſtus*, aliiq; Scriptores demonſtrant: *Ferdinandus I. Appellationum Tribunal* in Arce Pragenſi inſtituit, ùt ſuo loco dixi, ad quod non modò ex *Bohemia*, & conjunctis ei Provincijs *Provocationes* ad Regem mitterentur, ſed & *in prima inſtantia* (ità diſertè docet *Henelius*) ſententiæ inde definitivæ (informationis enim cauſsâ, ad quæcunque Tribunalia ire licitum eſt) peterentur; ab hac provocatione ad *Regem* liberatos ſe quidam per ſpeciale neſcio cujus Regis *Privilegium*, Principatus Sileſiæ jactitant, ùt *Glogovienſis*, *Jaurovienſis*, *Oppolienſis*, *& Ratiborienſis*; ità quidem, ut ſententiæ in *Comitijs* eorum latæ *provocationum Remoris* non ſint obnoxiæ, ùt aſſerit *Henelius*; at cùm extremæ *Appellationis* Jus inter Jura Majeſtatis, præcipuum eſſe videatur, neque oppreſſis fortaſſe extremum hoc auxilium jure communi negari poſſit, eam rem, nè cui præjudicare, aut derogare videar, in medio relinquo, præſertim, cùm quatuor hi *Principatus ad Regem Bohemiæ vi feudi* devoluti ſint, neque ſuperſint ulli qui *Privilegio* ejusmodi (ſi quod fuit) gaudere poſſint.

Omnibus appellare ex Sileſia licitum.

Capitanei Sileſiæ.

Satis jam de *Sileſiæ Judicijs*; qui plura volet, conſulat *Schickfuſium*.

Schickfuſ. in Annal Sileſiæ.

Syllabum Supremorum Sileſiæ Capitaneorum, ùt vocant, ab A. 1546. recitavit *Henelius*, ſed omiſit antiquiores,

res, quòd videlicet ijs allatis, ſententia ejus quadantenus jugularetur, cùm ſolis deberi *Sileſiis* munus illud aſſerat, quod tamen *Bojemi Proceres* non ſemel geſſerunt, ùt de *Joanne de Roſis*, aliiſque apertiſſimè conſtat. *Genealogias* omnium *Sileſiæ Principum* (ſi quis avet cognoſcere) in *Schickfuſio*, *Münſtero*, *Weleſlavino*, *Reuſnero*, aliiſque reperiet. *Privilegia* quædam *Sileſiæ* recitavit *Henelius;* ea nos in *Archivo Carlſteinenſi* referemus.

Literæ publicæ in M.S. M.S. Roſenſi.

§. X.

De S. Petri Denario à Sileſiis pendi ſolito. Quædam de Privilegijs, & de Tractatione Kolovvratiana, quæ baſis eſt.

De S. Petri denario.

SIleſiâ ad *Bohemos* translatâ, translata quoque fuit olim obligatio quotannis ex ſingulis domibus, *S. Petri*, ùt vocabant, *Denarium* pendendi, quod *Caſimirus Rex Poloniæ Sedi Apoſtolicæ* promiſit, ùt habet *Gregorius VII.* in Epiſt. ad *Wratislaum Bohemiæ Ducem: falluntur enim* (verba Goldaſti recito) *qui putant etiam Bohemiam ſic fuiſſe ſubjectam; eſt enim tantùm mentio Sileſiæ. De hoc denario ex Sileſia multi Scriptores egêre,* pergit Goldaſtus: *repugnant in hac rè Duces Sileſiæ, idcò à Pontiſice excommunicantur. Epiſtola Gregorij eſt L. 3. Regeſt: Ep. 7. & Tomo III. Concil. Gener. P. 2.* hæc *Goldaſtus;* quibus ego nihil addam de meo, cùm nimiùm odioſa videantur, & *Miſcellaneis* meis ejusmodi tractatio malè conveniat. *Odoricus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis* narrat: *Wratislaviam* nominatim *vectigalem Romanæ Eccleſiæ* fuiſſe, idque in acta publica aſſentiente Rege *Joanne* Anno 1327. à *Petro Alverno Apoſtolicæ Sedis Legato* relatum. Porrò *Nummus* hic, ùt habet *Cromerus*, minutus eſt: nam æreus tantùm datur, cùm antè *tres oboli, & cribrum* avenæ daretur. Totum hoc evidenter confirmat *Carolus IV.* Imperator in vita ſua: *Poſt hæc*, inquit: *profecti ſumus Avenionem ad Papam Benedictum XII. ut componeremus litem de nummo S. Petri, quem pendunt in Diœceſi Wratislavienſi; lis indeciſa manſit.* Videsne nihil hîc de *Bohemia*, nihil de *Moravia* dici? neque ulla eſt alia in ullo Authore hujus penſionis memoria.

Goldaſt. l. 2. de Jurib. Boh. C. 12. Petr. Abbas Aulæ Regiæ in Chronico. Dubrav. l. 7. hiſt. Boh. Curæus in Annal. Sileſ. Silv. in hiſt. Boh. Miechov. & Cromerus. Thomas Bozius de Jure div. & natur. C. 14. Raynald. in Annal. Eccl. ad A. 1327.

Cromer. l. 11. hiſt. Polon.

Carolus IV. in Vita ſua C. 14.

De Privilegijs Sileſiæ.

Privilegia quoque *Sileſiæ* inſpicienda ſunt ei, qui accuratam ejus Provinciæ notitiam ſibi parare velit: ſingulare eſt, & quaſi baſis cæterorum à *Wladislao Rege* An: 1498. latum *ſuper Evocationibus, Juribus, & Bernis*, quod *Ferdinandus I.* An. 1328. *Maximilianus* An. 1567. *Rudolphus* 1577. confirmârunt. Illud *Wladiſlai Regis Diploma Budæ* datum, habes in *Henelio.* Refert idem *Henelius Transactionem Colovratianam*, factam ſcilicet ab *Alberto de Kolovvrat, Supremo Regni Bohemiæ Cancellario*, inter Eccleſiaſtici Ordinis homines, & Principes, atque inter *Ordines Sileſiæ* An. 1504. 15. Februarij *Budæ à VVladislao Rege* confirmatam, cujus hæc eſt ſumma: *Primò:* nè quis in poſterum Epiſcopus Wratiſlavienſis creetur, niſi vel *Bohemus* gente, vel *Moravus*, vel *Sileſius*, vel *Luſatius* (tum enim adhuc *Luſatia ad Reges Bohemiæ* ſpectabat) vel ex conjunctis, atque, ùt vulgò loquimur, *incorporatis Coronæ Bohemiæ Provincijs. Secundò:* nè beneficia Eccleſiaſtica, quorum collatio ad Epiſcopum, Principes, Collegium, vel alios quoscunque pertinent, alijs, quàm *Coronæ Bohemiæ indigenis* conferantur. Item conſenſus *Bohemiæ Regis* ſuper *Electione Epiſcopi, & Beneficiorum* collatione requiratur. *Tertiò*: Eccleſiaſtica adminiſtratio *Epiſcopus* permittatur. *Quartò:* ut *Decimæ Clericis* perſolvantur ſinè imminutione, aut defalcatione prætextu ſterilitatis, atque ut intra triduum *Eccleſiaſtici Decimas* ex agris auferant.

Goldaſt. in Privilegijs N. 67. id recitat. Schickfuſ. in Annal. Sileſ.

Henelius in Appendice ad Sileſiograph.

Sum̃a transactionis Kolovratianæ.

ferant. Nî fecerint, eligantur jurati quidam, qui *Decimas Eccleſiaſticis* debitas à reliquis frugibus ſeparent, & deſignent, Ruſticis ſuum auferre permittant. *Ferto Epiſcopalis*, ſive *Maldrata* juxta conſvetudinẽ perſolvatur. *Quintò:* nè quis ſive Clericus, ſive Laicus *Tabernas Cereviſiarias*, aut artificũ officinas in alterius præjudicium erigat. *Sextò*: Eccleſiaſtici ad Patriæ defenſionem contribuant requirentibus Principibus, in quorum ditione *Bona Eccleſiaſticorum* ſita ſunt. *Septimò:* De modo procedendi adversùs eos, qui *Reditus* non ſolvunt. *Octavo:* de Bonis deſertis, & vacantibus. *Nonò*: ut debita *Originalibus Chirographis* probentur, non exemplis, ſeu Vidimus. *Decimò*: Si Parochus quis inteſtatus decedat, bona ejus non ad *Epiſcopum*, aut loci Dominum, ſed ad *Eccleſiam* deferantur. *Actum Wratislaviæ die Sabbathi poſt Purificationem S. Mariæ*, 1504.

Inveſtituræ & Privilegia Principum Brigẽſium. Goldaſt. in Bey lag. Num 49.

Porrò præcipuæ authoritatis in *Sileſia* inter Principes, *Lignicenſes*, & *Brigenſes* fuêre; eorum inveſtituræ apud *Goldaſtum* multis in locis leguntur à *Wenceslao Rege Bohemiæ Pragæ* 1379. illud peculiare, ut cùm ſex fratres eſſent, moriente uno, alter ſuccederet. Ab eodem *Wenceslao* Anno 1383. Pragæ *Rupertus*, & *Wenceslaus* Duces Lignicenſes inveſtiuntur. *Wladislaus* Rex An. 1502. Olomucij, *Ducibus Lignicenſibus*, & *Brigenſibus* inveſtituram confert. At verò Anno eodem *Budæ* die Veneris ante S. Margaretam eorundem *Ducum Privilegia* omnia confirmat. Rarum illud, & pretioſum An. 1505. in die S. Laurentij, *Wladislaus Rex Friderico* Duci Lignicenſi, & *Goldbergenſi* concedit, ut poſſit quærere metalla, & elaborare, ædificare &c. imò per quatuor milliaria longè, & latè, ultra ſuas ditiones fodere &c. Idem *Wladislaus* concedit Duci *Friderico Lignicenſi*, ut ſuas res moriens, cui velit donare poſſit; *Wratislaviæ* die Lunæ poſt Dominicam Palmarum. An. 1511. *Ludovici Regis* confirmatio Privilegiorum Principatibus *Lignicenſi*, & *Goldbergenſi* datis. 1524. die S. Hedwigis. Eadem gemina à *Ferdinando I.* Lincij, 27. Julij, & iterum Anno 1549. 2. Novembris, omnia eorum Privilegia confirmantur. Sed has omnes gratias, favores Regum, ac literas fatali ſuperinductâ lineâ, *mors ultima linea rerum* nuper delevit, ſublato *Georgio Wilhelmo Lignicenſi*, & *Brigenſi Duce* An. 1675. 20. Novemb: qui fuit ex *Piaſtæa* regnatrice apud Polonos familia poſtremus, & *Divæ Hedwigis ſangvis*, cujus (ſuæ videlicet gentis) occaſum (ſi vera ſunt, quæ in *Sileſia* audivi) *Diva ipſa Hedvigis* comminando prædixit apparens.

(Margin notes: N. 50. N. 68. N. 69. N. 70. N. 74. N. 77. N. 79. & N. 87.)

Ceſſiones Principatuum in Sileſ. invito Rege B. irritæ. Goldaſt. in Bey lagn. N. 84.

Dixeram Capitis hujus initio: non licere *vi Feudi*, *Transactiones*, & *ceſſiones Principatuum*, *invito Rege Bohemiæ*, facere; in eam rem hæc habentur: An. C. 1546. ultimâ Martij. *Ferdinandus I. Rex Bohemiæ* citat *Fridericum* Principem Lignicenſem *Pragam* ob contractum ceſſionis Principatûs ſui factum cum *Joachimo Marchione Brandeburgenſi*. Extant ejuſdem Principis *Friderici Reverſales* de reſciſſo illo cùm *Marchione Brandeburgico* contractu. Pragæ, 1549. Literæ *Friderici* Ducis Brigenſis, & Lignicenſis *Reverſales* de annihilata ſucceſſione *Marchionis Brandeburgici*, 1596. 11. Martij. Aliæ *Reverſales* ejusdem *Friderici* promittentis ſe Monetam non cûſurum (ût olim Avus fecerat, quem in Majo An. 1546. inhibuit *Ferdinandus Rex*) donec *Jus* ſuum *Rudolpho II.* quà *Regi Bohemiæ* probet, & ab eo permittatur &c. Transactionem quoque cum *Marchione Brandeburgico* irritam eſſe debere ſignificat *Wratislaviæ* 15. Martij Anno 1598.

(Margin notes: N. 85. N. 91. N. 90.)

Seditio Wratislavienſis. Weleslav in Calend. hiſtor. 6. Martij.

Wratislavienſem populum ſeditiones domeſticæ non ſemel turbârunt: triſtiſſima fuiſſe videtur An. C. 1418. 18. Julij, cùm per tumultum populi, Con-

Conſules ex feneſtris Curiæ præcipitati & trucidati ſunt; quod publicum latrocinium *Sigiſmundus Rex biennio* pôſt adveniens, ſupplicio capitis viginti duorum Civium, & aliorum exilio vindicavit.

§. XI.

Cur tam multa de Sileſia adferantur; nihil de Moravia, nihil de Luſatia.

Cur hoc loco de Sileſia tractârim.

HUcuſque de *Sileſia*, quæ in *Adverſarijs* meis repereram ex optimis Scriptoribus, & *Literis publicis* Regum, ac Principum deprompta, quæ vix, ac nè vix quidem à privato aliquo Scriptore conjecturis, vel audaciâ ipsâ armato (quod fieri aliquando vidimus) refelli, ac refutari poſſunt.

Illud mihi Lectores citiùs objicient: quid ſit, quòd tam multa, & tam diligenter de *Comitatu Glacenſi* ſuperiore Capite, & nunc de *Sileſia* unum in locum collegerim, & coacervârim, cùm vix tantâ diligentiâ tractem res *Bohemicas*, quæ tamen in præſenti Opere ſcopus ſunt, & finis ſtudiorum meorum? huic ego objectioni facillimè reſpondeo; *primò*: convenienter huic loco, & *Bohemicarum rerum* tractationi *Sileſitica, & Glacenſia* ſubjici, & conjungi, cùm hæc in eodem *Regno Bohemiæ* cenſeantur, potiſſimùm *Comitatus Glacenſis*, qui *Bohemiæ*, ut ita dicam, ſuburbanus, domeſticus, & inſertus, multis titulis nobiſcum unitur; deinde ſemel expedire volui, quæ aliquando tamen erant adferenda, ut jam quaſi curâ iſtâ vacuus, ad cætera perſequenda ſolutiore animo, & quaſi novis viribus auctus accedam; deniq; nemo exiſtimet diligentiorem me in *Sileſiticis*, & omiſſiorem in *Bohemicis* rebus commemorandis aut fuiſſe unquam, aut poſtea fore: quid enim hactenus *primo*, aut *ſecundo* libro, quàm *Bohemica* tractavi? aut quid ſequentibus libris aliud ſum tractaturus? hæc mihi in poſterum (ùt ajunt) utramque paginam facient, hæc implebunt Volumina. Sed illud potiùs accuſent, & poſtulent legentes, ut aliquid de *Moravia & Luſatia* adferamus, quandoquidem & iſtæ *Provinciæ Coronæ Bohemicæ*, velut pretioſiſſimæ gemmæ inſeruntur, aut inſertæ fuerunt; at Ego in alienam meſſem nolui falcem injicere, ſiquidem *Luſatiæ* hiſtoriam concinnandâ ſibi ſumſit *Reverendiſſimus & Doctiſſimus Pragenſis & Budiſſinenſis Canonicus, & Prælatus Chriſtianus Pfaltz; Moravographia* verò diu promiſſa, & jam, ùt audio, ad Typum adornata, ab Illuſtriſſimo Epiſcopo *Thoma Peſſinâ Samandrienſi* indies expectatur.

Quare tractatio de Moravia & Sileſia hoc loco ſit omiſſa.

Quanquam neq; hâc excuſatione uti poſſim, cùm in libris ſequentibus, longè alia, quàm nunc attulerim, *de Sileſia, de Comitatu Glacenſi, de Moravia, de Luſatia* utrâq;, *de Oppavienſi Ducatu, de Olomucenſi Principatu* (fortaſſe in vulgus ignota) allaturum me confidam, & promittam. Interea velut ex peregrinatione *Glacenſi & Sileſitica* in *Bohemiam* ad noſtra tractanda redeamus.

CA-

CAPUT VII.

De Calamitatibus Urbium, & Oppidorum Bohemiæ; quantam Populi Bohemici ſtragem proxima bella ediderint; De multitudine Populi ante bellum hæreticorum; De vetuſtis Urbibus Bojemiæ apud Ptolemæum; Origines Urbium Bohemicarum per Indicem, juxta Chronologiam Hagecij Annalium Bohemiæ Scriptoris, tum Oppida; aliáque huc ſpectantia.

Proximæ calamitates & exinde ſolitudo Bohemiæ.

DE *Urbibus & Oppidis Bohemiæ*, pauca hâc ætate noſtrâ (quâ bellorum continuatione, & crudelitate *ter Ilium* ſuperavimus) ſcribi poſſunt: nulla *Urbs*, nullum adeò *Oppidum* nominari poteſt, quod non proximis bellis arſerit; Sunt, quæ poſt expilationem hoſtilem, iterum, iterúmque flammis conciderint, & in terram datæ ſint; de his calamitatibus in *Hiſtoria Boleslavienſi* quædam diximus.

Superſunt tamen etiamnú Veteris magnificentiæ, ſplendoris, ac gloriæ in *Arcibus*, *Oppidis*, *& Civitatibus* quædam, etſi pauca, quæ calamitates, & ſtrages hoſtium & ignium effugerunt, veſtigia, ac monimenta; ex quibus tamen prudentes, aliquam de fælicitate priorum temporum capiunt conjecturam; videbis aliquando deſerto in loco ſtantem egregij operis *portam*, aut *columnam*, aut *ſtabuli* alicujus magnificum fragmentum aut fruſtum, cùm ex tota reliqua villa appareat nihil; alibi *Turris* occurret, quæ pago, aut oppido in cineres abeunte, ſola remanſit; alibi multorum faſtigiorum inclinatas jam ruinas, minásque murorum exhorreſcit *Viator;* in Urbibus & Oppidis propè deſertis, inſignem aliquam *porticum*, vel *Menianum* aliquod è domo exiens, elegantiſſimo opere lateritio, vel ſaxeo pictis aut inciſis Dominorum inſignibus mirari poteris; alibi ingentibus ruinis deſcendit, hiátque *teſtudo Curiæ;* domus ruſticorum nonnunquam partim *imbricatæ*, parte aliâ ſtramento teguntur; *Ciſternæ* ipſæ in Urbibus veterem fori majeſtatem multis in locis oſtendunt: *Bohemobrodam*, *Slanam*, *Pragam novam*, *Piſecam*, *Nimburgum*, *Litomericium*, verbo: *Urbes Regias omnes* oculo curioſiore perluſtret, quiſquis à me fieri ſibi fidem poſtulat. Jam ad Populum: *Summus Regni Cancellarius Wilhelmus Slavata*, qui poſt hæreticorum Regnum, & *Ordinum Rebellionem* vivebat, & quæ videbat, pro munere ſuo, publicè (aliàs etiam privatim rerum ejusmodi curioſiſſimus, & diligens) annotabat, affirmat diſertè: Anno 1622. & tribus, aut quatuor ſequentibus, *triginta familiarum millia ex ſola Bohemia exceſſiſſe* (poſſeſſionatos vocant) ut aliorum numerus non ineatur, *Mulierum, parvulorum, imbellis ætatis, filiorumfamilias, Opificum, Mercatorum, ac cæterorum; Nobilitas* verò maxima pars amiſſa eſt, qui omnes conſervari poterant, ſi lentiùs quidam feſtinare voluiſſent, & oculo ad alienas ditiones ſemel adjecto, cupiditati ſuæ imperare; nunc velut *canis feſtinans cæcos parit catulos* (ùt eſt in proverbio) ſic iſti affectuum impotentiâ cæci, religionis prætextu (quæ ſæpiſſimè etiam ab irreligioſiſſimis obtenditur) Regnum vacuârunt cultoribus, Regis, & Reipublicæ irreparabili damno, cùm potentiores ferè emigrarent, ſecúmque infinitam auri, argenti, & cæterarum opum vim (quibus tum ex longiſſima pace, & aureis *Maximiliani, & Rudolphi* Cæſarum temporibus, ultra vici-

 nas

nas omnes Provincias affluebat *Bohemia*) in exilij ſui ſolatium, & neceſſarium viaticum, ac præſidium efferrent, ſolis ferè *pauperibus terræ* (ût ſacræ litteræ de Tranſlatione *Judæorum in Babyloniam* loqvuntur) in *Boëmia* relictis. Secuta ſunt *Svecorum* bella cum extremo *Patriæ* exitio, & cæde incolarum, anno demum, quàm cœperant, *octavo decimo* finita; de quibus cùm ſerum ſit queri, ſupervacaneum eſt ſcribere; memoriam ſuam conſulant, qui vidêre; qui non viderunt, ratiocinentur, & prudenter colligant: quid *amici milites*, omni impunitate permiſsâ, hoſte niſì ipſi priùs ſpoliarent, & everterent omnia rapturo, omnibus propè illis annis in *Bohemia* æſtivantes, hibernantes; quid deinde *hoſtes* toties, & ipſi traductis Exercitibus, captis plerisque *Arcibus*, *Oppidis*, *& Urbibus* noſtris, totâ propè occupatâ *Bohemiâ*, edere damnorum potuerint, cùm *iſti* velut hoſtes agerent, *illi* quod Incolis raperent, hoſti ſe detrahere arbitrarentur, iniquiſſimo, malè comparato, & prorſus exitiali certamine. Sed nos vetuſtiora magìs, quàm hæc triſtia perſequamur.

Bellum Svecicũ quàm exitiale Bohemiæ.

Numerus Incolarum Bohemiæ avorum, & patrum memoriâ.

Rudolfo II. Cæſare apud nos regnante adhuc 34700. pagi, qui *Paſtores* gregibus, & armentis alerent (nam villæ, & Dominorum prædia hoc numero comprehenſa non ſunt) 34700. inquam, pagi in *Regni Tabulis* recitantur; *Oppida*, *Urbésque* muratæ 732. *Arces* (Zámky appellamus, neque hoc nomine Nobilium habitationes, Twrzy dictas, complectimur) 124. *Patresfamilias* numerabantur *tricies centena millia, quatuor millia, & ſeptingenti.* annotatum in ijsdem *Tabulis Rudolfinis* reperio: ſi ex *Bohemia* decimus quisque in bellum legeretur, Exercitum 346120. *Militum* ſcribi poſſe; ſed hæc olim fuêre.

Dum hæc ad Typum mitterem en offert mihi V. Cl. & Regni Geometra D. *Gulielmus VVilimovvsky* vetus Amicus grandem *Tabulam*, artificio ſingulari Scriptoris conſtructam, & certis lineis, ſpatijs, & claſſibus diviſam, & diſcriminatam; in qua Ditionibus omnibus, Urbibus, Oppidísque nominatis uſquè ad ſegmenta & atomos ultimas demonſtrantur totius *Bohemiæ* facultates: ea tabula confecta fuit A. 1596. authoritate ſummorum Procerum, quos *Ordines in Comitijs Pragæ* celebratis ab eo anno uſque ad 1604. *Tributis Regni* exigendis præfecerant, cùm nimirum periculoſum bellum cum Turcis *Rudolfus Imperator* gereret, eique extraordinarias ad id bellum pecuniæ ſummas in decennium *Bohemiæ Ordines* promiſiſſent. Cuperem hoc loco eam *Tabulam* exſcribere, ſi modò Lectores paterentur; & ſi magnitudo rerum ſineret; at fortè eſſent, qui clamarent iſta ad præſentem rerum ſtatum nihil facere, neque ſatis expedire, ut hæc arcana, quibus vires Regni pateſcunt hoſtibus, evulgentur. Itaque compendifaciam omnia, & ſummas generales attuliſſe contentus, particularia ex quibus ſummæ probantur, tum ipſas ditiones & nomina Civitatum, oppidorum, Arces & ditiones, aliáque his ſimilia tranſiliam:

Ditiones Regiæ Majeſtatis Camerales in Bohemia 24. numerantur.

(Notandum: hac ætate noſtrâ, quâ vivimus, plusquam dimidiam earum Cameralium ditionum partem abalienatam eſſe; nominare poſſem ſingulas, ſed odium non evitarem.)

In Regijs ditionibus ſubditi & glebæ adſcriptitij olim numerabantur - - -	14373.
Parochiæ ſeu Collaturæ	132.
Camini - -	2089.
Rotæ molares -	555.
Magiſtri Opilionum	24.
Opiliones -	64.
Judæorum domus -	13.

Ordo Dominorum ſeu Baronum Regni Quatuordecim Diſtrictibus Re-

Regni (omittuntur enim in hac Tabula Egrenſis, Cubitenſis, & Glacenſis Comitatus) numerum conficiunt 254. qui omnes ſuas habent poſſeſſiones & ditiones, Dominorum inquam & Baronum Ordo ſubditos habet univerſim - 67125.
Parochias ſeu Collaturas 517.
Caminos - 7472.
Rotas molares - 3152.
Opilionum Magiſtros 278.
Opiliones - - 549.
Domus Judæorum - 81.

Equeſtris Ordo in Quatuordecim Bohemiæ Diſtrictibus poſſidentium bona, conficit numerum 1128.
Subditorum habet numerum - - 54413.$\frac{1}{2}$.
Parochias habent 520.$\frac{1}{2}$.
Caminos - - 6244.
Rotas molares - 3185.
Opilionum Magiſtros 652.
Opiliones - 1140.
Judæorum Domos - 40.

Civitates Regiæ & liberæ ſunt 49.
In ijs ſunt Domus 14961.
Habent ditiones, & in ijs ſubditos ſuæ glebæ - 5326.
Parochias ſeu Collaturas 101.
Caminos - - 25662.
Rotas molares - 1053.
Opilionum Magiſtros 32.
Opiliones - - 56.
Domos Judæorum - 242.
& in hac ſumma incluſæ 146. domus Judæorum in antiqua Urbe.

Status Eccleſiaſticus habebat tum Ditiones - - 50.
In ijs ſubditos numerabat 7339.
Parochias ſeu Collaturas 72.
Caminos - - 515.
Rotas molares - 407.
Opilionum Magiſtros 20.
Opiliones - - 37.
Judæorum Domum nullam o.

Liberorum prædiorum poſſeſſores Swobodnicy / Freybawren / Sculteti & liberi in nullo tamen ſtatu Bohemiæ computati 333.
Subditos habent - 72.
Parochiam ſeu Collaturam nullam
Caminos - - 99.
Rotas molares - 6.
Opilionum Magiſtros 1.
Opiliones - - 1.
Domus Judæorum nullas o.

Civitates Dominis vel Equitibus ſubditæ - - 48.
Subditos numerant 2282.
Parochias & Collaturas 24.
Caminos - - 1458.
Rotas molares - 133.
Opilionum Magiſtros 10.
Opiliones - - 12.
Judæorum Domum nullam o.

Hæc ex illa, quam dixi, Tabula. Summam rerum omnium quas attuli, quisque Numerorum peritus facilè conficiet: ad propiora nobis tempora veniamus: Paulus Aretinus Civis Pragenſis præcellens Geographus in Tabula Bohemiæ abs ſe edita A. 1619. affirmat Bohemiam in circuitu ſuo milliaria 123.$\frac{1}{2}$. continere. Ab Oriente in Occidentem habere milliaria Germanica maxima 40. (quæ ſingula ut plurimùm duabus, imò & quædam tribus horis conficiuntur curru ſat expedito) à Septentrione in Meridiem patère triginta quinque milliaria; totam verò aream Bohemiæ in ſuis metis & limitibus 659. millia quadratorum comprehendere; pergit: juſtas Urbes & oppida numerari 722. Arces munitas 200. Nobilitatis ſedes (Twrze / Bohemis, Ritterſitz / Germanis) 3377. computari. Vide quanta rerum à parvo tempore mutatio! Hominum in Bohemia numerum diligenter inivit ætate ſuâ *Paulus Stransky*, qui paulò ante victoriam in *albo monte* de hæreticis partam, affirmat in *Bohemia*: (verba ejus recito) *Agricolas* centies quinquagies; *Cives* plus minùs duodecies mille; *Scultetos* (de quibus mox) trecentos triginta octo;

Stransky in Rep Boi. C. 19 Jus Provinciale E. 12 ordinatio Reg. Rudolphi II. A. 1585 Comitia Anno 1596. & 1598

 Paro-

Parochias & Sacerdotes pagorum, mille trecentos quadraginta; *Opilionum Magiſtros* mille ſexaginta & octo; *Opiliones* ipſos mille octingentos ſeptuaginta quinque cenſos, & Regni Tabulis inſcriptos fuiſſe. Porrò *Sculteti*, ut rem obiter explicem, erant coloni prædiorum liberi, quorum unicum onus, ut bello excitato, (*Artogleriam* barbarè appellant) omnem machinarum apparatum, tormenta ænea, globos, pyrios pulveres ſubvehant, atque in id equos, & operas præſtent. Horum hodie exilis eſt numerus, mediâque parte imminutus, cùm graves alienæ libertati homines multa ſemper agant pro libitu. **Do Pekla hluboko / do Nebe wyſoko.** & iterum: **Bůh wyſoko / Král daleko /** vetus eſt Veterum *Bohemorum cantio.*

Quid ſint Sculteti ſeu Coloni prędiorum liberorum & munus eorum.

M. S. Reginohrad.

Hodie nihil in *Bohemia* frequentiùs, quàm Arcium, pagorúmque ruinas ſpectari, quorum etiam nomina ignorantur. *Arces* adferam quasdam ſuo loco, quæ ubi ſteterint, nullâ diligentiâ potuit deprehendi, ac viciſſim medijs in ſilvis, altiſſimis montibus, & ſaxis affixas vidi, quarum mihi nomina, nè ipſi quidem, qui ea incolebant loca, edere potuerunt. Illud memoratu dignum: *Claudium Ptolemæum* (qui ſub *Antonino Pio*, niſi fallor circa Annum Chriſti 150. Orbem terrarum tabulis diviſit, & ſingularum Provinciarum Oppida, & Urbes præcipuas ſignatis in cœlo *longitudinum & latitudinum gradibus* nominavit) cùm de *gente*, ùt vocat, *magna Bamorum*, & *Bojohemo* agit, non paucas *Urbes* adduxiſſe, quarum hodie nulla ſupereſt memoria; nimirum verum eſt illud *Auſonianum:*

Bojohemi vetuſtæ Urbes in Ptolemæo.

Mors etiam ſaxis, marmoribúsque venit.

De hiſce *Ptolemæi Urbibus* quid ſentiendum ſit, dixi alio in loco, quæ repetere, eſſet hominis otio ſuo abutentis. Erant ſcilicet Urbes iſtæ *Bojorum*, *Hermundurorum*, *Marcomannorum*, *Quadorum*; qui Populi, quâ demum ratione amiſſi ſint, perierintque, libro II. docuimus.

In Epitome hiſtorica.

§. I.

De Hermundurorum, & Bojorum vetuſtis Urbibus; Quæ primæ Czechorum in Bojohemo Urbes; earum origines ex Davide Crinito Nepomucenſi.

Hagek in Prolegom. ad Chronic. Boh.

Hagek *Panilum* quendam *Hermundurorum* Regem nominat, qui antè, quàm in has oras *Czechus* adveniſſet, in *Reginohradecenſis Diſtrictûs* finibus *Glacium & Moraviam* versùs, regnârit: ejus ſedem fuiſſe *Krulich*, quæ hodiéque retinet nomen; in arce *Landsbergenſi* (crediderim *Landscronenſi* legi oportere) *Regni Hermundorum Archiva* ſervata eſſe, ibidémque Regem illum *Panilum*, Leges, quas tulerat, depoſuiſſe; quæ unde deſcripſerit *Hagecius*, ſcire non poſſum.

Hermundurorum relictæ Urbes in Boh.

Ex manu ſcriptis *Bojorum* hiſtorijs circa A. 300. narrat *Velſerus ab Adalgaro*, qui *Boÿs* præfuerit, inter alios *Oſinuchum* quendam apud *Bojohemos Regem* ſuperatum eſſe; cui narrationi timidè ſe aſſentiri *Velſerus* ipſe fatetur; ad certiora, propiora, & ùt ità loquar, *Slavica tempora* veniamus:

Oſinuchus Bojohemorum Rex.

Velſer. l. 2. rer. Boicar.

Quæ primæ apud nos Arces, quæve oppida à *Czechis* noſtris condita ſurrexerint, diligentiſſimè perſequitur *Hagecius*; de originibus earum Chronographicos verſus *doctos & laborioſos*, avorum ætate vulgatos, vidiſſe memini, quos *David Crinitus*, Poëta Bohemus, ortu *Nepomucenus*, Civitate *Rakonicenſis* vulgavit. *Coſmas Pragenſis Decanus*, & primus (poſt *Chriſtannum* Ducis *Boleslai ſævi* filium) Boëmicarum rerum ſcriptor, affirmat: tres *Croci*

Hagecius in Annalib: Boh.

Coſmas lib. 1. hiſt. Boh.

De Vetuſtis primorum Czechorũ Urbibus.

ci *Junioris* filias, ſingulas ſibi Arces ſtruxiſſe: *Tetkam Lechin* caſtrum, *Kaſſam* à patris *Croci* nomine *Crocum*, quod caſtrum ſuo jam tempore in ruinis ſteterit, altiſſimis obrutum ſilvis, non procul pago *Ztibone*; tertia ſororum *Libuſſa*, pluribus excitatis Urbibus inclaruit, *Pragâ* præcipuè tot Ducum, Regum, ac Cæſarum Inclytâ ſede; aliam quandam *Urbem*, ùt idem *Coſmas* loquitur, *potentiſſimam* condidit à ſuo nomine *Liboſſam juxta ſilvam, quæ tendit ad pagum Ztibecznam*; ita ille: hodie neque ſilvæ, neque pagi nomen, quod ſciam, ſibi conſtat, *& Civitas illa potentiſſima*, nè quidem in ruderibus uſquam ſpectatur.

Liboſſa Civitas.

E regione clariſſimi Ciſtercienſium Cœnobij (quod *Aula Regia* dicitur, uno ab Urbe *Pragâ* milliario meridiem versùs) trans *Muldavam* Mons altus, minoribus collibus incinctus apparet, colles illi omnes, unàque & mons, nihil aliud dici poſſunt, quàm ingentes lapidum cumuli; in multis adhuc commiſſuram calcis videas, tum veſtigia *domorum ac mœnium* per rupes euntia, tum *cellaria* è vivo ſaxo altè effoſſa, ut *Urbem* inſignem eò loci ſtetiſſe nemo dubitare poſſit; & affirmant Incolæ, traditum à Majoribus, *Bojorum* veterum id opus, & ſedem Regiam fuiſſe multis ante *Pragam* ſæculis; quid ſi illud *Marobodui Bubienum* (cujus regiam in Bohemia *Lipſius*, aliique omnes ſtatuunt) faciamus? At alij *Bubienum*, quâdam vocis ſimilitudine ducti, proximè ad *Pragam* collocant, ubi nunc pagus *Bubenecz*, in quo rudera, mœnia, & ſubterraneos meatus manufactos oſtendunt.

Bubienum.

Praga.

Arcem Regiam Pragenſem *Mnata* Bohemiæ Princeps in *Suillo Monte* (ita enim dicebatur) condere cœpit primus, Uxori *Strzezyſlavva*, ubi illa cùm placeret, altiſſimo è loco deſpectans omnia, & in ſublimi cum puellis ſuis, cœlo magìs, quàm terrâ frueretur.

Proximum, & proclive foret *Pragam* deſcendere, ſed peculiaris illi locus ſervatur, cùm hæc univerſalia, & ad univerſum Regnum pertinentia expediverimus. Ac nè ſe deſertos tamen à me, & ſine duce in itinere inexplicabili relictos, Lectores querantur, placet *Urbium Bohemicarum*, ſed earum tantùm, quas *Regias* vocant, unius *Regis* aut *Reginæ* ſubjectas Imperijs (nam ſerviles, ùt ſic loquar, & Procerum glebæ adſcriptas, recenſere infinitum foret) earum, inquam, *Urbium Origines* breviſſimè indicare, & quo fundatæ ſint anno, ſingulis adſcribere. Illud moneo: me in his Urbium originibus non meam (quæ probatiſſimorum Scriptorum eſt) ſed *Hagecianam Chronologiam* eſſe ſecutum; nam ſi noſtram (quam ſuperiore libro ſtatuimus) ſequamur, omnia ducentis minimum annis priùs facta eſſe dicendum eſt.

Kaurzimium à fumo in auras aſcendente, quaſi *Fumariam* diceres, fundatur An. 653.* — *Hagek ad eum An. Crinitus.*

Praga minor à Libuſſa Duce, à limite dicta, An. 711. Menſe Novembri exſtrui cœpit, ùt annotat *Crinitus*; ædificijs mirum in modum augetur An. 791. — *Hagek. Crinitus.*

Zatecium, priùs erat *Luczko* à pratorum amœnitate. A. 718. dicta poſtea *Zatecz*, à flexuoſo, verticosóque *Egra* fluvij præterlabentis curſu. Alij *Zatecz*, τῷ Z acriter pronunciato, à copioſis meſſibus dictum exiſtimant. — *Iidem.*

Berauna (quam *Carolus Cæſar Veronam* ſuam appellare ſolebat) à latrocinijs, & rapiendo. An. 718. conditur. Slawoſſow primitus appellabatur. — *Iid. Hagek ad A. 746.*

Slana Urbs quondam ſplendida, & Regia, à *ſale* ibi reperto An. 750. — *ijdem.*

Mielnicium quaſi Melnik à molendo, & molarum frequentia à *Comitibus Bſſovijs, ſeu Guttenſteinijs* An. 757. conditur. — *ijdem.*

Piſeca ab arenis aureis *(Arenaria)* A. 760. — *ijdem.*

Lidomericium, nunc *Litomericium* à familia *Wrſſovecȝiana* An. 771. fundatum. Fabula eſt *Hageciana*, illud

I 3 τὸ

rò: Litomi ty měřice. *Lidomirus Koſtalij filius* opportuniſſimo loco fundavit.

Plſna. *Plzna* duplex eſt: *Vetus* ſub caſtro *Radinie*, condita 775.

Nova veterem devoravit, translatis aliò (à loco priore uno milliario non minùs) Civibus; *Joannes Rex Lucemburgicus* maximus hujus Urbis *Novæ* amator fuit. Ac nè *Nova* originis ſuæ immemor videretur, vetera etiam inſignia retinuit, *Plze*, ſeu *limaces;* quòd dum domus in *Vetere* conderentur, ingentem eorum copiam effodiſſent. Hujus Urbis *ſemper Catholicæ*, gloriam & inclyta adversùs hæreticos edita facinora, in Calendario *R. P. Georgij Crugerij S. J.* leguntur.

Reginohradecium. *Regino-Hradecium*, ſeu *Hradecium Reginæ*, Civitas *Reginæ* dotalis (quæ me prima naſcentem vidit) ex Caſtro Regio (id enim vocabulum *Hradecz* ſignificat) Civitas evaſit A. 782.

Sufficium, quòd ibi auri ramenta, & arenæ percolarentur & ſiccarentur, A. 790.

Praga major, ſeu *Vetus*, cùm in *minore Urbe* ob multitudinem anguſtè habitaretur, neque ob *Petrinum & Suillum* montes, domus latiùs ire poſſent, in adverſa fluminis *Wltavæ* ripa 795. ædificari cœpit.

Cadana 821. à conditore dicta, fundatur.

Uſta vel *Auſta* à ſilvæ denſitate (quod eſt Hauſsti) 822.

Luna vel *Launa à Launo Croſſi* filio pagus antè conditus, mœnibus A. 829. cingitur. Apparet eos, qui mœnibant, aliquam nominis rationem habuiſſe, cùm bicornis *Lunæ* vel curvati ſinûs ſimilitudinem Civitas referat.

Domazlicium ſeu *Tuſta* ex pago *Draſſovv* in Civitatem, *Ottonis* Magni Imp. Imperio aſſurrexit circa An. 954. cùm *Boleslao ſævo Imperator honorem Pincernatûs*, ùt in *Epitome* probatum eſt, eò loci detuliſſet.

Chrudimium quando conditum ſit, nusquam annotatum reperi; ſed jam An. 1055. Civitatis jura habuiſſe conſtat.

Czaslavia Civitas multis immunitatibus ornata condita eſt An. C. 796. à Majoribus Woracziczkiorum inclytæ ſtirpis fratribus; quorum alteri Czas, alteri Slaw nomen fuit.

Przibramum paulò poſt An. C. 884.

Miſa, ſeu *Strzibro* ab argento dicta; fundatur An. 1131.

Budvicium, ùt de *Plſna* paulò antè diximus, duplex eſt: *Vetus*, à Roſen- Hiſtoria Roſenſis M. S.
ſibus Dynaſtis ex *Budivogij* nomine conditum; *Novum* ab *Ottogaro II.* circa An. 1265. & deſcriptum, & exædificatum, cùm ibi *Regina* filium peperiſſet; cujus regij *Infantis effigies* ex ſaxo, hodiéque in *Eccleſia* RR. PP. *Ordinis Prædicatorij* ſpectatur. *Budvicij* Budvicium
origines diligenter deſcripſit ejusdem Ordinis Sacerdos R. P. Michaël Schickelius, mihi quondam dum viveret chariſſimus, & religioſâ amicitia conjunctiſſimus, in eo libello, quo *miracula B. V. quæ Budvicij colitur*, eſt complexus.

Ea verò cauſſa eſt, cur *Budvicium* inter *Bohemicas* Urbes fori amplitudine, olim (ante incendium) ſplendore, domorum & inſularum æqualitate, platearum deſcriptione, totóq; ordine rerum antecellat: aliæ enim adædificationibus, & domibus temere (ut *Novi Cives* adveniebant) ſtructis incrementa ſumsêre; at *Budvicium*, *Ottogaro II.* jubente, à ſtrenuo Equite *Hirz* nomine, primùm deſcriptum, & juxta eam deſcriptionem fundatum, & conſtructum eſt, primáque ædes in Urbe nova *Cœnobium Prædicatorum* fuit.

Nimburgum à Teutonibus occupatum, & hoc nomine inſignitum *Marchione Brandeburgico* Tutoris nomine Regnum adminiſtrante, poſt *Ottogari* cædem ſuſpicio eſt An. 1270. alioquin origo Urbis antiquior; *Wicemil Mnohoſtai* filius An. 779. eam Urbem condidit, quæ multis ſæculis *Wicemilovv* appellabatur.

Praga nova à Carolo IV. An. 1348. fun-

ſundatur; de hujus Urbis fundatione plura diximus in *Epitome*. *Boleſlavia Vetus* circa An. C 920. *Junior* verò A. 973. condita perhibetur.

Epitome hiſtorica.

Crinitus.

Budina An. C. 881. *Broda Teutonica* 793. *Bilina* 744. *Bydzovium* 763. *Chlumecium Wchinskiorum* 763. *Jaromirium* circa 1123. *Clatovia* 771.

Rakona vel *Rakovvnicium*, licèt credibile ſit, longè antè conditum, Immunitates tamen quaſdam, Civitatibus Regijs proprias, primùm ab *Joanne Rege* An. 1319. accepit.

Idem de *Thaborio* dici poteſt: Caſtrum *Kotnovv* A. 774. (quod hodiéque in Civitate illa videmus) *Koten* quidam fundavit. At Civitati faciem, forum, domos, plateas *Ziſka* magnus bellator circa A. 1419. adjecit ædificando.

Iglavia A. 799. Bohemis *Gehlavva*, vel *Giglavva* (Igl Germanis) ab *Erinaceo* animali in fundamentis reperto, qui *Slavis Gehlak* dicitur.

Gerlicium Luſatiæ ex pago Drzeuniow *Sobeslaus Bohemiæ* Princeps An. 1131. fundavit.

Zitaviam à Zito, quod *Siligo* dicitur *Primislaus Ottogarus* II. Rex Bohemiæ An. 1255.

De *Bohemiæ Urbibus* plura ſuis locis, præſertim in Hiſtoria Civitatum Bohemiæ, ubi etiam illas, quæ hîc omiſſæ ſunt, referemus.

§. II.

Diſtrictus Bohemiæ apud Veteres, duodecim, & Sedes Juſtitiariorum enumerantur. Podbrcenſis, & Wltavienſis noviſſimè additi. Ordo ſeſſionis Urbium in Comitijs. Opes Civitatum ſuperiore ſæculo unde poſſint colligi. Multitudo hominum in vetere Bohemia. Potentia Pragæ. Quantæ olim cædes hominum. De Lezacis quædam.

Diſtrictus olim tantū XII.

Bohemiam regionatim, ſeu per *Diſtrictus* diviſam, tertio abhinc *Capite* exhibui, docuíque errare eos, qui eam à *Carolo IV.* Patriæ Patre in XV. Regiones tributam ſcripſerunt: nam *Caroli IV.* ejúsque filij *Wenceslai* (ùt mox probabo) temporibus nonniſi duodecim in ipſa *Bohemia* Diſtrictus nominabantur, æqualiter quàm maximè fieri potuit, diviſi, & in ipſis *Diſtrictibus* certæ quædam *Urbes*, vel *Oppida* deſignabantur pro commoditate locorum, in quibus & *Capitanei* reſiderent, & ſeſſiones ſuas (ùt illi loquebantur) celebrarent, & *Bernam Regalem*, ſeu *tributum*, quod Regi, & Regno pendebatur, deponerent.

Referam hoc loco *Bohemiæ* Diſtrictus juxta veterem diviſionem ex libro *Wenceslai* Regis ac Cæſaris temporibus ſcripto, in honorem antiquitatis.

Berna Regalis Regni Bohemiæ colligitur per Diſtrictus infrà ſcriptos, ac ſeſſiones.

Pragenſis aliàs Gurimenſis Diſtrictûs ſeſſiones.

Major Civ: Prag:
Broda Bohemicalis.
Nova Colonia.
Gurym (Caurzimium.)
Wlaſſim.
Beneſſow.

Diſtrictûs Plznenſis ſeſſiones.

Nova Plzna.
Glatovia.
Tuſta.
Miſa.

Diſtrictûs Litomericenſis.

Litomiericz.
Lippa.

Miel.

Digitized by Google

Mielnik.

Diſtrictûs Grecenſis (*Regino-hradecenſis.*)

Hradecz Reginæ.
Koſtelecz prope Potenſtein.
Jaromirz.
Giczin.
Bydzovia.

Diſtrictûs Rakovnicenſis.

Rakownik.
Werona (Berauna.)

Chrudimenſis Diſtrictûs.

Chrudim.
Altamuta.

Prachinenſis Diſtrictûs.

Kamyk.
Brzeznicz.
Sicca (Sufficium.)
Horazdiowicz.
Strakonicz.
Netolicz.

Slanenſis Diſtrictûs.

Praga minor.
Slana.
Rudnicz.
Welwar.

Boleſlavienſis Diſtrictûs.

Nymburga.
Benatky.
Juvenis Boleslavia.
Hradiſſcze.
Sobotka.
Turnow.
Jablonecz.
Biela.

Zacenſis Diſtrictûs.

Luna.
Zacz.
Maſtiow.
Cadanum.
Pons.
Usk ſuper Albea.

Czaslavienſis Diſtrictûs.

Czaslavia.
Zbraslawicz.
Sſtiepanow.
Czechticz.
Humpolecz.
Broda Teutonicalis.

Bechinenſis Diſtrictûs.

Neweklow.
Sedlczany.
Kraſnahora.
Milewsk.
Pieska (Piſeca.)
Tyn ſuper Multavia.
Budweis.
Weſele.
Novadomus.
Paczow.
Usk ſuper Luznicz.
Miliczin.

Videat Lector Veterem *Bohemiæ* diviſionem à Noſtra, quâ modò utimur, toto, quod ajunt, cœlo, vel potiùs terrâ, diſtare; cùm plurimæ ex modò nominatis Urbibus, alijs, quàm nunc fiat, *Diſtrictibus* attribuantur, neque inter eos *Podbrcenſis*, ac *Wltavienſis*, multò minus *Cubitenſis* (qui decimus quintus eſt) legantur.

Hoc loco Ordinem dignitatis, & ſeſſionum in Comitijs, & Panegyribus Regni prærogativas, nè cui præjudicium faciam, adjicere nolo; certant quædam Urbes, *& adhuc ſub judice lis eſt.* Olim *Praga vetus, & nova* ſinè controverſia cæteris omnibus anteibant (imò vetuſtis *Bohemiæ* temporibus, ùt ex plurimorum Comitiorum ſubſcriptionibus patet, inter *Equites* nominabantur) tum vel *Plſna & Budvvicium, & Uſta* vel *Cuttna* (ego enim hâc meâ tractatione nulli Urbium præjudicare velim) poſtea *Hradecium Reginæ, Zatecium*, ac tandem triginta tres reliquæ, quarum etiam imminutus eſt numerus. Ubi controverſiæ iſtæ per Reges finitæ fuerint, omnia quæ nunc prætermittuntur, poterunt annotari. Inter eas dotales Reginis attributæ Civitates, Regiarum nihilominus in numero Urbium: *Regino-hradecium, Jaromirium, Trutnovia, Reginæ Curia* (**Kralowé Dwůr**) *Bydzovium, Chrudimium, Meito, Policzka*, olim etiam *Mielnicum* cum Arce, prædiisq;, & ampliſſimis latifundijs, vini, frumentique feracibus. — Ordo dignitatis in Comitijs hoc loco cur nō adferatur.

Urbes Regiæ inter ſe collatæ, quantum — Potentia Civitatum olim ex Bernis colligi poteſt.

tum

rum quæque earum ſub *Ferdinando I.* opibus & multitudine populi valeret, non meliùs, quàm ex *Bernis* ſeu *Tributis* intelligere licet; exſcribam Comitiorum articulum, in periculoſiſſimis bellis (cùm *Turcæ* in ipſa *Moravia*, *Auſtria*, imò etiam in ipſa *Bohemia* timerentur) ſtatutum:

Nymburga pendet 678. ſexagenas Miſnenſes.

Jaromirium	190.
Policzka	270.
Muta	400.
Plsna	1450.
Reginohradecium	1400.
Dvvorum ſeu Curia Reginæ	90.
Chrudimium	600.
Czaslavia	700.
Colinum	500.
Praga Antiqua	2300.
Caurzimium	100.
Taborium	480.
Wodnianum	180.
Suſſicium	300.
Clatovia	1200.
Domazlicium ſeu Tuſta	200.
Budvicium	1150.
Piſeka	400.
Berauna	360.
Miza	880.
Zatecium	1400.
Nova Urbs Praga	2050.
Slana	560.
Mielnikum	342.
Rakownicum	500.
Rokiczana	140.
Bydzovium	122.
Litomericium	1200.
Auſta	420.
Pons	776.
Trutnovia	100.
Minor Urbs Praga	300.

Ex his omnibus, quæ præſenti, & ſuperioribus *Capitibus* diximus, quiſque in in rebus verſatus facilè conjiciet, hodiernum *Bohemiæ* ſtatum multò factum eſſe deteriorem, imò quod ſemel & verè dicendum eſt) nos nec *umbram quidem Veteris Bohemiæ* tenere; Vide quæ in *Erneſti vita*, alibíque ſæpiùs dequeſti ſumus; quod populi multitudinem attinet, auſim dicere: nec decimam hominum partem, quæ ſuperioribus ſæculis in *Bohemia* fuit, nos æquare; laborabat populo vetus *Bohemia*, Regéſque ſoliciti, vicinis Principibus militaturos offerebant, quod in *Sigiſmundo* prudenter animadvertit *Æneas Silvius:* militatum eſt Cæſaribus *Henricis*, *Ottonibus*, *Fridericis*, *Philippis*, *Ludovicis*, ac cæteris, in *Imperio*, *Italia*, atque ipſa demum *Paleſtina;* militatum *Galliæ* Regibus, Rege ipſo *Joanne* Exercitum ducente; militatum *Electoribus Imperatorum*, *Moguntinis*, *Colonienſibus*, præcipuè *Palatinis*, & *Bavaris;* ſæpiſſimè *Poloniæ* Regibus, invitatis ſtipendio plurimis *Bohemorum* millibus, ùt patet *Cromerum* legenti; *Ungarica* verò bella, quot *Bohemorum* millia in prælijs conſumſerint, difficilè eſt dicere: legantur *Sigiſmundi*, & ſequentium Regum cædes, & victoriæ apud *Bonfinium*, *Silvium*, *Revam*, ac *Theobaldum*, & quæ nos ipſi attulimus in *Epitome hiſtorica* ex oratione *Viennæ* habita ad Cæſarem *Maximilianum I.* duóſque Reges, *Ungarorum* & *Polonorum*.

Multitudo Populi in Vetere Bohemia.

Quantum Militum ex ſeipſa *Bohemia* vetus colligere potuerit, aliquam prudentibus conjecturam *Huſſitica bella* facere poſſunt, quibus ſoli hæretici (nam *Catholici* plerumque ceſſabant) *Cruce ſignatis Teutonibus*, quorum *centum & plura millia* numerabantur, ad *Auſtam* viginti quinque, ad *Tachoviam* triginta, ad *Görlicium* quadraginta armatorum (hæreticorum tantùm) oppoſuêre millia, nunquam quoties totâ acie pugnatum eſt, fuſi, ùt alibi commodiùs dicemus.

Exercitus Bohemici.

Cochleus in Huſſiticis. Stransky C. 16 Reip. Boh. §. 3. & ſeq.

Hæreſeos *Huſſiticæ* principio ad An. 1419. unam *Pragam* tantâ hominum promiſcuorum & Civium turbâ refertam fuiſſe, qui tum vivebat *Mathias Lauda* ſcripſit, ut medio die quinquaginta, & plura etiam hominum otioſorum millia extra Urbem, in campum *Pragæ* poſſet educere, idque ſinè Civi-

Praga quàm olim potens, & populoſa.

Digitized by Google

Civitatis detrimento, minimóque ſenſu.

M. S. Pauli Zidek ad Regem Georg. 1471.

Pragæ opulentiam ante hæreſin, artificum vim infinitam, qui viderat *Paulus Zidek* deſcribit. Etiam propiora ad nos tempora frequentiæ hujus Pragenſis luculentum ſpecimen edidêre.

Anno 1495. cùm *Wladislaus* Ungariæ & Bohemiæ Rex procul à ſuis in *Ungaria* diutiſſimè ſegniter deſideret, pertæſi tam diuturnæ abſentiæ *Pragenſes*, Oratores ſuos *Budam* ad Regem miſerunt. *Bonfinij* verbis rem totam abſolvam: *Iiſdem diebus, cùm Pragenſes Oratores ad Regem veniſſent, decem ei Equitum millia, atque adeò, ſi neceſſitas poſceret, quindecim millia pollicitiſunt; petentique Regi, ut viritim unius groſſi vectigal penderent, reſponderunt: ſe ſummo ſtudio bis, quatérve in anno ad ejus arbitrium ſoluturos.* Vide *Urbis Pragenſis* potentiam, & in Regem ſuum amorem!

Bonfin. rer. Ungar. Dec. 5. lib. 5.

Pragenſiũ deſiderium Regis Wladislai.

Quæ ſequuntur, etſi ad propoſitum non ſpectant, in commendationem ad oſtendendam bonam *Pragenſium* mentem ex eodem *Bonfinio* adſcribam: *Egerunt etiam quàm ampliſſimis verbis gratias* (Pragenſes) *quòd cauſſam hæreticorum Pontifici Romano maximo ſtudio commendâſſet, oſtenderúntque ſe ad officium, ritúſque Romanos libenter redituros, ſi iiſdem conditionibus, quas Sigiſmundo Imperatore obtinuiſſent, in gratiam redire Pontificis, & Senatûs Apoſtolici poſſent, demum ſupplicârunt, ut Regnum ſuum inviſeret: ſe ſuis ſumtibus Aulam univerſam alituros, & omnia Eccleſiarum bona à ſe antè adempta ultro reſtituturos, & in ſacros uſus collaturos, receperunt.* Utinam eâ facilitate Pragenſium Rex uti voluiſſet! ſed in rem præſentem:

Quantum Populi in Boh. quędã bella conſumſerint.

Bella Ziſkiana tantam multitudinem *Pragæ*, tum per reliquam *Bohemiam* egregiè imminuerunt. Quod ſuperiora tempora, & noſtra attinet, enumerare poſſum plura, quàm centum prælia, ex quo gens noſtra condita eſt, quæ in ipſa *Bohemia* commiſſa & geſta ſunt, velitationes prætereo, prælia intelligo, cùm acie totâ concurritur; *ſunt pingves ſangvine campi, ſunt montes oſſibus albi;* plurimum ſangvinis *Bohemici*, quódque caput eſt, *Catholicorum* omnis generis, & ſexûs Religioſorum Virorum & Sacerdotum, *Ziſka Cyclops*, & poſt eum *Procopius Raſus* fecerunt, tum *Orebitæ, Taboritæ, Huſſitæ*, donec & ipſi internecione à Catholica Boëmiæ Nobilitate delerentur; ducenta eóque plurâ *Catholicorum millia Ziſkianis, & Taboritarum* temporibus, aquâ, flammis, & ferro periiſſe tradunt noſtri Scriptores; nulla niſi in armis ſpes, nullus veniæ & gratiæ locus; gerebatur ſæpe ut ſic dicam, *patibularium bellum* (Sſybenicná Wogna dixerunt) quòd quicunque in bello, vel fugâ caperentur ab hoſtibus, parte ab utraque, tam hæreticorum, quàm Catholicorum, ex proxima arbore ſuſpenderentur, ùt ex *Chronicis Manuſcriptis* eorum temporum datur intelligi.

M. S. Pauli Zidek ad Reg. Georg. 1471. Larth. de Drahonicz in M. S. apud me.

Decreta Regum contra Lezakos.

Tantâ ſtrage hominum, & tot cædibus factis, effici tamen non potuit, ut *Bohemiæ* ſui cultores, imò etiam vacui & otioſi deeſſent; *Leziakos* à jacendo vocabant veteres, quorum erat, ùt *Cæſar Adrianus* cecinit, *ambulare per popinas, culices pati rotundos*, calicibus epotandis ſtudere, heluari, ſubare, rixari, & ſanguineas lites excitare, itinera infeſta reddere, Viatores ſpoliare, atque etiam trucidare.

Extat adverſùs prædones illos acerrima *Caroli IV.* ad *Bohemiæ Nobilitatem* Epiſtola in Libro manu ſcripto (qui in Bibliothecis noſtris ſæpius reperitur) cui titulus eſt: *Cancellaria Caroli IV.* Sunt apud me literæ *Wladiſlai* Regis noſtri ad *Joannem Roſenſem* datæ, quibus commendat, ut quantum poteſt, *Prædonum* illam licentiam compeſcat. Aliquando & *Nobilitas Bohemiæ* hanc prædandi licentiam ſectabatur. Nota eſt de Equite, *Panczirz* nomine, apud *Hagecium* hiſtoria,

M. S. Bibliotheca Coll. Pragen. S. J. N. 70.

ria, quam alibi deſcripſimus. Anno 1404. captus eſt famoſæ Nobilitatis & nequitiæ Latro *Zaul* nomine, quem cum quinquaginta ſocijs (qui omnes ex *Equeſtri Nobilitate* cenſebantur) egregia juvenum manus, *Wenceslaus* Rex patibulo juſſit affigi. Ad *Lezakos* redeamus: confixi poſtea ſunt ſequentibus ſæculis *Lezaci*, omnium Comitiorum Decretis à Rege *Wladiſlao* uſque ad *Rudolphi II.* tempora, neque facilè Comitiorum decreta legeris, quæ *Lezakorum* non meminerint. Et meminiſſe certè oportebat, cùm ab eorum impetu *Nobilitas*, quę plerumq; ruri habitabat, nunquam ſecura eſſet. An. 1590. ducenti ex eo hominum genere ad latrocinandum uno conſilio ſe conjunxêre; multa ruſtica prædia, multi pagi minores expilati, malè accepti coloni.

M.S. Cuttnenſe.

W. Brzezan in M.S. Vita Wilhelmi Roſenſis.

Secundâ Novembris, nocte, *Mikovicij Davidem Borinie* Equitem adorti, filijs & famulis poſtico evadentibus, extremo cruciatu intentato, ad pecuniam demonſtrandam coëgere; ciſtâ ferreâ raptâ (quam octo valentiſſimi latrones ægre efferre poterant) ſeminecem Dominum reliquêre; alijs noctibus Eques *Hyſrle in Cholupicz*, tum plures alij in *Zibrzin*, *Wonoklaſy*, alibique, ut tandem malo invaleſcente, *Pragenſes*, qui potiſſimùm petebantur, *Civibus* armatis latrones quærere, & aggredi ſtatuerint; diſſipati ſunt feliciter, & triginta ex ijs capti, & ſuſpendio necati ſunt. Fatebantur pecunioſiſſimam illam vitam ſibi fuiſſe, & vel ex *Borimiana* pecuniâ diviſâ, cuilibet ſociorum 300. ſexagenas Miſnenſes, ut alia tacerentur, obveniſſe.

Latrocinia in vetere Boh. frequentia.

Solebant ejusmodi farinæ homines, maximè ſi cujuspiam criminis convicti carcere attinerentur, *Maximiliano & Rudolpho* apud nos regnantibus, ad triremes vendi, *Italis* navarchis ementibus; at malè plerumque ea hominum nundinatio proceſſit: nam patrij homines, Amicis monitis, quo die ducebantur, popularium auxilio invocato, depulſis *Italis*, quàm ſæpiſſimè ereptos ſuis reſtituebant; notat id factum frequenter *Brzezan* tum ad An. 1572. cùm 64. *Lezaci Pragâ* ducerentur, irruit implorata plebs, & *Italis* occiſis, pecuniâ *Mercatorum* direptâ, *Lezacos* exemit periculo, ac libertate donavit fugitivos.

Ad triremes Latrones miſſi.

M. S.

Satìs *de Lezacis*. De multitudine Populi, & militiæ Viribus in vetere *Bohemia*, rurſus ſermo recurret, nec enim antevertere oportet & permiſcere omnia, cùm hoc libro ea tantùm nobis tractanda propoſuerimus, quæ *inhærent Telluri*, & Majorum noſtrorum labore, & induſtriâ excitata ſurrexerunt.

§. III.

Index Urbium, & Civitatum in Bohemia, & quanto intervallo ſingulæ abſint à Regia Urbe, & Metropoli Pragâ; Civitates dotales Reginarum Bohemiæ; ditiones Archiepiſcopi Pragenſis in antiquitate; item Epiſcopi Litomiſslenſis, & Suffraganeorum Pragenſium.

OPerçpretium aliquod me facturum ſperavi, ſi *Civitates Bohemiæ* (quantum ſcire licuit) ad demerendum Lectorem ſub unum quodammodo aſpectum ponerem, ut ſeqvuntur:

Urbes & Civitates Regni Bohemiæ.

A.

Auſti olim duplex.

Auſti (Auſta) fuit gemina: altera ad *Taborium à Ziſka* A. 1420. die Martis pridie Cinerum deleta, cæſis Catholicis omnibus (*Sezymiana* à Dominis *Sezymis* dicebatur) altera *Auſti* ad Albim adhuc ſtat, Regia Urbs; de qua

Digitized by Google

multa in Hiſtorijs. In Litomericenſi Diſtrictu. 9. milliaribus Pragâ.

Auſsti (Auſcha) *Berkarum* olim ditio, tum *Sezymarum cærulea Roſa* Procerum, *Joannis & Friderici* fratrum; nunc illis pereuntibus, *Collegio* Soc. Jeſu Pragenſi attributa. Litomer. 7.

B. *Bilina* cum Arce, Procerum de *Lobkovvicz*; ubi & Gentis ſepulchra. Litom. 9.

Boleſlavia duplex. *Boleſlavia* duplex: ſenior & junior cum Arce. De illa in *Epitome* multa. hæc Regia eſt, de qua poſtea in hiſtoria Urbium. Fuit priore ſæculo ditio Procerum *Kragirziorum*. Hæc in Boleſlav. 7. Illa in Boleſl. 3. *Pragâ* milliaribus diſtat.

Budynie (Budina) cum arce præclara, *Hazmburgicorum* præcipua quondam ditio; noſtrâ memoriâ ad alios, aliósque Dominos pervênit. Slán. 5.

Biela ad arcem *Bezdiezy*, olim Baronum *Sspethorum de Janovvicz*. Boleslav. 7.

Brandeys Regiæ Cameræ Civitas. Libera facta ſub Rudolfo II. Caurz. 3.

Broda duplex: *Broda Bohemica* Regia & formoſa & potens quondam Civitas poſt Auwal. Caurz. 4.

Brod Niemeczky (Broda Tevtonica) olim *Trczkianæ* ſtirpis ditio, nunc Regia. Czaslav. 11.

Brzeznice ditio *Geniſskiorum*, olim *Lokſsaniorum*. Prach. 9.

Bydzovv à Wartembergicis olim poſſeſſa, & libertate donata. Hrad. 10.

Berauna Regia, ſupra *Mizam* ad Arcem *Tetin*. Podbr. 3.

Bor (Heyde) ſub arce *Przimda* (Fraunberg) *Ssvvambergiorum Procerum*, nunc Comitum *Götziorum*. Plſn. 15.

Bechynie (Bechina) cum Arce præclara, à *Bechinijs* Proceribus (qui *Sagittam* geſtabant in Clypeo) condita; poſt hos devênit in ditionem *Sternbergicorum* (qui Cœnobium ibi condidêre) ab his ad *Ssvvambergicos*, & ab iſtis ad *Roſenſes*, à *Roſenſibus* tandem emtione in *Sternbergicorum* recidit poteſtatem. Bechin. 12.

Braunovv (Braumovia) ditio Abbatis *Brevnovienſis* & Cœnobij. Hradec. 20.

Budiegovvice (Budvicium) Urbs Regia, de qua in hiſtoria Urbium. Bechin. 16. habet auri, & argenti fodidinas, atque inſuper gemmiparas conchas in vicino *Moldavæ* flumine, quod in libro I. ſcribere omiſeram.

Byſtrzice (Biſtricium) ſunt plures, ſed duæ tantùm Jus habent Civitatis: altera ad *Liſsnam* Arcem in Kaurzimenſi 5. altera ad amnem *Luznice Slavatarum*, olim ditio Procerum *Kragirziorum*, in Bechinenſi 16.

Czaslavv (Czaslavia Regia Urbs, *Ziſsca* tumulo nota, de qua in hiſtoria Urbium. Czaslav. 9. C.

Chomutovv (Commotovium) cum Arce, ditio olim *Equitum Teutonicorum*, deinde *Czaltarum*, pòſt *Weitmiliorum*, tandem *Lobkoviciorum*, nunc eſt in patrimonio Regis. Zat. 11.

Chottieborz Trczkarum quondam ditio. Czaslav. 13.

Chrudim Urbs Regia. Chrud. 13.

Cheb (Egra) cum Arce, de qua alibi. 18. *Vide ſupra C. 4. §. 15. & in Epitome multa.*

D. *Duchcovv* (Dux vel Duxovia) poſt *Bilinam*, cum Arce inſigni, olim in ditione *Popeliorum*, nunc *Procerum Waldſteiniorum*. Litomeric. 10.

Dieczin cum Arce munita (Tetſchen) ad confluentes *Albim & Pulſniciam*, Comitum de *Thun*. Lit. 12.

Dub (Duba) Boleſl. 10.

Domazlice (Tuſta) cum vetere Caſtro, Civitas Regia. Pls. 16.

Dvvur Kralovve (Curia Reginæ) in *Reginohradecenſi*; Urbs libera. 14.

F. *Fridlant* (Fridlandia) cum arce perinſigni, ditio quondam *Berkarum*, diu pòſt *Röderorum*, nunc Comitum *Galaſſiorum*. Boleſl. 15.

Falckenovv (Falckenavia) cum Arce vetuſta *Sslickiorum*, nunc *Comitum de Noſticz*. Cubit. 16.

G. *Gitzin* ſub Caſtro *Weliſs* (cum arce inſi-

inſigni) olim *Wartembergicorum, Smirziciorum, Waldſteiniorum*, nunc *Sternbergicorum*. Hradec. 10.

Gilovvey (Gilovia) ad *Horzislavv*, fodinis auri celebrata. Caurz. 3.

H. *Hradecz Kralovve* (Grecium, Reginohradecium, Königingratz) Urbs libera, Reginæ dotalis cum arce pervetuſta, & caduca. Hradec. 13.

Hradecz Gindrzichu (Nova domus) ditio Procerum de Nova domo *aureæ Roſæ*; nunc Comitum *Slavatarum*. Bechin. 14.

Horazdiovice (Horazdiovicium) olim *Ssvihoviorum*, ubi & eorum ſepulchra; hodie *Sternbergicorum* Procerum. Prach. 13.

Cuttenberga Vide Libr. 1. *Hora Kutna* (Cutena vel Cuttenberga) Urbs Regia, fodinæ argenti. Czasl. 8.

Hoſtinney (Arnau) olim *Waldſteiniorum*, nunc Comitis *Lamboy* ditio. Hrad. 14.

Hradiſstie (ſeu Tabor) Regia Civitas, de qua alibi. Bech. 10.

Horzovice, vetuſta ditio Equitum *Hradeczkiorum*, poſt *Rziczaniorum*, hodie Comitum de *Martinicz*. Podbrc. 5.

I. *Jaromirz* Civitas Reginæ dotalis & libera. Hrad. 14.

Jochmſtal, fodinæ argenti. Zat. 16.

K. *Kaurzim* (Caurzimium) antiquiſſima Civitas Regia. Caurz. 5.

Klatovvy (Clatovia) Regia Civitas. Plſ. 13.

Kolin cum arce antiqua (Colinium) Civitas Regia, munitiſſima quondam. Caur. 7.

Kamenice (Camenicium) cum Arce inſigni, *Leskoveciorum*, *& Maloveciorum* ditio, nunc *Paradiſiorum*. Bechin. 11.

Crumlov. Vide Lib. 1. *Krumlovv* (Crumlovium) cum Arce præclariſſima; condita Civitas à *Proceribus Roſenſibus*; devoluta deinde ad *Cameram Regis*, poſtea Ducibus *Eggenbergicis* memoriâ noſtrâ donatum. Bech. 18.

Kadan (Cadana) Civitas Regia. Zatec. 13.

Krupka (Crupna) ſub montibus, Miſniam verſùs, fodinæ ſtanni. Litom. 10.

Koſtelecium ad Albim. ſunt nominis ejus plura, ſed hoc unum olim jus habuit Civitatis. Caur. 3. Hodie nihil illi concedit Koſtelecium ad Aquilam. Hradec. 16.

Kladsko (Glacium) cum arce munitiſſima, regia Civitas. 21.

Knin, ubi aurifodinæ *Camerales*. Prach. 4.

Krezin in Hradecenſi Provincia. 12.

Litomierzice (Litomericium) Urbs Regia, de qua alibi. 7. L.

Launy (Launa) Regia Civitas ſita inter *Teinecium*, *& Zatecium* ſuper Egram fl. Zat. 7.

Lantshut. 18. Pragâ milliaribus in aditu *Sileſiæ*.

Litomyſsl (Litomiſslium) ſedes quondam *Epiſcoporum*; Ditio *Pragenſium*, poſt *Koſtkarum*, dein *Pernſteiniorum*, tandem Comitum de *Trauttmansdorff* cum Arce perеleganti. Chrud. 18.

Landskron (Landskrona) in Chrudimenſi Provincia. 20.

Ledec ad Sazavam cum Arce pervetuſta. Czaslav. 10.

Lippey (Lippa) ditio quodam *Lippaorum*. Litom. 9.

Lippnice Trczkianorum ditio, nunc *Werniriorum*, cum Arce vetuſta & cadente. Czaslav. 13.

Loket (Cubitus) Urbs regia cum Arce munitiſſima, de qua aliàs 16. V. ſuprà C. 4. §. 15.

M. *Mielnik* (Melnicum) Regia Civitas cum arce vetuſta; ubi *Albis & Muldava* confluunt. Fuit olim tota *Reginarum Bohemiæ*, jam eſt ditio in *Arenda*. (Boleslav: 4.) Civitas tamen remanet dotalis.

Moſt (Pons) Civitas Regia, habuit arcem munitiſſimam. Zat. 10.

Meyto (Altomita) duplex: alterum *altum*, Reginæ Civitas, alterum dictum *Popelovve*. Illud in Chrudim: 16. hoc in Plsn. 7.

Milevvsko apud Caſtrum *Zvvikav*,

kovv, ditio Cœnobij & Abbatis Præmonſtratenſis ejus loci. in Bechinenſi. 10.

N. *Nymburg* (Nimburgum) ad Albim, exciſum olim à Saxonibus Civitas Regia. Hradec. 6.

P. *Praga* Caput Regni. cum Arcibus duabus.

Praga. Vide in Civitatibus. Decade 2 Miſcellaneor:

Plſna Regia Urbs. Pls. 10.

Polna in Czaslavienſi. 16.

Prachatice (Prachaticium) Civitas libera, olim *Præpoſiti Wiſſehradenſis*, nunc in tutela Ducum Crumlovienſium. Prach. 16.

Przibram. V. Lib. 1.

Przibram ſub S. Monte. fodinæ argenti. Regis patrimonium, olim in Prachenſi. 7. hodie, ut audio, in Podbrcenſi cenſetur. Civitas cum arce olim Archiepiſcopi ditio.

Policzka Civitas Reginæ dotalis. Chrud. 15.

Piſek (Piſeca) Urbs regia cum Caſtro veteri. Prach. 13.

Pelhrzimovv (Pelrzimovium, Pilſgram) olim ditio *Rziczaniorum*, nunc Civitas Regia. Bech. 12.

Pardubice (Pardubicium) ditio quondam *Baronum & Equitum de Pardubic*, pòſt *Koſtkarum & Pernſteiniorum*; emtione pervênit ad *Cameram Regis*. Arx ibi eſt elegantiſſima & munitiſſima. Chrud. 12.

Plana olim *Sebergiorum* Procerum, dein *Sslickiorum* ditio. fodinæ argenti. Plſ. 16.

R. *Raudnicium* olim Archiepiſcopalis ditio, pòſt *Smirziciorũ*, tum *Roſenbergicorum*, tandem *Lobkoviciorum*. Slan. 5.

Rokyczany (Rokyczanum) ditio Archiepiſcopalis, nunc Regia. Plſ. 8.

Rakovvnik (Rakownicium vel Racona) olim Cameraticum, hodie *Civitas Regia*. Rakow. 6.

Richnovv Civitas, ditio *Bettenglij* Civis Prag. hodie Comitum de *Kolovvrat*. Hrad. 16.

S. *Slaney* (Slana) Urbs Regia & opulenta, nunc ditio Comitum de *Martinicz*. Slan. 4.

Vide ſupra C. 4. §. 12.

Sobieslavv (Sobieslavia) in tutela *Roſenſium, Trebonam* refertur. Bechin. 12.

Suſsyce (Suſſicium) Civitas Regia. Prach. 15.

Strzibro (Miza) Civitas Regia. Plſn. 13.

Strakonice Civitas cum arce vetuſtiſſima Equitum *Melitenſium*. Prach. 13.

Sslackevverda olim *Oſtrovv, Sslickiorum*, nunc *Lavvenburgici Saxoniæ Ducis*. Cubit. 15.

Slavvkovv in Cubitenſi Diſtrictu, Civitas olim *Pflugiorum* de Rabſtein. 14.

Turnovv (Turnau) Civitas Comitum *Waldſteiniorum*. Bolesl. 11. T.

Teynhorſſovv olim Archiepiſcopalis ditio (Tina, Teinß) cum Arce præſtanti; poſtea *Dobrohoſtorum de Ronſperg*, hodie Comitum de *Trauttmonsdorff*. Pilſ. 15.

Trzeboñ (Trebona, Wittengau) cum arce nobiliſſima, Dominorum *de Roſis*, poſtea *Ssvvambergicorum*, tum *Regiæ Cameræ*, hodie Principis *Schvvartzenburgij*. Bech. 15.

Trutnovv (Trutnovia) Hrad. 16.

Teplice (Teplicium) cum Arce inſigni, *Wrzeſoveciorum*, pòſt (per matrimonium) *Chinskiorum*, tandem *Aldringerorum*, & Comitum de *Clari*. Litom. 10.

Vide lib. I. in Thermis.

Teyn nad Wltawau (Moldavoteyna) ditio Archiepiſcopalis, pòſt abalienata, jam reſtituta. Bech. 13.

Tepla Cœnobij ejusdem nominis ditio. Plſn. 13.

Tachovv Civitas olim in ditione Comitum de *Guttenſtein*, pòſt *Lobkoviciorum* &c. tandem ad diverſos Dominos pervênit. Plſ. 13.

Tabor Civitas Regia à Taboritis condita. Bech. 10.

Wodnianum olim Civitas libera; nunc *Trebonam* refertur. Prach. 15. W.

Wimberg olim *Maloveciorum*, nunc *Crumlovium* refertur. Prach. 15.

Woſtrovv. Bolesl. 3.

Wla-

Digitized by Google

Wlaſſym ditio Procerum de *Talmberg*. Caur. 7.

Welvary Civitas, ſpectat ad officium *Supremi Burgravvij*. Slanenſi 3.

Wrchlab (Hohenelb. Albipolis) ditio Comitis *Moratzin*.

Z. *Zatec* Urbs Regia. Zat. 10.

Zlutice. Cubit. 10. Civitas *Kokorzoveciorum*.

Ziebrak patrimonium Regis. Podbrc. 5.

Civitates Dotales Reginarum Bohemiæ.

Dos Reginarum.

Reginohradecium.
Chrudimium.
Altomita.
Policzka.
Mielnik.
Jaromirium.
Curia.
Koſtelec. } olim.
Lichtemburg. } olim.
Swoganow. } olim.

Ditiones Archiepiſcopales olim.

Ditiones Archiepiſcoporum.

Raudnicium.
Broda Bohemica.
Przibramium.
Tinhorſſovia.
Muldavotina.
Herſſtein } & alia longè plura.
Helffemburg & } & alia longè plura.
Hoſka. } & alia longè plura.
Cheinovvia.
Krziwoſudow.
Heralecz.
Stiepanow.
Wyskitna.

Epiſcopatûs Litomiſſlenſis Ditiones:

Epiſcopatꝰ Litomiſslēſis.

Litomyſslium.
Landskrona.
Landsperg.

Pragenſis Suffraganei Ditio:
Tochovice.

§. IV.

Oppida Regni Bohemiæ Alphabeti ordine digeſta, Diſtrictibus annotatis, & quot milliaribus à Praga diſtent.

Oppida.

A. Ngelska hora. Engelberg. in Cubit: 13.
Auſti oppidum in Reginohradecenſi Provincia ad Lanſcronam, 19.
Autery in Pilſnenſi. 14. Germanis Neumarck.
Aunhoſſt in Slanenſi. 2.
Aulibice in Hrade: 10.
Augezdec. Slan: 4. cognominatur *Album*.
Auwal. Caurz. 3.
Audlice. Zatec. 11.
B. Beneſſow. Caurzim. 5.
Brandeys ad Aquilam. Hradec. 18.
Bojanow in Czaslaw:
Benotky (Tichoni Benachia) 5. Boles.
Borotin. Bechin. 9.
Bohdanec. Czaslav: 9. & alterum *Hermanni*.
Blattna. Prachen: 11.
Bolehradek. Hradec. 15.
Borowy. Plſn. 11.
Buſskowice. Zatec: 7.
Bliſſany. Zatec. 8.
Blovice. Plſn. 10.
Boſni. Bolesl: 6.
Bakow. Bolesl: 8.
Brodce. Bolesl. 6.
Bochow. Cubit: 12.
Bielczice. Prach. 10.
Borowany. Bechin: 17.
Byſſice. Bolesl.
Byſtry. Chrud. 20.
Bukoly. Bolesl: 3.
Bichovice. Caurz. 2.
Beneſſow. Litomeric. 9.
Borek, ſeu Gerkavia. Zatec: 11.
Brzeznice. Zatec: 15.
Baworow. Prach: 15.
Biela ad Polnam. Bech: 10.
Brzezany multiplex &c.
Bohdalow, Brzezno, Bilkow, Boleh oſſt, &c.

C. Chocen. Chrud. 16.

Czaſto-

Czaſtolovice. Hrad. 16.
Chraſt. Chrud. 14.
Chyſſe. Cubit. 10.
Cyrkwice. Czasl. 8.
Chlumec aliquot.
Czechtice. Czasl. 9.
Chrauſtow ad Albim, &c.
Czelakowice. Caurzim: 3.
Crhowice. Pilſn. 6.
Cheynow. Bech. 10.
Czernowice. Bech. 11.
Chobierzowice. Czymyſsle &c. Cyrkew, &c.
D. Daupow. Zatec. 11.
Dobruſska. Hrad. 16.
Daſſyce. Chrud. 13.
Dobrziſs. Podbr. 5.
Diwiſſow. Caurz. 5.
Dogſany. Litom. 6.
Drachow. Bechin. 12.
Dobrzany. Plſn. 12.
Deſſny. Bech: 13.
Dietenice. Hradec. 8.
Dobzy. Bolesl. 8.
Domaſſyn. Dawel &c.
G. Giſtebnice. Wltaw. 9.
Geſenice. Zatec. 8.
Gilemnice. Hrad. 13.
Genikow. Czasl. 11.
Geſtrzebi Lhota. Hrad. 10.
Gimramow. Chrud. 18. &c.
H. Habr. Czasl. 12.
Holice. Chrud. 14.
Hlinsko. Chrud: 15.
Horzice. Hrad. 12.
Hradiſſtie. Boles. 9.
Hroby. Bech. 10.
Humpolecz. Bech. 12.
Holany. Bolesl. 6.
Hoſska. Litom. 6.
Hoſtaunice. Podbr. 5.
Hoſtaun. Plsn. 16.
Hodkowice. Bolesl: 10.
Horzepnik. Bech. 10.
Hluboka. Bech. 15.
Huſynec. Prach. 15.
Hazmburg olim oppidum, hodie neq; pagus.
Hory Raſſperſký. Prach. 13. & alia.
I. Janowice. Pls. 14.
Janowice Vhlirſký. Caur. 6.
Janowice Wrchotowý vel Předborowý. Bech. 7.
Janowiczky. Czasl. 8.
Jablonna. Bolesl. 12.
Jankovv. Caur. 7.
Jablon. Jablonne &c. &c.
K. Kamberk. Bech. 8.
Kacovv. Caur. 7.
Kaplice. Caur. 19.
Klomin. Caur. 3.
Klapey. Slan. 5.
Kopydlno. Hradec. 8.
Krzemze Kremuz. Litom: 8.
Kralovvice duplex, Cynadrowý / Rakovv. 8. Czasl. 8.
Kdynie. Pls: 16.
Kryry. Zatec: 9.
Kauty. Plſ: 16.
Krucburg. Czasl. 14.
Kraſna hora. Wltavv. 8.
Kunzhoky. Bechin. 16.
Koſovva hora, Wltavv. 7.
Krzivvſaudovv. Czasl. 9.
Kralupy. Zatec. 13.
Katovvice. Prach. 13.
Koſtelec. multiplex.
Kameyk duplex.
Kamenice multiplex.
Kyſſperg geminum.
Kolovvec.
Kladna, &c. &c.
L. Lukavec. Bech. 9.
Luzecz vel Luzce. Hrad. 10.
Lochovice. Podbr. 5.
Lſſtinie. Plſ. 12. vel Lſſtien.
Levvin. Litom. 8.
Landſſtein. Bechin. 18.
Luze. Chrud. 15.
Lyſa. Bolesl. 4.
Libochovvice. Litomer. 6.
Lubenec. Cubit. 9.
Liban vel Libanie. Hrad. 9.
Lipnice. Czasl. 13.
Leskovv. Pls. 15.
Lehnice. Prach. 15.
Liſſovv duplex.
Lomnice duplex, & alia plura.
M. Mniſſek. Podbr. 4.
Miliczin. Bech. 8.

Mlad-

Mladkovv. Hrad. 22.
Miletin. Hrad: 13.
Mantin vel Manietina. Plſn. 11.
Mſſeno. Bolesl: 6.
Mſſen. Slanen. 5.
Mileſſovv. Litom. 8.
Mezerzic vel Meceric. Bech. 10.
Mirovvice. Prach. 9.
Mirotice. Prach. 10.
Machovvice. Prach. 16.
Mochovv. Hrad. 4.
Merklin. Plſn. 12.
Malin. Chrud: 8.
Mimon. Bolesl. 10.
Meyto. Plſ: 7.
Milin. Prach. 7.
Mieſtec Zdiarenſe, Mieczin, Mlazovice, & alia plura.

N. Naczeradec. Bech. 8.
Neuſtupovv. Bech. 8.
Nechanice. Hrad. 11.
Nectiny. Plſ: 11.
Nepomuk. Plſ: 11.
Netolice. Prach: 15.
Nevveklovv. Wltavv: 5.
Nehvvizdy. Caur: 3.
Neyſſtatl. Pls: 15.
& plurima alia.

P. Pacovv. Bech: 10.
Przelaucz. Chrud: 9.
Przibislavia. Czasl: 15.
Planiaſy. Caur: 5.
Podborzany. Zatec: 10.
Poſtoloprty. Zatec: 8.
Przeſſtice. Plſ: 11.
Paka. Hrad: 11.
Poczatky, nunc Civitas. Bech. 14.
Przice. Wltavv. 7.
Podiebrady. Hrad. 6.
Perucz. Slan: 6.
Przinda. Plſ: 16.
Police. Litom. 9.
Planice. Pls. 12.
Plsna vetus, nunc Plzenec. Plſ: 11.
Pobiezovvice, Porzicy multiplex, Petrovvice multiplex, & alia plura.

R. Rabſtein. Pls. 10.
Radonice. Bolesl: 2.
Ronſperg. Pils. 16.
Rovvne. Slan. 4.
Rzeczice duplex. Bech. 11. & 16.
Rziczany. Caur: 2.
Rovvensko. Bolesl. 13.
Rozdialovice. Boles. 7.
Ronovv. Czasl. 10.
Rzehlovvice. Litom. 8.
Roczovv. Zat. 8.
Rychnovv. Hrad: 16.
Rozmital. Prach: 9.
Rzewnice. Zat: 11. vel Rwenice.
Radauſſovv. Litom: 10.
Reichſtat. Cubit. [illegible]
Rozmberg. Bech. 10.
Rudolfsſtadt. Bechin: 16. hodie in ſolis propè ruinis.
Radinie. Radoſlovvice. Rychnberg. Ratage. aliáque.

Sedlczany. Wltav: 7. S.
Sezemice. Chrud. 12.
Slavietin. Slan; 6.
Solnice. Hradec: 16.
Senomaty. Rak: 7.
Svvadovv. Litomer: 9.
Smrdovv. Czaslav: 12.
Senozatne. Bechin: 11.
Straz. Bech. 14.
Secz. Chrud: 13.
Semilovv. Hrad: 12.
Straſſecy. Rakov: 4.
Stara. Hrad: 8.
Smirzice. Hrad. 13.
Sazavva. Caur: 5.
Strymilovv vel Strzemilovv. Bech: 16.
Skalice apud S. Procopium. Caur. 4.
Stary Sedlo. Zatec. 11.
Svvinczany. Chrud: 12.
Svvoganovv. Chrud. 19.
Skalice. Hrad. 15.
Stankovvy. Plſ: 14.
Sedlec triplex. Hrad: 13. Bechin. Prachen:
Sskvvorzec. Caur: 3.
Strunkovvice. Prach: 15.
Straczovv. Hrad: 11.
Sſtieti. Litom: 6.
Sſtieken. Prach: 13.
Ssental. Plſ. 16.
Sſtiechovvice. Wlt: 3.
Sskrzinec. Hrad: 7.
Svietla. Czasl. 11.

L Stod.

Stod. Plſn: 12.
Sobotka. Boleſl: 9.
Semilovv. Hrad. 12.
Et alia plura, ût Skucz, Sobieſſin, Sovvynky, Straznice, Stranovv, Straſſyce, Strazovv, Sstiepanovv, Sstiepanice, &c.
T. Teynecz triplex: ad Albim. Hrad: 8.
Teynecz Virginum. Slan: 6.
Teynecz Hrochuvv. Chrud: 14.
Trzebenice. Litom: 7.
Trzebechovice. Hrad: 14.
Tatenice vel Tatinney. Zatec. 9.
Tauſkovv duplex. Plſ. 11. & 12.
Tauzim. Deiſing. Cubit. 12.
Trzebovva. Chrud: 19.
Tyniſſtie. Hrad. 15.
Trhovve Svvinny. Bech. 16.
Tauſſen, Trubczice, aliáque plura.
W. Wamberg. Hrad. 17.
Wolynie. Prach. 14.
Wrautek. Zat. 10.
Wotice. Caurz. 7.
Wylimow duplex. Chrudim: 11. Zat. 11.
Wſſeruby. Plſ. 12.
Woſenicze. Boleslav: 8.
Wary (Carlsbad) Cubit. 14. hodie Civitas, nî fallor.
Woſtrovv. Boleſl. 3.
Wartmberg. Boleſl. 11.
Wyſoky. Boleslav. 12.
Wozice. Bechin. 8.
Wrani. Slan. 5.
Weſeli plurima.
Wondrzegovv, Uhla, Wokunovvice.
Zbraslavice. Caur. 7.
Z. Zaborzi. Bech. 9.
Zbieczno. Rakov. 5.
Zamoſſt. Boleſl: 7.
Zruce. Chrud. 8.
Zizelice. Zatec. 10.
Zahradka. Wltavv: 9.
Zamberg. Hradec. 18.

Oppidum de quo vetus proverbium, quod attulimus L. 1. C. 6. §. 6.

Zleby. Czaslav. 10.
Ziumberg. Chrud. 14.
Zvvikovv. Prach. 10.
Zageczovv. Podbrc. 6.
Zbiroh. Plsn. 6.
Zvvieſtovv. Bechin. 8.
Ziebrak. Podbr. 5.
Zahorzany, Zieleznice. pluráq; alia.

Uſus hujus Catalogi.

Hactenus Urbes, Civitates & Oppida *Bohemiæ* enumeravimus, *Hagecij* operâ adjuti; quibus Nos & *Explicationes*, *&* *Diſtrictus*, in quo cenſeantur, & ab Urbe primaria Bohemiæ *Pragâ*, *diſtantias* adjecimus; (*Hagek* enim nomina ſola Civitatum, & Oppidorum recitare ſatis habuit, nullo addito diſcrimine) Lectores igitur facili negotio, cùm nomen Urbis, aut oppidi audierint, hoc Alphabeto inſpecto, ubi locorum Urbs, aut Oppidum jaceat, reſcient; quod ſi etiam Tabulam noſtram *Chorographicam Bohemiæ* ad manus habuerint, ubi quærenda ſingula ſint, intelligent.

Notandum & illud: hâc ætate noſtrâ, & patrum, nonnullos pagos à Regibus, Oppidorum jura, & rurſus Oppida Civitatum titulum accepiſſe; quę cùm omnia complecti memoriâ non poſſim, excuſent *benigni Lectores*, ſi præterij. Conteſtor! nulli hâc omiſſione, præjudicium me facere voluiſſe. Hinc denique conjectura facienda eſt de *Veteris Bohemiæ* tum potentia, tum gloria, cùm tot Civitates & Oppida frequentiſſima, & populo refertiſſima ſtarent; quæ hodie bello, & pace ad incitas redacta, ægre nomen ſuum tuentur, ut verum eſſe videatur, quod *Poëta* nuperus cecinit:

Oppida ſunt Urbes facta, facta Oppida Pagi;
Pagi ſunt Villæ; Villa ſed ipſa nihil.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Arcibus Bohemiæ.

Multitudo Caſtrorum in vetere Bohemia.

IN Bohemia tantus olim Arcium muniſſimarum numerus fuit, ut montes plerique omnes editiſſimi earum ruinas hodiéque oſtentent; in limitibus circum *Bohemiam* facilè centum arces ad hoſtes arcendos ſteriſſe, in codicibus vetuſtis invêni; *Rudolfinis* adhuc temporibus arces munitas toto Regno centum viginti quatuor habuimus. Arcium nimiâ multitudine, & quòd nonnullæ earum à latronibus inſiderentur, offenſus olim *Carolus IV.* ſcripto exercitu, quasdam obſeſſas occupavit, & Duces prædonum egit in crucem, eòque juſtitiæ laudatiſſimo furore progreſſus eſt, alioquin Clementiſſimus Imperator, ut captâ arce *Zampach*, Equiti *Pancyrz* nomine (quem in clypeo militari ferreas chirothecas geſſiſſe comperio, quémque non ità pridem ob virtutem militarem aureo torque donârat) ipſe in collum laqueum injecerit, ducique eum juſſerit, addito amaro, ſed vero convitio: *Quantum hæc torquis ab illa, quam antè dediſſet, diſtaret!* Enumerat *Carolus IV.* in vita ſua arces Regias indebitè Proceribus oppignoratas, quas, cùm Domini pretium nollent, armis recuperârit, & Cameræ ſuæ adjecerit: *Teirzovv, Lichtenburg, Zluticenſem, Hradecenſem, Piſecenſem, Trutnovvienſem, Tachovienſem, Neczin, Zbiroh &c.* In Moravia verò: *Telczenſem, Olomucenſem, Brunenſem, Znogmenſem, Lukovienſem, & Wevverienſem;* harum nullam (quòd Regiæ forent) dejecit; at prædonum aliæ à *Carolo* dejectæ, *Chocen, & Zampach, Nicolai de Potenſtein*, tum *Bradlecz*, aliǽque plures à Scriptoribus noſtris nominatæ leguntur. Arcium condendarum maximam præbet facultatem ipſa *Bohemiæ* tellus, montoſa magìs, quàm plana, & altiſſimis, & lætiſſimis ubique montibus quaſi conſperſa; quam opportunitatem cùm videret antiqua Bohemiæ *Nobilitas*, & bella perpetua in Bohemia (*bellorum Patriâ*, ùt eam vocat *Goldaſtus*, aliique Scriptores) nihil tuti promitterent, in ditione quisque ſua *Arcem* ſibi ac ſuis conſtruere properârunt, ad quam bellorum tempore receptum haberent, in qua quidquid erat in ſuppellectili precioſum, ſummas omnes, ac cimelia reliqua, quibus abundabant Veteres, atque ipſam annonam reconderent, ex qua ſecuri, hoſtes, & ditiones ſuas arcibus plerumque adſitas, deſpectarent; unde tandem factum, ut ab his Arcibus propè omnes Illuſtriores Bohemorum *Familiæ* nomen acquiſierint, adeò, ut, quot apud nos in Nobilitate avita cenſentur, ab aliqua arce nomen mutuârint, itaque *Waldſtein, Hazmburg, Sſvvihovv, Ryzmberg, Guttenſtein*, verbo: majoris, ac minoris Nobilitatis penè omnia nomina ab arcibus ſunt petita. Sed hæc alibi; jam ad aliquas recenſendas accedamus.

Stransky in Rep Bohemia.

Ex Tabulis Regni.

Epitome rer. Boh.

Vita Caroli IV. ab ipſo ſcripta.

Carolus IV plurimas Arces in Boh. dejecit.

Uſus Arcium in Boh. belli tempore.

Gold. in libris de Bohem.

In Stemmatograph. Veteris Boh.

§. I.

Indiculus præcipuarum Arcium Regni Bohemiæ Wenceslai Hagecij.

Quid ſit, Plagij crimen.

CUm omnes bene natos, & bene educatos homines fœdiſſimum *plagij crimen, & plagiarij nomen*, velis, remisque fugere oporteat, tum præcipuè hiſtoriarum Scriptores, ſi modeſtiæ nomen habere

velint,

velint, laudem ſuam cum ijs, per quos profecerint, libenter participare convenit; ab his enim omnis ſimulatio procul eſſe debet, *amore veritatis*, quæ obſtetrix eſt omnium noſtrorum partuum, & laborum; nimis certè turpe ducerem, alienis volare plumis, & velut *Horatiana Cornicula*, injuriam veris poſſeſſoribus ac Dominis inferre, odium apud eruditos conciliare mihi, apud omnes riſum mereri. Eam ob cauſſam in omnibus meis hiſtoriarum libris, quidquid hactenus attuli ſingulare, id omne authoritate alicujus boni Scriptoris firmavi (ùt, qui hæc, aliáque noſtra legerunt, & legent, animadvertent) multò autem id feci magìs, cùm aliquod ante me illi argumentum ſumsêre tractandum, nè debitâ, & juſtâ laude fraudarentur. Sed ſatis ſit, nè inani hâc gloriatione, veram, ex veneratione Scriptorum laudem corrumpam, ſemel id dico, ut genium, & indolem meam legentes intelligant; alibi iſtuc non repetam. Qui igitur nunc adferetur Index, *Wenceslai Hagecij* labore confectus eſt; ſed is (ùt antè dixi) nomina recitare contentus, alia omnia præterijt; ego ſingulis arcibus, ùt nuper feceram) *Diſtrictum, & diſtantiam ab Urbe Praga* apponam; ſi quid memorabile *Arces* contineant, in ſequentibus paragraphis adferetur.

Arces in Vetere Bohemia.

A. Arces. *Hodiegowinus in M.S.*

ANdielska hora (Engelhauß) arx in Cubitenſi 13. milliaribus à *Pragâ*, inhabitatur hodiéque, hanc ſæpius, ſed eminus, ſum contemplatus.

Auſſt Litomer: 7. ſtat in urbe Auſchenſi pervetuſta Arx, quam *Collegium Pragenſe Societatis JESU* (in cujus ditione Civitas eſt) rurſus reconcinnavit, & habitabilem reddidit; nihil habet (quod ſciam) memorabile; quam luſtravi.

B.

Bor. Plſn. 15. habitatur.

Bechyna. Bech: 12. habitatur; quam luſtravi, & inhabitavi.

Blatnenſis Arx duplex fuit. Prach. 11. habitatur; prior ubi ſteterit, neſcimus. hanc obivi.

Borberg. hodie ignoratur.

Borotin. Bech. 9. habitatur.

Blanik. ſuſpicor in monte *Blanik* ſtetiſſe, ſed veſtigium nuſquam apparet.

Bezdruzice. Pls. 15.

Beczovv. Cubit. 13. deſerta. à me perluſtrata.

Bilina. Litom. 9. habitatur, & ædificatur ſplendidè, quam vidi.

Budina. *Budina.* Slan: 5. habitatur. ſæpius à me luſtrata, & inhabitata.

Brzezno. Caſtrum Zat. 10. aliud Boleslav. 8. habitatur. utrumque inſpexi.

Bezdiezy. Boleslav. 8. habitatur. perluſtrata à me. Bezdiezy vel Bezgezy, ut volebat Carol. IV.

Berſtein. vetus arx concidit, nova ſtat. Bolesl: 7.

Brandeys (Brunduſium) Caur. 3. habitatur. ſæpius perluſtravi.

Boleslaviæ novæ arx 7. ſtat in ruderibus; habitabatur adhuc patrum memoriâ. perluſtravi ruinas Caſtri hujus firmiſſimi. Boleslavia.

Brada. hodie ignoratur, niſi eadem ſit cum *Bradlecz.*

Brunduſium ſuper *Aquilam.* Chrud. 18. introſpexi.

Bradlecz. Hradec. 11. Arx, avorum memoriâ à *Waldſteinijs* habitata. nunc rudera ſunt, propè Giczinium, quam ſæpius perluſtravi.

Buſtiebrad. Slan. 2. deſerta rudera, ſæpius luſtrata.

Blansko. locum neſcio; An: 1442. dirutum. niſi fortaſſe ſit Caſtrum *Blanckſtein*, quod per *Albim* deſcendentibus, *Auſtâ Tetznam* verſùs, in ſiniſtra ripa in altiſſimo monte ſuper Albim vigilat.

C.

Chauſtnik. Bech. 11. dejecta in cumulum; à me luſtrata diligenter.

Chei-

Digitized by Google

Cheinovv. Bech. 10. habitatur; luſtrata à me.

Chyſſ. Cubit: 10.

Chebbe. (Egrenſis arx) 18. habitatur; inſpexi, & totam luſtravi.

Chudoba. ignoratur, deſerta. fuiſſe hoc caſtrum *Waldſteiniorum*, exiſtimo, qui *Chudobæ* olim ſunt cognominati; proinde in Boleslavienſi, vel Reginohradecenſi Provincia ſtabit.

Cyrkvvice, Czaslav. 8. habitatur.

Czervveny Hradek. Wltav. 7. habitatur; vidi.

Chrzenovv. ignoratur.

Hagek in Annal. Boh. ad A. 1391. *Czban.* Rakov. 6. deſerta. erat Veterum Bohemiæ Procerum, qui de *Czban* appellabantur.

Chlumecz. Hradec. 10. habitatur; eámq; ipſemet diu inhabitavi.

D. *Dubravvska hora.* Litom. 10. dejecta noſtrâ memoriâ, mihi notiſſima ſuper Teplicium.

Dub. Boleſ. 10. habitatur.

Donin. (Dona) nunc tenetur à *Saxone Electore.*

Drachovv. Bechin. 12. arx deſerta. vidi rudera.

Dieczin, (Teẞen) Lit: 12. habitatur & ædificatur magnificè. Arx hæc limitanea adverſus Miſnios à regio præſidio Militum continenter inſidebatur olim; telonium regium hodiéque in oppido Arci ſubjecto perſeverat.

Dievin. Bolesl: 12. cadit in cumulum. totam luſtravi.

Dubecz. Caur. 2. arx deſerta. ſtabat adhuc priore ſæculo, de qua Hagek ad A. 1420.

Drazyce. Boleslav: 6. mera rudera. mentio ejus arcis eſt in *Hagecio* ad An. 1448. totam luſtravi.

Dobrzyſſ. Podbr. 5. arx deſerta, quá A. 1421. Pragenſes diruerunt; quam inſpexi.

Hagek in Annal. Boh. *Drſtka.* ipſe locus ignoratur; ſed procul à *Przimda* abeſſe non poteſt, út ex *Hagecio* ad An. 1009. apparet.

E. *Eiſenberg.* Zat. 11. reparatur; vidi.

F. *Falkenovia.* Cubit. 16. habitatur, & inhabitavi.

Flosmburg. eſt extra Regnum Bohemiæ, ſed ad *Nos* ſub *Carolo IV.* pertinuit. Vide *Privilegia Regni.*

Frymburg. Prach. 14. arx deſerta. ad *Bubnas* ſpectabat, quam An. 1467. *Henricus*, *Georgij Regis filius*, captam dejecit; ipſa conſcendi rudera.

Fridlandt. Bolesl: 15. habitatur. vidi. Fridlant.

Fraumberg. vide *Hluboka.* inſpexi.

Gilemnice. Hrad. 13. habitatur. inſpexi. G.

Geſtrzebi. Hrad. 10.

Givvno. arx deſerta.

Genſtein. Caur. 2. ſtat in ruinis; obivi.

Grabſtein. Boleslav: 14. habitatur; ſtat in monte marmoreo. Grabſtein.

H. Hluboka. *Hluboka.* Bechin: 15. habitatur. (Fraunberg) inſpexi.

Hradecz. 14. Reginohradecij Arx deſerta, à Civibus ipſis diruta; ſæpius eam perluſtravi.

Horazdiovvice. Prach. 13. habitatur, & inhabitavi.

Humpolez. Bech. 12. deſerta. habitabatur ſuperiore ſæculo; rudera vidi nuper eminus. Hodieg. in M. S.

Helffenburg. Prach: 15. in ruinis; ſæpius obivi.

Horzepnik. Bechin. 10. habitatur, vidi.

Haſſenſtein. Zatec: 13. in ruinis. luſtravi.

Herſſtein. Pilſ: 15. deſerta, vidi.

Hradek. Caurz. 4. ſunt plures aliæ Arces hoc nomine. habitatur.

Hradiſſtko. Hrad: 11. habitabatur; habitavi (Gradlitz)

Humelſtein. ignoratur. puto eſſe poſt Nachodium *Homole.*

Haſſenburg. Litomeric. 6. nunc deſerta. omnia perluſtravi in hac arce, etiam Cellaria in vivo ſaxo. Haſenburg

Hauſſka. Boles. 6. nî fallor deſerta. apparet optimè ex caſtro *Bezdiezy*, éſtque huic ſubjecta.

Hoſtinney (Arnau) Hradec. 14. habitatur; totam luſtravi.

Horzice. Hradec. 12. habitatur. inſpecta eſt à me.

Hradiſtie. Boles: 9. Plſn. 10. Wltav. 4. habitantur.

Tabor. *Hradiſstie ad Tabor.* Bech: 10. totum diligenter inſpexi.

Homole (Humel) arx deſerta poſt Nachodium. hanc conſcendi. eſt forſitan eadem cum *Humelſtein.*

Helffenburg. alterum ad *Raudniciam.* Slan. 5.

I. *Janovvice.* Plſn. 14. habitatur. introſpexi, & luſtravi.

K. Krumlow. *Krumlovv.* Bech: 18. habitatur. totam luſtravi.

Kaſſperg. Prach. 16. fuit ditio *Epiſcopi Pragenſis.* aliter *Supihora.* Hagek A. 1329.

Kaplice. Bech. 19. arx deſerta, habitabatur non ità pridem.

Karlſtein. *Karlſtein.* de hoc in ſequentibus. Podbr. 3. luſtravi, eámque inhabitavi.

Komeſſin. in Prachenſi. rudera grandia ad Cworkowes penes *Clatoviam.*

Konopiſſtie. *Konopiſstie.* Caur. 5. habitatur, vidi & luſtravi.

Kaczovv. Caur. 7. habitatur.

Krziwoklad. Hodieg. in M. S. *Krzyvvoklad.* 5. Rakow. habitatur. Pürglitz Germanis.

Komarovv. Plſ: 6. rudera. habitabatur ſæculo priore.

Koſstialovv. Litomer. 7. in ruinis. vidi.

Kalich. arx deſerta, inter *Auſtam, & Auſsam* à Ziſska condita 1421. & nequicquam eodem Anno à *Sigiſmundo* Wartembergico oppugnata. perluſtravi rudera.

Kiſsperg. Hradec. 18. habitatur. alterum Litom: 10. prius illud ſæpe obivi & inhabitavi.

Koſt. *Koſt.* Boleſl: 10. habitatur; vidi.

Kameyk. Litom: 8.

Hod. in M. S. *Kurzivvody.* Boleſl: 8. deſerta. habitabatur ſæculo priore. vidi ex *Bezdiezy.*

Koſtomlaty. *Koſtomlaty.* Litom: 9. habitatur denuo, vidi.

Koſsumberg. Chrud. 15. habitatur, & ipſe inhabitavi.

Kumburg. Hradec: 11. dejecta Arx munitiſſima, diligenter à me luſtrata. Kumburg.

Kynſperg. Zatec: 14. habitatur. vidi ex itinere Egrenſi. Kynſperg.

Kunieticzka Hora. Hradec: 12. Arx munitiſſima deſerta. habitabatur adhuc me puero; vidi & acceſſi. Cunaci mons.

Kolin. Caurzim. 7. Arx uſquè ad hæc tempora ſuper Albim poſita firmiter conſiſtit.

Koſtelecz. olim dictum *Slavatarum,* nunc ad nigras ſilvas. Caurz. 4. habitatur. vidi.

Kladsko. 21. habitatur, & munitur. de ea agemus ſuo loco. vidi & luſtravi ſæpiùs. Glacium.

Kraſelovv. Prach: 14. habitatur in ruinis. vidi.

Krnsko. ignoratur.

Koſovva Hora. Wltaw. 7. vidi; ſtat adhuc.

Koſsyk. Boleſl: 7. ruinæ.

Kukla. ignoratur. credibile eſt, ſtetiſſe in *Slanenſi,* vide Hagek An. 874.

Kraſſovv. Rakow. 8. deſerta videtur.

Kamenice. Litom. 12. habitatur.

Krakovecz. Rakow. 7. habitabatur priore ſæculo. Hod. in M. S.

Kolovvraty. Kaurz: 2. deſerta.

Kvvietnice. Kaurz. 3.

Kamen. Bech. 11. habitatur, & inhabitavi. Kamen.

Kolodiege. Caur: habitatur, vidi.

Koſtelecz ſuper Sazavvam, Arx dejecta.

Kryzy. Zatec. 9. N. L.

L. Lichtenburg. *Lichtenburg.* Czaslav: 11. videtur deſerta. vidi eminus.

Lipnitz. *Lipnicze.* Czaslaw: 3. propè deſerta, totam diligenter examinavi.

Lippey. Litom. 9. in ruinis.

Litomyſsl. Chrud: 18. habitatur & inhabitavi.

Landſtein. Bech. 18. vidi, inhabitatur. ante paucos annos unum Turris arcenſis cornu fulmen decuſſit. Landſtein.

Ledecz. Czas: 10. habitatur, vidi.

Landskron. Chrud: 20. habitatur, & inhabitavi.

Leſs-

Digitized by Google

Leſno. *Leſsno vel Liſstnie.* Caurz: 5. propè deſerta. totam perluſtravi.

Lyczkovv. Zatec: 9. vidi.

Cubitus. *Loket.* (Cubitus) 16. in ruinis. habitatur. obivi.

Lacenbok. ignoratur.

Litauß. ignoratur.

Lititz. *Litice.* Hrad. 14. deſerta. totam luſtravi.

Lopata. Plſ. 9. deſerta, alio nomine *Hus* appellabatur, dejecta A. 1442. vidi eminus.

Lyſa. Bolesl. 4. habitatur. inſpexi, & habitavi.

Landsperga. ad Landscronam. vidi.

M. *Moſt.* (Pons) ſupra Civitatem, Arx

Pons. dejecta. dum ſtaret, vidi; *Landsverta* in Statutis *Caroli IV.* appellatur.

Milſtein. ignoratur

Mſseney. Arx deſerta. Boleſl: 5.

Mileſsovv. Litom. 8. vidi.

Mielnik. Boles. 4. habitatur in ruinis. vidi.

Michelberg. Plſn. 15. deſerta. vidi ruinas.

Maleſsovv. Czasl. 6. habitatur. vidi.

Mniſsek. Podbr. 3. de novo condita habitatur; vidi.

Mnich. Bech: 13. ruinæ. vidi.

Maſstiovv. Zatec: 10. deſerta. habi-

Hod. in M. S. tabatur ſæculo priore, in eáque reſidebat *Joannes junior de Lobkovvitz.*

Miletin. Hrad. 13. ruinæ. vidi & inhabitavi.

Novvy hrady. tres Arces hoc nomi-

N. ne habitantur. Hrad. 8. Zat. 8. Chru: 16. omnes has vidi, quæ in *Hradecenſi* ſita eſt, commendatur ſummopere.

Nizburg. Podb: 3. habitatur, condita A. 776. vidi.

Nedſstiny. ignoratur. cepit hanc arcem *Carolus IV.* A. 1335.

Nachod. Hrad: 16. habitatur, & in-

Nachod. habitavi.

Navvarovv. arx in Boles: ſub Montibus Giganteis.

Okorz. Slan. 2. propè deſerta. con-

O. dita A. 731. perluſtravi.

Opoczen. Hrad: 15. habitatur, & in-

Opoczen. habitavi.

Oticze. Caurz. 7. habitatur.

Opalka. Plſn. 15. habitatur. inſpexi.

Przynda. Plſ: 16. in ruinis. habita- P.

batur non ità pridem. vidi. Hod. in M. S.

Podiebrady. Hrad. 6. totam luſtravi. habitatur.

Petrspurg. Rakow. 8. de novo condita habitatur. vidi.

Potenſtein. Hrad: 17. in ruinis. habitatur. hanc obivi: firmiſſima eſt, cum fonte profundiſſimo in rupibus exciſo. Potenſtein.

Peczka. Hrad: 12. habitatur.

Przezovv. Caurz: 4. habitatur. vidi. Trosky.

Panna. Hrad. 11. ruinæ. acceſſi. tres Arces faciles reparatu.

Patek. Slan. 6. vidi. inhabitatur, & incolitur.

Przibram. Prach. 7. vidi, ac ſæpius luſtravi.

Plana. Plſn: 16. habitatur, & inhabitavi.

Polna. Czasl: 16. habitatur, & inhabitavi.

Paczovv. Bech: 10. habitatur, inſpexi.

Pravvda. Zatec. 7.

Pabienice. Czasl: 9. conditum à Pabieno. A. 803.

Perſsteinecz. Chrud. 9.

Rabi. habitatur, totam arcem hanc R.

perluſtravi. Prach: 14. Rabi.

Rozmberg. Bech: 20. habitatur. inſpexi.

Ronſperg. Plſ. 16. habitatur, inſpexi.

Rzepice. Prach. 13. habitatur.

Raupovv. Plſ. 12. habitatur. bis eam Raupow.

conſcendi..

Radynie. Plſ: 9. arx deſerta. rudera inſpexi, & quidquid eſt reliquum.

Rozmital. Prach. 9. habitatur, inſpexi.

Rychmburg. Chrud. 15. habitatur.

Ryſenberg. Plſn. 16. tota in ruinis. vidi.

Raudnice. Slan: 5. de novo condita. habitatur.

Ronovv. Czasl: 10. arx cecidit.

Ralsko. Bolesl: 9. deſerta ſtat, quam Ralsko.

luſtravi.

Robo-

Digitized by Google

Robozecz. Boleslaw: 11. habitatur; inſpexi.

Rozdialovvice. Bolesl: 7. habitatur; inſpexi.

Rychnovv. Hrad: 16.

Ronovvecz. ad Auſtam. deſerta arx.

Ratage. Caurz: 6. habitatur.

Rybnovv. ignoratur.

S. *Strakonice*. Prach. 13. habitatur, inhabitavi.

Sswihovv. *Ssvihovv*. Pls: 12. arx munitiſſima, nuper dejecta, quam totam perluſtravi.

Sstieken, Prach. 13. habitatur denuo; vidi.

Ssvvamberg. Plſ. 15. ruinæ. olim dictum Kraſykow. A. 1421. à Taboritis expugnatum.

Ssumovv. locus ignoratur.

Ssvvartzburg. ignoratur.

Sadlovv. ignoratur.

Stolynky. Litom. 8. ruinæ.

Skaly. *Skaly*. Bolesl. 11. & 12. habitantur.

Svvozanovv. Chrud. 19. *Zarubarum* in ditione eſt, qui eam incolunt.

Sternberg. *Ssternberg*. Caur. 6. habitatur; olim *Strzimelice* dicebatur.

Sazava. Caur. 5. N. L.

Strzekovv. Litom. 9. ruinæ.

Straz. Bech. 14. deſerta. perluſtravi.

Schatzler. *Ssaclerz*. Hrad. 16. deſerta. vidi.

Svvadovv. Litom. 9. N. L.

Sion. pridem deſerta.

Stranovv. vetus pridem dejecta; nova (Bolesl: 6.) habitatur. inſpexi.

Straznice. ignoratur locus.

Strzevvel. ignoratur.

Stradovv. Bech: 17. ruinæ.

Sskvvorec. Caur: 3. ruinæ, vidi.

Straczovv. Hrad. 11. ruinæ.

Strazovv. gemina. Pls. 14. Bech. 17.

Strzimelice. vide *Notas*, & ſupra *Sternberg*.

Strazisstie. Prach. 10. ruinæ.

T. *Tein Wltavvsky*. Bech: 13. ruinæ. vidi.

Tein Horſsovv. Plſn: 15. habitatur, quam inhabitavi ſæpius.

Tachovv. *Tachovv*. Plſ. 16. ruinæ. vidi.

Trebona. *Trzeboň*. Bech: 15. habitatur. ſæpius inſpexi, & in ea pernoctavi ſæpius.

Tocznik. Podbr: 5. habitatur, in ruinis, vidi. Tocznik.

Tetin. Podbr: 3. ruinæ deſertæ. vidi.

Trosky. Hradec. 11. ruinæ, vidi. Trosky.

Trutnovv. Hrad: 16. habitatur, vidi.

Tauzietin. Slan: 6.

Trzemſsyn. Prach. 10.

Teynecz. Wltaw: 4. rudera.

Teyrzovv. Plſ: 15. habitatur. Teyrzovv.

W.

Wimberg. Prach: 15. habitatur, vidi.

Worlik. arx munitiſſima ſuper Muldavam. Prach. 9. habitatur. Worlik.

Worlik nad Humpolcem. Bech: 12. habitatur.

Welhartice. Prach. 15. munitiſſima. habitatur in ruinis. totam perluſtravi. Welhartice.

Woſtromecz. Bech: pridem diruta.

Wartmberg. Bolesl. 11. ruinæ habitantur, inſpexi.

Woſtrey. Litom. 8. ruinæ.

Waleczovv. Bolesl. 9. habitatur.

Waldſtein. ad *Turnovv*, arx deſerta, Waldſtein.

Weliſs. Hrad: 10. nuper dejecta, ſæpius in ea ſum moratus. Weliſs.

Wrzeſstiovv. Hrad: 12. N. L.

Wyſoky. ſunt plura, ſed meræ ruinæ.

Woltarzik. ignoratur.

Wobrziſtvvi. Caurz. 3. habitatur. ſæpius hanc Arcem acceſſi, & inhabitavi.

Woheb. ignoratur.

Woſtavvin. ignoratur.

Z.

Zelena Hora. 11. Plſn: habitatur. ſæpius in ea pernoctavi. Zelena hora.

Zvvikovv. 10. Prach: munita. inhabitatur. Zvvikovv.

Zirovvnice. Bech. 15. ruinæ propè deſertæ. habitabatur non ità pridem; à me tota perluſtrata. Zirovvnice

Zruce. Czasl: 8. habitatur.

Zleby. Czaslaw: 10. habitabatur patrum memoriâ ab Equitibus *Bohdaneczkys*.

Zielevv, *vel Zielivv*. Bech. 11.

Ziebrak. Podbr: 5. ruinæ deſertæ. vidi. Zebrak. *Hodieq. in M. S.*

Zvvirzetice. Bolesl. 8. habitabatur non ità pridem.

Ziam-

Ziampach. *Ziampach.* Hrad: 19. conſcendi locum ſæpius, meræ ruinæ.

Zierotin. Slan. 6. ruinæ. habitabatur avorum memoriâ. vidi.

Zbiroh. *Zbiroh.* Podbr: 6. habitatur. vidi.

Ziernovvice. ignoratur. in Litom.

Zbraslavice. Caurz. 7.

Zvvihovvecz. Plſn: 7. ruinæ.

Hactenus Nomina præcipuarum Arcium à *Wenceslao Hagecio* recitata; quibus ego, ùt antè dicebam, *Diſtrictus*, *& Diſtantias* ab Urbe Regia *Pragâ* adjunxi, libello quodam *Wenceſlai Lebedæ* (qui me puero *Societati* noſtræ nomen dedit) adjutus; at certum habeat *Lector*, hunc Indicem tam imperfectum eſſe; ut major *Arcium* pars ſit omiſſa; videtur *Hagecius* eas tantùm recitare voluiſſe, quæ adversùs vim idoneæ forent, & hoſtes ſi quando *Bohemiam* ingrederentur, arcere, aut ſaltèm remorari poſſent; ſed ex his quoque præteritæ ſunt quàm plurimę, ùt Tabulas Chorographicas inſpicienti patebit: ubi enim ipſa *Pragenſis Arx S. Wenceslai?* ubi *Wyſſebradum* arx altera? ubi *Strzela?* aliæque innumerabiles? Dicet quiſpiam ex curioſis Lectoribus: *Ergo tu, quod deſuit, adjice!* nihil dictu faciliùs; defugio inutilem, & propè infinitum laborem; ſatis eſt præcipuas adduxiſſe, & quid memorabile in ijs, vel ad eas geſtum ſit, quod jam aggredior, annotâſſe. De quibus ſilebitur, argumento ſit ipſum ſilentium, me de ijs nihil invenire.

§. II.

Memorabilia quædam Arcium Bohemicarum juxta ſuperiorem Indiculum Alphabeti ordine.

Bechina. BEchina, Urbs quondam Regia, *Arcem* habet in paucis memorabilem, ædificatâm ab illuſtri *Bechiniorum* familia, qui ſagittam *Kravvarzijs*, *& Mraczkijs* ſimillimam, ferebant in Clypeo, ùt in *Stemmatographia* Bohemiæ explicabitur; altitudo ædificij mira: Vir fide dignus narrat, ſeptem fornices ſuper ſeſe ſtantes, ſibique incumbentes numerari poſſe. In Huſſitarum Regno, *Bechinenſe Caſtrum*, *Taboritarum* in eo Diſtrictu frænum fuit à *Catholicorum* præſidio inſeſſum; tandem *Procopius Major* An: 1428. vociferans: *plus nocere etiam minimum hoſtem vicinum, quàm ingentes Exterorum exercitus.* 16. Julij *Bechinam* obſidere cœpit. Protracta obſidio eſt ad 20. Octobris, quo die ad colloquium obſeſſi deſcenderunt, & *Taboritarum* potentiâ ad deſperationem adducti, cùm ipſi à nemine ſpem ſalutis habere poſſent, tranſegère cum *Procopio*, & 24. Octobris exceſsère, ùt convenerant, manu ſolos enſes retinentes; reliquêre in arce copioſum belli apparatum. Arcis Præfectus, *Honicz* nomine, arce traditâ, apud hoſtes remanſit, ex quo ſuſpicio nata, eum priùs cum hoſtibus colluſiſſe.

Vide Epitomē noſtram.

Blatna, amœniſſimo loco ſita Arx, originaria quondam Illuſtriſſimæ ſtirpis *Leonum de Rozmital*, ùt in *Stemmatographia*, ſi DEUS annuerit, memorabo. Blatna.

Bilina, Arx, & Civitas An. 744. juxta *Hagecium à Bila Caſſa* filia condita, ab hæreticis Pragenſibus An: 1421. proditione capta eſt; multùm ibi profuſum eſt ſangvinis, ùt in *Epitome* narravi; de conſecratione Eccleſiæ S. Petri in Bilina, vide *Hagecium* ad An: C. 1061. Bilina.

Bezdiezy, omnium propè in Bohemia Arcium, quæ naturâ loci muniuntur, princeps habita ſemper eſt; procul à media parte *Bohemiæ*, quæ ad *Albim* porrigitur, ſpectatur; Libri quidam manuſcripti *Bezgezy* appellant. Sub hac Arce ingentem piſcinam effodit Bezdiezy.

In Epitome.

Digitized by Google

dit *Carolus IV.* manu etiam Regiâ operi admotâ, ùt alibi narravi. Hæc Arx oppignorata ſæpe fuit exteris Principibus, ùt in *Theobaldo* legimus. *Procopio Marchioni Moraviæ à Wenceſlao* Rege, ac Cæſare traditam invenio; unde eum promiſſionibus, & dolis deceptum, detraxit *Sigiſmundus*, & fame Principem egregium mori coëgit; hodie arx illa à *Serratenſibus* Benedictinis tenetur, & inhabitatur; olim ad *Carlovienſes*, vi *Caroli IV.* fundationis ſpectabat. Ante multos annos montem illum arduum arduo conatu aſcendi (neque enim Equo, neque curru adiri poterat) *Turris* ibi rotunda, omnium ætatum, & Tempeſtatum ac fulminum victrix adhuc ſtat, excelſa, conſtans muro, cujus latus ulnas octo Pragenſes craſſitie ſuperat, idque ego ipſe ſum menſus. Sub *Ferdinando I.* hanc Arcem tenebant Fratres *Sſpetlý de Janovvicz*, Joannes Getrzich, & Wilhelmus Barones, qui *Aquilam* gerebant in clypeo.

Theobaldus in Huſſiticis.

M S. Wartembergicum.

Brunduſiũ.

Brandeis in Caurzimenſi, arx Regia tribus Pragâ milliaribus, quam *Boleslaus ſævus*, Pragenſes Chriſtianos metuens, An: 941. ad *Albim* extruxit. noſtrâ memoriâ occupata à *Svecis*, multùm, diùque Cæſareum exercitum fatigavit, ùt in hiſtoria Boleslavienſi libro 7. narravi. Patrum memoriâ habitatione Cæſaris *Rudolfi* multùm inclaruit, qui ad eam Arcem, elegantiſſimis, & rariſſimis arboribus, & ſtirpibus conſitum *hortum* colebat; in quo, eventu mirabili, & nunquam ſatis explorato, *Mumiam* humanam veriſſimam effodit, uti & fodinam præſtantiſſimæ terræ, quam dicimus *ſigillatam*. de utroque jam egimus libro citato.

Benatky Arx cum tota ditione non ità pridem in Regis patrimonio cenſebatur. Cœli illius ſalubritatem, & cœleſtes influxus *Ticho Brachæus* in Epiſtolis plurimùm commendavit, qui in ea Arce per annos aliquot curſus ſiderum obſervârat. Tradunt ab hac Arce in aliam, quæ *Drazicze* dicitur, ſubterraneo cuniculo iri poſſe.

Buſſtiehradum arx *Kolovvratæorum*, ob firmitatem, aliáque commoda, multùm ſemper obſidentibus attulit laborem. Anno 1450. *Georgius Podiebradius* in eâ *Fridericum Kolovvrat* obſedit; poſt longa certamina coactus eſt *Kolovvratæus* pacem iniquam petere, & hoſti *Buſſtiehradum* cedere.

Dubravvska, vel *Daubravvska Hora*. Arx fuit munitiſſima ad *Teplicium*, *Wrzeſoveciorum* Equitum, qui eam unà cum Teplenſi Virginum Cœnobio, earúmque ditione totâ à *Georgio Rege* dono acceperunt, ùt alibi narravimus; ab his conjugio ad *Wchinskios* pervênit, qui eam vocatis ab *Hollandia* Caſtellorum muniendorum Magiſtris priore ſæculo propè inexpugnabilem reddiderunt; noſtrâ ætate, nè quid Regno noceret (id enim obtendebatur) manibus dejecta, Tempori debet ludibrium; obcæcati ſunt fontes, valla ſubruta, foſſæ altiſſimæ impletæ, mœnia, & turres invictę pręcipitatæ totius viciniæ labore, adeóq; totum illud ad *Miſniam*, & *Luſatiam* latus, hoſtibus, ſi quando ingruerint, eſt apertum.

Arx Teplicenſis.

In Epit. hiſt: Boh.

Dub, Arx Dubenſis (Duba, vel Dub, non ignobilis eſt Bohemiæ Civitas, aliquot inſignium noſtrâ ætate Virorum Patria, ùt ſuo loco dicemus) Arx, inquam, Dubenſis, mira quædam continet; illud præcipuum, quod multos latet: eſſe in ea, exciſis magno ſumtu rupibus, & ſaxis, ſubterraneum meatum, & viam per cavernas ad vicinam Arcem *Rabena* dictam, ſic ut periculo extremo ingruente, præſidium aut hinc illuc, aut inde huc commeare, ſéque, & ſua transferre, aut etiam fugâ hoſtes fallere poſſit. Fuit hæc Majorum noſtrorum ſolertia, quam ſcio pluribus Arcibus, & Caſtris eſſe communem, nolo nominare omnes: ex Arce *Benatek* ad Arcem *Draziczę*, occultiſſimo ſub terram itinere, patet via; ad *Gitzinium* ſimile eſt ſubterraneum,

Dub.

Digitized by Google

neum, ùt ità dicam, commercium, & communicatio inter arcem Waldſteiniorum antiquiſſimam *Bradlecz*, & arcem proximam nunc deſertam, quarum altera alteri ſitu rupium, aliiſque manu factis præmunitionibus reſpondet.

Donin. *Donin*, Arx eſt pervetus, quam conſtat jam An. 1107. ſtetiſſe. An. 1113. *Henricus Cæſar* Arcem tenebat; proximis Annis (poſt Henrici mortem) ad Duces Bohemię pervênit, ùt ex Hagecio ad An: 1126. & 1128. datur intelligi; cujus Arcis poſſeſſionem *Ottogaro* Regi Bohemiæ *Fridericus* Imperator Anno 1212. Baſileæ confirmavit. recitat ipſas literas *Hagecius*. Plura de Arce *Dony*, vel *Donin* habet *Dreſſerus*. *Hagek in Annal. Boh.*

Dieczin. vide *Teczna*.

Dievvin. *Dievvin*. Arx eſt in altiſſimis ſilvis, & in rupe prætalta ad *Nims*, ſeu *Mimonie;* quam ante hos proximos annos decem aſcendi; eſt in ea miraculum fontis, mille & plurium cubitorum profundi (quanta ſcilicet eſt ipſius montis altitudo) ex vivo ſaxo, & petra ingenti, & ſinè dubio in plurimos annos perpetuato labore; alia omnia nihil, præter rudera, exhibent ſpectandum; credo Arcem ad *Wartembergicos* olim ſpectâſſe; patrum memoriâ habitatam adhuc illam arcem, atque in ea Dominos (nisì fallor *Röderos*) auri confectionem tentâſſe, *Anus*, quæ in culina ſerviebat, & Arcem incoluerat, mihi narravit, admixtis multis alijs narrationibus, quæ huc non ſpectant.

Fraunberg. vide *Hluboka*. Item aliud *Fraunberg*: vide *Przimda*.

Frimburg. vide infrà *Wrzeſſtiovv*.

Grabſtein. *Grabſtein*, Arcem Bohemiæ limitaneam, in conſpectu *Zittaviæ* ſitam, multi commendant; videre mihi eminus contigit, per temporis anguſtias intrare non licuit; ſtare totam Arcem ſuper petram marmoream (ùt *Perenſteinenſem* in Moravia) affirmant, qui vidêre, ídque citato Authore in *Hiſtoria Naturali Bohemiæ* probavi.

Fraunberg. *Hluboka*, ſeu *Fraunberg* in *Bechinenſi* Diſtrictu arx celebratiſſima à Roſenſibus primùm condita, naturâ loci, & arte munita; hujus fiduciâ, multa adversùs Reges *Roſenbergici Proceres* ſunt moliti. *Zaviſſ* Arcis Dominus cùm *Regi Wenceſlao* An: 1292. caput nollet ſubmittere, ante eam Arcem in conſpectu præſidij caput amiſit. Proximis bellis eadem Arx *Svecorum* vim egregiè ſuſtinuit. Si quis hanc, & alteram Arcem *Rabi* diligenter inſpexerit, facilè, quem Modum Veteres in arcibus muniendis ſervârint, intelliget.

Hradecz, arx Reginohradecenſis, ab ipſis Civibus A: 1423. ut fidem *Ziſſcæ* approbarent ſuam, dejecta. Tradunt in ea Moniales habitâſſe aliquando, quod idoneo Scriptoris alicujus teſtimonio confirmare non poſſum.

Helffenberg. Arcem *Helffenberg* ad Prachaticium Roſenbergici fratres, *Jodocus & Ulricus*, ſalutato *Carolo IV.* in editiſſimo monte circa An: C. 1360. condidêre, eâ maximè cauſsâ, ut in eam belli tempore haberent receptum. De *Spectris* in hac Arce regnantibus, narrabimus alio in loco. *Hiſtoria M.S. Roſenſis.*

Haſſenſtein *Haſſenſtein* munitiſſimum caſtrum, nomen dedit familiæ ab eadem origine cum *Lobkovicijs* deſcendenti, ùt in *Stemmatographia* dante Deo dicemus. Anno 1417. capta fuit, ùt narrat *Hagecius*. *Hagek in Annal.*

Hirſchſtein, vel *Herſtein* prope Ronſpergam Arx, altiſſimis ſilvis imminens, à *Domazlicenſibus* capitur octo ante Pentecoſten diebus. 17. Maij. A. 1421. Extremæ ſævitiæ theatrum Rogus extructus, in quem injecti Catholici, qui in ea ſeſe Arce concluſerant, perierunt. In ejus Arcis vicinia (quam ego non ſemel obivi) lapides pretioſos creſcere, mihi certiſſimum eſt. Lapides ipſi, paulùm ſi effodias, aliquid de gemmis affectant; vel illud argumento ſit, quòd Vir nobilis, idémque amiciſſimus Adamus Groſs Judicij Burgraviatûs Pragæ Aſſeſſor ſe facilè antè 30. annos à ſenibus audiſſe, ad *Theobald. in Huſſiticis P. 1. C. 45.*

M 2 me

Digitized by Google

me ſcripſit: Italos ante Hæreticorum Rebellionem quotannis ad pretioſos lapides colligendos ab Italia venire ſolitos, cùm dicerent, magno operæ, & artis pretio lapides *Herſteinenſes* poli-
Hagek ad An. 1379. ri. Fuit hęc ditio Epiſcopi Pragenſis, niſi fallor; nomen enim convenit.

Haſenburg *Haſenburg*, Arx condita An: 754. primitus Klopey, id eſt, *mons arduus* appellabatur; poſteà Germani *Haſenburg*, præſertim, quòd Arcis Domini *Leporem* geſtarent in clypeo, vocavêre.

Hauska, Caſtrum, conditum à *Slaviboro* Comite Mielnicenſi A. 878. in filij, quem *Hauſek* appellabant, gratiâ.

Hoſtinney, ſeu Arnau. olim ad Dominos *Bergau* ſpectabat in Vetere Bohemia. Summa eſt Arcis illius gloria, quòd à *Ziſka*, tam felici aliàs Duce, maximis viribus oppugnata expugnari non potuerit; condita eſt Arx à *Sobieſlao* adversùs Polonos An. 1139.

Homole, Arx latronum, in qua, ùt in *Wartenſi Diva* narravimus, *Camencenſes* Religioſi odio fidei noſtrę ab hęreticis ſunt necati. A. 1427. emit arcem Homole *Nicolaus Trczka*.

Helffenburg alterum, ubi ſtet ubi ſteterit, certò non poſſum dicere. *Joannes de Genſtein*, Archiepiſcopus II. Prag: unà cum Oppido *Hoſka* Arcem quoque *Helffenburg*, non procul inde ſitam, pro Archiepiſcopali menſa emit, ùt narrat *Hagecius*. Munitiſſimam hanc Arcem fuiſſe, vel id oſtendit, quòd Huſſitis adversùs Religionem inſurgentibus, Sanctorum Reliquiæ ad eam primùm Arcem ſint devectæ; ſed eas *Wenceslaus Cæſar* re cognitâ elevari, & in *Carlſtein* (ut in Epitome nar-
Janovvice. ravi) devehi juſſit.

Janovice. Arx fuit ad Clatoviam,
M. S. Roſ: ad A. 1520. quam *Petrus Suda* Eques, Civium adverſarius An: 1520. tenebat, ex qua Viatores, & Mercatores Civicos ſpoliare ferebatur; *Pragenſes* diſſimulato conſilio *Pragâ* egreſſi obſedêre *Sudam*, & cùm is per noctis tenebras effugiſſet, arcem (tradente *Proſtiborskio*, quem *Suda* pro ſe præfecerat) ſolo æquârunt.

Klenovvey, Arx ad *Clatoviam*, in hac *Przibik de Klenovva* duos è Prædicatorum Ordine fame coëgit mori; Angelici cantus poſtea ſæpe in ea turri, in qua necati ſunt, auditi.

Karlſtein. de hac peculiari tractatione agemus.

Konopiſtie, Arx *Zdenkonis de Sternberg*, obſeſſa à Rege *Georgio* 1467. uno Konopiſtie
& medio anno obſidionem toleravit, *M. S. Canne:*
tandem in Regis ceſſit poteſtatem.

Krzivvoklad, ſeu *Pürglitz*. Inter Krzivvo-
vetuſtiſſimas Arces *Burglays*, vulgò kladum.
Pürglitz, veteribus Bohemis Krziwoklad appellata, cenſetur; magnos ea *Stransky in Rep. Boi.*
in antiquitate captivos concluſit: pri- *M.S. Eccl. Metropol.*
mus *Otto* Moraviæ Marchio 1110. Tum *Henricus Dux Auſtriæ* Friderici *Theob: in Huſſitic. P. 1. C. 52. & P. 3. C. 22. & 24.*
III. Cæſaris Frater An. 1322. pluresque alij. Memorabile eſt, quod in M.S. Codice legimus: dum Henricus Auſtriæ Dux conclave Arcis ingrederetur jam captivus, in quo conclavi præcipuorum Europæ Regum, ac Principum clypei pendebant, immotis cæteris omnibus, *Auſtria Clypeum* ſuſpenſum in pariete, ante *Henrici* pedes cecidiſſe. Peſte *Pragæ* regnante, Regem *Wladislaum in Burgleis* invenio habitâſſe An. 1473. An: 1422. 18. Martij, fortuitò igne, incredibili Catholicorum damno, quorum ditiſſimi illic viciniæ res ſuas omnes, ſacram item ſupellectilem in Arcem illam, hoſtium metu, contulerant, conflagravit; tantáque ignis vehementia fuit, ut ruptis etiam mœnibus inhabitabilis redderetur; itaque unà omnes rebus ſuis exuti, neceſſario conſilio *Pilſnam* petierunt. Hæc Arx condita eſt paulò ante Annum Chriſti 1110. poſtea (neſcio, quâ ratione) ad *Templarios* pervênit; ab ijs certè An. 1307. tenebatur. An. 1316. in ea Arce à *Wilhelmo* de Haſenburg *Carolus IV.* adhuc infans educabatur, quam Arcem adulto *Carolo* ſolam (omnibus alijs raptis) *Joannes* Rex Pater ei reliquit. *Theſauros Regios* in ea aſſervatos, indicat *Hagecius* ad An: 1420.

Koſſalovv, ſeu *Koſtialovv*, Arx à mon-

Digitized by Google

Hagek in Annal. Boh.

montis figura dicta, hodiéque ſtat in ruinis; ibi illud A. 1372. miraculum accidiſſe ſcribit *Hagecius*: Invaluerat eo tempore ſub *Carolo* Cæſare (qui apud *Gallos*, & amitinum Regem educatus erat) *Gallorum* habitum incertiſſimum imitandi mos, *calcei* præſertim acutiores, & *Ciconiæ roſtro* ſimiles ferebantur; ecce tibi Julio Menſe in hanc Arcem cælo intonuit, & Arci Præfecto *Alberto de Slavvietina*, ejúſque Conjugi paris Nobilitatis fœminę, illud roſtrum calceorum, illæſo tamen pede cætero decuſſit & deuſſit. Valuit res ad exemplum! certatim omnes in *Bohemia* talo, & calceo recto deinceps inceſsêre.

Theobald. in Huſſitic. P. 1. C. 61.

Koſtomlaty in Litomericenſi, Arx munitiſſima: ſæpe Dominos mutavit; antiquiſſimi, quantum licet conjicere, *Wrſſovecÿ* fuêre, inde alij, aliique An: 1425. ad *Cunſtadaos*, ſeu *Podiebradios* pertinuit. *Hagecius* hanc Arcem collocat ad *Nymburgum*. An *Theobaldo*, an *Hagecio* Lector accedat, perinde habebo; ego tamen ipſe Koſtomlatæam arcem ſpectavi Crupnæ, ſed alia fortaſſe fuerit ad Nymburgum.

Kunieticka hora vel Cunaci mons.

Hagek in Annal. Boh: ad A. 1089.

Kunieticzka Hora. Veteres **Kunatická Hora** dicebant: *Kunak* quidam ex Procerum ſtirpe An: 838. ſub monte illo villam ſibi exſtruxit, & de ſuo nomine *Cunatice* appellavit; anno ſequenti caſtrum ſibi rude ſtatuit in ipſo illo monte, quem poſteri quotidie magìs, ac magìs munivêre. Non procul ab eo monte ad *Albim* ſtabat totius Bohemiæ ditiſſimum Cœnobium *Opatovicenſe*. Porrò arx *Cunaci* ad Dominos de *Pardubicz*, qui de *Miletnika* dicebantur, diutiſſimè pertinuit. An: 1437. tenebat hanc Arcem *Diviſs Borzek* ex eadem familia, maximus M. *Joannis Rokyczanenſis* hæretici admirator, & amator, qui eum *Pragâ* fugientem excepit, & in hac Arce clauſum ſervavit. Errant luculenter, qui hunc *Dionyſium Borzek* ſtirpe *Dohalskyorum* fuiſſe ſcripſerunt; quo in errore olim & ipſe fui, deceptus cognomine illo *Borzek*, quod *Dohalskÿs* alioquin proprium eſſe ſcimus; at *Joannes Hodiegovinus* Vir maximæ nobilitatis, & doctrinæ majoris, in *Notis*, quas ad *Hagecium* manu ſuâ adſcripſit, diſertè docet: hunc *Dionyſium Borzek* ex ſtirpe Dominorum de *Pardubitz & de Miletnika* ortum eſſe, idque poſtea publicis literis luculentè comperi.

Colinum.

Kolin, munitiſſima cum arce Civitas, quæ & *Alberti* Cæſaris Auſtriaci A. 1307. & An. 1311. *Joannis Lucemburgici* exercitus eluſit, pertinuit ad eundem *Dionyſium Borzek de Miletnika*, aliquando ad *Pragenſes*, tum ad *Orphanos*, denique ad *Regem*, qui illud ſæpius diverſis Proceribus oppignorarunt, aut elocarunt.

Glacium.

Ælur. l. 2.

Kladsko. Glacenſis Arx munitiſſima omnium, quas nunc in *Bohemiæ* finibus habemus, omni diligentiâ ab *Ælurio* in Glaciographia ſua deſcripta eſt, ſic ut nihil addi poſſe videatur; ad *Ælurium* igitur, qui in Bibliothecis proſtat, curioſum Lectorem remitto.

Theobald. in Huſſ: P. 1. C. 9.

Krakovecz Arx penes *Kralovvicz* in regione *Plſnenſi* receptaculum Huſſi An: 1413. cùm *Pragâ* exactus à *Conrado* tum adhuc bonarum partium, Archiepiſcopo Pragenſi exilium ſuum hæreſeos ſuæ diſſeminatione oppidatim ſolaretur.

Theob. P. 1. C. 61. Hagek in An: ad A. 1425.

Kvvietnice, Arx (*Maternarum* Equitum, niſi fallor, originaria ſedes) à *Treczkarum* Equitum eo tempore ſplendidiſſimorum familiâ ante ducentos, & quod excurrit Annos tenebatur. A. 1427. *Taboritæ* latrones publici ex *Sileſia* cum parte Exercitûs ſui (quos **Pračata** appellabant, **Pračerty** veriùs dicere potuiſſent) redeuntes, in *Kaurzimenſem* ſeſe Provinciam infudêre, & captâ Arce *Kvvetnicz*, arcis Dominum *Prokopium Treczkam* odio fidei cum omnibus ſuis, injecêre in ignem; Arx ipſa etiam arſit, & dejecta eſt.

Koſtelecz.

Koſtelecz ſuper Sazavam. vetus Caſtrum, quod jam Anno C. 1154. ſtetit, ut narrat *Hagecius*. Fuit in ditione Procerum de *Rozkoſs*; Rex *Geor-*

gius eam An: 1450. cepit, & *Zdenkoni Sternbergio* donavit; paulò pòſt An: 1466. *Sternbergius* Regis hoſtis declaratus eſt, & Rex *Georgius* obſeſſam, captámque diruit.

Lichtenberg. *Lichtemberg* (primis ſæculis Bohemiæ dicta *Lichnice*) celebratiſſima in bellis hæreticorum Arx. *Orphanis*, qui ſe ab alijs ſeparaverant *Taboritis*, ſal in oculis fuit, magno videlicet impedimento prædantibus erat, & ſæpe *Taboritas* graves prædis, aggreſſi *Præſidiarij Lichtembergenſes*, prædatores deprædabantur; ſed contumeliâ verborum irritati ſunt magis: nam, cùm *Orphani Cuttnæ* de bello gerendo conſilia haberent, & ad dies quatuordecim inducias paciſci cuperent, reſpondêre *Lichtembergici*: Fœdas eſſe inducias, & pacem, quæ cum prædonibus iniretur. Ergo unanimi *Orphanorum* conſilio decretâ obſidione *Procopius minor Orphanorum Dux*, Arcem An: 1428. circumvallavit; repulêre fortiter *Lichtembergici* hoſtes ſæpius, cæsísque hoſtibus ſalvi rediêre, donec tandem fracti animo militariter, & audacibus conditionibus Arcem dedidenrunt An. 1429. 25. Novembris; quam *Orphani Joanni Ruſſinovio* commiſerunt.

Hagec. ad An. 807.

Weleslavinus in Calend. hiſt. ad 25. Novembris.

Litomyſlium. *Litomyſſl*, An: 1425. ab *Orphanis* & Civitas & arx occupatur. Sævitum eſt in Sacerdotes (qui ſe in Arcem receperant) tantâ rabie, ut tormenta, quæ Catholicis irrogata ſunt, non uni vitæ, ſed pluribus tollendis ſufficerent. Epiſcopalis fuit Civitas, quam *Koſtkarum* ſtirps, quæ Eccleſiaſticorum bonis vel maximè inhiabat, diu poſſedit; poſtea conjugio ad *Pernſteinios* devenit, qui ibidem in ipſo ſolo, ubi *Eccleſia Epiſcopalis* ſteterat, *Arcem* perelegantem novo Italico opere avorum memoriâ conſtruxerunt.

Landskrona. *Landskrona.* hujus Civitatis Caſtrum ab *Hermundurorum Rege Pavilo* conditum ſcribit *Hagecius:* in eóque *Coronam Regni* (unde Arci nomen) & Leges, quas Populo dederat, ſolitas aſſervari.

Hagek præfat. in Annal. Boh.

Leſno. *Leſtno vel Liſtnie* Arx vetuſti operis A. C. 772. condita à *Miloſlao, & Koten*, germanis Fratribus. Primis *Bohemiæ* ſæculis à familia *Berkatum* tenebatur, pòſt ad *Sternbergicos* devoluta eſt, nominatim ad *Zdenkonem* Konopiſſtienſem *Georgij* Regis affinem; multùm Regem obſidentem A. 1466. Arx exercuit. Spectantur in hac Arce *Sternbergicorum* diverſa ab hodiernis Inſignia cum *ſtellis pluribus, & Tartarorum mitris* cum titulo *Dominorum & Ducum de Sternberg*, ùt alibi commodiore loco narrabimus.

Cubitus. *Loket* (*Cubitus*) Arx eſt pervetuſta in Regione ejuſdem nominis, videlicet *Cubitenſi*; locum hunc ipſa natura communivit: nam rupes Arcis, & Oppidi prorſus eſt inacceſſa, quam circùm altiſſimi, & abruptiſſimi montes Coronæ in modum, at ipſam Arcem, & Civitatem *Egra* fluvius incingit; ob id *Cubitus Virginea* Arx eſt, quę nunquam à *Svecis* potuit expugnari; Multa fabuloſa ibi circumferuntur: *Pygmæos* quondam hìc habitâſſe, locúſque oſtenditur, ubi habitâſſe creduntur. Item de quodam *lapide* in Arcis area jacente, non procul à fonte; eum lapidem *Popel* vocant, miráque de eo comminiſcuntur.

Lnarz, vel *Schliſſlburg* ditio vetuſtiſſimorum Procerum, qui *Claves* gerebant in Clypeo; quæ hodiéque in antiquiſſimis Arcibus, & in Templis, præſertim per eam viciniam in *baptiſterijs* (ut in Sacris appellant) ſaxis inciſa ſpectantur. Hanc Arcem Vetere dirutâ ex fundamentis novam ſumtuoſo opere exſtruxit Comes *Alexius de Wratislavv Regiæ Cameræ Præſes*, ſed abſolutam & perfectâ non vidit morte præventus.

Lacenbog, vel *Lacenbok*, ab hac arce *Slavatæ* olim appellationem habuerunt; ſed ubi ſteterit, non æquè conſtat.

Litice. *Litice.* Arx eſt munitiſſima altiſſimorum montium coronâ incincta, non procul *Zamberga*; in qua *Georgius*

Rex

Rex Procerum erga ſe voluntatibus diffidens, gazas ſuas recondebat. Singularia duo hac in arce viſuntur: primum *Arcus Triumphalis*, more propè Romano (vel ſaltèm imitatione aliquâ Romanorum) pereleganter exſtructus è lapide aureis literis *Georgium* hoſtium ſuorum Victorem commemorans. Alterum eſt, ingenti, & in multos annos continuato, ùt par eſt credere, labore, perfoſſus mons arcis, & in ſaxoſum alveum immiſſus fluvius, *Aquila* dictus, ſic ut averti non poſſit; rurſúsque ex Arce cuniculi deorſum ad fluvium tendunt, ità, ut nullo negotio aqua ex Arce per eos cuniculos hauriatur. Huic Arci *Georgius Rex* poſt *Glacium* plurimùm tribuebat.

Hagek ad An. 1225.

Lopata &c. quidam appellant *Lopotam*; Sufficenſi Civitati vicina; captam An. 1433. Sufficenſes diruêre. Fuit arx iſta Procerum *Sſelenbergiorum*, ac fortè ab eo Caſtro *Lopatſſtij* ſunt appellati, ùt in *Hagecio* legimus.

Hagek in An: Lib. Erection: M. S.

Liſſa &c. In hanc Arcem olim *Jaromirius* datus eſt in cuſtodiam, & Fratre *Ulrico* mortuo An. 1037. liberatus. Poſt aliquot ſæcula An. 1351. *Carolus Imp.* condito de ſuo nomine *Carlovicenſi* Cœnobio, Parochiam divitem in *Liſſa* ijsdem Canonicis attribuit.

Landsperg

Hagek præf. in Annales.

Landsperga. Arces *Hermundurorum* (in Diſtrictu *Hradecenſi* ubi ille *Boleslavienſi* committitur, ac deinde ponè Comitatum *Glacenſem* ad Moravos protenditur) arces, inquam, *Hermundurorum* Czechiacis omnibus antiquiores, *Hagecius* nominat: *Krulich*, Metropolim Hermundurorú, *Landscron*, ubi ſervabatur Corona, *Landsperg*, ubi Jura & Leges, tandem *Gurtz*, vel *Krcz*, vel *Krczin*, arcem altiſſimam quam Rex Hermundurorum *Panylus* ante mortem condiderit; admitto lubens *Hermunduros ad fontes Albis ſediſſe*, id enim docuit *Tacitus*; at *Krulich* quaſi à *Krul* vel *Kral* deductum, Regiam videlicet Urbem, ſuſpectam habeo: nam *Slavicum* quiddam ſapit; *Hermunduros* verò *Teutonicè* locutos, ex *Cluverio*, *Lazio*, & *Scriptoribus* cæteris irrefragabiliter conſtat. *Landscrona*, & *Landsperga* hodiéque ſuperſunt; *Krcz*, idem erit fortaſſe, quod ad *Landskronam* vetus Caſtrum *Trcz*, vel *Trczka*; ſed hæc loci illius, & viciniæ peritis examinanda relinquo.

Tacit. commen: de Germania.

Pontan: in Brixia l. 3.

Brixienſis Arx.

Moſt (*Pons ſeu Brixia*) Civitas, invictam ſupra ſe Arcem habebat, quæ *Landsverta* appellabatur. Hæc noſtrâ tempeſtate, neſcio, quorum hominum exterorum conſilio, funditus dejecta, *Bohemiæ* latus illud hoſtibus aperuit. Zat. 10.

Mileſſovv. Litom: 8. arx deſerta; ſed ejus loco aliam novam, eámque præſtantem magnis opibus condidit, noſtrâ memoriâ Vir clarus bello *Zdenko Caplirz*, loci Dominus.

Mielnik &c. In hac Arce vetuſta habitavit olim *Ludmilla S. Ducis Wenceſlai* avia, ibidémque à *S. Cyrillo* ſacris aquis abluta *Chriſto* nomen dedit cum Conjuge ſuo *Slaviboro*, & Fratre ſuo *Hauſſek*, ùt in ejus vita narratur.

Nachod.

Hagek in An:

Theob: in Huſſit: P. 2. C. 13.

Id: P. 2. C. 18.

Nachod (quaſi dicas: *paſsûs locum*, ſeu ubi *paſſus* figendus ſit) in *Reginohradecenſi Diſtrictu* limitanea, *Glacium* versùs Arx; diruta noſtrâ tempeſtate fuiſſet, niſi eam arcis Dominus, egregius belli Dux, *Princeps Piccolomineus* ſervâſſet. Obſeſſa eſt An. 1427. à Sileſiorum Exercitu, vano ad extremum conatu; Obtinebat eam *Kolda de Nachod*, hæreticorum Dux factioſiſſimus, idémque pugnaciſſimus. Fælicius cecidit Sileſijs *Nachodij* obſidio Anno 1442. nam, quamvìs *Kolda* cum 100. Equitibus in *Wratiſlavienſes & Swidnicenſes* irruiſſet, virtute repulſus, cùm ſe imparem videret, cum omnibus ſuis inobſervatus nocte effugit, ac *Sileſij* Civitatem, & Arcem incendêre. Mox iterum reparata eſt, & Junior *Kolda*, paci publicæ inimicus, An. 1449. à *Podiebradio* Gubernatore Regni Bohemię obſeſſus, editis egregijs facinoribus multis, iterum cum duobus Comitibus nocte evaſit.

Fraunberg.

Przimda, Germanis *Fraunberg*, al-

tiſſimo

Digitized by Google

Theob: in Huſſit: P. 1. C. 26.

tiſſimo in loco ſita arx, à duobus amantibus, ùt in *Valerio Maximo Bohemia* narrabimus, condita; & quanquam loci ipſius naturâ, tamen poſtea à *Wrſſovecijs*, qui eam à Regibus Bohemiæ donatam, obtinebant, multis foſſionum operibus communita, hodie ſtat in ruinis. Ejus arcis, dum adhuc ſtaret, diligentiſſimam deſcriptiptionem apud *Theobaldum* invenies.

Potenſtein.

Potenſtein in Diſtrictu *Reginohradecenſi* poſt *Koſtelecium* ad *Aquilam* fluvium. Natura arcem hanc communijt; ſpectabat olim ad Proceres magni nominis *Zampachios*, qui, cùm *Carolo IV.* Cæſari adverſarentur, *Cæſar* obſeſſâ Arce *Zampachios* ad officium reduxit.

Peczka. Arx olim inter munitiores habita, quam priore ſæculo tenuit, in eáque habitavit *Joannes Lithoborsky de Chlum*, Burgravius Hradecenſis.

Przibram. condita fuit à *Przibral* genero Principis *Nezamyſli* An. 755. cùm argentifodinas reperiſſet; poſtea & Arx, & Civitas *Przibramenſis* ad Archi-Epiſcopalem menſam pervênit; noſtrâ memoriâ *Cæſar & Rex Leopoldus* Archi-Epiſcopo *Matthæo*, arcem ſolam jam pridem dejectam ab hæreticis, reſtituit, quam idem *Archi-Epiſcopus* reparavit.

Rabi.

Epit. hiſtorica rer: Boh.

Rabi, arx peregregia à *Sſwihovijs* Proceribus condita, fato *Ziſcæ* maximè inclaruit; is eam primùm captam deſeruit; Nobiles Catholici vacuam præſidio militari impoſito, inſedêre, & redeuntem *Ziſſkam* An: 1421. egregiè repulêre; *Ziſca* ex Cyclope *Homerus*, & prorſus cæcus 29. Martij eſt redditus; fabula eſt, neſcio ubi ab *Hagecio* audita, diſſiliente ictu balliſtæ arbore, defractóque inde ramulo excuſſum *Ziſcæ*, quem unum habebat, oculum; ſagittâ enim, in antiquiſſima arcis *Rabi* Imagine, oculus ei læditur, qui in curatione *Pragenſi* prorſus eſt excæcatus, ùt *Landa* teſtis oculatus teſtatur, qui, dum *Ziſſka Pragæ* curatur, adfuiſſe ſe, in hiſtoria ſua diſertè

Landa in M. S. hiſt ſuor: tem Theob. in Huſſ. P. 1 C. 42. & C. 44.

commemorat, idémque de *Sagitta* ſcribit *Theobaldus*. Pictura hæc eſt in arcis porta: equitat à læva parte *Ziſſka* tribulum ferreum tenens cataphractus, comitantibus aliquot armatis peditibus; à dextra parte Picturæ, ex Turri firmiſſima Arcis (quæ Portæ imminet, hodiéque eadem eſſe agnoſcitur) *Koczowsky*, qui erat in præſidio, è balliſta ſeu arcu Sagittam emittit, quæ rectâ in *Ziſcæ* oculum fertur. In rei tantæ memoriam colloquium ipſum adſcripſit Antiquitas: **Přibik Kočowſký: Tyli ſy Bratře Žižko: Žiž: Gá gſem. Přib: Kreyž holýho!** Paulò infrà hæc leguntur:

Ziſſka ſub hac Turri jaculo percuſſus, ocellum
Qui tantùm unus erat, perdidit atq; operam;
Cæcus ut oppreſſit Patriámque fidémque, vehente
Dæmone (ſic meritus) cæca Barathra petit. *Ladislaus Archiepiſcopus Strigonienſis Regni Ungariæ Cancellarius exiſtens in Rabi Faciebat.* (hæc ego ex ipſo pariete manu meâ deſcripſi)

Ronſperg arx, olim etiam *Ronovv* appellabatur, ùt patet ex *Hagecio*. fuit firmiſſima; nunc repertis machinis, & tormentis ad defenſionem inutilis.

Hagek in An. ad A. 1040.

Rzepice. Caſtrum non tam munimentis, quàm Memorijs, & Inſignibus Veterum Bohemiæ familiarum exornatum, quas depingi curavit *Mecænas Eruditorum* ſuo ſæculo *Joannes ſenior ab Hodiegovva*, Patriæ hiſtoriæ ſcientiſſimus.

Raupovv. arx munita, ſed ex antiquis architecturæ legibus. Eſt in ea arce Palatium Veterum Stemmatum Clypeis illuſtre, exhibens cognationem *Raupoviorum*; at peſſimo conſilio, ante proximos triginta annos, loci Dominus deletis quibusdam clypeis, & ſuis, & ſuorum ſuppoſitis, omnem illum *Raupovvianæ* ſtirpis contextum, & cognationem confudit. Habet eadem arx fornacem memorandi, &

Raupow.

pre-

Digitized by Google

pretioſi operis: nam in ea univerſa *Genealogia Raupoviani Stemmatis* expreſſa cernitur in laterculis ſingulariter ad id paratis, & incoctis, qui *vero auro illiti* clypeos gentilitios Illuſtrium Bohemiæ Familiarum exhibent. Fornacem hanc mille Imperialibus conſtitiſſe, dum fieret, à Senibus in Nobilitate Viris non ſemel audivi.

Hagek in An: *Radynie* ſupra Veterem *Plſnam* in edito monte ſedet, condita An: 775. locum ante complures annos inſpexi, nihil niſi ruinas continentem: cellaria in vivo, ut ità dicam, ſaxo, admirationi mihi fuerunt; ſed iſtud omnibus ferè arcibus noſtris commune fuit: nulli enim Majores noſtri parcebant labori, ut fontes, & cellas haberent, etſi ſaxa ad centum, & plures cubitos eſſent perfodienda. Vetus eſt traditio, in hac Arce *Radin*, vel *Radinie* ingentem theſaurum latêre, qui ſe aliquando flammis prodit, ùt accolæ narrant.

Riſenburg. *Riſenburg*, hoc nomine aliquot in Bohemia Arces fuêre: in *Litomericenſi* antiquiſſima ſuper *Oſſecenſe* Cœnobium hodiéque, ſed vacua, & deſerta viſitur; tenuêre eam diu *Comites Bilinenſes*, *Borſſones de Oſſek*, aut, quod ſæpe in M. S. invenio, *pauperes de Oſſek* (cujus appellationis cauſſam, & originem, alio in loco indagabimus) qui *raſtrum hortenſe* ferebant in clypeo, atque ùt in lapide ſepulchrali ante altare ſummum in *Oſſecenſis Cœnobij* Eccleſia hodiéque legimus, *Oſſecenſe* hoc Cœnobium (longè antè quàm ſeſe *Ottogarus* in Fundatorem Cœnobij adoptâſſet) fundavêre. Arx porrò *Riſenburg* hodie nihil, quàm ruinas oſtendit.

Rizemberg *Riſſenberg*, vel potiùs *Rizemberg* (ità enim ſæpius, & ab ipſis Conditoribus *Ssvvihovÿs* appellatur, qui ſe ab ea arce *Dominos de Ssvvihovv, & Rizmberg* dixêre) à *Tuſta*, ſeu *Domazlicio* tribus milliarij quadrantibus, altiſſimo in monte, velut toti illi viciniæ imperans, hodiéque ſpectatur, ſed cultoribus vacua, & quotannis novam, ac novam ruinam trahens, facilè alioqui, ſi opus eſſet, ad humanos uſus, & habitationis commoditatem, ùt vicini affirmant, aptabilis. Arx multa memorabilia habet tum in ſe, tum propè & in vicinia, quæ *Theobaldus in Huſſiticis* ex occaſione magni prælij, quod ſub ea cruentiſſimum An: 1431. commiſſum eſt, inter Cruce ſignatos, & hæreticos, recenſet. Aliud æquè horridum prælium penes ipſam arcem in monte committi contigit 1466. 22. Septembris. Dubiâ fortunâ pugnatum hinc à *Crucigeris*, illinc à *Tuſtenſibus*, *Clatovienſibus*, *Suſſicenſibus*; receſſus *Crucigerorum Tinam*, quandam victoriæ ſpeciem hoſtibus reliquit; ſtrata omnis via *Tinam* uſq; cadaveribus, & ſangvis à *Ryzmberg* rivis *Tuſtam* defluxit.

Theobald. in Huſſiticis P. I. C. 76.

Vide Epitomen noſtram ad A. 1466.

Helffenburg. *Raudnicenſis* arx, antiquitus *Archi-Epiſcopi Pragenſis* ditio, Exercitus olim detinere poſſe jactabatur, tanta ejus erat firmitudo! virtute tamen militum aſſilientium eam cepit *Rex Georgius*, utì etiam *Koſtelecium ad Sazavam* flumen An: 1466. & utramque incenſam ad uſquè fundamenta dejecit. Raudnicenſem arcem nuperus quidam Scriptor *Helffenburgum* vel *Helffenſtein* appellat (quo etiam nomine ad *Prachaticium* arx à *Roſenſibus* condita, ùt aliàs dixi, appellabatur) mihi ſecùs videtur, ajóque Epiſcopalem arcem *Helffenburgum* (cujus eſt in *libris Erectionum* frequens mentio) à *Raudnicenſi* arce longè fuiſſe diverſam: jam enim pridem *Raudnicium* cum arce ad *Archiepiſcopalem* menſam pertinebat, ac nihilominus *Joannes de Genſtein* Archi-Epiſc opus Pragenſis, ùt teſtatur *Hagecius* ad annum 1379. adjunxit Archi-Epiſcopatui oppidum *Hoſſkam*, *& caſtrum Helffenſtein*, idq; etiam mœnibus auxit, & permunivit; quod nominare omiſiſſet *Hagecius* dubio procul, ſi *Helffenburgum* vel *Helffenſtein* ditionis *Raudnicenſis* pars jam pridem fuiſſet.

Digitized by Google

Ronovv. *Ronovv.* Plurimæ veteres arces in *Bohemia* hoc nomen habuêre. conditum ab *Hazmburgicis Ronovv*, narrat *Hagecius*, An: 728. ipſum eſſe puto, quod poſtea An: 1284. cum quibusdam alijsarcibus *Ottoni Brandeburgico* Tutori ſuo perfido oppignoravit *Wenceslaus* Ottogari filius Rex Bohemiæ.

Ralsko. *Ralsko.* arx vetuſtiſſima, & prima *Wartembergicorum* Procerum ſedes, qui ob id *Domini de Ralsko* in antiquitate appellantur. Locus eſt naturâ munitiſſimus, fonte admirando in ſaxo ad multam profunditatem exciſo, quem ipſe ſpectavi; facillimè permuniri arx poſſet denuò, ſi ſedulæ manus accederent.

Theob. in Huſſitic. P. 2. C. 15. *Ratage*, ſeu *Ratag.* Caſtrum fuit Lippæorum. obijt in ea An. 1444. *Ptaczek de Pirkſtein* Lippæus, à turbidis conſilijs in bello *Huſſitico notiſſimus.*

Sswihovv. *Ssvvihovienſis* Arx, ſeu *Ssvvihovv*, in *Plſnenſi* Diſtrictu, firmitate operum, vallorum, & foſſarum altitudine, tum, quòd uliginoſo loco ſita, ſuffodi non poſſit, nulli alteri in *Bohemia* caſtro vel munitiſſimo concedebat; pridem à *Ssvvihovijs* (qui arces plurimas in hac vicinia condiderant) exſtructa; cepêre eam *Taboritæ* An. 1427. ſed nondum permunita erat; quod fecit *Puta Ssvvyhovvsky* poſt Annum 1490. Inter arces, quæ expugnari niſi fame non poſſent, ab omnibus cenſebatur; noſtrâ memoriâ primùm, non bellorum tempore, ſed illis ponentibus, jam *in Pace*, totius quaſi viciniæ manu (cùm Arces omnes in *Bohemia*, nullo propè delectu, dejicerentur) & ipſa dejicitur. Videram ſtantem, & ad omnes injurias obſidentium excipiendas, & eludendas egregiè comparatam, altitudine murorum tantâ, ut præter Turrium pinnacula, nihil foris extaret, quod videretur; mira amplitudo murorum, ut duo currus adverſi per mœnia commodè agitari poſſent; cùm eam demolirentur ruſtici, petram ſe clamabant excindere: non enim ampliùs terræ de mœnibus, quàm ſi montem effoderent per diem palis, & ligonibus defringebant, calce jam in ſaxum antiquitate quodammodo converſâ. Senſus erat vicinorum omnium, ſi eam, qui jubebant dejici, vidiſſent, nihil adversùs Arcem fuiſſe moturos. Ad *Ssvvihovium*, vetere in *Bohemia*, fundebantur ferreæ bellorum machinæ, præſertim illæ, quas nunc Regiments ſtückel dicimus, longè minorem quidem globum, ſed remotiſſimè ob longitudinem, jaculantes, quæ *Bohemis* Sſwjhowky / ab Arce *Ssvvihovv* dicuntur. Invenio in *Rationarijs Roſenſium libris* plurimas hujusmodi machinas pro Roſenſium ditionibus *Ssvihovij* fuſas, éſtque etiam apud me *Rationum liber*, quantum æris in ſingulas fiſtulas ſit datum &c. Viſitur in hoc Caſtro *Sacellum* antiqui operis, in quo omnis *Ssvvihoviorum, & Leonum de Rozmital* conſanguinitas artificioſis clypeolis expreſſa ſpectatur; eſt & aliud in ipſa ara artis miraculum.

Ssumovv. agit de ea Hagecius ad A. 1065.

Skaly. hanc arcem An. 1447. *Sileſij & Luſatij* diruerunt. alia eſt arx *Skala*; de qua agemus ſuo loco.

Sternberg. Vetus ejus familiæ Caſtrum, captum à *Rege Georgio* An. C. 1467. Vide Strzelice.

Ssaclerz. Caſtrum fuit firmiſſimum ad *Montes Gigantæos.* Schatzler. Suſpicor ab *Hermunduris*, ea loca tum incolentibus, eſſe conditum ad aſſervandos theſauros, qui è montibus illis effodiebantur. Hiſtoriam hujus caſtri manuſcriptam oſtendêre mihi *Jaromirienſes*, in qua de *Dracone* grandi ad id caſtrum occiſo, tum quomodo Arx à latronibus occupata ſit, quomodo rurſus recepta, mira memorabantur. A. 1447. cùm latrones arcem hanc inſiderent, à *Sileſijs & Luſatijs* eſt dejecta, ùt narrat *Hagecius.*

Sion. Arx fuit Lippææ ſtirpis peregregia, in quam *Rohacz* ex ea ſtirpe ſeſe in- Theob. P. 2. C. 1.

ſe incluſit, & Cæſari *Sigiſmundo* jam in Regnum recepto, A. 1436. negotium faceſſivit, Patruelem *Rohacij* (vel, ùt Theobaldus appellat, *Rohatecij*) *Ptaczkonem* cum exercitu ad eum oppugnandum *Sigiſmundus* miſit; quantuor ipſos menſes obſidio tenuit, captus *Rohacz* defectionem morte luit.

Stranovv. ad hanc Arcem commiſſum eſt acre illud An. 873. prælium, Chriſtianos inter, & Ethnicos, quo iſtorum vires in *Bohemia* fractæ ſunt, ùt in *Epitome hiſtorica Bohemiæ* latè commemoratum eſt.

Sskvorecz. *Sskvvorecz.* Arx tertio Pragâ milliario *Sskvvoreccianæ* Procerum familiæ (quę noſtrâ memoriâ interijt) originaria, & natalis; ex ea familia illuſtriſſima, *Wolframum* Archiepiſcopum Pragenſem prodijſſe credendum eſt; vide *Stemmatographiam* noſtram.

Strzemelice, vel *Trzemelicz*, Zdenkonis Sternbergici Arx, à *Georgio Rege* obſeſſa, uti & *Konopiſstie* omnium *Zdenkonis* Caſtrorum munitiſſimum.

Sperlingſtein per Albim Tetznam defluentibus in dextra ripa *Caſtrum* quod modò nominavimus, occurret; rès eſt viſu digniſſima inacceſſa in rupe, nec Equo, nec curribus adeunda; *Speculæ* multiplices prominent, nullo hoſte niſi *fame* expugnabiles; *Cellaria* etiamnum & vivæ aquæ, arterijs humanis ſimiles micant, vini cados inibi repertos, & vina guſtaſſe Audacem quendam (quem nominabant) Senes mihi narrabant; *Ithaca*, quam velut nidulum petris affixum *Homerus* depingit, ſimilis eſt locus, cujus certè aſpectu diu exſatiari non potui.

Scherffenſtein Arx deſerta Albi imminens. Litom: 9. in *Auſtæ* conſpectu. ajunt è regione ejus in adverſa ripa aliud caſtrum ſtetiſſe, ut hoc gemino propugnaculo defenderetur *Albis*, ego hujus innominatæ Arcis rudera diligenter inveſtigavi, nihilque reperire potui. Affirmabat Amicus aliud *Scherffenſtein* rumoſum quadrante milliaris à *Benzen* (Beneſſoviâ, in Litomericenſi Diſtrictu) in alto Monte apparere; (niſi idem ſit) aliud *Scherffenſtein*, cùm ibi eſſem, non vidi.

Tachovv. De hoc Caſtro multa eſt in hiſtorijs noſtris mentio, quæ ſupervacaneum eſt repetere.

Trzebon. (*Trebona*, Wittgenau) Roſenſium Arx inter meliores & munitiores *Bohemiæ* Arces in antiquitate habebatur. Ejus maximam partem *Wok de Roſis* exſtruxit poſt An. 1482. cùm antea *major Villa* potiùs, quàm arx diceretur. An: 1506. *Petrus de Roſis Trebonam* munire aggreditur, vallis, foſſis, aliiſque artibus munitionum; in id opus machinam grandem muralem à *Ladislao Sternbergio* emit, miſit inſuper *Ssvvihovium*, ubi ejusmodi longiores machinæ optimè fundi ſolebant, & plurima tormenta comparavit. Trebona. *M.S Hiſtoria Roſenſis in Wokone.* *W.Brzezan M.S.*

Tocznik. Arx regia, habitatione frequentiſſimâ *Wenceslai Regis*, ac Cæſaris quondam celebris; nam cùm ſemel, iterùmque ob violentiam, ſangvineámque vinolentiam captus eſſet, in certis *Arcibus Bohemiæ* ſecurum ſe eſſe putabat, ùt ipſemet fatetur in Oratione, quam An: 1417. habuit ad Proceres. In hac arce, & in *Krzivoklad*, *Zebrak*, *Carlſtein*, *&* *Cunradicij* Theſauros Regios depoſitos fuiſſe Huſſiticis temporibus author eſt *Hagecius*. Poſtea oppignorata arx fuit *Comitibus de Guttenſtein*, ùt aliæ plures, iterùmque à Regno redemta. Tocznik. *Hagek in An: ad A. 1406. & 1420.* *Hagec. ad An. 1420.* *Id. ad A. 1509.*

Tetin. Caſtrum ſanctitate magìs, quàm aliâ dote illuſtre (conditum à *Tetka Libuſſæ* ſorore A. C. 712. in Podbrdenſi 5.) in ea enim *Borzivoius* Dux, & *S. Ludmilla* vale rebus humanis dicto, depoſitiſque Principatûs inſignibus, uni DEO ſervire cœperunt, cúmque prior *Borzivojus* obijſſet, *Ludmilla Drahomiræ* inſidijs appetita, Martyrium ibidem conſummavit. Plura de *Tetin* ſuis in locis legentur. Tetinum.

Trosky. Geminæ Arces ſunt conjunctiſſimæ, & ędificio, & altitudine germaniſſimæ, *Skaly* (tum arx *Wilhelmi* Trosky. *Theobald. in Huſſiticis P. 3. C. 18.*

 Ha-

Arces complures.

Haſenburgici) *Tauzim*, (Germanis Deiſing) *Angelska hora* (Engelhauß) *Woſtrovv* (Schlackewerda) *Buchovv* cum Arce; quæ omnia *Georgius* Rex An. 1468. militariter cepit.

Trutnovv. Civitas, & in ea caſtrum, quod *Carolus IV.* An: 1335. velut ad Reges ſpectans de injuſtis occupatoribus cepit.

Teyrzovv.

Teyrzovv. In hoc caſtro rebellis Patri Regi *Wenceslao* filius *Przemyſlus*, captivus ſedit An. 1250. Item Henricus de Lippa An: 1315. hanc etiam Arcem recuperavit armis *Carolus IV.* An. 1335. tum adhuc tantùm *Marchio Moraviæ*; dicebatur hoc caſtrum alio nomine *Angerbach*.

Tetzen.

Teczna, Bohemis Děčin / Arx *Wartembergicorum*, firmiſſima, & ſumtuoſa in primis, adversùs Miſniacos primùm condita videtur, hodie ad *Comites de Thun* pertinet; Huſſiticis bellis incoluêre eam prædones, quos *Jacobus Wrzeſoveccius* arce captâ egit in furcas. Arx hæc perantiqua eſt, quam ſtetiſſe A. 1128. & in ea captivos quoſdam *Bohemiæ Proceres* ſediſſe narrat *Hagec*: Vide plura in ſequentibus.

In Annales.

Worlik.

Worlik. ad flumen *Muldavam* Caſtrum firmiſſimum, & firmiſſimè exædificatum ad *Sſwambergicos* antiquitus pertinebat, poſtea ſæpius Dominos mutavit; *Georgium Regem* exteris, & domeſticis bellis appetitum, in hac Arce *Coronam Regni*, velut loco firmiſſimo, ſervare ſolitum, *Theobaldus* affirmat. Eſt in ea Arce *Tabulatum*, ligneum illud quidem, ſed delicatiſſimæ manûs, & ſingulari perfectum opere, *quod Amicus* ita commendavit, ut magis non poſſet: nihil ſe in eo genere artis vidiſſe ſimile, Commiſſuras tabularum congruere & coire artificio mirabili teſſellatas, proinde *Arcem* inviſerem, ego tum *ſpatijs excluſus iniquis*, ut ait poëta, in rem præſentem venire non potui.

Theobald. in Huſſ: P. 1. C. 17.

Welhartice.

Welharticium Arx munitiſſima Bavariam versùs, altiſſimis & ſilvis & montibus, velut naturæ quâdam cuſtodiâ cingitur. An. 1422. in Majo, cùm Bohemiæ Proceres *Coronam Regni* in fidiſſimum, & munitiſſimum aliquem locum, adverſùs Hæreticos, & Pragenſium præcipuè inſidias, abdere vellent, primùm *Pragâ Carlſteinam* deportari juſsêre quàm occultiſſimè; (ſensêre tamen *Pragenſes*, & *Carlſteinam*, ibi coronam depoſitam eſſe rati, cinxerunt; at illam, paulò ante obſidionem inchoatam, decem Equites, ſoli hujus arcani conſcij, *Welharticium*, cum potiore *Theſauro* Regni, ſeu *Cimelijs* ad loci Dominum *Welharticenſem ex Novodomæa* ſtirpe deſcendentem, attulêre; hic eam in hac arce ſua multis annis ſervavit, & A. 1455. vel etiam ſeriùs, factâ jam pace, & cæſis *Procopijs*, Regno reſtituit, cùmque antè *Roſam auream* ferret in clypeo, ejus loco *Coronam Bohemiæ* inflexam, ut geſtare in Clypeo poſſet, à *Sigiſmundo* impetravit in fidei ſuæ, & fiduciæ, quam in eo Regnum collocaſſet, æternum ad poſteros documentum.

Id. P. 1. C. 52.

Waldſtein.

Waldſtein notiſſimæ apud Bohemos Procerum familiæ arx originaria; habitabatur adhuc ſæculo priore, ùt ex Memorijs Manuſcriptis conſtare poteſt.

Weliſs.

Weliſs. Caſtrum firmiſſimum, quod proximis bellis Svecicis, à pauculis Cæſareis militibus defenſum, expugnari ab hoſtibus nunquam potuit; tandem bello jam finito (conſilium nec probo, nec damno) dejectum eſt, totâ viciniâ unum tempore belli omnibus refugium. *Walſteinium Fridlandiæ Principem* vidi adhuc puer, ſæpius hanc Arcem (quæ in ejus erat ditione) ex proxima Civitate *Giczinenſi* adeuntem, ejúsque & viciniæ totius ad multa milliaria ſubjectæ aſpectu ſeſe oblectantem. Erat in hac arce *Fons* ſaxo exciſus uſq; ad fundum mirabili opere, latiſſimo circuitu rupium velut crater quidam, ſed tantâ profunditate, ut cùm puer occultè lapillum jacerem, bis orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam abſolve-

Digitized by Google

ſolverem, tum primùm terribili ſonitu audiebam lapidem ad aquam perveniſſe, quem ego non rectâ, & ad perpendiculum, ſed de induſtria, ut in latera rupium impingeret, jaciebam. Vidi celebrem illum in Arce *Gracenſi in Styria* fontem, quadrato lapide munitum, uſquè ad *Muram* fluvium deductum (captivorum Turcarum opus) ſatis ſcio, hunc *Weliſſenſem* (nè dicam *Dievvinenſem*, qui longè profundior eſt) *Gracenſi* nihil concedere.

Wildſtein. *Wildſtein* Arx, loco opportuniſſimo in *Plsnenſi* regione, non procul *Blovicio* oppido ſita eſt; ſubjecta ei arci planities, multo Catholicorum ſangvine non ſemel immaduit. Anno 1421. *Ziſcæ* temporibus ad *Eliſabetham* Matrem *D. Ulrici de Roſis* ſtirpe *Kravvarzianam*, pertinuit; poſtea A. 1444. ad *Koczovienſes* ſpectâſſe videtur; nam eo anno *Jacobus de Wrzeſovvicz Bilinæus* ex arce ſua *Svvoyſſin* comparatis omnibus nocte *Wildſteinium* occupavit, duóſque Domini Zbinkonis Koczowsky filios *Taborium* captivos abduxit.

Theob: in Huſſit: P. 2. C. 15.

Arces complures. *Wrzeſtiovv, & Chvvatierub*, arces erant *Hazemburgicorum*, quas obſeſſas *Georgius* Rex dejecit. Eadem fortuna arcis *Frimburgenſis*, cujus ruinas, minásque murorum ingentes nuper luſtravi; ad *Bubnas* ſpectabat, quos in antiquitate *Warlichios* appellatos invenio.

Theobaldus in Huſſitic. P. 3. C. 17.

Wobrziſtvvi. Ex hoc *Hagecij* loco apparet, permunitam hanc Arcem fuiſſe ſuper *Albim* ſtantem; hodie nihil ad defenſionem, ad ſolam oculorum voluptatem comparata omnia deprehendes.

Zelena hora. *Zelena Hora.* Antequam ulla Arx conſiſteret, jam A. 977. in eo monte cellas quaſdam inſtar Cœnobij, & Eccleſiam in honorem Divinæ Matris condidère Eremitæ *Brzimota*, cæteríque ejus Socij, ùt in vita *S. Adalberti*, & apud *Hagecium* legi poteſt. Sub hoc monte prædives, & opulentum *Cœnobium Ciſtercienſe* ſtetiſſe in confeſſo eſt, facitque ejus rei aliquam mentionem *Hagecius*. Nos plura de eo Cœnobio attulimus in Appendice I. ad hiſtoriam *S. Montis*. In hoc Caſtro *Catholici Bohemiæ Proceres* A. 1466. regnante *Georgio*, celebravère Conventum.

Ad An. 1203.

Zvvikovv. *Zvvikovv.* celebris in Antiquitate Arx fuit, neque hodie famam amiſit. An. 1467. à D. *Smilone de Hodiegova* Perilluſtris ſtirpis, & tum Catholico, pro *Roſenſibus* tenebatur; cujus obſidionem Taboritæ, qui *Mladiegovicium* diruerant, ignominiâ non ſemel acceptâ, omittere ſunt coacti.

Theob. l. cit.

Zirovvnice. *Zirovvnice.* Multa in hac anguſta, & brevi arce, in picturis, & ſtemmatibus (ſi quis curioſos, & eruditos oculos adferat) memoranda viſuntur. Eſt locus in ditione Illuſtriſſimæ Familiæ *Slavatianæ*; olim ad *Wencelicos* Equites, tum ad *Guttenſteinios* Comites priore ſæculo pertinebat.

Zleby. *Zleby.* Hæc arx An. 1427. à Taboritis incenſa concidit. Quam etiam paulò antè, quòd ex ea *Marquardus de Wartemberg* latrocinaretur, dirui juſſit *Wenceslaus Rex* An. 1384.

Zebrak. *Ziebrak.* notiſſima Arx in Regione *Podbrcenſi*, primùm ſpectabat ad *Hazmburgios*, qui ſe in antiquitate *Dominos de Mendico* nuncupare ſolebant; cauſſam in Epitome attuli: eadem eſt, quæ de *Chudienicz* Czerniniorum appellatio, *Pauperum de Oſek* ad Bilinam, item *Chudobæ* de Waldſtein. Agemus de *Ziebrak*, & *Budin* in Tractatu de Equitibus Religioſis *Teutonicis & Rhodijs* ſuo loco. In ea Arce magnis opibus Sacerdotium fundavit A. 1348. *Joannes* Carinthiæ Dux, Comes Tirolis, & Goritiæ, quam fundationem Anno citato recitat *Hagecius*, plenam tenerrimæ pietatis erga *S. Apollinarem*. A. 1507. inter Regias arces plurimas *Zebrakum* quoque *Guttenſteinijs* oppignoratum fuit.

Zwirzetice. *Zvvirzetice.* Arx peregregia, unius rami *Wartembergici* originaria, qui ſe

ſe *Zvvirzeticios* vocabant. An. 1545. *Joannes de Wartemberg* in Zwirzeticz, Supremus Burgravius Pragenſis *Hagecij* defenſor initio Annalium legitur.

§. III.

Arx Regia Carlſteinenſis.

Carlſteinæ condendæ cauſſa.

Carlſteina Arx nobiliſſima, ſi pro eo, ac ejus dignitas, & præſtantia meretur, deſcribenda foret, multas mihi paginas faceret ejus deſcriptio; à *Carolo IV.* primùm, *Regalibus & Cimelijs* Regni, literis publicis, Imperialibus, & Regni *Bohemiæ* Reliquijs, aliiſque hujusmodi rebus aſſervandis regio ſplendore condita eſt. Nolo hoc loco otioſè repetere, quæ pridem, tum in *Arneſti I.* vita, tum poſtea in *Hiſtoria S. Montis* Appendice I. narravi. Cinxêre eam, & arctiſſimâ obſidione preſsêre *Pragenſes* 24. millibus armatorum, cum Duce ſuo *Coributo*) Ducis Litvaniæ fratre, non, ùt *Hagecius* exiſtimavit, filio) quòd, ùt nuper dicebam, Coronam Regni, ac Regalia cætera, in ea ſervari crederent, quæ jam *Welbarticium* clàm omnes fuerant deportata; acceſsêre *Pragenſibus* auxilia Civitatum hæreticarum penè omnium, *Zatecio* excepto, quæ tum obſidebatur; baliſtæ, & catapultæ, antiquâ arte perfectæ (nam machinæ noſtræ hodiernæ, quæ igneſcunt, & cum ingenti boatu, ac fragore mœnia verberant, etſi inventæ nondum erant tamen in frequenti uſu quàm plurimæ) ac deniq; omnia alia ad obſidionem facientia advecta; catapultæ ejusmodi veteres uſque ad meam memoriam in *Slovanenſis Cœnobij* ambitu, & ejus *Eccleſiæ Pragæ* ſpectabantur. Excuſſa è catapultis in Arcem *Carlſtein* maxima pondera *mille nongenta triginta unum*; neque tamen aut turres, aut muri labefactati; periculoſius illud, quòd ex ijsdem machinis *duo millia* vaſorum, quę ſordibus, & venenis impleverant priùs, injecêre, unde teterrimo odore arce impletâ, penè omnes obſeſſis dentes excidêre; ſaxa, & globi ad baliſtas, ùt aſſerit *Theobaldus*, Pragæ parabantur, ex *B. V. ad Nives* Eccleſia, ubi columnæ ex monte *Petrzin* olim exciſæ, facili & ſponte manum ſequente ſaxo, in globos conformabantur; ex eadem Eccleſia *Theobaldus* affirmat eſſe columnam illam, quam in *Wiſſehrad* oſtendunt, & à Dæmone Româ allatam fabulantur, injectam videlicet, dum *Wiſſehradum* obſident *Pragenſes*, à Machinarum Magiſtro, cui *Dæmoni* (Czert) nomen eſſet. Utut ſit, infecto negotio à *Carlſteinâ* ſexto ineunte obſidionis menſe, cum ſumma ignominia, virtute obſeſſorum ſæpe rejecti, & cùm *Pragæ* ipſi à *Taboritis* timerent, recedere ſunt coacti. Plura de hac obſidione, quâ nihil ad *Carlſteinam* geſtum eſt illuſtrius, ac memorabilius, in *Hagecio*, ac *Theobaldo* leguntur. Deſcribendæ Arcis hujus onere levavit me amicus quidam è Societate meus, qui in ea Arce perdiu habitârat; eam deſcriptionem (quòd accuratiſſima ſit) hîc adjicere placuit.

Ejus obſidio.

Theob: in Huſſit: P. 1. C. 53.

Arx Carlſteinenſis in Regno Bohemiæ olim celeberrima, hodiéque ob præclara vetuſtatis argumenta memorabilis, intra annos Domini 1348. & 1358. à *Carolo IV.* Imperatore Coronæ Regni, & Reliquijs Sanctorum ſervandis ædificata; Anno verò 1422. contra viginti quatuor millia Huſſitarum Pragenſium à 28. Maij uſque ad 11. Novembris, fortiſſimè oppugnata, ſita eſt loco peramœno, tribus *Pragâ* leucis Germanicis. Fluvium *Mizam* habet ad meridiem à monte, cui Arx inſidet 313. circiter paſſibus Geometricis diſtantem. Clauditur quinq; mon-

Beneſſ. in Chronico.

Montes circa Carlſteinam. montibus præaltis, quorum unus, qui ad Occidentem, *Javurka* olim, hodie *Czihova*; alter ad Septentrionem Kněžſký Wrch / id eſt, mons Sacerdotum (fors quòd ſub eo ante portam arcis, *Domus Canonicorum* ſteterint) tertius ad orientem *Haknovecz*. quartus orientem inter, & meridiem anonymus. quintus denique ad meridiem, *Pleſſivecz* cognominatur. Mons Arcis, peripheriam habens circiter 628. paſſuum Geometricorum, à Septentrione per Orientem deſcendit infra meridiem deſcenſu ſatis tortuoſo, ſed declivi. Arx duplicem portam habet, ita tamen, ut venienti utraque ſit tranſeunda. Superior porta tota ferro obducta eſt, ſupra quam picta *aquila Imperialis*: & infra hanc *Inſigne Colovvratianum*. Olim utraque claudebatur, & tantâ vigilantiâ à duobus ruſticis liberis, quos hodiéque *Mannos* vocant, diu noctúque cuſtodienda erat, ut dum vice quâpiam Arcis Burgravius *Dominus de Kolovvrat* unum ex illis vigilibus à porta abeſſe deprehendiſſet, mox carnificem *Pragâ* advocârit, diéque inſequenti caput ei præcidi mandârit. Hodie inferiorem quidem conductus è Mannis ſtipendio Janitor perpetuo clauſam cuſtodit, ad ſuperiorem verò unus è Mannis per ſingulas hebdomadas vigilare cogitur, ſed màgis jam in ſervitijs in Arce occurrentibus, quàm portæ intendere jubetur. Fons Carlſteinenſis. Infimum Arcis locum occupat *Fons*, ob ſuam profunditatem memoratu dignus: namque dum explorarem 17. Junij Anni 1661. aquam in eo 74. pedum, reliqvum verò ſurſum uſque centum ſeptuaginta pedum, adeoque 244. pedum Pragenſium profundum eſſe deprehendi: inde Aquam rotâ bene magnâ à duobus actâ per catenam 1805. annulos ferreos oblongos habentem ſurſum educi neceſſe eſt. *Fonti* proxima, loco aliquantum elevatiore, eſt pars Arcis inferior cubiculis etiamnum habitabilibus ſat multis inſtructa. Inter alia, in media contignatione eſt cubiculum amplum *Mannorum*, Equeſtris dignitatis & Nobilitatis, in quo circa Mannorum cubile. per parietes repoſitoria *armis Mannorum* ſervandis apta, Inſignia *Mannorum Nobilium* præferentia, videre eſt. Ex hujus inferioris ædificij area, tranſitur ad *Cubicula Regia*: quatuor contignationibus illa continentur, ſed hodie penè omnia deſerta, feneſtris ſpoliata, ruinámque minantia. Invenitur hìc inter contignationem tertiam cubiculum *Caroli IV.* tabulis ligneis antiqui, rudiſque operis undequaque expoſitum, & infra hoc *Sacellum S. Nicolao* ſacrum, ſæpe multis miris viſis, S. Nicolai ſacrarium. auditiſque etiam apud hodiernos Arcis Incolas perquam celebre. Ædificio huic Regio per aſcenſum ſatis altum, jungitur ædificium aliud loco editiori ſitum trium contignationum, cujus latitudo eſt circiter 77. pedum, longitudo 78. pedum, altitudo 65. pedum Pragenſium. Muri craſſities hìc eſt circiter 12. pedum Pragenſium. In infima contignatione ſunt aliquot cellaria, è quibus unum *Czervvenka* dictum, carcerum vices agit. In media ſunt Cubicula Domini *Decani Carlſteinenſis*. In ſuprema denique *Templum eſt B. Virginis Aſſumtæ*; Eccleſia B. V. Aſſumtæ. huc Carlſteinenſes, & vicini Incolæ, Dominicis, Feſtiſque diebus ad Divina conveniunt, aſcenſu tamen ſatis arduò: namque octoginta gradus lapideos calcare neceſſe eſt, ut eò pervenias; quodſi ultrà ſub tectum velis aſcendere, adhuc 25. gradus ſunt ſuperandi, adeóque à terra ad ſupremitatem hujus ædificij, gradus lapidei ſunt 105. Habet hoc *Templum Altaria* tria; in medio tabulatum templi grandi fulcitur columnâ. Parietes ſunt omnes picti varijs imaginibus; tabulatum etiam nubibus, & angelis. In pariete, qui oppoſitus eſt Altari, eſt *Sacellum* parvum, ubi Sepulchrum Chriſti haberi ſolet; ſupra hujus portam picti flectunt circa Crucifixum ex una duo viri, ex altera parte duæ fæminæ;

minæ; illi ſunt *Joachimus* Burgravius Carlſteinenſis, & Præſes Cameræ, ac *Joannes*, uterque *Liber Barò de Colovvrat;* hæ verò *Anna*, *& Catharina Colovvratiana.* Annus additus 1592.

Caroli IV. & filiorum effigies.

Supra altare parvum, quod eſt à dextris, in pariete viſuntur tres imagines antiquæ: *Prima Caroli IV.* tradentis Crucem in manus filio *Wenceslao*; ſecunda *Caroli IV.* offerentis annulum Filio *Sigiſmundo*; tertia item *Caroli IV.* ante crucem altari incumbentis; in omnibus tribus eſt *Carolus* in corona, & paludamento Imperiali, pleno floribus. Infra has Imagines, ad ipſum templi pavimentum, eſt *foramen*, *longum* ultra duos pedes Geometricos, latum ad ſemi pedem, altum ultra unum pedem: per quod *Carolo IV.* in proximum *S. Catharinæ* Sacellum, ut ſpiritualibus vacaret, ſe includenti, litteræ, cibus, & alia neceſſaria porrigebantur. Clauditur adhuc hodie ferreâ portulâ. Ad angulum huic foramini proximum, eſt porta, eáque duplex: prima ferro obducta, altera tota ferrea; hîc intratur ad ambitum viridi colore pictum, longum 13. pedes, latum verò ultra tres pedes. Ad hunc ambitum eſt feneſtra non magna, in qua jacet compes ſolidas cum tribus ferreis annulis, dicitúrque eſſe ex illis, quibus conſtricti erant rei illi in carceribus *Micro-Pragenſibus*, ad quos *Corpus S. Wenceslai* occultè *Pragam Boleslaviâ* vectum An. 932. ſubſtitit, nec niſi poſtquam vincti illi dimiſſi ſunt, ullâ vi boum moveri potuit.

Sacellum S. Catharinæ gemmeum.

Ad finem hujus ambitûs tertia porta eſt ferro obducta ad *Sacellum S. Catharinæ*, quod longum eſt tredecim pedes, latum verò octo pedes Geometricos. Parietes Sacelli ſunt *lapidibus Bohemicis* majori parte rubris, materiæ inauratæ incluſis, expoſiti; fornix totus inauratus, cruculis hinc inde expreſſis. In pariete ſiniſtro viſuntur *ſex Imagines* capite tenus *Sanctorum Patronorum* Regni, & ſupra portam intra Sacellum imago pectoralis *Caroli IV.* ex una, ex altera verò parte *Imperatricis*, crucem tenentium. Per longum Sacelli pergunt baculi ferrei penes parietes; à ſiniſtris quidem tres, à dextris verò unus, & per latum fornicis ſupra altare item unus. Altare eſt intra foramen muri arcuatum, viridi colore pictum, & in eo Beatiſſima DEI Mater throno inſidens cum JESULO. Illa manum porrigit *Imperatrici*, hic autem *Imperatori* infra thronum flectentibus. Circà ſunt *SS. Petrus & Paulus.* Antipendio pro hoc altari opus non eſt: ipſe enim lapis altaris totus pictus eſt; antè habet Crucifixum, & ſub eo ſtantes mulieres, à dextris *S. Catharinam*, à ſiniſtris, quæ ſit imago, non dignoſcitur. Circa verticem lapidis altaris erant circumquaque *lapides Bohemici* duplices, ſed jam minoribus evulſis, majores tamen manent. Habetur in hoc altari portatile ex *lapide Bohemico* rubro, cui ſuprà ſcriptum eſt: *Altaris S. Catharinæ.* Parte ex adverſa, ubi *Reliquiæ ſacræ*, membranâ clauſæ, leguntur hæc antiquo ſcripta charactere: *Noli me tangere, & aperire* (hic deletum aliquid, legi non poteſt) *præter Pontificem: quia Corpora Sanctorum in pace depoſita ſunt.* Supra hæc atteſtatio legitur *Conſecrationis hujus portatilis, facta per Reverendiſſimum D. Martinum Epiſcopum Nicopolienſem, Suffraganeum Olomucenſem, Menſe Octobri An: 1515. ſub Leone X. Pontifice, & regnante Wladislao Ungariæ, & Bohemiæ Rege. In Eccleſia Pragenſi, impenſis Joannis Stadovinei Decani Carlſteinenſis.* Stat in hoc altari ſtatua elegans *B. Virginis*, tenens *Chriſtum Dominum*, ex alabaſtro: ſtant & duæ ciſtulæ, tectæ ſerico rubro, duabus ſeris clauſæ; in quarum una ſervatur caput *S. Euphemiæ*, tum *SS. Juſtinæ & Margaritæ* oſſa bene magna, & *S. Burchardi* Epiſcopi mandibula, & brachium; in altera verò caput, & reliquiæ aliæ *S. Palmatij* (cujus templum eſt cis ipſum fluvium ſub arce) *Martyris, Conſulis, & Patritij Trevirenſis*, mar-

Reliquiæ Sacelli.

Digitized by Google

martyrio affecti ſub *Ricciovaro* Prætore; intra quam ciſtulam ſervatur etiam atteſtatio harum Reliquiarum, data *Carolo IV. à Boëmundo Archiepiſcopo Trevirenſi*, ſub ejusdem ſigillo, nec non *Capituli Trevirenſis*, à quo donatę ſunt *Carolo* ſub Annum 1346. Indictione 9. Die 9. Menſis Novembris. Stant etiam hic *duo Candelabra ærea* cęruleo colore, ſtellulis hinc inde ſparſis picta, non inelegantis operis. Ad pedem altaris ſtat campanula in quatuor ferreis pedibus antiqui operis, ſed vocis argenteæ, per modum cymbali; dicitur curata à *Carolo IV.* Stant ex utraque parte duæ ſellæ ligneæ, rudi minervâ elaboratæ, quas ipſe *Carolus* manu propriâ fabricâſſe dicitur. Stant denique in angulo intra Sacellum ad portam tres partes ligni ex curru, in quo corpus *S. Wenceslai Pragam Boleslaviâ* vectum fuit. Eſt ſupra hoc ædificium *turricula*, in qua duæ campanæ: in majore illarum hæc leguntur ex una parte: *An. 1372. Campana hæc primò fuſa, & in Carlſtein à Carolo IV. Imperatore, ac Fundatore Arcis cultui debito dicata, iterum integritati priſtinæ, & loco reſtituta eſt, Imperante Rudolpho II. Anno 1605. Paulus Piſtorius à Luczka Zatecenus, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus Wiſsehradenſis, in Carlſtein Decanus. Daniel Papineus Prazæ in Monaſterio Slavorum fecit me.* Hæc ex altera: *Guilielmus Slavata à Chlum, & Koſſumberg, Dominus in Straz, Novadomo, ac Telcz, S. C. M. Cubicularius, Conſiliarius, ac officij Supremi Cubicularij Adminiſtrator, Burgravius in Carlſtein. Lucia Ottilia de Novadomo Conjux ultima ſtirpis.*

Campanæ Sacelli.

Supremitatem *montis*, in quo *Arx* ſita eſt, occupat *Turris* à reliquis arcis ædificijs ſejuncta, & è duabus partibus muro duplici munita. Antequam ad illam accedatur, ſuperandus eſt ponticulus, qui olim erat dimiſſorius, & poſt eum porta duplex, altera clauſa ligneis foribus, altera aperta. Tum gradus lignei duodecim, ac tandem ad ipſum turris ingreſſum iterum porta duplex ſolido ferro, & multiplicibus olim ſeris munita; *Turris* autem altitudo aſcendit ad 121. pedes Pragenſes; longitudo in vertice turris eſt 84. pedum, & duorum palmorum; latitudo 56. pedum, & duorum palmorum: muri circa partes inferiores craſſities 15. pedum Pragenſium.

Turris præalta.

Quinque in ſe continet contignationes: in inferioribus duobus ſunt cellaria ſolidiſſimè fornicata, in tertia *Sacellum S. Crucis*; in reliquis duabus ſuperioribus, quia lignea erant tabulata, penè conſumta ſunt; unde ad pergulam turris ſat periculoſus aſcenſus. Aſcenditur autem in ipſa turri uſquè ad *Sacellum S. Crucis*, per gradus 64. lapideos, ſupra ſacellum 44. item lapideos, & pòſt uſquè ad ſupremitatem turris per 47. ligneos, adeóque in ſummam collecti gradus hîc inveniuntur 155. Inter aſcendendum ad Sacellum, à ſiniſtris *S. Wenceslai*, à dextris *S. Ludmillæ* vita picta eſt, illa à primis gradibus ſurſum, hæc à *Sacello* incipit deorſum. Utrobique erat ſubſcriptio, ſed jam ità attrita eſt, ut integre legi non poſſit. Ex eo tamen, quod adhuc legitur, colligitur, hanc vitam, poſtquam ea, quam *Carolus IV.* curaverat, vetuſtate penè perijſſet, renovatam eſſe à *D. Guilielmo Slavata Burgravio Carlſteinenſi*; & quidem *S. Ludmillæ* An. 1608. *S. Wenceslai* autem A. 1609. Portæ circa ipſum *Sacellum* ſunt quinque: ad primum ingreſſum tres, duæ ligneæ, tertia ferro obducta, ad alteram verò duæ ferro item ſolidiſſimè firmatæ. Harum pleræque claudebantur ſerâ triplici miri artificij, præter ferramenta, quæ per duas portas tranſibant, & eas conſtringebant. Hodie adhuc tertia, & ultima ſeras habent, & quidem quinta tres, ex quibus una ſex dentibus dimiſſorijs inſtructa eſt, dicitúrque non ità pridem ad antiquam formam curata, conſtare 50. ſexagenas Miſnenſes. In ſecunda porta, quæ, ùt dictum, lignea

Sacrarium S. Crucis.

eſt, ex utraque parte pictum eſt Inſigne *Martinitzianum* cum hac inſcriptione: **Jan Bořita z Martinic/ a na Smečné/ Purkrabě Karlſſteynſký.** 1562. His ſuperatis, patet tandem viſu regio digniſſimum *Sacellum S.Crucis*, olim adeò reverenti veneratione habitum, ut *Sacelli* Fundator *Carolus IV.* in majore ara alium, quàm *Epiſcopum* & Carlſteinenſem Decanum in eo *Miſſam* dicere omnino vetuerit, imò etiam noſtrâ memoriâ, *Domini*, quibus viſitatio Coronæ, Regnique Privilegiorum, &c. hîc ſervatorum à Regni ſtatibus committebatur, in prima parte *Sacelli* ante crates ſtare, ſolique *Eccleſiaſtici* in intimam partem *Sacelli* ingreſſi, *Coronam*, aliáque de quibus *Domini* quærebant, ijs exhibere ſoliti dicuntur. Crates, de quibus mentio facta eſt, ſunt in medio ferè Sacelli, totæ ferreæ, inauratæ, altæ ſex pedes, & duos palmos Pragenſes, in medio item portam ferream inauratam habentes, ſupra quam ſat altè aſcendit arcus & hic ferreus cum ſex dependentijs, quarum ſingulæ tenebant lapidem viridem *Bohemicum;* ſed jam præter unum, omnes perditi. Supra portam ex utraque parte ſunt candelabra quatuor. Longitudo Sacelli à limine portæ uſq; ad crates, eſt 23. pedum Pragenſium; à cratibus ad murum uſque 23. pedum, adeóque tota longitudo eſt 50. pedum Pragenſium. Latitudo maxima, id eſt, inter feneſtras, eſt 51. ped: Prag: inter parietes autem, quę minor eſt alterâ, eſt 30 ferè ped: Prag. altitudo denique maxima eſt 28. ped: Prag: Pavimentum ultra crates è rubris ordinarijs, & viridibus lateribus eſt fabricatum, alibi ordinarijs tantùm ſtratum. Ad duorum ferè pedum Pragenſium altitudinem ſupra pavimentum, per omnes parietes, etiam in porta, ſunt *Cruces rubræ* efformatæ. Ad finem illarum ſunt baculi ferrei per totum Sacellum circa parietes, & in his candelabra, ſive potiùs cuſpides, candelis infigendis aptæ. Extant adhuc ex ijs 644. exciderunt autem, foraminibus tantum relictis, circiter 21. adeóque univerſim fuiſſent 665. Hoc tamen hîc notandum, quòd cuſpides illæ ita alternatim ſint diſpoſitæ, ut una duos uncos, ſeu minores circa ſe cuſpides habeat, altera non, tertia rurſum ſit cum duobus uncis talibus, & quarta viciſſim non, & ſic de cæteris. Proinde, ſi in his etiam minoribus cuſpidibus candelæ ponebantur, effecerunt hæ minores numerum novum 665. &ità in unum omnes collectæ arſiſſent 1320. candelæ. Hîc jam ad altitudinem 4. pedum, & duorum palmorum, aſcendunt in parietibus *lapides pretioſi Bohemici*, plerique *rubri*, pellucidè elaborati, & ſat frequentes, hinc inde *figuram Crucis* exprimentes. Pòſt expoſiti ſunt parietes ad fornicem uſquè elegantibus (quæ in politis, auróque divitibus tabulis pictæ ſunt) imaginibus; harum aliæ duplici per totum Sacellum, ad altare verò triplici ordine pergunt, latæ tres pedes Pragenſes, longæ quatuor pedes; numero 93. quanquam jam ex his una perdita ſit; aliæ ultrà, minores, numero 29. In pariete altaris ſupra locum coronæ ſunt ſex parvę duplici ordine, & ſupra has una *Chriſti Crucifixi.* Supra portam denique circa feneſtram ſunt 4. alijs majores, adeóque omnibus ſummatim collectis, erant hîc imagines (præter eas, quæ ſuperiùs in muro ad feneſtras pictæ ſunt) numero 133. Et quod maximè eſt notandum, pleræque habebant ſui quævis *Sancti Reliquias*, ùt loculamenta relicta teſtantur. Nihilominus tamen ad dexterâ ultra crates feneſtram in imagine cujuſdam S. Virginis ſagittam in manu tenentis, bona pars ſacri oſſis cryſtallo clauſa manet, prout eam, dum hæc luſtraremus, deprehendimus, (apponi voluit hoc loco Vir fide dignus & Amicus, plures in cryſtallis quinque, aut ſex ſupereſſe *Divo-*

Deſcriptio hujus Sacelli Regię Coronæ elegantiſſimi.

Nota.

Divorum Reliquias ac nominatim *S. Laurentij Martyris dentem* hodiéque in Effigie SS. illius Martyris hærere.) *Fornix Sacelli* duplici ligaturâ conſtat, plenus ſpeculis rotundis juſtæ magnitudinis, inauratis, & inter ea cruculis hinc inde interjectis. Deniq; totum opus plenum eſt auro; in fornice, in parietibus circa lapides, circa imagines variæ ubique figuræ ex auro expreſſæ, alibi flores, alibi crates, & aquilæ, alibi *apes*, alibi littera K. & corona. Feneſtræ hîc erant quatuor: prima ſupra ipſam portam; ſed hodie parvo foramine relicto, manet lateribus clauſa. Eſt etiam inter hos lapides obmurata tuba, quantum apparet, ſtannea, aut plumbea, aliquantùm exciſa. dicitur eſſe ex illis, cum quibus *Iſraëlitæ Jericho* circumiverunt; ſit fides penes hujus rumoris authorem. Secunda feneſtra eſt à dextris in prima parte Sacelli. Tertia eſt item à dextris, ſed ultra crates, & huic oppoſita eſt à ſiniſtris quarta item ultra crates. Erant olim pro his feneſtris ad medium uſque illarum (ùt ex uncis apparet) intra ipſum Sacellum valvæ ex *lapidibus Bohemicis*, alijs minoribus, alijs etiam ad pugni magnitudinem accedentibus viridibus, flavis, violaceis, qui unam majoris, & 4. minoris Crucis figuras referebant; ſed jam nonniſi ad tertiam feneſtram quatuor tales valvæ, & ad quartam una revulſa, altera adhuc affixa, manent; & hæ quidem ipſæ pluribus lapillis ſpoliatæ. Altaria, eáque ultra crates ſunt tria: majus eſt in medio muri, ſeptentrionem versùs; duo minora; alterum ad ſiniſtram, alterum ad dextram feneſtram. In majori altari, quod longum eſt 7. pedes, latum 4. ferè pedes, altum 4. pedes Pragenſes, nulla imago, aut quidpiam aliud, ſed foramen quadratum intra murum, intus viridi colore, & ſtellis aureis, foris aquilis, & leonibus item aureis pictum, latum 4. ped: altum 5. ped: Pragen: cratibus inauratis

Fornix Sacelli.

Gemmæ Sacelli.

Altaria Sacelli.

fortiſſimis armatum, qui olim triplici ſerâ claudebantur; & hoc ipſo loco *Corona* ſervabatur. Stant in altari duo candelabra non magna ex *junipero*, quæ mirum eſt per tot annos hîc eſſe ſervata: infrà enim in ijs hæc ſcripta ſunt, in uno: *Paulus Piſtorius de Luczka SS. Theologiæ Doctor, An. 1601. 13. Septembris, ex Archidiacono Pilſnenſi, factus Decanus Capellæ Regiæ in Carlſtein, hæc ſcripſi 6. Decembris, 1614. Eadem renovavi 13. Aprilis, 1616. Deo laus, & gloria, Amen.*

Ad cornu Epiſtolæ ſub gradu altaris eſt foramen, per quod deſcenditur ad cavitatem quandam, quæ eſt intra fornicem inferiorum cubiculorum, & pavimentum ipſius Sacelli, protenditúrque hæc cavitas ſub crates ſæpius memoratas. Invenitur hîc ad ſiniſtram feneſtram *Draconis caput* duos pedes longum cum aliquot oſſibus. Ad oppoſitam feneſtram dextram ſtat *Laterna* ex vitris cryſtallinis inaurato ligno incluſis, olim elegans, jam prorſus neglecta, alta duos ferè pedes. In pariete ſiniſtro ultra crates inveniuntur variæ litteræ â Dominis Commiſſarijs, qui hoc Sacellum olim viſitârunt, affixæ, & quidem I° Litteræ Viſitationis An: 1604. factæ ratione conventionis cum alienis Provincijs, & nonnullis alijs de cauſis. Inſignia, & nomina reliquerunt Domini ſequentes: *Zdenko de Lobkovicz, Cancellarius Regni. Stephanus Sternberg, Præſes Cameræ. Chriſtophorus de Lobkovicz, Supremus Regni Præfectus. Adamus Sternberg S. R. Camerarius. Wolff: Kolovvrat S. R. Iudex. Joannes Schvvamberg, Supremus Judex Aulæ. Adamus Waldſtein, Camerarius S. C. M. Ferdinandus de Donina, Præſes Appellationum. Joannes Klenovva, S. R. Scriba. Joannes de Wrzeſovvicz, Burgravius Karlſteinenſis. Chriſtophorus Wratislavv, Burgravius Hradecenſis. Ctibor Zdiarsky. Georgius Gerſtorff.* Sub his eſt atteſtatio hujus viſitationis à *Bohuslao*

Procerum nomina.

 Mi-

Micholovvicz, Vice Scriba Regni. II. Affixa eſt atteſtatio latina viſitationis, & Reviſionis Privilegiorum Regni factæ, An. 1608. 8. Junij, ſubſcripta ab *Henrico de Piſnitz*, Procuratore S. C. M. & *Chriſtophoro de Sebuſina*, Pro-Cancellario Regni. III. Reviſionis Privilegiorum atteſtatio facta Anno 1398. die Medardi ſubſcripta à *Bohuſlao Michalovvicz.* IV. Nomina, & Inſignia in membrana Dominorum, quibus hæc viſitatio fuit commiſſa. Sunt autem hi: *Chriſtophorus de Lobkovvicz, S. R. Camerarius. Wenceſlaus Berka, S. R. Judex. Wolff. de Kolovvrat. Hertvvigius de Schönfeldt, Reginæ Sub-Camerarius. Joannes de Klenau, S. R. Scriba. Henricus Kapaun de Svvogkovva.* V. In charta penes hanc membranam jam lacera, ijdem inveniuntur ſubſcripti, quibus etiam additus *Wenceslaus Pietipesky.*

Ciſta Privilegiorum Regni.

Habentur hîc è ligno ſolido *ciſtæ*, olim *Privilegijs Regni &c.* ſervandis deſtinatæ, multis ferramentis, triplicibúsque ſeris munitæ; jam verò aut vacuæ, aut lupulo impletæ, univerſim 19. & quidem I. in anteriori parte *Sacelli* in pavimento circùm ad parietes ſunt *octo* oblongæ. II. ultra crates ſimiliter oblongæ ad parietes quatuor. III. oblongæ item, ſed aliquantum altiores duæ. IV. aliæ his majores tres, quarum ſingulæ habent duplici ordine diſpoſita octo repoſitoria. *Prima* exteriùs ſignata eſt litterâ A. interiùs habet primum repoſitorium A. cum inſcriptione: **Prywilegia Latinſká Starſſj / na Králowſtwj Cžeſké ſe wztahugjcý.** *Secundum* B. cum inſcriptione: **Prywilegia na těž Králowſtwj Cžeſké / Německá některá / y Latinſká.** *Tertium* C. cum inſcriptione: **Rewerſſowé / a Liſtowé rozličnj na Obywatelé Králowſtwj Cžeſkého ſe wztahugjcý.** *Quartum* D. cum inſcriptione: **Markrabſtwj Morawſké.** *Quintum* E. cum inſcriptione: **Knjžetſtwj Slezſké.** *Sextum* F. cum inſcriptione: **Knjžetſtwj Opolſké / a Ratiborſké.** *Septimum* G. cum inſcriptione: **Měſto Cheb / Zámek Flos / Parkſteyn / a ginj Statkowé w Kragi Chebſkém / a Falczu.** *Octavum* H. cum inſcriptione: **Knjžetſtwj Rakauſké.** *Secunda* ſimilis ſignata eſt litterâ B. exteriùs; interiùs habet *primum* repoſitorium I. cum inſcriptione: **Markrabſtwj Brandeburgſké.** *Secundum* K. cum inſcriptione: **Země Baworſká.** *Tertium* L. cum inſcriptione: **Knjžetſtwj Lucemburgſké.** *Quartum* M. cum inſcriptione: **Smlauwy wſſeligaké s okolnjmi Potentáty.** *Quintum* N. cum inſcriptione: Vidimus **rozličných Mageſtátůw.** *Sextum* O. cum inſcriptione: **Na Zemi Saſſkau / Miſſenſkau / a Franckenlandſkau.** *Septimum* P. cum inſcriptione: **Kwitancy mnohé na některý Summy dáwno zaplacené.** *Octavum* N. *ſecundum* cum inſcriptione: **Rewerſſowé od G. M. Cyſ: Stawům daný.** *Tertia* ſimilis, ſed vacat inſcriptionibus.

Quintò: Ad cornua Altaris eleganti opere elaboratæ duæ, in quibus ſervabantur *Reliquiæ Sanctorum*, manéntque etiamnum in una duo ſcabella, ſerico recta, in altera unum. exciſum eſt in una: *Matthiâ II. regnante.* & infrà: 1612. in altera: *Status Regni FF.* & infrà: 1612. Denique ſtat ante crates *Pulpitum*, crucibus, & ſtellis è ligno rubro undique ſignatus. Item in angulo à dextris portę jacet lapis juſtæ magnitudinis, qui in obſidione Arcis An. 1422. projectus in *Carlſtein* ab Huſſitis Pragenſibus.

Turris.

Turris tectum ex imbricibus rubris, turriculam habet in medio, laminâ obductam, in eáque cymbalum pro Horologio, & unam campanam. Circa tectum eſt pergula ſat ſpacioſa, muro clauſa, per quam tota turris circumambulari poteſt. Renovata eſt hæc Arx circa Annum 1598. Imperatore *Rudolpho II.* cujus Auguſtiſſimi nominis initialis littera *R.* ex omnibus turris partibus picta, viſitur; in ea autem parte, quæ Orientem reſpicit, picta ſunt Inſignia *Imperij*, *Regni Bohemiæ*,

mia & Procerum de Kolovvrat. Sub ultimo hæc ſcripta ſunt: *Joachimus Novohradsky, & Dominus in Buſtiehrad, Mielnik, & Koſſatek, S. C. Regiæque Majeſtatis Conſiliarius, Cameræ Regni Bohemiæ Præſes, & Burgravius Carlſteinenſis, An. 1598.* Ad extremum etiam notandum, eſſe hîc in mœnibus arcis ſex domunculas (quatuor ſunt circa turrim, una ſub ædificio regio, & una ante fontem) in quibus olim nocturnas agebant vigilias ſex ruſtici, & ad ſingulas noctis horas, præter ordinariam clamandi formulam, hæc addebant: **Dále od Hradu/ dále.** quod etiam hodie ſervatur. Erant pro his vigilijs ad medium milliare duo pagi, præter hoc onus, ab omni alio etiam tributorum liberi, ſed jam ferè in ordinem ſubditorum redacti: namque *duo* hebdomadatim vigilias illas nocturnas ſervant, reliqui præter commune contributionum onus, peractâ ſuâ hebdomadâ, etiam alijs laboribus ſubjecti ſunt.

Vigilum domunculæ ſaxeæ.

In vicinia ſunt hæc memorabilia.

PRimò: Ad medium ab arce milliare inter *Orientem & Meridiem*, erat arx *Carlik*, quam *Carolus IV.* pro Imperatrice, ejúsque Aula erigi curaverat, ut in ea nocturnum tempus tranſigeret (nulli enim tunc fœminæ in *Carlſteinenſi Arce* per noctem manere licebat) diurnum in ipſo *Carlſtein* cum Imperatore actura. Sita erat hæc arx in monte quodam pratis, ac piſcinis incumbente, loco amœniſſimo; ſed hodie, præter paucula rudera, de ea extat nihil, locúsque ipſe ita arboribus etiam grandioribus refertus eſt, ut ſinè Duce non facilè invenias. Vicini ruſticani locum hunc vocant hoc tempore *Hradek.* *Secundò*: Occidentem versùs ad ipſum flumen *Mizam*, quartâ circiter parte milliaris ab Arce, eſt antrum gratioſum, cubicelli intra petram quandam portulâ ligneâ clauſum, quod *S. Ivanus* incoluiſſe dicitur, priusquam eò loci, ubi à *Borzivogio* inventus, & mortuus eſt, migrâſſet. *Tertiò:* Ad eandem partem à *Carlſtein* milliari item trans fluvium eundem, Civitas olim, jam pagus *Tietin* eſt, ubi *S. Ludmilla* occiſa; extat hodiéque lapis ſangvine cruentus, ad quem *Sanctæ* caput, dum occideretur, alliſum fuerat. Manet is in Sacello ſub nomine *S. Ludmillæ*, eo ipſo, quo occiſa eſt loco, erecto. Ad pauculos paſſus eſt templum *S. Catharinæ*, & juxta, rudera templi Sanctorum 10000. Martyrum, ubi *Corpus S. Ludmillæ* aliquamdiu defoſſum fuit, & fors inde loco tanta reverentia, ut nullius corpus hîc inhumatum ultra 24. horas intra ſe terra patiatur. Quartum etiam adhuc templum ab his aliquantò remotius eſt *S. Michaëlis, à Borzivogio* Duce exædificatum; cujus *Principis* non longè abhinc ad ipſum flumen extant nonnulla rudera Arcis, quam is inhabitâſſe fertur. *Quartò:* Tantundem ſpatij eſt occidentem versùs item ad *Monaſterium S. Joannis*, & locum illum, quem *S. Ivanus* pluribus annis incoluerat, inibique mortuus corpus ſuum reliquit, quod frequenti hominum, maximè *Pragenſium* concurſu, quotannis viſitur. *Quintò:* In ſilvis, per quas *Carlſteinio ad S. Joannem* via eſt, extat in quadam quercu locus ſeſſioni commodus, qui à vicinis *Sedes Regia* dicitur, ex eo, quòd *Carolus IV.* dum circà venationi indulgeret, quietem ibi capere ſit ſolitus. Nec longè ab hoc loco fons ſcaturit, quem *Fontem Regium* ſimili ratione appellant, quòd idem *Carolus* ſitim ad eum levare in more habuerit. *Sextò:* In monte arci vicino ad occidentem, qui olim *Javurca*, hodie *Czibovva* dicitur, erecta eſt Crux rubra prælta, monitu Venerabilis Memoriæ Patris *Nicolai Lancicij Societatis J E-*

An Karlik.

Antrum S. Ivani Eremitæ.

Tetin Arx.

Cœnobiū S. Joannis in rupe.

Sedes & fons Caroli.

JESU ab Illuſtriſſimo D. Joanne Kawka de Rziczan.

Arcis hujus vetus Gloria.

Hactenus *Carlſteinenſis* arcis deſcriptio ab Amico confecta: ſumma ſuper omnes *Bohemiæ* Arces hujus fuit gloria, quòd *Coronam Regni*, & reliqua *Cimelia*, quòd rariſſima *Sanctorum pignora*, quòd *Literas publicas* conſervârit; quòd duplici Regio Magiſtratu ex Dominorum & Equitum ſtirpibus (*Burgraviorum*) honorata; quòd *Caroli IV.* ſanctæ ſolitudini (in quam ſeſe quotannis, quantum Regiæ, & Imperiales ſinebant curæ, abdebat) quòd hæreticorum armis toties oppugnata, expugnari non potuerit, adeóque *Virgo & Innocens* ſit *ſolum*, quod hoſtes nunquam calcaverint.

§. IV.

Indiculus quarundam aliarum Arcium Regni Bohemiæ, quas Hagecius omiſit, quæ mihi reminiſcenti venêre in mentem, aut quas in Adverſarijs meis notatas invêni.

A.

Hagek in An: ad A. 1447.

ADrſpach. Arx in Provincia Reginohradecenſi, nomen dedit ramo familiæ *Berkianæ ab Adrſpach* prioribus ſæculis nuncupato; eam, quòd ſe in illis Huſſitarum temporibus prædones clauſiſſent, *Sileſij & Luſatij* captam A. 1447. diruêre.

Audrc. Cub. 11. originaria Arx nobiliſſimorum Equitum *Audrckiorum*. habitabatur Avorum memoriâ, ùt teſtatur *Hodegovinus* Vice-Judex Regni Bohemiæ in M. S.

Hodieg. in M. S.

Aunhoſt. Slan. 2. habitabatur priore ſæculo.

Hodie: in M. S.

Autvvina. Arx habitabatur priore ſæculo. locum ignoro.

Hodieg. Ib.

Auvval. Caurz. 3. Arx nunc deſerta. habitabatur priore ſęculo. incendit eam A. 1507. Pragenſium capitalis hoſtis *Kopydlansky*.

B.

Hagec. ad An. 1447.

Belvver. Arx fuit limitanea Bohemiæ, quam Anno 1447. *Luſatij* dejecêre in cumulum.

Bila.

Hagek in An:

Bila. Caſtrum (Germani Weiſſwaſſer dixere) vetuſtiſſimum, & juxta Hagecium An. C. 758. excitatum. A. 1121. occupatum à Germanis rurſus à Wladislao Duce Bohemiæ receptum eſt. Perdiu in ditione *Michaloviciorum Procerum* fuit, captum à Pragenſibus An: 1421. unde illi in *Miſniam* prædas agebant; *Sigiſmundus Saxoniæ Dux* adverſùs hæreticos bello ſuſcepto An. 1431. Arcem captam incendit, & defenſioni inutilem reddidit.

Theobald. in Huſſiticu P. 1. C. 72.

Blanckſtein. à Catholicis exciſum An. 1442. Hagek. Vide *Blansko.* §. 1.

Bolehoſtie. Caſtrum à Civibus *Hradecenſibus* captum A. 1458. hodie funditus eſt deſertum.

Chlum. Caſtrum antiquiſſimum adversùs limites *Moraviæ*, de quo Hagec. ad A. 810. C.

Chvvatieruby. Arcem Haſenburgicorum Rex *Georgius* occupatam dejecit.

Dievvin, vel *Dievvczibrad* ad *Pragam* (quà in *Rzeporey* via ducit) arx deſerta, hodiéque monſtratur, quam *Bohemiæ Amazones* adversùs viros An. 738. condiderant. D.

Domaſlavin. caſtrum pervetus *Libuſſæ* temporibus ſtetit; hodie etiam veſtigium arcis ignoratur. *Hagek ad An. 721.*

Druhovv. Arx deſerta, ad *Piſecam* erecta à Duce *Wogeno* An. 816.

Drſtka caſtrum Procerum *Weprzikorum*, ſeu de *Sselemberg*, non procul ab Arce *Przimda*, de quo Hagecius ad A. 1009.

Drzevvicz. Arx egregiè munita *Berkoveciorum*, in quam ſeſe A. 1004. *Udalricus* Bohemiæ Dux elapſus è cuſtodia recepit.

Einſidel. Arx adhuc ſæculo priore habitabatur. E.

Geniſſovvice. Caſtrum perquam mu- G.

munitum ab *Alberti* Archiducis Auſtriæ copijs, qui pro Socero *Sigiſmundo* adversùs hæreticos pugnabat. An. 1421. captum commemorat *Theobaldus*. (25. Octob.)

(Theob. in Huſſitic. P. 2. C. 15.) *Gvvnik* in Litomericenſi, Arx fuit egregiè communita, quam prædones intercepêre; ſed ipſos prædones *Jacobus Wrzeſovecius* A. 1444. cepit, arcémq; incendit.

H.

Heskovv Caſtrum ad *Beraunam* A. 776. conditum, nunc omnino deſertum.

Hradiſtie montis Tabor. Vide *Tabor*. & paulò infrà *Kotnovv*.

Hradecz. Ad Auſſti (hodie Auſcham) in Litomericenſi Diſtrictu in ſilvis, & rupibus Caſtrum deſertum hodiéque cum vetuſtate & tempore luctatur, ſeſéque ipſum paulatim ruderibus inſepelit; *Hradecz* vel *Hradek* olim appellabatur; nunc novo nomine (quòd ibi quidam *Simias* ſua cubilia habere putârint, & armati in eas jerint) *Offenburgum* appellatur à Noſtris

(Hagek A. 880) *Hoſpozin.* Arx vetus ad Pragenſem Principatum ſpectans.

K.

Kabence. Arx ad Dubam. de qua in *Duba*.

(Hodieg in M. S.) *Kamberg.* Bech. 8. habitabatur priore ſęculo. hanc eſſe puto, ad quam Imperator Henricus cæſus eſt An. C. 1040.

Karlik arcula ad Carlſtein à Carolo IV. condita 1358. de qua nuper.

(Hagek.) *Kaſſin* arx vetuſtiſſima, è regione Zbraslaw A. 711. conditur.

Kornhauß. Slan. 5. habitatur. diruta fuit arx An. 1384.

(Hodieg. M.S.) *Kozybrzbet.* Arx avorum memoriâ habitabatur.

(Hod. ibid.) *Kraſna hora.* Wltaw. 8. habitabatur ſæculo priore.

(Hagek in præfat. Annal.) *Krczin* Arx ſeu *Gurtz*, vel *Kurtz* apud *Hermunduros*.

Krokovvec. caſtrum vetuſtiſſimum, A. 676. conditum, narrat *Hagecius*.

(Theob. in Huſſit. P. 1. C. 30.) *Kuklvveit.* Arx in ditione Roſenſium, ſed, niſi fallor, primitus Regia; quam *Henricus de Roſis Wenceslao* Regi infenſus A. 1394. captam ſolo æquavit; huc inducti altero ſæculo ſunt *S. Franciſci de Paula* diſcipuli, ùt commodiore loco narrabitur. (Hagek ad An. 1394.)

Kunradice. minimo milliari *Pragâ*, Arx Regia quondam, *Wenceslai Regis ac Cæſaris* opus An. 1391. qui eam ſibi condidit, & ùt olim *Tiberius*, pro *Capreis* ſuis, & *Capris*, dum vixit, habuit; ejus etiam morte ſubitâ nobilitata An. 1418. 16. Auguſti cum ſuo conditore finem accepit; non diu enim pòſt, videlicet An. 1420. à Pragenſibus oppugnata, capta, ac diruta fuit tantâ rabie, ut lapis nullus alteri commiſſus ſuperfuiſſe dicatur. (Kunradice.)

Kotnovv Caſtrum An. 774. excitatum eſt; eodem in loco poſt annos prope 500. *Tabor* Civitas condita, & ex ruinis hujus Arcis pervetuſtæ caſtrum aliud **Hradiſſtě Hory Tábor.** Hæc arx dolo nocturno An. 1428. à præſidiarijs *Arcis Bechinenſis* capta cum omni populo incenſa eſt; *Taboritæ* qui aberant, receptum Caſtrum reſtaurarunt. (Kotnow.)

L.

Lamberg. Arx, habitabatur ſuperiore ſæculo, ùt teſtatur *Hodiegovinus*. alia eſt Arx *Lemberg* Boles: 13. (Hodiegow: M.S.) quæ ab elegantia commendatur. (Hod. M. S.)

Ledcze Arx diverſa à *Ledecz*. habitabatur ſæculo ſuperiore.

Libecz caſtrum, & Civitatem *Libice* A. 710. juxta Chronologiam Hagecianam *Libuſſa* condidit, ad confluentem *Albis & Cydlinæ*. Pertinuit hæc ditio ad *S. Adalberti* familiam, contigitque An. C. 995. 28. Septembris quinque germanos *S. Adalberti* fratres in hac urbe ab Ethnicis ob Chriſti fidem occidi, quos velut *Sanctos Martyres* antiqua honorat Bohemia. Nunc *Libicenſe* Caſtrum funditus dejectum eſt; oppidum *vix vixque tenet ſe*. (Libicze.) (Virg.)

Libiehrad à Gynæceo Libuſſæ Arx condita An. 712. è regione Tursko uno propè milliario Pragâ; Pagus ſubtus *Libczice* dicitur in ipſa Mulda-

væ

væ ripa; *Liebiehradi* rudera hodiéque ſpectantur.

Hod. M. S. *Lipenecz*. Zatec. 8. habitabatur ſęculo priore.

Hod. M. S. *Lobkovvice* arx Caurz. 3. habitabatur ſæculo priore. ſtetit hæc Arx jam ſub *Boleslao ſævo* An. 956.

Lomnicium. Hrad. 12. multo tempore à *Waldſteinijs* Proceribus ditione tenebatur; olim *Wenceslai Regis*, ac Cæſaris juſſu dirutum, cùm quidam prædones eò ſe recepiſſent A. C. 1417.

Hagek ad An. 864. *Lovin ad Zatecium* ſtetit, quod caſtrum *Wladiſlavva Wlaſtiſlai* Ducis conjux condidit ad ſacra magica peragenda; quę cùm minùs ritè celebraret, fulmine ab irato dæmone perijt.

Lutice. Arx capta, & diruta à *Carolo IV*. An: 1335. fuit olim Arx & patria *Drahomiræ* conjugis *Wratislai Ducis*, & matris *Boleſlai* ſævi.

M.

Makotrzaſy, arx fuit munita; non procul *Buſstiebrado* rudera viſuntur, quam An. 1420. 23. Maij. *Zatecenſes*, *Launenſes*, *Slanenſes*, quòd eorum conatus remorari poſſe videretur, funditus exciderunt. Theobald. in Huſſiticis P. 1. C. 35.

Hod. M. S. *Martinicze* Arx. Czasl. 9. adhuc habitabatur ſæculo priore.

Hagek ad An. 1368. *Michalovvice*. Arx deſerta poſt *Vetero-Boleslaviam*. habitabatur ſæculo priore. Hodieq: M.S. eadem Arx dicta *Michelſperg*.

Mladiezovice; hanc An. 1467. *Piſecenſes & Wodnianienſes* captam diruêre, ſpectabat ad *Joannem Tluxam Wrabsky* antiquiſſimæ ſtirpis Equitem.

Hagek. *Mſtibin* Arx deſerta in Caurzimenſi Provincia A. 874. condita.

Mlazovice. *Mlazovice* Arx fuit celebris *Czerniniorum* (id me M.S. quoddam cogit credere, cùm alioquin *Czerninij* in Reginohradecenſi regione vix unquam habitâſſe ſciantur) *Ziſka* Arce An. 1424. occupatâ *Czerninum* loci Dominum (ità illud M.S.) odio Catholicæ religionis occidit.

O.

Hagek in An: *Obeb* Caſtrum adversùs Moravos A. 811. conditum.

Oſtromecz Arx. habitabatur adhuc ſæculo priore, quam A. 1428. *Bechinenſes* Præſidiarij Catholici occupatam diruêre. condita fuit An. 784. à *Mnata* Bohemiæ Principe. Hod. M. S. Theob. P. 2. C. 18.

P.

Piczin. Podbr. 6. Arx propè deſerta. habitabatur initio ſæculi hujus.

Ples. *Ples*. Caſtrum vetuſtiſſimum in Reginohradecenſi ſtetit eò loci, ubi *Metuge* fluvius ſub *Jaromirio* ſeſe in *Albim* præcipitat; hæc prima ſedes Equitum fuit, qui ferreas chirothecas geſtant in clypeo, quales *Sadovvskij*, *& Cordulæ*, *& Pleſſij* ex vetuſta *Bohemiæ* Nobilitate, qui hodiéque de *Ples* nominibus ſuis adjiciunt.

Podliſſin & Trz Caſtra, *Brzetislaus* Bohemiæ Dux in literis Fundationis Collegij Canonicorum *Boleslaviæ* nominat; quæ ubi ſteterint, ignoratur. Epit. hiſt. l. 3. C. 6.

Popovvicz Arx maximæ firmitatis, auſa *Taboritarum* exercitui fanatico, nec fanaticè minùs obſidenti, reſiſtere An. 1420. cum cæde omnium ſuorum expugnata diruitur. Theob. l. c. P. 1. C. C. 41.

Poſtoloprti arx pervetus; de quo vide *Hagecium* f. 26. 53. & 102.

Hagek f. 12. *Przemyſslen*. Caſtrum à *Przemyslo Libuſſæ* maritò conditum, in quo *Nezamyſlus Libuſſæ* filius educatus eſt; rudera hodiéque ſpectantur uno, & dimidio milliari *Pragâ* in Caurzimenſi Diſtrictu *Odolkam* versùs.

Przerovv. Caſtrum 4. milliaribus *Pragâ* in Caurzimenſi, quod *Pragenſes* à Domino *Jaroslao Sselembergico* Regni Camerario emerunt A. 1524.

Hagek ad An. 1424. *Przibiſlavv* Caſtrum. 15. Czaslaw. quod dum oppugnat *Ziſka*, peſtilentiâ ictus perijt.

Przibenice, Arx *Roſenſium* Procerum, in qua captivus An. 1394. ſedit Rex, & Cæſar *Wenceslaus*.

R.

Id. ad A. 844. *Radoſtin*. Arx à *Krzezomyſlo* Duce condita.

Theob. l. c. ad A. 1444. *Rudik*. Caſtrum *Jacobi de Wrzeſovvicz* Zatecenſes A. 1444. incendunt.

Riſenberg, vel potiùs *Rizmberg*. vide ſuprà §. 2.

Hagek 992. *Ruzienie*, Arx *Wrſſovveciorum*, jam diruta.

Rze-

Rzepin Arx antiqua. Boleſl. 5. habitatur.

S. *Hagek ad An. 753.* *Sedeſſin* Caſtrum à Principe *Nezamyslo* conditum.

Skalka Caſtrum, cujus mentio eſt apud *Hagecium* ad An. 855. habitatur hodiéq; novum.

Schreckenſtein arx in Litomericenſi Regione poſt Auſtam, *Wartembergicorum Dieczinenſium* Caſtrum, diu invicta ſtetit; ad eam ſeſe fugientes ex prælio recepiſſe, An. 1426. narrat *Theobaldus*. *Theobald. in Huſſitica P. 1. C. 59.*

Slatinany præclara omnino Arx hodiéque inter *Worle*, *& Chrudimium* ſita ſpectatur, commendant eam qui vidêre; olim ad *Berkarum Fideicommiſſum*, ut vocant Juriſconſulti, referebatur, ejúſque portio fuit; nunc eam clari apud nos Equites, *Putzhart* obtinent.

Smeczno Arx, Slan. 4. habitatur.

Stochovv. Arx fuit, & ditio dotalis *Drahomira*, ùt ex *Hagecio* datur intelligi; pridem condita, à *Lucenſibus* deinde everſa, & poſtea An. 870. à *Neklano* Principe reparata. *ad A. 921.*

Strzibovv Caſtrum perelegans, & ſpatioſum commendat *Hagecius* ad A. 786. quod *Strzih* quidam homo locuples excitavit.

Skalice. *Skalice* Caſtrum pervetus. Caur. 4. ad quod, priùs quàm *Caurzimium à Koldojo* caperetur, recepit ſeſe *Kraſnik* Dux Caurzimenſis. Poſt plura ſecula An. 1394. *Racek Kobila* vir latrocinijs, & genere nobilis, Arcem hanc inſedit, quam *Sigiſmundus* Rex Ungariæ, *Wenceslai* Cæſaris frater occupavit, & evertit. Eſt & alia *Skalice* in Hradecenſi 15. quam An. 1450. *Reginohradecenſes* Cives (quòd ex ea latrocinia fierent) diruerunt.

Skala. *Skala* fuit vetuſtiſſima Arx gentis *Ssvvihovia*, quæ Principum agnatis donabatur; unde & *Boleſlai Pij Frater Chriſtannus de Skala* dictus eſt; poſtea *Theobaldis Ssvihoviorum* originarijs in perpetuum ceſſit, ùt ex *Hageko* conſtat. diruta eſt à *Ssvvambergio*, *& Colovratao* Proceribus An. 1442. *Haget. ad An. 1187. & 1122*

Ssvamberg *Ssvvamberg*. Originarium Caſtrum Familiæ Procerum hujus nominis antiquiſſimis temporibus *Kraſykovv* dictum, unde Proceres illi olim etiam *Kraſykovij* dicebantur. Excîdit Arcem hanc captam An. 1421. *Ziſka* alter Bohemiæ *Poliorcetes*, cùm de *Ssvvambergijs*, ac præcipuè de *Bohuslao* ultionem peteret, qui An. 1419. ſemel, iterúmque *Ziſkam* militariter obſedit, ac tantùm non cepit, per uliginem fugâ elapſum, ùt narrat *Theobaldus*. P 1. C. 32.

Sukoslavv Caſtrum à Majoribus *Kaplirziorum* An. 880. conditum. *Hagek.*

Svvadovv vetus Caſtrum *ad Albim* A. 826. conditum, nihil habet præter rudera.

T. Tauſſinie. *Tauſſen*, vel *Tauſſinie* Caſtrum Procerum de *Michalovvicz*, non procul *Boleslaviâ* (in pago cognomine hodiéque rudera ſpectantur) olim ad *Reges* ſpectâſſe, vel inde aliqua ſuſpicio eſt, quòd in eo *Carolus IV. ex Boleslavienſi* peregrinatione rediens pernoctârit, ac fortè pluribus diebus quiêrit, narrat enim ipſe *Imperator in vita ſua* ſe in *Tauſſinie* quaſi per viſum Evangelium quoddam interpretatum eſſe, quæ interpretatio & in *vita Caroli*, & apud *Freherum* legitur. Arcem hanc *Pragenſes* vi cepêre A. 1421. ſæculo priore habitabatur adhuc. *Hodieq. in M. S.*

Tabor. vide *Kotnovv* paulò antè.

W. *Weiſſenburgum* Arx peculiaris lineę *Berkarum*, qui à *Weiſſenburg* poſt An. 1200. ſunt appellati. Hæc ſtirps Illuſtriſſima pridem perijt, certè non memini poſt A. 1450. aut paulò pòſt, ullam fieri in hiſtorijs noſtris *Procerum de Weiſſenburg* mentionem. Arcem ipſam diruêre *Sileſij*, *& Luſatij* A. 1447. ùt teſtatur *Hagecius*.

Waldek. *Waldek*, Arx tota in ruinis, ſic ut nec ſtet, nec jaceat, *Wranovvſſti de Waldek* lineæ *Hazmburgicæ* Proceres eam condiderunt; vide *Hagecium* A. 920. in eadem illuſtris illa Beatiſſimæ DEI Matris apparitio contigit, quæ initium dedit *Cœnobio Inſulano*, ùt in

 Appen-

Digitized by Google

Appendice I. hiſtoriæ *S. Montis* latiſſimè commemoravi, & legi poteſt in *Hagecio* ad A. 1262. Poſtea A. 1346. *Theobaldus Sſvihovius*, qui cum *Wilhelmo ab Hazmburg* graves inimicitias gerebat, Arcem *Waldek*, triduo totis viribus oppugnatam cepit, incendítque.

Wietruſs, caſtrum An. 826. exſtruitur. jacet in ruinis.

Hodie: in M.S. *Wilſtein* Arx deſerta. Plſ. 10. habitabatur ſæculo priori. de ea jam egimus §. ſecundo, ſed huc ſpectat. Amanuenſis meus per errorem ibi ſcripſit, quæ hoc loco deſcribenda fuère.

Wiſſehradum. *Wiſſehradum* ſuper Pragam Arx & vetuſtate, & operibus, & quòd in ea primi *Duces* habitârint, reliquarum tenuit principatum; multa ab initio geſſit nomina *Pſary*, *Libice*, deinde, quòd Principes in antiqua Urbe propè *Tein* habitare cœpiſſent, & Curiam ſuam ùt Caſtrum quoddam exædificâſſent, hujus comparatione *Wiſſehradum*, ſeu *Caſtrum altius* dici cœpit à populo. *Hiſtoria Wiſſehradenſis Arcis* cum totius Bohemiæ hiſtoria conjuncta eſt, ut ſupervacaneum videatur ſpecialiter de ea ſcribere; ſæpe Pragâ captâ *Wiſſehradum* hoſtes detinuit, *Polonos* anno integro poſt An. C. 1200. eluſit. Tandem ab hæreticis *Pragenſibus* An. 1420. obſeſſum, acriter ſeſe præſidio defendente, ſic ut in fine Septembris fugaverint obſidentes, & ducentos *Pragenſium* occiderint; fames omni hoſte violentior, poſtquam fœda eſu animalia abſumſiſſent, coëgit Arcem tradere; dejecta manu ſunt, quæ incendio cadere noluerunt; neque ab eo tempore (etſi id multum utile regnantibus opus videatur fore) Arx illa, quantum ædificium attinet, ſurrexit.

M.S. Cuttenbergenſe.

Theob. P. 1. C. C. 61. *Woborziſſtie* Caſtrum in Regione Plſnenſi An. 1427. à *Taboritis* occupatum, & in præceps ad terram datum, nunquam reparatum.

Th. l. c. P. 1. C. 34. *Wozicium* arx Regia, & ùt ruinę hodiéque oſtentant, munitiſſima, hanc *Ziſska* An. 1420. cum prædonibus ſuis aggreſſus, Cęſaris *Wenceslai* pręſidiú, quo defendebatur, occidit, arcem incendit, & diruit.

Z. *Zakupy*. Caſtrum *Berkarum*, ac præcipuè *Zdiſlai* ſupremi Præfecti Regni Bohemiæ, ſummi defenſoris *Wenceslai Hagecij* Annalium Scriptoris. Obijt *Zdislaus* A. 1553.

Hagek in An. *Zandovv* Caſtrum à *Zanda* Wrſſovecio A. 815. conditum, in quo iſte Ducem *Krzezomyſlum* ad Epulas invitatum occidere decreverat; res tota in apertum prodijt, & ab *Hagecio* prolixè narratur.

Th. l. c. P. 3. C. 17. *Ziabecz*, vel *Ziaubetz* Arx à Rege *Georgio* capta, & ſolo æquata A. 1467. erat in ditione Viri eâ tempeſtate non ignobilis, quem *Huſſatam* Veteres Codices appellant.

Hagek in An. *Zlonicz*, vetus Caſtrum à *Wlaſtiſlao Lucenſi* A. 856. dejectum.

Statuta Caroli IV. M.S. Ambraſ. N. 400. in Cæſarea Bibliotheca. In vetuſtiſſimis *Caroli IV.* ſtatutis recenſentur Regiæ Arces duûm generum, quædam à Regibus nunquam alienandæ; alteræ nonniſi ægerrimè & ſummâ neceſſitate cogente: prioris generis ſunt: *Glacium*, *ſeu Fraſtemberg*, *Lichtemberg*, *Bezdiezy*, *Königſtein*, *Klimberg*, *Zvvikovv*, *Klingenberg*, *Fraumberg*, *Burglenis aliàs Krzivvoklad*, *& Carlſtein*. Secundi generis ſunt iſtæ: *Koſtelecz ſuper Sazavam*, *Steigriff*, *aliter Ebrſpach*, *aliàs Ovvin*, *Zebrak*, *& Getrpach*, *aliàs Miſemberg*, *Protivin*, *Frimburg*, *Baſicz*, *aliàs Bernart*, *Haſſenſtein*, *ac denique Dieczin*. Ex hoc apparet, omnes quas enumeravimus Arces *Caroli IV. Regias* fuiſſe; ſunt hodiéque quamvis nonnullæ deſertæ (ùt *Lichtemburg*, *Klingenberg*, *Ovvin*, *Frimburg*, *Baſicz*, *& Haſſenſtein*) & ijſdem appellantur nominibus. De *Gitrpach*, *& Baſicz*, ubi ſteterint, non poſſum dicere.

Nota. hoc Fraſtemberg eſſe ſuſpectum; nā abeſt ab alijs Codicibus.

Arces non abalienandæ.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De Oivvin, vel Oibin; de Arcibus Przibenicenſibus narratio memoratu digna. Stratagema, quo Arcem Caroli arctiſſimè ab hæreticis obſeſſam Alexius Wrabsky Præfectus ſervârit.

Cœleſtini in Oibin.

OIvvin Cœleſtinorum Cœnobium, aut potiùs ſanctam ſolitudinem in *Urbis Zittavienſis* conſpectu *Carolus IV.* Imperator, & Bohemiæ Rex An. 1366. fundavit viſo quodam cęleſti admonitus, & monachis illis vicinam latè ditionem attribuit poſſidendam; ipſam viſionem *Carolo* cœlitus objectam, & alia cœnobij hujus memoranda proſequemur alio in loco; nunc de Arce, in qua illud Cœnobium ſtetit, agemus; neque aliena à *Bohemia* hæc tractatio cuipiam videri poteſt: tum, quia *Carolus IV.* Bohemiæ Pater *Oivinum* condidit, tum quia ijs temporibus *Zittavia*, totáque illa Regio (ùt ex *Coſma & Chronico Aulæ Regiæ* Abbatis Petri de Zittavia, & ex ijs, quæ de *finibus Bohemiæ* attulimus, datur intelligi) in Bohemia cenſebatur, & Regni pars erat, tum quòd adhuc Patrum memoriâ *Oivin*, ac Cœnobij ditio ad *Pragenſe Societatis JESU Collegium*, vi Fundationis à *Ferdinando I.* factæ referebatur, poſſétque ſi *Zittavia* cunctetur, quod debet, perſolvere, *Collegium Pragenſe ad Oivvin*, ut cum Juris Conſultis loquamur, *habere regreſſum.* Nihil in vita naturâ loci munitius (tribus, quatúorve arcibus exceptis) vidiſſe me puto, atque huc ſpectare *Caroli* vocem *Oibin* affirmant, cùm locum vidiſſet, *Oibien* voce Gallicâ exclamantis, & locum ſibi probari ſignificantis: Saxea tota moles eſt, neque cuniculis, aliíſque hodiernis ignium artificijs, aut pyrio pulvere fartis ſiphonibus, & ſyringis obnoxia; quippe non unâ aliquâ petrâ mons excreſcit, ut perfodi quamvis pertinaci labore poſſit, ſed fruſta petrarum, & ſaxorum grandia, domorum, & turrium maximarum inſtar accumulata montem conficiunt altiſſimum, & partibus omnibus, ſolâ, quâ aditur viâ exceptâ, in infinitam altitudinem abruptum. Via quæ ad arcem ducit, unica, anguſta, lubrica, ſaxea tota, nec curru, nec Equo adeunda; è petris hinc inde quaſi pergulæ lapideæ pendent ad defenſionem Arcis artificio excitatæ (quales etiam in *Schattvien* poſt Viennam in anguſtis illis, ut ità dicam, Thermopylis ſpectantur) in has pergulas, & roſtra jaculatores tres, quatuórve incluſi, cùm ipſi velut loricis, parvis illis mœnibus tegantur, & à ſuis ex alto defendantur, arcere aſcendentes hoſtes nullo negotio, & magnas ſtrages edere poſſunt. Semita ad Arcem tortuoſa, & velut Mæander in ſeipſam quaſi rediens, id efficit, ut hoſtes, cùm aſcendunt, ſæpiſſime ſeſe offerre, & nudum latus præbere neceſſariò cogantur. Ubi portas, & quędam mœnia idoneis locis excitata ſuperâris, & ſummum montis apicem conſcenderis, veteres tibi *Cœnobij* ruinæ occurrent; ibi jam continuum ſaxum exſurgit; *cellaria* memorandi operis profundiſſima narrant, qui viderunt, nullo murariorum, ſed foſſorum tantùm, qui petras frangunt, labore perfecta; tum inter ſaxa grandis, ſed puriſſimæ, & cœleſtis aquæ plena *lacuna*, ſeu *crater*, unde paratus Præſidiarijs hauſtus ſcatebat. Tradunt Incolæ (qui etſi alieni à Religione noſtra, adhuc tamen Nominis, & juris noſtri memores me deducebant, & comitabantur) totius *Cœnobij*, & omnium ædificiorum in arce tecta ſic aptata fuiſſe, ut quoties cœlum plueret, omnis tectorum aqua in hanc ſcrobem, ſeu craterem colligeretur, & canalibus deflueret; adjuvari inſuper

Obene!

Via ad Arcē ducens.

Impluvium Arcis.

 per

per, augeríque aquas latice modico, ſed perenni, qui ſcateat è rupe. Arx ſolâ illâ parte, & fronte, quâ aſcenditur, mœnibus incingitur, reliqua latera omnia lubricis, præcipitibus, & nullâ propè arte, nullis ſcalis ſuperabilibus ſaxis, ac rupibus muniuntur. Monſtratur hodiéque in petra locus, ubi *Carolus IV.* Imperator ſederit; tum alio in loco *Caroli* ſaxeus lectulus, ubi traditur aſcenſu Arcis defeſſus paululum quieviſſe. Sed nihil *Cœnobij Templo*, quod adhuc ſtat integrum, illæſúmque, illuſtrius, & admirabilius, hoc quidem in genere vidi: non enim laterculis, aut ſaxis cæmento murariorum labore conjunctis, ſed cavatâ, perfoſsâque petrâ, ac in Templi juſti ſpeciem conformatâ, aſſurgit ad fornicem; ac nè antrum aliquod eſſe exiſtimes, feneſtræ idoneis locis apertæ, lucem admittunt, fornix tantùm ubi curvari incipit, laterculis conſtat; latera omnia Templi, ſolum, parietes, quidquid latet, aut eminet, aræ, gradus, & cætera, ex eadem petra exciſa, tam dextrè, & intra, & extra *Eccleſiam* adornantur, ut nonniſi à curioſis oculis hæc raritas notetur. Auget miraculum, & rei pretium, adſitum *Eccleſiæ Cæmeterium*, ùt vocant, prorſus parochialibus, & popularibus Eccleſijs germaniſſimum, minore muro, (ſed hîc una, eadémque rupes omnia præſtat) incinctum; fateri cogor ingenuè, attonitum me hoc ingenioſæ inventionis (quæ ſinè dubio *Carolo Cæſari* debetur) & magni laboris miraculo; diu hæſiſſe. Satìs de *Oibinenſi* Cœnobio, quod *Taboritarum* temporibus ſummâ vi ab hæreticis oppugnatum, naturâ ipsâ adversùs hoſtes pugnante, nunquam expugnari potuit. Ejusmodi arces ſaxo exciſas, ſed pauculas, in libro de *Animalibus ſubterraneis* adducit *Georgius Agricola.* jam in *Bohemiam* redeamus.

Ecclesia in Oibin.

Ad *Arcium Bohemicarum* hiſtoriam ſpectat, quod ſequitur, ídque ex hiſtoria *Roſenſi Manuſcripta*, quæ apud me eſt, deſcribo. Exſtruxerant *Roſenbergici Proceres* ad defenſionem ditionum ſuarum munitiſſimas Arces duas (*Przibenicium* utraque, illa ſcilicet *majus*, hæc *minus* dicebatur) ad fluminis *Muldavæ* ripam ſtabant, ſic ut totum flumen admitterent, quod per medium arcium illarum defluens, utrique Arci inexpugnabile munimen præbebat. Loci fiduciâ in has Arces gazas omnes ſuas non modò *Roſenbergici*, ſed vicina tota nobilitas, civitates, cœnobia, ac nominatim *Milovicenſe* Præmonſtratenſium Canonicorum, & ſacrarum Virginum *Launovicenſe* intulerant; ſed mirabili, & infelici prorſus eventu cùm Arcibus amiſſa ſunt omnia. An. 1420. *Ulricus de Roſis* in majorem Arcem *Przibenicenſem* captos *Taboritas* numero quatuordecim incluſerat cum duce ſuo apoſtata nequiſſimo Sacerdote *Wenceslao Coranda*, qui inter Sacerdotes prima quodammodo fax hæreſeos dicitur extitiſſe; hos omnes, ùt publicos latrones decebat, *Ulricus* in turrim munitiſſimam Arcis injici, & in cippum dari juſſerat; ibi cùm otioſi dies, ac noctes ſederent, animadvertunt, *Cippum* antiquitate, & carie exeſum, ac vietum prorſus levi conatu diffringi poſſe; diffringitur, atque ipſi libertatis jam non exiguam partam nacti, ſibi, ac ſuis gratulantur; ergo, ut integrâ potiantur libertate ſoliciti, conſilia conferunt; *magnum eſt*, ùt ait ille, *in ſubitis caſibus ingenium*, præſertim, ſi mentem mortis metus, & libertatis præſentis amor, acuerit! cenſebant plerique, utpote valentiſſimi, & audaciſſimi latrones, audendum aliquid, & præſidiarios Arcis invadendos, quibus etſi ter, & ampliùs numero vincerentur, virtute pares, aut ſuperiores ſe futuros ſperarent; at *Coranda* homo callidus, aſtu hæc omnia ſinè periculo confici poſſe dictitans, hoc modo totum ordinavit conſilium: ante omnia Portas Turris, in qua claudebantur, perfringunt, deinde ſummo noctis

Hiſt: Roſenſ. M.S. f. 77.

Przibenicenſes Arces Roſenſium.

Stratagema Corandæ in carceribus inventum.

Digitized by Google

Arx Przibenicenſis à Captivis ipſis mirabiliter occupatur.

ctis ſilentio *Turris cuſtodes* pauculos, nihil tale timentes, in infima turri aggreſſi, obtorto collo, nè vox audiretur, in eum carcerum locum, ubi ipſi ſederant, compeditos trahunt, & compingunt, arma, & quidquid annonæ erat, inter ſe partiuntur, tum, velut nihil egiſſent, compoſitis, ùt priùs erant, rebus, certis ſe condunt in locis. Erat inter præſidiarios vir ſpectatus *Odolan* nomine, quem captivis Dominus præfecerat, is quotidie, ad captivos ventitabat, &, nè quâ fraude effugerent, circumſpiciebat; hinc dum turrem uno milite comitatus aſcendit, ſubitò *Taboritæ* circumſiſtunt, mirantem capiunt, militem vinciunt, & ad priores, quos jam clauſerant, ducunt; *Odolano* mortem intentant, deinde quaſi miſericordiâ flexi, multa oranti, & pollicenti, parcere ſe dicunt, modò juret, facturum ſe, quæ fuerint imperata. *Odolanus* mortis metu jurat, *Corandâ* formulam dictante: *nulli captæ turris facturum indicium, protinus Taborium equitaturum; diſſimulanter nullo in Præſidio ſentiente, literas, quas Coranda ad Duces Taboritarum dederit, perlaturum, & traditurum in manus;* hæc jure jurando firmat per DEUM, per animam, per honeſtatem, pérque alia omnia, quæ tum occurrebant; at *latrones* viciſſim certam pecuniæ ſummam, & neſcio quas ſpes alias promittunt. *Odolanus* vir militaris, qui ſe etiam vi extortis juramentis teneri credebat, poſtquam *Coranda* literas abſolvit, dimiſſus, è veſtigio, nemine ex præſidiarijs conſcio, *Equum* conſcendit, & literas *Taborium* perfert; invitabantur à *Coranda Taborita*, adeſſe tempus, quod toties optâſſent, arcis *Przibicenſis majoris* capiendæ; venirent protinus, jam ſe turrim totius arcis firmiſſimam habere in poteſtate, poſſe Arcem vel ſcalis capi, admoverent copias portis, atque in turrim ex ſtrenuiſſimis mitterent ſuppetias; ſtatim *Taboritæ Odolano*, nè falleret, in cuſtodiam dato, ad arma promtiſſimè concurrunt, *Przibenicium* contendunt, oppugnant, aſſiliunt; ecce autem in medio certamine ex turre altiſſima *Coranda* cum ſuis, quantâ maximâ potuit vociferatione *Tabor, Tabor* inclamat, ſimúlque ad ferendum ſuis auxilium deſcendit; *Arcis Præfectus* (quem fuiſſe *Joannem Smrczkam de Mnichu* Equeſtris familiæ virum ex eodem Manuſcripto probari poteſt) gemino malo conterritus, cùm ſupra caput ſuum hoſtes videret, & evaſiſſe in turrem hoſtes jam primùm exiſtimaret, deditionem fecit. At qui in minore *Przibenicio* trans *Muldavam* in præſidio erant, majore Arce captâ, inde vires hoſtium metientes, deſertâ Arce ſuâ turpiſſimè profugerunt. Itâ uno die, & pauculis horis *Przibenicenſes Arces à Taboritis* ingenio, & aſtu *Corandæ in Taboritarum* manus venêre, quæ etiam geminos Exercitus obſidentes fatigare poſſe credebantur. Capta eſt innumera vis pecuniæ ſignatæ, argentea, & aurea *Roſenſium*, aliorúmque Procerum ſupellex, gemmæ, menſarum, & conviviorum apparatus, veſtes, & panni (ùt tum erant tempora) precioſiſſimi, pelles Zobellinæ, mandurinæ, aliíque ornatus, tum Eccleſiarum, & Cœnobiorum divitiæ, Infulæ, peda, calices, monſtrantiæ, Caſulæ (præcipuè ex *Miloviƈenſi, & Launovienſi* Cœnobio) torques, & annuli aurei, & infinita alia. Sed nihil damnoſius, & triſtius Catholicis accidere potuit, quàm ipſa Arcium occupatio: ſiquidem *Taboritæ* totam eam latè regionem per ſexdecim continuos annos ex his Arcibus infeſtam habuêre, ſic, ut nihil ab ijs tutum eſſet, non viatores, non Incolæ; pagos, Arces, oppida expilabant, incendebant, Catholicos, præſertim Sacerdotes, excarnificabant, & præter *Taboritas*, omne hominum genus habebant pro hoſtibus. Tot malis adductus, qui maximè ſentiebat, & gravabatur *Ulricus de Roſis*, ab hoſtibus pacem emere pretio coactus eſt, ac numera-

Hiſtoria Roſ: M.S. in Udalrico.

Præda Arcis Taboritis cedit.

meratis 900. ſexagenis groſſorum *Pragenſium* de ſuo, & impetratâ *Taboritis* à Rege *Sigiſmundo*, divite *Præpoſiturâ Launovienſi*, quam ditione obtinerent, *Arces Przibenicenſes* recepit à prædonibus An. 1437. atque ut inter partes convenerat, Arcem utramque dejecit in cumulum. Tradit *Codex M. S. odio Taboritarum*, & memoriâ tot malorum, plurima ruſticorum millia cum palis, ligonibus, ac cæteris ejusmodi inſtrumentis ultro adveniſſe, nec die, noctúque ceſſatum ab illis, donec omnia, quæ ſtabant, ſolo æquâſſent.

Stratagema, & dolus, quo *Przibenicium* captum diximus, alterius me admonet, quo Arcem *Carlſteinam* ſervatam narrat *Hagecius*; res eſt non parum jucunda. Nè longum faciam: Obſederant A. 1422. Arcem *Carlſteinenſem Pragenſes*, ùt nuper dixi: in ſummum adducta erat diſcrimen *Arx* fortiſſima, fame prævalente: ad colloquium cum hoſtibus deſcendere parabant, tridui patientiam Arci Præfectus *Aleſſ Wrabsky* nobiliſſimæ ſtirpis Eques poſtulat à ſuis; ergo dolo compoſito *Legationem ad Pragenſes*, præſertim ad *Coributum* militiæ illius Ducem adornat; mittit ex militibus audaciſſimos duos: *Facultate* (inquiunt Legati) *Tuâ, Coributе, vóſque Pragenſes freti, militariter, & audacter accedimus: Sponſus, & ſponſa nos mittunt, qui hodie ſeſe conjugio illigârunt, vósq; magnopere, ac benèvolè ſalutant! nôſtis humanos affectus, ac præcipuè amorem properare, & ſectari lætitiam; ad has nuptias, commilito noſter ſponſus, omnes in præſidio invitavit; cuperemus hos duos, trésve dies læti, bonâ pace veſtrâ, tranſigere; defeſſi utrique ſumus, vos oppugnando, nos vim defendendo; abſtinete tantiſper jaculationibus, & date hoc ſponſo, & ſponſæ, ut ab armis ſit hoc triduo quies; his exactis diebus, & juſtitio exeunte, ad oppugnationem, & jaculationem redibitis.* Nova, feſtiva, ac lepidis verbis concepta *legatio* hoſtibus placuit; dant fidem omnes, triduo quieturos; *Legati* viciſſim primum hauſtum (ùt fit) pro *Coributi Ducis* ſanitate *Sponſum* propinaturum, & quædam alia jucunda promittunt. Impetratâ quiete, quantâ maximâ ſimulatione fieri potuit, à Famelicis *Nuptiæ* intus apparantur; muſica inſtrumenta perſonant, mox convivantium clamores, ebriorum colloquia, & voces aſſimilantur, choreæ celebrantur, ſtrepitus ubique maximi. Idem alterâ die repetitur gaudium nuptiale, cùm interim nihil haberent, quod vel roderent. Obibat Arcem *vetulus* quidam *hircus*, quem plebejâ perſvaſione, velut unicum peſtilentię amuletum reliquerant; hunc *Aleſſ* Præfectus jubet occidi, tum conſilium aperit; repertus eſt inter præſidiarios opifex inter pelliculas occupatus, qui *excoriato hirco* promitteret tam dextrè, & aptè per artem applicaturum quam vellet pellem, ut dignoſci non poſſet; *Capreoli ſilveſtris pendentem ſub tecto pellem* applicari jubet; applicata eſt intimè pars bene magna hircini coxendicis, atque iterum *Legati* mittuntur ad *Sigiſmundum*: ſponſum, & ſponſam tanto beneficio (ſuſpenſione ſcilicet armorum affectos) ex Convivio nuptiali *ferinam recentem* in grati animi ſignificationem deguſtandam offerre, & agere gratias, ſimul jecêre in medium. Mirari circumſtantes, & ante omnes *Sigiſmundus Coributus*; ferinam eſſe, & recentem inter omnes conſtabat, nec aliud recens hirci ſangvis ſvadebat; ſimul agunt & ipſi frigidè gratias, *Legatiſque* abeuntibus, denique concludunt: obſeſſos neceſſariò occultos habere ſub terra cuniculos, & meatus, per quos in aperta egreſſi, aut venaturam facerent, aut importarent; cúmque niſi fame Arcem capi poſſe deſperant, didito rumore, rem *Pragæ* malè geri, & periclitari (*Carlſteinenſibus* adhuc fictum

Hagek in Annal. Boh. Epit: rer: Boh: l. 4. C. 8.

Stratagema ſervatæ Arcis Carlſteinenſis ingenioſum.

Solvitur, hoſtibus decep tis, Carlſteinenſis obſidio.

ſictum nuptiarum gaudium ſimulantibus) diſceſſerunt, arce relictâ; nimirum è minimis momentis res maximæ pendent.

§. V I.

De Arcibus Bohemiæ univerſim.

Studium arces condendi in Vetere Bohemia.

QVanta Arcium, & Caſtellorum fuerit in *Vetere Bohemia* multitudo, ſatis, ùt reor, ex dictis curioſus Lector intelliget; unicum veteris *Bohemiæ* ſtudium fuiſſe videbatur, Arces quàm plurimas excitare; id ſibi decorum Reges, id glorioſum *Nobilitas major, & minor*, id utile *Eccleſiarum, & Religionum Antiſtites* eſſe credebant, ut, ſive hoſtis Patriæ immineret, ſive diſcordijs, & bellis civilibus arderet, ſive potentiores, ùt ſæpe fit, vim minitarentur, paratum haberent receptum, ubi ſe, & ſua tutarentur, nè prædæ paterent, donec aut implorato *Rege*, aut judicio *Procerum*, aut amicorum armis, aut amicâ interpoſitione diſcordiæ finirentur. Ætas noſtra non modò aliud, & diverſum, ſed contrarium prorſus conſilium ſecuta, omnes per *Bohemiam Arces* dejecit nullo diſcrimine, an facilè, an difficilè defendi poſſent, an eſſent limitaneæ, an interiores, an eſſent *Regiæ*, an Procerum, & Nobilitatis, an in Urbibus ſtarent, an extra Urbes, an idoneo ad hoſtem arcendum loco, an minùs. Ego tantum mihi non tribuo, ut conſilium hoc vel reprehendere, multò etiam minùs probare auſim; id tamen à Viris prudentiſſimis, & aulæ peritis accepi, ſubreptitium hoc totum negotium, & mandatum fuiſſe: cæpiſſe demolitiones illas à vindicta (ut in *Ssvihovienſi* Arce inter omnes conſtaret) unius nationis illá meſſem fuiſſe, unde illi pecunias legerent; ac proinde *Caſſianum* illud valere: *cui bono fuiſſet*, eum authorem conſilij fuiſſe: ſoli illi dejiciendis Arcibus præerant, ſolis illis numerabantur pecuniæ. Hæc illi. Certè ipſe ego narrantem non ſemel audivi *R. P. Georgium Plachy è Societate noſtra*, Virum non minùs religioſum, quàm, cùm poſtularet neceſſitas, militarem, interfuiſſe ſe, cùm quidam demoliendis arcibus præpoſitus pretium poſceret *Imperiales trecentos*, ſeu 150. aureos, *Arcem* illæſam ſe relicturum, & cùm Arcis Dominus licitari nollet, Arcem (quam nominabat) nihilominus eſſe dejectam. Sed ad Arcium noſtrarum ſitum, & ſtatum veniamus:

Arx Wiſſehradenſis. M. S.

Primam nominare placet *Wiſſehradenſem*, quę ſi tandem aliquado munitionum opera abſolvantur, munitiſſima omnium evadet, & *Pragam Veterem, ac Novam* habebit ſub ictu. Legi in Manuſcriptis codicibus, *Sigiſmundo* Regi, ac Cæſari, olim à *Proceribus Bohemis* conſilium datum ad coërcendam *Pragam* (quæ Civitas eo tempore ipſis Regibus timenda fuit) *Arcem S. Wenceslai* ſupra *Pragam* minorem, *Wiſſehradum* ſuper *Urbem Novam*, operibus maximis communire, ac tertiam Arcem, quæ antiquam Urbem obſervet in *monte Vitkonis*, quem alij *Ziſca montem* appellant, excitare, ac *tres* haſce *Arces* omni armorum, & apparatûs neceſſarij genere inſtruere; ità futurum, ut neque ullus ſinè *Regiorum Præfectorum* voluntate commovere ſe poſſit: at iſtud conſilium cùm intempeſtivè proditum eſſet, *Pragenſes*, aliique hæretici, primùm *Wiſſehradum* obſidione cinxerunt, & fame ad deditionem compulerunt; deinde *Arcem S. Wenceslai* occupârunt, ac tandem colle *Vitkonis* inſeſſo, *Sigiſmundum* cum centum millium exercitu aſſilientem, duce *Ziſkâ*, depulerunt.

Sigiſmundi conſilium ad Pragam in officio continendā

Arx Glacenſis.

Wiſſehradenſem Glacenſis Arx (ſi eam

Pardubicenſis.

eam in Bohemia collocare velimus) aut æquat, aut ſuperat firmitate. *Pardubicenſis* inter firmiores Bohemiæ arces meritò numeratur, deditque jam ſpecimen toto *Dorſtenſohnÿ Svecorum Ducis* exercitu necquicquam oppugnante.

Brundiſienſis.

Fraumberg Cubit⁹ &c.

Brunduſinam Arcem *Sveci* defendi poſſe docuerunt. *Hluboka*, *ſeu Fraumberg*, *Cubitus* (Loket/Elnbogen) *Egra*, *Trebona*, *Zvvikovv*, *Orlik*, *Krzivvokladum ſeu Pürglitz*, *Teczna* (Děčjn/Tetzen) *Skalæ*, *Grabſtein*, & ſi quæ aliæ, jam aut munitæ ſunt, aut ſi modicus labor acceſſerit, egregiè poterunt communiri. Naturâ ipſa muniuntur, & ſi Regis imperium acceſſerit, pauculis emendatis, vel in melius accommodatis, ſi cordatus Præfectus imponatur, inexpugnabiles evadent: *Bezdiezy*, *Konopiſtie*, *Nachod*, *Potenſtein*, *Tocznik*, *Andelska Hora* (Engelhauß) *Rabi*, *Daubravvska Hora*, *Fridlant*, *Klenovia*, *Carlſteına*, *Kumburg*, *Kunieticzka Hora*, *Kamen*, *Welharticium*, *Lipnicium*, *Liticium*, *Przimda*, *Ryſenberg*, *Trosky*, *Teyrzovv*, *Zbiroh*, *Raupovv*, *Strzela*, aliæque plures. Quædam altis montibus impoſitę jam eſſe deſierunt, ut quaſi de novo eſſent excitandæ, ùt: *Zampach*, *Weliſs*, *Dievvin*, *Ralsko*, *Ssvvihovv*, *Richmburg*, *Michelsberg*, *Okorz*, *Landſtein*, *Herſtein*, *Helffenburgum*, *Humel*, *Haſenburg*, *Kalich*, *Chlumecz*, *Eiſenberg*, *Chauſtnik*, *Kornhaus*, *Wildſtein*; cæteræ, quarum ruinas videmus, & quarum nomina attulimus per alphabetum, vix reparari merentur, cùm, aut aqua illis deſit, aut tormentorum ictibus obnoxiæ ad oppugnationes hodiernas ſtare, & durare non poſſe videantur.

§. VII.

Utrúmne expediat, ſítque utile, quàm plurimis Arcibus, aut contrà nullis, vel paucis tantùm, Patriam communire?

MAgnis clamoribus in utramque partem ſæpius jactatam hanc queſtionem fuiſſe ſcio, quam ex proprio ſenſu definire non auſim.

Ariſtotelis hac de re ſenſus.

Ariſtoteles ſummus omnium ætatum judicio Vir, quid cenſeat, ex Libro 7. *Politicorum* Capite undecimo, audiamus. Principiò, cum multa de ſitu Civitatis (quæ etiam ſerviunt Arcibus) ſtatuiſſet, atque inter alia ùt facilis ſit Civibus in aliena egreſſio, hoſtilis difficilis aditio, ac difficilis circumdatio, paulò pòſt addit: *Loca autem non munita, non pariter cunctis Civitatibus* (de Regnis idem intellige: nam apud Græcos, Civitates liberæ, & ſui juris fuerunt) *utilia ſunt: ut puta arx ad dominationem unius, vel paucorum; in populari verò vivendi modo æqualitas loci; in Optimatum verò gugernatione neutrum iſtorum, ſed magis loci plures ardui;* confutat deinde eos, qui etiam mœnia Civitatibus (nimiùm priſcè ſeu ἀρχαίως ùt loquitur) ſupervacanea eſſe dicebant; tum inter alia ſubjungit: *Civitates non circumdandas mœnibus cenſere, ſimile eſt, ac ſi quis regionem quęrat hoſtibus expoſitam* (Silveſter Maurus noſter legit: *ac ſi quis quærat regionem facilem ad invadendum*) *& loca montoſa dejiciat, & privatis domibus non circumdet parietes.* Sentit igitur *Ariſtoteles*, regionem hoſtibus difficilem ad invadendum eſſe reddendam, ídque tam certum eſſe exiſtimat, ut ex eo, velut certiſſimo principio conficiat, & concludat: Etiam Civitates eſſe muniendas, & mænibus cingendas, cùm ipſa Regio Arcibus, & locis montoſis utiliſſimè muniatur. Hanc ſummi in *Politicis* Viri ſententiam omnes, quoſcunque legerim de *Polemicis*, & belli ratione agentes ſcriptores egregios, ſequuntur, & probant: unus *Machiavellus* (quem millies refutatum ſuos adhuc habe-

Digitized by Google

Macchiavelli multa errata.

habere ſectatores (ſæpe demiror) unus, inquam, *Machiavellus* in ſuo *Principe* Capite 20. multis argumentis conatur oſtendere, neque tempore pacis, neque tempore belli, neque apud ſuſpectos populos, neque apud benevolos, & fideles ſubditos, arces quidquam utilitatis habere, imò noxias eſſe, ac proinde ſive illæ in Urbibus ad populum coërcendum ſtatutæ ſint, ſive ſolitariè conſtent, dejiciendas eſſe; ſed *Machiavellum* errare hac quidem in re, tam dilucidis, & perſpicuis rationibus demonſtrat *Adamus Kontzen* è Societate noſtra Vir eruditiſſimus, (libro octavo Politicorum, toto Capite viceſimo tertio, cui titulum præfixit: *Arces ad potentiam conſervandam utiles & neceſſarias eſſe*) ut neminem quàm velis, duræ frontis exiſtimem poſſe reſiſtere. Docuerat *Machiavellus* Romanos in Arcibus nihil ſpei repoſuiſſe; contrarium *Contzen* exhibet exemplis innumeris, & caſtra omnia Romanorum totidem Arces fuiſſe demonſtrat ex *Lipſio*; tum propiùs ad rem ipſam progreſſus, omnia, quæ ab adverſarijs adversùs arces objiciuntur, diluit, refellitquè; ubi inter alia: *Si*, ait, *ſinè munitionibus omnia plana inveniret hoſtis, ſi unâ ſit victoriâ potitus, eâque utatur, ac varijs locis munitiones excitet, perpetuæ ſervitutis frenum imponeret.* Paulò pòſt: *Meliùs omnium Gentium conſtitutis Franci Regnum ſuum Arcibus muniverunt.* Nolo obvium in omnibus Bibliothecis authorem deſcribere; juverit ipſum fontem adire. Nec minùs alter Politicorum Princeps *Scipio Ammiratus*, *Commentarijs in Tacitum* ingenioſiſſimis, toto diſcurſu 4. Arcium utilitatem, & neceſſitatem defendit; vide, ſi lubet, *Vitam Arneſti Archiepiſcopi Pragenſis* à nobis editam, ubi quædam in hanc ſententiam attulimus: nam, ſi de *limitaneis arcibus* primùm loquamur, quis tam improvidus militiæ Dux, qui eas exiſtimet diruendas, quæ aditum hoſtibus præcludant, & nobis ſemper pateant ad receptum? potiùs, ſi antè non erant, videntur extruendę. *Caletum*, cùm haberent *Angli* jactabant ſe *claves Galliæ* ad cingulum alligatas geſtare. Alterum verò arcium genus in Patria ſtantium his argumentis defenditur. *Primò:* Arces hoſtilem in Patriàm ingreſſum debilitant, ùt loco antè citato ſcripſit *Ariſtoteles*. *Secundò:* parvis copijs defenduntur, ùt *Julius Cæſar* maximus belli Imperator notavit. *Tertiò:* Imminentibus periculis ad eas confugitur, neque Patria ingreſſo hoſtili Exercitu, continuò divitijs omnibus ſpoliatur; ità *Hirtius*. Neque enim fieri poteſt, ut ad unam, alterámve Civitatem, & Arcem munitam omnes poſſint confugere, adeóque plures eſſe oportet ad receptum. *Quartò:* Hoſtes arcibus maximè oppugnando delaſſantur; Ità docet *Appianus*. *Quintò:* Dum hoſtes patrias Arces oppugnant, homines patrij, beneficio temporis uti poſſunt, ùt habet *Livius*. Quæ objici poſſunt, clariſſimè refellunt ijdem *Ammiratus & Contzen: Infidelitate Præfectorum, & præſidij, hoſtes in Patria nidificant, regio ipſa ſuſpecta eſt &c.* Reſpondent: ſi Præfecti arcium, & Miniſtri aularum, Principem prodere, & hoſtibus objicere conſentiant, nullam eſſe ampliùs evadendi viam; neque tamen ideò à munienda Patria ceſſandum. Nemo unquam dixerit: Exercitum adversùs hoſtes educendum non eſſe ex eo, quòd proditione *Ducum* Exercitus cædatur: faciliùs Exercitus univerſus ad victimam duci poteſt, & prodi, vel vendi ab uno infideli, & ingrato, vel alienato *Duce*, quàm ſimul omnes arces hoſtibus tradi. Deinde, ſi pauculas retineas arces, Regionem ſimul totam retinebis, ut neque ſi velint omnes ſubditi à fide poſſint deſciſcere; faciliùs verò ſinè arcibus deſciſcent. Quid hactenus *Belgium* adversùs *Hollandos* tot alijs hoſtibus cinctum, quid *Hollandiam* adverſus *Hiſpanos* invictam præſtitit? certè nullum aliud hoſti-

Refutatur ad Adamo Contzen.

Item à Scipione Ammirato.

Ammirat. in Politicis differ: lib. 19. toto diſcurſu 4.

Vita Arneſti l. 3. C. 2. in Not.

Noſtrâ ſententiâ: Arces ſine delectu nō diruendæ.

Cæſar l. 7. de bello Gallico.

Hirtius l. de bello Alexandrino.

Appian. l. de bello Punico.

Livius l. 1.

Objectiones ſolvuntur.

hoſtium votum eſt, quàm omnes munitiones perire. Rurſus, quorum diverſa eſt ſententia, objiciunt: *unâ arce Grabſtein, aut urbe Zittaviâ captâ vidimus, & ſenſimus bello Svecico, hoſtes totam Regionem Litomericenſem, Reginobradecenſem, Boleslavienſem, &c. tributarias feciſſe; idem dici poteſt de Arce Pontenſi, & cæteris. Igitur ſi dirutæ priùs fuiſſent, nulla ſenſiſſemus incommoda.* Facilis reſponſio: nam, ſi Arx alia vicina illis fuiſſet, dominari nô potuiſſent; ſed quia nulla altera, niſi remotiſſimè Arx ſtetit, ideo hoſtes dominati ſunt. Exempli gratiâ: *Grabſteinenſe* præſidium Svecorũ, uſq; *Reginobradecium* (quod à Cæſareis tenebatur) tributa exigebat; *Pontenſes* uſque *Pragam*, idémque eſt de alijs; at ſi arx altera uno, alteróve milliario fuiſſet præſidio Cæſareo communita, quid quæſo illæ *Svecorum* Arces efficere potuiſſent? neque ſe commovere *Sveci* timore præſidiorum *Cæſareorum*, auſi fuiſſent. Illud unum hoc loco videtur addendum, quo uno ſententiam hanc meam conſigno: ità me Arces probare, ut nimiam earum multitudinem in Patria non probem; dejiciantur, quę defendi non poſſunt (putà quæ fontibus deſtituuntur &c.) quæ nullam Patrię utilitatem prębent, hoſtes non arcent, & impunè volitantes nihil morantur, ſitæ procul extra viam &c. In ea Arcium copia ex tribus, vel quatuor eligenda una, quę regioni ad unũ, exempli gratiâ, milliare defendendę ſufficiat; maxima tamen cura arcium *in limitibus* ſemper habeatur, ut plures ſint, egregiéque communitæ, quas hoſtis à tergo relinquere non poſſit.

Quædam Arces inutiles dejiciendæ.

CAPUT IX.

Aliquid de Caſtro S. Wenceslai, ſeu Arce Regia Pragenſi.

Arcium omnium Principatum per Bohemiam omni jure obtinet *Arx Pragenſis*, quam *Caſtrum S. Wenceslai* (Hrad S. Wáclawa) omnis retro antiquitas appellat, ex eo maximè capite, quòd hîc Sanctiſſimus *Princeps* requieſcat, atque huc mortales ejus exuvię *Boleslaviâ* ſint tranſlatæ. Extat inſuper vox S. Viri apud vetuſtos Scriptores Eccleſiam *S. Vito* fundantis: *Hæc requies mea, hîc habitabo in ſæculum ſæculi;* habitat certè, quantum corpus attinet, ſéque adeſſe Suis præſenti ſemper numine, & miraculis probat ex cœlo. Hæc igitur Arcium omnium per Bohemiam Caput, Sedes Regia antiquorum Regum Bohemiæ, ubi jura illi, & reſponſa reddebant, unde illi velut *bona Fortuna*, dona & miſſilia ſua, favoréſque, & gratias ſpargebant in populum; hîc *Comitia*, hîc *Judicia* celebrantur; hîc *conſeſſus omnes publici*, hîc *Tribunalia* omnia, ſed præcipuè conſilium *Regis, Locumtenentium, Cameræ*, & ſummum *Appellationis Tribunal* (de quibus agemus ſuo loco) tum *Cancellaria Regni*, verbo: quidquid eſt publicum, hîc agitatur. Arx hæc una juſti oppidi inſtar habet; nolo impar humeris meis onus imponere, & Arcem hanc deſcribendam ſuſcipere; alijs, quibus otium ſuppetit, & abundat ingenium, hunc laborem relinquo; mihi præcipuas *Arcis* partes nominâſſe ſatis erit.

Arcis Sancti Wenceslai gloria & dignitas.

§. I.

§. I.

Eccleſia Metropolitana. quænam interiùs viſenda contineat.

Eccleſiæ Metropolitanæ ædificium.

ANte omnia in *Arce Pragenſi* ſpectanda, & admiranda occurret *Baſilica Metropolitana Pragenſis Eccleſiæ ad Colonienſis Eccleſiæ* formam deſcripta, & dum inchoatur, deliniata. Quæ forma olim hujus *Eccleſiæ* antiquorum *Ducum Bohemiæ* temporibus fuerit, diligenter in annalibus ſuis *Coſmas Decanus* pervetus Bohemię Scriptor, nominatis omnibus ſacrarijs, columnis, altaribus, choris, & teſtudinibus explicuit; vaſtæ molis fuiſſe vel illud ſatìs oſtendit, quòd *Sacrarium S. Præſulis Adalberti* (quod hodie extra Eccleſiam videmus) *in medio Eccleſiæ* ſteterit. *Joannes Bohemiæ Rex & Carolus IV. Cæſar* ejus filius, Regio prorſus conſilio, Eccleſiæ novæ, cùm vetus, primùm flammis; deinde tempore concidiſſet, fundamenta (ùt in *Arneſto* pridem narravi) jecerunt. Non vacat hiſtoriam hujus *Eccleſiæ* perſequi, quam duo ætate noſtrâ Præclari in Patria Scriptores, *Crugerius* S. J. in Pulveribus ſuis, & *Peſſina in Phoſphoro* diligenter tractârunt: nolo igitur tractata repetere, ſummas tantùm, & puncta rerum memorabilium recitabo.

Altitudo Eccleſiæ.

Eccleſiæ ipſius ante omnia altiſſimus *fornix* ſuſpiciendus eſt; *Vexilla* pendentia Victorię Cœleſtis *Albo-montanæ;* fornix maxima pars, feneſtris quàm plurimis ſummâ arte, & innoxiè apertis, lucem admittens; *Ambitus* cum intercolumnijs totum templum in alto ſub feneſtris circumiens. in eo ambitu *effigies* plusquam mediâ ſui parte ex pariete prominentes aliquot notandæ, inter quas eſt *Beneſſij de Weitmil* viri nobiliſſimi *Canonici Pragenſis* imago, qui *Fabricæ* huic *Caroli IV.* temporibus præfuit, ùt ipſe in hiſtoria ſua narravit.

Sacrarium S. Wenceslai.

Sacrarium S. Wenceslai prorſus gemmeum, viſu digniſſimum habetur; *gemmeum* dixi, quòd gemmis varijs, *Jaſpide* præcipuè, parietes ipſi conſtent, & colluceant, quale opus non facilè in vicinis, ac remotis provincijs invenies. Sacellum alterum ſimile prorſus, & ſimili opere gemmeo (ut lapidum ſcilicet vicem gemmæ ſuppleant) habet *Bohemia Carlſteina* ab eodem *Carolo*; ſed nobis, neſcio quo Patrię fato, domeſtica omnia ſordent. Nota. Porrò commiſſuræ gemmarum, & lapidum afforis *vero auro tinguntur; Sacellum* ſupernè varijs, & elegantibus picturis collucet, quibus *vita S. Wenceſlai* pereleganti penicillo deſcribitur. Inter eas notare oportet *Caroli IV.* ejúsque ultimæ conjugis (nam primùm A. 1372. perfectum eſt opus) effigies, ex quibus veterem *Regum & Reginarum* noſtrarum habitum ad ungvem cognoſces. At pius, & probus Viator in hoc Sacrario inſuper Tumulum *SS. Ducis Wenceslai* altè ab humo eductum) deinde innumerabiles, & rariſſimas *Sanctorum Reliquias* (utpote Magnatum, & Procerum cœleſtium) adorabit. Earum Catalogum duplicem (nam duûm ſunt generum: alię *Metropolitanæ*, ipſius videlicet *Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ*, alteræ *Carlſteinenſes* in Arce *Caroli IV.* Carlſteina, quondam ſervatæ) in vita *Arneſti I.* pridem recitavimus, & poſt nos diligentiùs has enumeravit toties laudatus *Peſſina Decanus Eccleſiæ Pragenſis.* Verbum hîc unum tantùm adjiciam: tam raras, tam eximias in hac Eccleſia, *Sanctorum Reliquias* aſſervari, maximè ad *Chriſti* humanitatem, ad *DEI Matrem*, ad SS. *Apoſtolos & Evangeliſtas*, & ad cæteros *Divos* pertinentes, ut plerasque per orbem Eccleſias hâc dote, hæc noſtra provocare cum non dubia ſpe victoriæ poſſit. Porrò *SS. Martyris Wenceslai* Tumulum, multi Principes, ac Reges noſtri ſuſcepêre ornandum: An. 1126. *Sobieslaus I.* poſt Vi-

Beneſſ. l. 4. Chronic. ad A. 1372.

renovatum A. 1614.

Sanctorum Reliquiæ duplices.

In Phoſphoro Radio IV.

S. Wenceslai ſepulchrum.

Victoriam *de Lothario* cœlitus obtentam (in qua ipſe *Cæſar* captus eſt) *Coronam auream S. Wenceslai* ſacro capiti in ſepulchro impoſuit; quid *Carolus IV.* ſtatuerit, cùm novam Regni Coronam per *Blancam* Conjugem fieri juſſiſſet, *in Vita Arneſti I.* narravi. Eodem *Carolo* regnante *Tumulum S. Martyris* Proceres Bohemiæ monilibus gemmeis, & aureis maximo pretio exornârunt, in quibus cujusque familiæ gentilitia ſigna ſpectabantur; ſed hęc fuêre, non ſunt. Ætate noſtrâ *Matthæus I.* Archiepiſcopus Pragenſis *S. Wenceslai Tumulum* pretioſiſſimo opere, ſtatuis argenteis, & marmoreo aſcenſu contexit; quod opus in hac brevitate non vacat deſcribęre; ad ſpectandum Peregrinos invito. Satis de *Sacrario S. Wenceslai.* reliqua *Sacella Eccleſiæ* Pragenſis, *Ducum & Regum Bohemiæ* antiquorum Tumulis, eorúmque ſuper Tumulos ſtatuis, & inſcriptionibus, tum altaribus venuſtiſſimis implentur. *Imago,* quæ in ſummo Altari viſitur, S. Joannis Evangeliſtæ, palmam artis dicitur obtinere, quam Pictores eruditi nunquam ſe ſatis mirari poſſe fatentur. Poſt *S. Viti* altare plurium *Epiſcoporum Pragenſis Eccleſiæ* corpora quieſcunt, idque ipſum marmora ſepulchralia demonſtrant curioſo. Sed *B. Joannis Nepomuceni* Tumulus mirabilis, duplici ordine ferreorum cratium permunitus, majorem & honorem, imò & horrorem meretur, quem ſi temerè quis calcârit, non effugiet dedecus, ut innumeris conſtat exemplis. Stat ſuper Divi Tumulum *Candelabrum*, cujus pes (ex quo Metallo non liquet) artificioſiſſimis Puerorum ſeſe implicantium ſtatuis impletus eſt; hunc Pedem è *Salomonis Hieroſolymitano Templo* Mediolanum allatum, poſtea captâ Urbe à *Friderico Ahenobarbo Cæſ:* Regi *Wladislao* donatum *Rex Templo S. Viti* circa An. 1160. transſcripſit: noſtrâ ætate *Sereniſſ: Archidux Leopoldus* huic pedi ſaxeo impoſuit *Effigies SS. Patronorum Regni Bohemiæ* ex orichalco parvulas, ſed ſingulari opere, & artificio perfectas. *Corpus S. Sigiſmundi* in Sacrario ſuo conditum (ùt & Corpus *S. Wenceslai*) arcâ aureâ quondam *Carolus IV.* concluſit: hodie etſi aurum abeſt (à *Sigiſmundo Caroli Filio* bellis Huſſiticis conſumtum) provocat tamen ſacro horrore Peregrinorum auream Pietatem. Ponè *S. Sigiſmundi Sacellum*, Locus eſt (quem Eccleſiaſticâ voce *Sacriſtiam* vocamus) in quo fôrnicis lapideæ projecturæ à ſummo deorſum pendentes multis ſunt admirationi. Geminus prorſus eſt fornix ille humilis in hac eadem Eccleſia, ab eodem artifice *Beneſſio* perfectus, quem *ſub Regis Oratorio* ad Meridionalem Eccleſiæ portam videmus pendentem. Duo adhuc opera præter alia viſu digniſſima eſſe puto: in primis *Mauſolæum Regium* ex Alabaſtrite. Nitorem operis, ſtatuarum ſymmetriam, & venuſtatem, qui iſta intelligunt, ſuſpiciunt, & admirantur: in eo *Mauſolęo* ſumptuoſiſſimo, inter alios ex Regibus noſtris *Carolum IV. Ladislaum, Georgium Podiebradium &c. Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolfus II.* Auſtriaci Cæſares conduntur; *Caroli IV. & Ladislai* corpora incorrupta, initio hujus ſæculi vidiſſe, & tractâſſe, qui condendis, & ordinandis Regum corporibus, *Rudolpho II.* Cæſare jubente, præerat *Georgius Bertholdus Pontanus* Eccleſiæ Pragenſis Præpoſitus teſtatur. Poſtremum quod in hac Eccleſia viſendum occurrit, *Organum Muſicum* eſſe puto: admirandi illud eſt operis, incredibili ſonorum ſvavitate, quam Organopæi recentes, & hodierni efficere non poſſunt, & neſciunt; crediderim etiam antiquitate (ùt in vino accidit) lævorem fiſtulis induci, & auſteritatem illam, & aſperitatem novitatis in ipſo plumbo, & metallo quodammodo mitigari, ut puriſſimè exeat ſonus: nam propè omnia antiquiora, quæ audierim, organa, ſuaviora, & dulciora ſunt recentibus.

B. Joannis Nepomuceni Tumul⁹.

S. Sigiſmundi.

Sacriſtia Eccleſiæ.

Regiũ Mauſolæum.

Pontan. in Boh Pia.

Organum Muſicum.

Digitized by Google

tibus. Quis hujus organi Machinator fuerit, nondum legi; nihil dubito, ſi quis curioſè omnia in opere luſtret, nomen inventurum. Memini adhuc Puer in *ValvisOrgani* pereleganti artificio ſtantes pictos viros duos vidiſſe, alterum legebam eſſe *Carolum Leiton*, vel *Luiton*, Muſicorum ætatis ſuæ Principem, qui apud *Duces Bavariæ* Muſicen diu rexit, ad *Cæſarum Aulam Pragam* (ùt apparet) ſubinde vocatus; quem alterum pictura exhibeat, jam non memini; fortaſſe operis authorem imago proponit.

§. II.

Quæ afforis ad ipſam Eccleſiam ſpectantia viſu digna occurrant, & de quibusdam privatorum ædificijs.

Eccleſia S. Viti afforis.

Eccleſia Pragenſis toto Gothico, ſeu (ùt vocant alij) *Lombardico* opere conſtat quadratis, & ſectis lapidibus; coronides, & pergulæ totum Templum ſupernè gratioſè circumeunt, & coronant, turritis, ut ità dicam, præpilationibus (quòd videlicet, quidquid ex lapidibus eminet, turriculæ formam referat) Tectum ex orichalco componitur; *Navim Eccleſiæ* continuare ædificando cœpit noſtrâ memoriâ *Matthæus* Archiepiſcopus, ut *Sepulchrum S. Adalberti* (quod in exili Sacrario nunc honoramus) magnificentiùs, longâ & vaſtâ teſtudine fornicum contegeret; Mors optimi Præſulis abrupit omnia. E regione hujus Sacrarij, quod *S. Adalberto* conſecratum diximus, locus eſt exiguus, muris cinctus, verbo: *Cæmiterium*. Eum locum allatâ ex *Paleſtina terrâ ſanctâ* (quæ fuit Majorum noſtrorum Pietas, exemplo per *Bohemiam* ſat vulgato) aggeſtum, & glebâ illâ ſanctâ cumulatum, narrantes audivi; an id certum ſatìs, inquirere per tempus non licuit.

Turris S. Viti.

Ad dextrum *S. Adalberti* latus *Turris S. Viti* altiſſima, & quanquam aliquot incendijs deformata, firma tamen adhuc, & non omnino invenuſta ſpectatur; tota ſupernè lapideis cancellis obitur; imam turris hujuſce partem occupat *Sacrarium altiſſimum Hazmburgicæ ſtirpis*, quę nuper in ultimo ejus ſtirpis heroë Jaroslao defecit;

Campanæ.

mediam turrem *Campanæ* implent; quarum duæ, *S. Sigiſmundi & S. Wenceslai* nomine, conſpicuæ magnitudinis, ut poſt *Erfurdenſem*, aut unam fortaſſis aliam, vix nominari poſſit, altera, quam noſtra non vincat; nihil ad hanc eſt *Glacenſis*, nihil *Olomucenſis*, nè *Viennenſis* quidem. Veteres ſcriptum reliquêre: cùm hæc campana maxima ſub *Sigiſmundo Cæſare* in turrim extraheretur, *Libratores*, quibus id datum erat negotium, inſigni arte perfeciſſe, ut facillimè totum negotium iret ſub manus, adeóq; *Sigiſmundi* poſtea Cæſaris filiæ *Eliſabethæ* adhuc puellulæ filum ſericeum obtuliſſe, quod ipſa glomerando, & in globum leniter volvendo (rotis, & machinis omnibus fili ductum ſequentibus) *Campanam* in ſublime priùs traxerit, tum in Turrim inſeruerit, omnibus, qui adſtabant, ſtupore defixis. Porrò de *Campana S. Wenceslai* hoc in M. S. Codice Cuttnenſis hiſtoriæ lego: *An. 1509. in Februario Wladislaus Rex petijt ſibi dari campanam majorem ad Eccleſiam S. Barbaræ Cuttenbergæ pendentem; data ſtatim eſt, eámque Rex S. Wenceslao in Arce Pragenſi donavit; Cuttnenſibus aliud metallum dari Rex juſſit, fusáque eſt Campana, 80. centenariorum, quam hodiéque audimus. At Pragæ ex Cuttnenſi Campana addito etiam novo metallo, alia Campana fuſa eſt, quæ 270. Centenarios æquat pondere; fudêre grandem hanc Campanam Bartoſs Civis Pragenſis, & Andreas Ptaczek Cuttnenſis.* Hæc omnia, quæ de *Campanis* Eccle-

Eccleſiæ Metropolitanæ attuli ad *Lydium* Chronologiæ lapidem examinanda ſunt: conſtat enim ſub *Ferdinando I.* An. 1541. incendio ferali *Arcis S. VVenceslai*, etiam *Campanas* magnâ parte correptas & corruptas fuiſſe, adeóque Campanæ hodiernæ alterius ſunt operis, ſumtuum, & laboris. Hîc hærebam in ſicco, cùm ecce Vir amiciſſimus *Fabianus Blovvsky* ad Regium Cameraticum Judicium Secretarius, ex amore ſtudiorum noſtrorum, communem utriusque Amicum *Dominùm Jacobum Tanner* Primatem Hradczanenſem perpulit, ut iter illud penè dixiſſem cœleſte ſuſciperet, Turrímque S. Viti conſcenderet; conſcendit, & hæc retulit: primæ magnitudinis *Campana S. Sigiſmundi* nomine inſignitur *Ferdinando I.* Rege noſtro ſumtus præbente An. 1549. poſt incendium Arcis à *Thoma Jaroſs Brunenſi* fuſa, & ponderat (ut vocibus in hoc genere uſitatis loquar) centenarios metalli *ducentos ſeptem ac viginti.* Altera ſecundæ magnitudinis fuſa An. 1542. *Wenceslai* nomine gaudet. Tertia *Requial* dicta, quòd ad *Miſſam* pro defunctis *Regibus* habendam horâ 8. ſignum eâ quotidie dari ſoleat, fuſa An. 1546. ſumtibus *D. Udalrici Pauzar* Equeſtris Ordinis viri. Quarta *Dominicus*; Quinta *Kurnik* (illa ob Dominicum diem, hæc quòd ad *Chorum* advocet) appellantur. Duæ reliquæ *Joſephus & Maria* minores ſunt, & ferè ut ad Chorum complendum Muſici pueri, adhibentur.

Horologium Arcis. Supremam Turris partem obtinet *horologij machina* cum ſuis cymbalis, & octuplici in omnem Cœli plagam horarum, deinde ſimul inferiore loco quadrantium Indice. *Cymbala*, quę dixi, alterum horarium, & alterum, quod quatuor horę ſegmenta nunciat, ab optimis in arte fuſoria Magiſtris, quos circa ſe *Rudolphus II. Imperator* habebat, perfecta, argenteo ſono, adjunctâ quâdam forti penetrabilitate mirificè commendantur, & placuiſſe *Rudolfo*, Urbique, cùm primùm audire contigit, annotatum invêni. *Horas* ſonantes repetit *malleus* majori Campanæ affixus, trahente ex alto, cui horarum cura commiſſa eſt, *Vigile*; (is enim cum familia, & ſocijs pervigilat, & ſummam incolit turrim) quò fit, ut *horas Arcenſes* tota *Triurbs* exaudiat, iiſque tempora diei, ac noctis dividere poſſit; quamvìs non deſint plura tricenis horologia Turribus affixa per Urbem, quę idem præſtent. *Globus Turris* hujus æręus inauratus cum *ſtella* ſupernè (in quo, nuper nato *Auguſto Puero* vexilla Regia duo agitari ab homine quodam intrepido vidimus) tam purâ luce, & radijs coruſcat, ut ad multa milliaria cœlo ſereno ſtellas provocet, & ſæpe nocte paulùm lætiore illudat oculis, & *Heſperus* eſſe putetur. 1678.

Turres Caroli IV. inauratæ. Sed quid iſta ad antiqua *Caroli IV.* tempora, quem in Arce ſua Regia *Pragenſi Turres* duas fortiſſimas juxta, & formoſiſſimas (nam turritis operibus mirificè oblectabatur) excitâſſe narrat *Beneſſius* (*Caroli IV.* quondam Aulicus, poſtea *Canonicus Pragenſis*, & ex Canonico *S. Franciſci Religioſus*, qui hæc ante ſe geſta videbat) alteram, quæ *Orientem*, alteram, quæ *Occidentem* ſpectaret. *Beneſſ. l. 4. Chronici. ad A. 1370.* Eas Turres plumbo totas priùs contexit, ſed plumbum inſuper non aliquâ comicâ, ſed *auri veri liturâ* craſsâ perfudit, tam gratâ exinde auri luce, támque admirando ſpectaculo, ut nimius earum ſplendor aciem oculorum repercuteret, ac ſilentium quoddam, & modeſtiam oculis imperaret. Porrò hanc ipſam *Turrim S. Viti*, de qua ab initio loquimur, idem *Carolus Imperator*, cùm ad Imperium, & Civitates Imperiales incolendas invitaretur, idem, inquam, *Carolus Imperator*, coram *Legatis* affirmavit, hanc turrim ſe poſſe gemmis, tum auro, & argento Bohemico, ac tandem lapidibus pretioſis totam contegere, & tot cumulis circumvallare, ut nec *apex* turris appareret; ſed hæc aptiore loco jam commemorata ſunt.

Tur-

Digitized by Google

Opus Muſivum in Turri.

Turris latus meridionale, uti & extimum *Sacrarium S. Wenceslai* (de quo jam diximus) parietem ſpectabilem facit artis rariſſimæ opus (*Muſeum Plinius*, alij *Muſivum* appellant) cùm videlicet ex lapillis coloratis, atque inter ſe miro artificio innexis, & copulatis, *Imago* aliqua debitis coloribus illuminata exiſtit, idque laudatur magis, quò propiùs ad picturam, & proportionem perſonarum, & rerum acceſſerit; tale Muſeum opus gemmeum offertur, *Reſurrectionem* ultimo mundi die, & *Chriſtum cum Sanctis* è cœlo mundum judicantem graphicè repræſentans. Sub *Carolo IV.* An. 1371. maximis impenſis (an *Caroli* ipſius, an alterius, non conſtat) perfectum; ſcio paucos præſtantiam Imaginum iſtarum mirari, eâ cauſsâ unicâ, quòd artem ignorent, oculóſque afferant ineruditos.

Ædificia Arcis.

Canonicorum Domus, & *Præpoſiti ac Decani* ædes, *Locus Capitularis*, ac cetera privatorum hominum in Arce ædificia, nihil habent, quod magnopere commendetur. *Roſenbergicorum*, & *Perenſteinenſium Procerum*, nunc *Lobkoviciorum Principum domus*, elegantiſſimis, & venuſtiſſimis cubiculis, & palatijs conſtant, more veteri, auro, & imaginibus artificioſis exornatæ; ſed hæc communia omnibus *Procerum Domibus* omitto; non enim, niſi pauciſſima, & quę viſu digna exiſtimo, neque ea explicanda, ſed indicanda ſumſi. *Turris alba* quid ſit (Nobilium reorum carcer) tum, quæ gemmariorum, & artificum Regiorum Domus ante Arcis ingreſſum, tum alia in ipſa Arce, in qua tormenta, & currules machinæ funduntur (cui operi interfuiſſe non ſemel, in parte felicitatis repono) explicare operæ pretium non puto. De *Primo in Bohemia Cœnobio Virginum Sancti Benedicti*, déque ejus prærogativis, & hiſtoria, tum de *Collegiata Eccleſia Omnium Sanctorum*, alio in loco dicemus.

§. III.

Aliqua de publicis operibus in Arce Pragenſi, déque habitatione Regia, ac Palatio Wladislai.

Arx Pragēſis quàm commodo loco ſedeat

Privatum dici non poteſt, quod *Regium* eſt; adeò privata omnia Regum, ſive ob exempla, & documenta in ſublimi poſita, ſive ob vitam ipſorum *Regum*, quæ Reipublicæ conſecratur, publica cenſentur. Sed *Domus Regia* potiori jure in publicis operibus numeratur: publica fortuna, publica Regni ſalus, publica Juſtitia, Prudentia, Fortitudo, cæteráque Regum virtutes, *veſtibulum Regiæ* obſident, & *pœnas & præmia* (quibus continetur Reſpublica) diſpenſant. Sed in rem pręſentem veniamus. Crediderim in primis, aptiore in loco collocari *Arcem Regiam* non potuiſſe: *minor Urbs Pragenſis* jacet Regi ſub ictu; *Antiqua*; & *nova Urbs* in oculis, ſic, ut ubi quid geratur, in ponte, in flumine in foris, & compitis, in domibus, turribus, mœnibus, & in vicinis collibus omnibus ex Arce contempletur.

Habitationes Regiæ.

Regia cubicula deſcribere ſupervacaneum puto; ſatis eſt dicere: Procerum & Aulæ totius judició, in terris omnibus, quas habet *Regnatrix Auſtriacorum familia*, non eſſe alteram, quæ commoditate locorum, & proſpectûs, & cœli libertate ac ſalubritate, magnitudine, & capacitate comparetur; verbo abſolvam: talis eſt Arx, qualem *Ferdinandus III.* auguſtę memorię doctiſſimus Imperator, conſultis maximis in architectura magiſtris, optavit, & ſtatuit: hic enim Imperator Veterem *Arcem Wladiſlai, Rudolfi*, ac cœterorum Imperatorum ad uniformitatem quandam ædificando perduxit. Me-

Digitized by Google

Memini An. 1641. *Præfectum* Regiæ Fabricæ Dominum *Dionyſium Miſeron*, Magiſtro in Mathematicis meo R. P. *Theodoro Moreto S. J.* exhibuiſſe totam *Arcis Pragenſis* ſtructuram, ex charta, & aſſerculis compactam, cum omnibus cubiculis, ambitibus, fornicibus, *ad ulnas & menſuras* omnes exactam, quam *Cæſari Viennam* mittebat, quámque ipſemet *Miſeron* confecerat, qui navatæ hujus operæ pretium 100. Imperiales reportavit. Hęc deſcriptio (quam tunc vidi) ſi nunc eſſet ad manum, curioſo Lectori ſub aſpectum poneret omnia; ſed hac à me nemo poſtulet, qui indiculum paro. Porro *Cubicula Regiæ Domûs* propè omnia tranſitoria ſunt, atque ità aptata (quod *Cæſar Rudolphus* maximè quæſiſſe dicitur) ut nemine ſentiente, ſive die, ſive nocte, *ad Eccleſiam S. Viti*, ad Palatia, & habitationes cæteras, ad Equorum ſtabula, ad hortos Regios, ad *Domum Mathematicam*, ad vicinas *Roſenbergicorum Procerum ædes*, occultis itineribus, imò etiam extra Arcem ſubter tecto pulvere pontis ad *Theriotrophium*, ſi luberet, *Imperator* commeare, & deſcendere poſſet, vix obſervatus ab ullo. Præcipua, & viſu digniſſima Arcis hujus ſunt: *Palatium Regis Wladislai* (de quo agemus brevì) *Palatium*, quod vocant *Hiſpanicum*; *Sacellum Regium* cum venuſta turriculâ; *Regis & Reginæ, & gynecæi habitationes*; cubicula plurima conjuncta, in quibus olim *gaza Regia*, & quidquid ab arte illuſtre fuit, ſervabatur (Schaꝛkammer / & Kunſtkammer appellabant, quaſi *Gazophylacium*, & *Technophylacium* diceres) quod utrumque à *Svecis* evectum dolemus. *Stabulum Equorum* ampliſſimum ex marmore, & ſectis lapidibus cum auguſto fornice; *Fons* cum *S. Georgij* Equeſtri ſtatua; *Pons Pulvereus*, ùt vocant; *Horti Regij*; *Domus Mathematica*; altiſſimæ foſſæ propugnaculum, in quibus olim, aureis *Rudolphi* temporibus, omne ferarum genus paſcebatur; & ſi quæ alia. *S. Georgij Equeſtris Statua*, (quam modò nominaveram) miraculo eſt artificibus; ex ære campano conſtat; *Equi*, & Sancti *Equitis* lineamenta tantâ diligentiâ expreſſit artifex, ut nihil magis; minimæ venulæ, & fibræ, & quidquid uſquam in *Equo* vivit, vivit in ære; præcipuum mihi viſum ſemper eſt, quòd & conatum *Equi* in ſaltu, & *Equitis* totius ſeſe ſaltui accommodantis flexum ad ungvem expreſſerit. Fabricatum hoc opus eſt An. 1373. *Carolo IV.* regnante, ùt in *Epitome* narravi; ſub hac ſtatua aqua dulcis, & fontana ſyphonibus, *Dracone aquam vomente*, magno impetu ſalit. *Pons ſublicius Ferdinandi I.* Regis, ac Cæſaris Imperio fabricatus è materia, & trabibus inter ſe miro artificio junctis componitur; ſupernè contectus eſt totus, & ſub eo tecto ligneo trames occultus, quà *Rex* à nemine obſervatus, ùt dixi, ad hortos ſuos, ad feras, ad Mathematicam Domum, cùm libet, exire poſſit; mirantur, qui hæc intelligunt, lignatores; ego altitudinem & longitudinem pontis (ſi quid intelligo) & quòd tam altè pendeat, miror; ſubter pontem rivulus fluit; in altitudinem immenſam Arcis valla, & ſubſtructiones deſcendunt, quæ hujus pontis auxilio æquali paſſu ſuperantur. *Horti Regij* nunc quidem, abſente ſcilicet apud Auſtrios *Rege*, magìs, ut nomen ſuſtineant, quàm, ut aliquam amœnæ novitatis, aut novæ amœnitatis gratiam mereantur, coluntur; & quamvìs diligentiſſima Cultoris manus eſſet, quid hodierna rerum facies (comparatè ad ſuperiora tempora loquor) haberet, quod *Rudolpho Cæſari* & præſenti, & ſummo hortorum amatori, & admiratori, poſſet opponere? nihil erat in plantis ſalutare, nihil in floribus, arboribúſque formoſum, nihil, quo ſe *Italia*, *Hiſpania*, imò & *Aſia*, cæteráque fertiliſſimæ, & humaniſſimæ ex cultura, & ſatura Regiones jactabant, quod non

Occultus Regi per omnia tranſitus.

S. Georgii Statua percelebris.

Pons ſublicius.

Hortus regius.

Digitized by Google

non continuò *Rudolphus Cæſar* poſceret, & pretio liberaliſſimè perſoluto, in hortos ſuos transferret. Quæ raritas arborum, fruticum, florum, plantarum in hortis illis *Cæſari* creverit, *Mathioli* herbarium, & Commentarium in *Dioſcoridem* oſtendunt; pauca adhuc ſuperſunt priſcæ illius gloriæ veſtigia. Addiderat hortis ſuis *Cæſar* rupes, & pendentia ſaxa, cavitates, & antra manufacta, & nemora, in quibus grandem tum domeſticarum, ut phaſianorum, perdicum, aliarúmque hujusmodi avium; tum etiam peregrinarum ex *Turcia*, aliíſque terris numerum, ferreis rétibus claudebat. Ad has amœnitates, ut animum oblectaret, oculóſque paſceret, quotidie veniebat *Rudolfus.* Accepi à ſenibus, cùm jam *Imperator* ætatis vitio moroſior fieret, neque niſi coactus, ſui copiam faceret, advenas, qui ad videndum *Cæſarem Pragam* aliquando veniebant, id maximè hoc artificio conſequi ſolitos: Sociorum *hortenſium* veſtes, vel *ſtabulariorum* (nam etiam *Equorum ſtabula* inviſebat quotidie) induebant; hâc fraude, & ſimulatione contecti *Cæſari* occurrere audebant, & quantum volebant aſpectu ſatiari. Inter Regios hoſce hortos ſtat *Domus*, quam *Mathematicam* omnes appellant, ſtructurâ miri operis totâ ſaxeâ. Ajunt ejus unius Domûs ædificationem *Ferdinando I. Cæſari* centum florenorum millibus conſtitiſſe. Columnatum opus eſt infrà, ſupráque cum pergulis ad omnem cæli plagam, quæ columnis, plurimis, ùt dixi, ſuſtinentur; intus in interiore Domûs parte ſub ingenti fornice grande *Palatium*, tum ad Conviviorum, tum ſi lubeat, ad ludorum hilaritatem aptiſſimum aperitur; alia commoda hujus Regiæ Domûs, præſertim ad aſtrorum aſpectus, & in totam Urbem, & varios anfractus *Moldavæ*, totámque adeò regionem deſpectus, cùm & altiſſimo loco ſita ſit, ſola, libera, cujus luminibus nulla alia officiat, cui totus

Domus Mathematica.

horizon (particulâ Cœli occidentalis exceptâ) pateſcat; hæc, inquam, & plura aliæ commendationis, & utilitatis capita prætereo. Duos habet ambitus, duplicéſque fornices alteros alteris impoſitos. *Inferior porticus* eſt columnis ſaxeis quidem, ſed teretibus, opere Corinthio, æquali ſpatio diſtinctis innixa. *Superior ambitus* ſub dio eſt pinnis lapideis, *pavimento Cedrino*, à putredine hactenus immuni. Capita, baſéſque columnarum varijs hiſtoriarum, poëmatúmq; emblematis artificioſiſſimè exornata. Sed *Rudolfi Cæſaris* temporibus *Carolo Schotto* homini Italo, magicis, ſtygiiſque artibus claro, hęc *Domus* non tam ad Cœlum, & terram intuendam, quàm ad Inferos, & manes ſolicitandos ſubſervijſſe narratur; exhibuiſſe illum, quæcunque in Urbe Regia, in cœnaculis, cubiculis, & domorum latibulis gererentur; in ſcenas, maximorum Ducum, Regum, ac *Principum Manes* ùt erant, dum viverent, ope Dęmonum inducere potuiſſe narrant; quæ ego non aſſero, nè cui videar injurius, ſed à ſenibus audita commemoro. Sunt aliæ quoque inter valla Arcis ſitæ ædes, ùt *Sphæriſterium* ad honeſtam Aulicorum voluptatem, deinde ad inſtructionem, & *exercitationem Equorum* ædificium aliud, accommodatiſſimum utrumque, & plura alia. Sed me *Palatium Regis Wladislai* ad ſe vocat: nihil in hoc genere *Arx Regia Pragenſis* illuſtrius habet. An. 1502. 20. Septembris, *Beneß* architectus *Bohemus Civis Launenſis* hujus Palatij ædificationem abſolvit. Laudant, & commendant opus, quicunque egerunt de *Praga*, noſtri, exteríque Scriptores; illorum, utpote in re ſua, teſtimonia, nihil moror; graviora, & certiora ſunt Exterorum. *Gerardus Mercator*, qui Europam univerſam deſcribit, eíque libro titulum fecit *Atlantis*, negat in tota Europa Porticum teſtudineatam, longiorem, latiorem, altiorem, nullis columnis ſuſten-

Sphæriſterium.

Palatium Regis Wladislai.

M. S. Curiæ Budwicenſis. Dreſſer. in Praga. Atlas in Boh.

ſuſtentatam (quod diligenter obſervandum eſt) reperiri; neque id *Palatium* ſolo affixum eſt, ſed in ædium medio expanditur, & alio rurſus fornice ſuſtinetur, adeóque geminus, atque is ampliſſimus eſt fornix; alter, qui calcatur, alter, quo Palatium contegitur. In Palatio *mercatorum officinę*, quidquid ab auro, argento, & gemmis collucet, proponunt; lectiores Libri, Imagines primæ notæ, ſculpturæ, & artificum rariora opera, panni ſerici, & aurei, ab utraque *Palatij* partē proſtant; in medio Nobilitas, & alij, qui negotium in Tribunalibus (nam adhæc per Palatium iter eſt) habent, ambulationibus, colloquijs, & conſilijs tempus fallunt; ex hoc loco ingreſſus eſt in Conclave *Conventibus Regni* deputatum, inque *Cancellarias*. In hoc Palatio *Legationes Rudolfi Cæſaris* tempore exceptas, & ad Cæſarem deductas (quales erant *Turcarum*, *Moſcorum*, *Perſarum*, *Tartarorum*, *Polonorum*) meminerunt ſenes. Narrat, qui *Pragam* excudit *Sadelerus* quotidie ſuo tempore, præcipuè durantibus Regni Conventibus, aliquot ibi hominum millia ſolitos convenire, & amitti tranſitu. Commendat hanc quoque *Baſilicam* in ſua Praga *Dreſſerus*; ſed *Jacobum Typotium* Batavum Virum clariſſimum, *Rudolfi Cæſaris* hiſtoricum audiamus. Is igitur, cùm *Ægidius Sadeler* hoc Palatium fælici, & artificioſâ manu ęri incidiſſet, ab artifice rogatus, hæc imagini ſubſcripſit, quæ ad verbum, ùt ſunt æri inciſa, hoc loco recitabo: *Orthographicam, & vel ſciographicam, ſi advertis Inſpector, hypotypoſin exhibeo. Ipſa ſubſtructio* φορ[illegible]*ιερογνκής, vel, ùt Plinius loquitur inſana, ingens atrium, ſalam vocant, ad Baſilicæ rationem, Auguſtæ Domûs ſplendori, ſed & uſui, magnificentiâ Wladiſlai Regis circiter M. CCCC. XCIII. annum Chriſtianum, novæ Regiæ Pragenſi inter alia adjectum. Parietes cæmentitij exæquatis lapidibus exteriorem partem lævigati, intus albario opere loricati, frontibus ſolidis, reticulatas utrinque teſtudines, quarum quintus ordo fornicem ducentos duodecim pedes longum abſolvit, interſtitia, alibi valvarum aliquot Antas, quæ ad Senatum; & Tabularia Regni, aliáve Judicijs exercendis loca, etiam cœnacula, cubiculáque Regiæ patent, admittúntve, alibi ferè ampliſſima feneſtrarum hypothyra, vel vitro in aëris injurias munita, aperiunt, ſuſtinent. Pavimentum inteſtinum ad alios ſexaginta pedes coaſſationem, quam omnigenæ tabernæ (ſeu pergulas mâlis) & his ſuperimpoſita perpetua pegmata, undequaque vallant, extendit. Locus capaciſſimus, otio ſimul, & negotijs accommodus.*

Iacobus Typotius V. C. deſcribit hoc Palatium.

longitudo fornicis 212. pedû, latitudo 60. pedû.

Illuſtriſſimo, & Generoſiſſimo Domino Domino Chriſtophoro Popl Baroni de Lobkovvicz, Domino in Paţek, & Divviſſ, Rudolfi II. Romanorum Imperatoris Auguſti, Hung: Boh. Regis, &c. Conſiliario Intimo; Seniori Cubiculario, Supremo Regni Bohemiæ Curiæ Præfecto, &c. &c. Sac. Cæſ. Majeſtatis Sculptor Ægidius Sadeler dedicat MIDCVII.

His ego, quod adjiciam de meo, non habeo; ſed cuique rerum iſtarum curioſo, & intelligenti, deſcriptionem *Jacobi Typotij* examinandam relinquo.

CA-

CAPUT X.

De alijs quibusdam ſumtuoſis, & operoſis Majorum noſtrorum ædificationibus. Pons Pragenſis; Baſilica S. Barbaræ; tum aliæ celebriòres per Bohemiam Eccleſiæ; Campanæ; Corona Wiſſehradenſis; Domus magnificæ; Cœnobia, & Collegia exædificata; Moles turritæ, & Turres memoratu dignæ.

Ædificationes magnificæ defenduntur.

OPrimos pleroſque & in præconium, ac nominis immortalitatem genitos Principes, maximos ædificatores fuiſſe, eámque rem ad quandam *magnificentiam* (Virtutem ſummis quibusque viris ſupra vulgum poſitis propriam) pertinere, pridem in *Vita Arneſti I.* Pragenſis Archi-Epiſcopi varijs exemplis probavi, eò Lectores remitto; hac virtute claruiſſe majores noſtros, & præcipuè ſplendorem in Templis, & ornatum âmâſſe, vel illa ſupellex ſacra, cujus poſt tot hæreticorum incendia, & aduncas manꝰ neque milleſima portio ſupereſt, ſatìs oſtendit. Non vociferabantur illi cum Satyrico, ùt Calviniani noſtri, religione non canâ, ſed calvâ: *In ſacris quid facit aurum?* ſed imitatione Regum omnium Sapientiſſimi *Salomonis*, qui magno DEO maximis opibus, miraculo proximum condidit *Templum*, aut *Regum*, cunabula Chriſti naſcentis adorantium, qui aurum etiam inter Regia dona myſtico ſignificatu obtulerant, exemplo, quidquid in gemmis, & auro, metallis, & arte rarum, ac pretioſum eſſe potuit, conſecrabant; vide, quæ de Sanctorum *Corporum Reliquijs*, & ſacris Exuvijs à *Carolo IV.* aliiſque Regibus noſtris pretioſiſſimè exornatis, déque *Eccleſiæ Pragenſis* divitijs attulit *Peſſina in Phoſphoro*; ab uno Templo diſcere, & conjecturam de cæteris capere licebit. *Cochlæus* ait: *Bohemiam Italiæ comparari potuiſſe ob Templorum in utraque regione magnificentiam.* Sed liberalitatem, & ſplendorem Majorum in ſacris, Libro alteri hujus Operis reſervamus; hîc profana tantùm Regum, ac Principum honori, aut publicæ Civium utilitati ac ſplendori, magnificè, & ſumtuosè ſubſtructa proſequemur: *Caroli IV.* ædificationes in *Vita Arneſti* adduxi brevitate ſummâ.

In Boh. Vetere Templa magnifica.

Cochl. in Huſſiticis.

§. I.

De celebratiſſimo Ponte Pragenſi ſuper flumen Muldavam.

Pontis longitudo & latitudo.

PONS *Pragenſis*, ut enucleatiùs deſcribatur, maxima ejus firmitas, latitudo, longitudo, turriti ingreſſus, & alia quædam pontis illius ornamenta, merentur; quo ponte longiorem, elegantiorem, & firmiorem alterum in tota Europa reperiri negant *Dreſſerus*, & *Gerardus Mercator*: præfert ineptiſſimè Ratisbonenſem *Fabricius*. Conſtat totus ſaxo quadrato; fornices ſubtus octodecim ex eodem ſaxo *Muldavam* flumen transmittunt; ipſi fornices alijs quodammodo fornicibus innituntur, ſiquidem columnæ loco, ſaxea quædam propugnacula fornicata, & intus, ùt perhibent, cava, ex alvo fluminis ſurgunt eodem ex ſaxo, quibus fornices, ùt dicebam, incumbunt. Longitudo Pontis pedes 1770. latitudo

Dreſſ. & Mercator loc. cit. Fabric. in Miſnicis lib: 1.

35. comprehendit; verbo: latitudo tanta eſt, ut tres currus commodè nullâ offenſione occurrentes, provehantur; ſunt qui quatuor currus ponè ſe ſtare poſſe affirment; at non poſſe, quin offendant, progredi, certum puto. Errat inſigniter *Dreſſerus*, qui hunc, de quo loquimur, Pragenſem Pontem à *Githa* (*Judita*, vel *Gitka* ſcribendum fuit) *Wladislai I. Regis filia* (conjux fuit, non filia) An. C. 1171. cœptum ædificari ſcribit: nam *Gitcæ* hujus pons, ût *W. Rameſs* narrat Anno 1342. ipſo Purificatæ DEIparæ Virginis feſto propè totus corruit. *Weleſlavinus in Calendario hiſtorico* ad 3. Februarij diem An. C. 1342. tradit: noćte ante *S. Blaſij*, lapideum *Pontem Pragenſem*, quem *Regina Gitka* Anno 1174. exſtruere cœperat, & triennio in eo labore conſumto abſolverat, *Muldavæ* fluctibus immensùm auctis, quatuor locis abruptum, vix quartâ parte, eâque lacerâ, & malè ſtante relićtâ, in flumen corruiſſe præcipitem. Hic Pons alio ſtetit in loco, paulò ſcilicet inferiùs ad *Hoſpitalis Crucigerorum* ingreſſum, ſuper parvam quandam *Inſulam*, quæ hodiéque viſitur, in qua olim *Eccleſiola S. Joannis* condita fuit, quam ipſam fluctus, & exundationes fluminis illius creberrimæ, poſtea rapuerunt. Pontis, quem videmus, firmiſſimi conditor, & Fundator *Carolus IV.* primum lapidem ex ripa *Antiquæ Vrbis Pragenſis*, ingenti celebritate poſuit A. 1357. Erat tum ſumma rerum omnium ad vitam hominum ſuſtinendam abundantia, ſic ût obolo argenteo, duodecim, aut etiam quatuordecim ova gallinacea emerentur; eâ oportunitate uſos *Ponti* fabricando Præfectos, tradunt Veteres memoriæ, vinum & ova cum cæmento ad firmitatem operis ſubegiſſe ac miſcuiſſe. Sanè tanta cæmenti illius adverſùs ligones pertinatia, & durities eſt, ut propè æquali labore, quo lapides, eodem cæmenta, & calcem, quæ lapides ipſos committit, & continet, frangi neceſſe ſit, ût ipſi vidimus, cùm poſt Svecorum *Pragâ* abitum A. 1650. *Pontem* hunc ex Antiquæ Vrbis ripa à Turri abrumpere Præfecti militares juſſiſſent; quod poſtea inutile ſuum conſilium, imò & Ponti, & Turri noxium, nè aliud dicam, damnârunt, neque ultrà progreſſi ſunt. Porro *Pontem Carolus IV.* Fundator abſolutum non vidit; annis pòſt 145. (ſæpe etiam bellis abruptâ ædificatione) A. C. tandem 1503. (aut 1502. ût alij volunt) perfecta eſt ultima Pontis concameratio, ſeu, ut ità dicam, propugnaculum cum fornice, cui *Pons* incumbit. Paulò antè (videlicet A. 1495.) abruptus erat aquarum vi ipſo in loco, ubi hodie *Chriſti Cruci affixi* ex ære artificioſiſſimum ſignum erectum aſpicimus. Notant *M. S. Curiæ Budvicenſis* memoriæ hanc aquę injuriam, & quidquid in *Ponte* deſiderari poterat, publicis *Pragenſis Vrbis Antiquæ* ſumtibus, brevì reparatum, perfectum, & abſolutum, ut modò diximus. Non poſſunt ſuâ laude fraudari *Procopius Pikhart*, ac præcipuè *Joannes Zagiczek* antiquæ Vrbis Conſules (ût *M. S. Univerſitatis Carolinæ* annotavit) quorum vigilantiâ operi inſtantium, *Pons* priſtinam ſuam gloriam recepit: nam cùm antè quotannis indecoris ſubſtructionibus, & in tempus duraturo labore inſtauraretur, *Zagiczek Conſul*, rem ex integro aggreſſus, ex temporaneo, ut ſic dicam, fecit æternum, ſemel (haud tamen inutiliter) pecunijs effuſis, ut in poſterum pecuniæ parceretur: melioris notæ OEconomos imitatus, qui pro lucro deputant, pecuniam bene collocare ſemel, quàm perpetuam in emendo, vel reparando ſervitutem, & onus ſuſtinere. Noſter hic *Pons* fluminis *Muldavæ* ſubitis exundationibus, & procellis multùm oppugnari ſolet, & periculum eſt, nî caveamus, nè hoc Regni pulcerrimum decus aliquando amittamus, indignante *Muldavâ*, & jugum ſuum impatientiùs feren-

Quis Pontis hujus ſtructor.

Wenc. Rameſs in Vita Cæſ. Sigiſmundi.

Beneſſ. l. 3. hiſt. Prag.

Materia Pontis.

Weleslav. in Calend. hiſt. ad 22. Junij. M. S. Cuttnę ſe ad A. 1503.

QuisPontis ædificationem abſolverit.

Pons ab Aqua ſæpe periclitatur

Digitized by Google

ferente. Narrabat mihi Neſtoreus, ut ſic loquar, ſenex, qui annum ætatis centeſimum viceſimum diu expleverat, *Ferdinando I.* Regi hujus Pontis integritatem adeò curæ fuiſſe, ut cùm defendendi Pontis alia ratio non occurreret, in præſenti ab aquis periculo, diſpoſitos certos homines die ac nocte cum haſtis, quibus faſces ſtraminum affixerant, ſtâre juſſerit, ut vel hâc ratione fluctuum aſſilientium vortices molliùs in ſubjectum *Pontem* inciderent, ac quodammodo frangerentur; ex ijs, qui tum pontem defenderant, unum ſe fuiſſe *ſenex* aſſerebat; Annum, quo id contigerit, nominare ob diuturnitatem temporis non potuit. Plura de hujus *Pontis* pulcherrimi periculis, alio in loco adferemus, cùm de *Exundationibus* erit ſermo. Ornamenta Pontis, de ſtatua *Juſtitiæ*, *Leonis*, *Capitis humani* (quod **Bradáč** appellant) & aliorum ſignorum, in *Vita Erneſti* dixi, quæ non vacat repetere. Huic *Pragenſi Ponti* germaniſſimum alterũ (quamvis longitudine, latitudine, cæteriſque ornamentis, *Pragenſi* longè inferiorem, ſed ædificationis arte perſimilem) *Raudnicij* habebat *Bohemia*, quem *Joannes* ejus nominis IV. *Pragenſis Epiſcopus* commiſeratione Pauperum ſuper *Albim*, ùt in *Epitome* narravimus, conſtruxit, ſolido è ſaxo, opere *Lombardico*, cujus ruinas cum dolore ſpectamus. Utinam reconcinnari poſſet!

In hiſtoria Civitatum in Praga.

Pons Raudnicenſis.

In Epit. l. 3. C. 18.

§. II.

De Baſilica Cuttnenſi, S. Barbaræ honori à foſſoribus conſtructa.

SAncta Barbaræ honori conſtructa apud *Cuttnenſes Baſilica*, provocare, magnitudine, pulchritudine prorſus auguſtâ, altitudine, artificio fornicum, aliiſque hujuſmodi rebus, omnes per *Bohemiam* Eccleſias poteſt; nihil illa *S. Stephano Viennenſi*, nihil *Pragenſi Metropolitanæ* concedit. Magna eſt inter eruditos, & hiſtoriæ Patriæ peritos de hujus *Baſilicæ* originibus, & annis diſputatio; hanc ego diſceptationem *R. P. Joanni Korzinek S. J.* qui *Cuttenſem Hiſtoriam* vulgavit, Viro amiciſſimo juxta, & doctiſſimo finiendam reliqui, qui ſimul hujus Templi deſcriptionem Lectoribus exhibuit; ego pauca, quę in *Adverſarijs* reperio, adferam; cætera, quæ ex *Libris Erectionum* deſcripſeram, ſcribenti ſubmiſi: *A. 1483.* ait Cuttnenſis Codex *die Veneris ante S. Bartholomæi ſolennitatem, poſitus eſt primus Lapis Chori ad Eccleſiam S. Barbaræ; ſuper illum verò fundamentalem lapidem duo aurei, & decem groſſi bohemici collocati; poſuêre Magiſter Foſſorum, & Procopius Kraupa, primæ inter ſuos dignitatis.* At, nè quis erret, antiquior eſt Eccleſiæ hujus origo, & ad *Georgij Regis* tempora referenda, ut quidam volunt. (*Stransky* perdiligens Scriptor Annum 1390. poſuit, quo Templo huic initium ſit datum) Sacrarium olim *D. Barbaræ* anguſtum ſteterat, eo prorſus in loco, ubi nunc in Templi medio parvum extat altare; hæc *Nicolaus de Prachnian*: qui adjicit ex Bulla Pontificis Romani, qui Eccleſiæ condendæ facultatem dederat, ſatis apparere, præcipuam dediſſe condendi cauſſam vicinos *Sedlecenſes Religioſos*, qui juris ſui retinentiores de foſſorum cadaveribus ſepeliendis multas difficultates movere ſolebant. Recenſet idem *Codex vetuſtus*, quid, quóve anno perfectum ſit; tandem An. 1505. 8. Decembris, annotat, primam feneſtram vitream in Eccleſia *S. Barbaræ* ſuffixam, & anno ſequenti 1506. ab ædificatione ceſſatum; nominat etiam operis Magiſtrum *Reiſek* cognomine, his pauculis verbis: *Die Mercurij poſt feſtum*

Quando ſit hæc Baſilica condita.

Stransky in Rep. Boi. C. 2. §. 6.

Prachnian in M. S.

De Architecto Eccleſiæ hujus.

Digitized by Google

feſtum SS. Petri & Pauli An. 1405. obijt Reyſek, murarius præcellens, architectus Eccleſiæ S. Barbaræ. Dubium exoritur, an *Reiſek* ille Pragenſis, *Scholæ Rector in Tein, & Baccalaureus Philoſophiæ*, qui novam *Turrim Pragæ* conſtruxerat (ùt in *Praga* narrabo) an alius ſit ab illo? nomen congruit, nec ætas adverſatur; unum illud obſtat, quod *Codex M.S.* addere non omiſiſſet, doctum, & eruditum virum fuiſſe, neque ità abruptè Murarium, & Statuarium dixiſſet. Liberum cuique ſit, quod lubebit, ſentire. Cùm maximis opibus hæc Eccleſia tandem ſtetiſſet, *Reges Bohemiæ ſua* amantes, tuendo ædificio, & ſartis tectis ſervandis, piâ, & magnificâ liberalitate, *duas ſexagenas Pragenſium Groſſorum* pendendas quot hebdomadis per annum aſſignârunt; penditur hodiéque à foſſorum ſocietate ex *corte Italica*, ſic *officinam monetariam* appellant. Hæc omnia quæ nunc ex *Nicolao Prachnian* attuli, habet etiam *Bilejovius* Sacerdos Huſſiticus, qui ſe in hac Eccleſia *beneficium*, ùt vocant, multis Annis habuiſſe ſcribit: probare contendit idem Scriptor *SS. Corporis Chriſti* honori primitus hanc Eccleſiam conditam, & fundatam eſſe, etſi priùs eodem in lòco *Sacellum S. Barbaræ*, ùt dixi, ſteterit; olim quolibet die Mercurij ſub Veſperis, exponi ſolitum *Venerabile Sacramentum*, & expòſitum uſquè ad alteras diei Jovis Veſperas perſeverâſſe, & qui ad venerationem, & adorationem *SS. Euchariſtiæ* eam Eccleſiam inviſerent, *Bonifacium* ejus nominis IX. Romanum Pontificem, Indulgentias 7. annorum irrevocabiles tribuiſſe, ac ei qui Eccleſiam ſacris procuraret, *Decani* titulum dediſſe; recitat ipſas *Bonifacij Papæ* literas, Civibus, & Incolis *Cuttnenſibus* inſcriptas. Porrò *Turricula* ſacra, in qua ſub *Panis candidi* ſpecie *Chriſti SS. Corpus* præſcriptis diebus monſtrabatur, & adorabatur (*Monſtrantiam* appellant rituales Eccleſię libri) *decem ſupra centum libras* argenti ponderaſſe teſtis eſt oculat^9 & Religioſus Vir *Simeon Euſtachius domo Cuttnenſis*; ob eamque cauſſam niſi à pluribus Sacerdotibus, iiſque valentiſſimis, quibusdam machinis inſuper adhibitis (quibus onus divideretur in plures) *Monſtrantia* illa loco moveri non poterat. *Altare* in hac Eccleſia ligneum, ſed perelegans, & arte maximâ perfectum, noſtrâ memoriâ, alio aptiore ſubſtituto, deſijt videri: ſpectabatur *Cæna Chriſti* ultima, cum *duodecim Apoſtolis*, in quorum ipſis vultibus miri, & diverſi elucebant affectus, ſic, ut alij (juxta omnes ſymmetriæ leges exciſi) timorem, alij audaciam, alij iram, alij proditionem, alij amorem in *Chriſtum* apertiſſimè præferrent; ejus altaris authorem *Jacobum* celebrem Statuarium nominat *Weleslavinus*, quem etiam narrat in *Curia Cuttnenſi* ad ungvem efformâſſe *Chriſtum, & duodecim itidem Apoſtolos*, eúmque ſuum Avum fuiſſe maternum (Patrem videlicet Matris ſuæ cognomento *Reginæ*) gloriatur. Ut prorſus auguſta hujus *Baſilicæ* Majeſtas quadantenus adumbretur, adjicio planam aream, & ſuperficiem ab amiciſſimo, & rerum iſtiusmodi periſſimo Viro è *Societate noſtra* perfectam; ex ea, quàm elegans, & quàm pretioſa, & quàm admirabilis hæc ſit *Eccleſia*, qui paululùm, & à primo limine *Architectonicen* ſalutârunt, intelligent.

Reges in hanc Baſilicam munifici. *Stransky l. cit.*

Bilejow. L. 1. de mutat. Relig. in Boh.

Monſtrantia.

Sim: Euſtach. hiſt. Sedlec. f. 99.

Altare SS. Corporis Domini.


Weleslav. pref in Calen. hiſt.

§. III.

Celebriores quædam per Bohemiam Baſilicæ, & Templa enumerantur.

JAm nuper dixeram de *Cochlæi* ſententia, *Bohemiam* ob Eccleſiarum ſplendorem, & ædium ſacrarum auguſtam magnitudinem, *Italiæ* comparatam antiquitus fuiſſe; majorem ab *Italia* teſtem, qui in rem præſentem

Digitized by Google



Ad fol

Reg
han
cam
fici.
Strat

Biej
de m
lig. i

Digitized by Google

Pius II. in hiſt. Boh. in præfat.

tem venerat, advocabo *Æneam Sylvium*, ſeu *Pium II. Romanum Pontificem*, cujus *in hiſtoria Bohemiæ* ab eo ſcripta, & folio 1. hujus noſtri Libri præfixa, verba ſunt: *Nullum ego Regnum ætate noſtrâ in tota Europa, tam frequentibus, tam auguſtis, tam ornatis Templis ditatum fuiſſe, quàm Bohemicum reor.*

Sylvij teſtimonium de Boh.

Templa in cælum erecta, longitudine, atque amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis; altaria in ſublimi poſita, auro & argento, quo ſanctorum Reliquiæ tegebantur onuſta, Sacerdotum veſtes margaritis textæ, ornatus omnis dives, pretioſiſſima ſupellex; feneſtræ altæ, atque ampliſſimæ, conſpicuo vitro, & admirabili opere lucem præbebant.

Vide eund. C. 36. hiſt. Boh.

Neque hæc tantùm in oppidis, atque Urbibus, ſed in villis quoque admirari licebat; & quæ ſeqvuntur. Verùm magnam hujus gloriæ partem abſtulêre nobis priùs *Ziſkiana, & Taboritarum*, deinde *Orphanorum & Orebitarum* internecina bella, quæ non modò cum hominibus, ſed etiam velut rabidi canes, cum ſaxis, & lapidibus Templorum geſsêre; quædam tempore ipſo conciderunt; quaſdam *Eccleſias* cùm calamitates Huſſiticorum temporum ſuperâſſent, noſtrâ ætate à *Svecis* denique contigit funeſtari; nonnulla *Templa* mirabili providentiâ cœleſtium ſtare perſeverant; quædam potiora in exemplis adferemus.

Eccleſia Aulæ regiæ.

Chronic: Aulæ Regiæ Petri Abbatis.

Eccleſia Aulæ Regiæ (Cœnobium eſt ad Pragam) auguſtiſſimam prorſus habebat *DEI Matris Baſilicam*, ſeptem ſacellis (quæ Templorum juſtam magnitudinem æquabant) velut Coronâ cinctam; Sacella, quæ dico, *Eliſabetha Caroli IV.* Cæſaris mater conſtruxit; dejecta *Baſilica* eſt manibus hæreticorum. A. 1420.

Eccleſia Sedlecenſis.

Sedlecenſis Cœnobij Baſilicam ſplendidiſſimam ijdem hæretici dejecêre, invito *Ziſkâ* Duce, qui incenſori Cœnobij & Templi, aurum liquidum in os juſſit infundi.

Wiſſehradenſis.

Wiſſehradenſis Eccleſia SS. Petri & Pauli ad *Vaticanæ Eccleſiæ* normam, quantum fieri potuit, exſtructa, cum alijs quatuordecim Templis aut Sacrarijs ab hæreticis *Pragenſibus* viris, ac fœminis, in cumulum intra paucos dies dejecta fuit.

S. Mariæ ad Nives.

S. MARIÆ ad Nives Eccleſia Pragæ, quàm magnifica, quàm Regia, quàm ſublimis fuerit antè, quàm ijdem hæretici deſolatam proſternerent, *Chorus*, qui adhuc ſupereſt, ſatis oſtendit.

Carthuſianorum.

Carthuſianorum ſub Petrino monte Eccleſiam Codices antiqui commendant; nec ruduſculum hodie videbis. Sed quid opus ire per ſingula? quid prodeſt fuiſſe, & jam nihil eſſe? auguſtiores, quæ adhuc ſuperſunt, Eccleſias nominemus.

Pragenſis S. Viti, Cuttnenſis S. Barbara, quas paulò antè deſcripſimus *Baſilicæ* commendantur. Sunt qui *Colini* ſtantem Eccleſiam, *tertiam* in Bohemia venuſtate, magnificentiâ, aliiſque dotibus faciant.

Teinenſis.

Teinenſis Eccleſia Pragæ, Beatiſſimæ DEI Matris honori, à primis Ducibus Chriſtianis exſtructa, veterem retinet Majeſtatem, multiſque raris *Eccleſiarum* ornamentis, non modò intus, ſed etiam foris, præſertim in propylęo *Statuâ DEIparæ*, aureis & argenteis radijs lucente, commendatur. Hæc ita erant; at nuperum infælix incendium multa ejus *Eccleſiæ* decora corrupit, quæ tamen ſuo paulatim reſtituuntur nitori.

S. Jacobi.

Ponè ſtat *S. Jacobi Eccleſia*, altitudine inſignis; ſed hâc dote, ùt dixi, *Templum S. MARIÆ ad Nives* ſuperat.

S. Ægidij.

S. Ægidij olim *Collegialis Eccleſia Pragæ*, latitudine notabili, aliiſq; dotibus celebratur.

Slovanenſe.

Beneſſ. l. 4. Chronici.

Templum Slovanenſe, ſeu in *Emmaus*, quantam in antiquitate famam meruerit, vel hoc demonſtrat, quod à Majoribus jactabatur: *Pontem Pragenſem uno obolo plus, quàm hoc Cœnobium, & Eccleſiam Slovanenſem, Carolo Fundatori conſtitiſſe.* An. 1348. cœpit ædificari.

Carlovienſe.

Carlovienſis Eccleſia Canonicorum S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini, ab Artificibus, & Architectonices Magiſtris laudatur. Caret columnis omnibus, & ampliſſimus fornix ſolis Eccleſiæ parietibus ſuſtinetur.

Sacellum Corporis Chriſti.

Sacellum Corporis Chriſti in Boario Novæ Civitatis foro contrariâ prorſus dote celebratur: columnis gratioſiſſimis intus ſuffultum, fornicum angulis ſummâ venuſtate, & varietate, acanthi more, ſeſe curvantibus, & quaſi ludentibus; ut taceam ſubterraneas cellas, in quibus olim *Sanctorum Reliquias Carlſteinenſes* aſſervare ſolebant Veteres, ijs diebus, quibus è *Turre Sacelli* quotannis Populo monſtrari ſolebant. Tota hæc *Eccleſia* cæſo, & quadrato lapide conſtat.

Eccleſia S. Ignatij in Nova Civi: Prag.

E regione Sacelli hujus Novum ſe offert Templum, *S. Ignatio Confeſſori & Societatis JESU Parenti* ſacrum, magnifico prorſus opere, & nihil antiquitati ceſſuro; ſed manus Operi ſuprema appoſita nondum eſt; *Collegium Novæ Civitatis S. J.* ex piorum eleemoſynis hanc *Eccleſiam* excitavit.

Salvatoris Eccleſia.

Piorum quoq; hominum, præſertim *Lobkoviciorum Procerum* liberalitate, in *Collegio Soc. JESU ad S. Clementem* ſurrexit *Eccleſia* titulo *Salvatoris*, quam obſcuram, & neſcio quam ruſticitatem præferentem, noſtrâ memoriâ, Nobilis architectus, additâ, ùt vocant, cuppulâ & teſtudine, feneſtris in certum modum diſpoſitis, ambulacris utrâq; Templi parte ſtatutis, fornicibus aptatis, lætiſſimam, & quodammodo ridentem, ac prorſus venuſtam reddidit; quod vix fieri poſſe credebatur.

S. Salvatoris alia.

Aliud eſt *Pragæ Salvatoris Templum* (quod vulgus, *Germanicum* appellat) nunc *Cœnobio Minorum S. Franciſci de Paula* attributum, idque non inelegans, quod hæretici hujus ſæculi initio exſtruxerunt. Aliud ſimilis elegantiæ in parva Parte Pragenſi videmus ad *Cœnobium Carmelitanorum*, quos nuncupant *Reformatos*.

Carmelitarum.

Strahovienſis.

Norbertinorum in Strahovv Eccleſia inter ornatiores, quas habet *Praga*, computatur. Idem dici poteſt de nova Eccleſia *S. Mariæ Magdalenæ Prædicatorum* in minore Praga; *Hibernorum Ordinis S. Franciſci* Minorum ità nunc adornatur, ut iſtis dubiam palmam relinquat. *S. Thomæ Apoſtoli* Eccleſia in minore *Praga* tum ſeipsâ, tum Altari ſummo memorabilis cenſetur, in quo *S. Thomæ Apoſtoli* obitus cum tormentis graphicè depictus ab Apelle Belgij *Rubenio* ſpectatur. Eâdem Imaginum gratiâ ſpectabilis eſt *Eccleſia S. Nicolai* Domûs Profeſſæ Pragenſis, quæ *Caroli Screta*, eximij apud nos Pictoris, pretioſo penicillo, & laboribus illuſtratur; quod non amicitiæ (quæ mihi cum vivente interceſſit maxima) tribuo, ſed pictorum ſententijs, quos ſæpius audivi laudantes.

& plures aliæ.

Imaginum elegantia.

Jam extra *Pragam* veniamus, nullo rerum ordine (prout in mentem venerant) obſervato.

Boleslavienſis Baſilica.

Baſilica Boleslavienſis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, has omnes *Pragenſes* (uno *S. Vito* excepto) aut æquat, aut provocat. Ejus hiſtoriam, à quo, & quando condita ſit, aliáque hujusmodi, in *Divæ Boleslavienſis* miraculis, narravimus.

Epitom. hiſt. toto lib. 7.

Slanenſes.

Slana celebris eſt, eáque duplex Eccleſia: *Parochialis*, quam poſtea incendium, quatenus corruperit, neſcio; ſed vidi, cùm integra ſtaret, & eſſe ſpectabilem ſemper exiſtimavi. Altera Minorum ex *S. Franciſci Ordine Eccleſia*; dum illac iter facerem, magnificè ædificabatur.

Launenſis.

Launenſis Eccleſia Parochialis paucas in *Bohemia* pares habet: *Beneſſ* architectus, qui *Palatium Regis Wladiſlai* (ùt antè deſcripſi) An. 1502. 20. Septembris ædificando abſolverat, poſt Regis mortem *Launam* in Patriam reverſus, *Eccleſiâ Parochiali* antiquâ, flammis fortuitis concidente, novam ipſe condidit Civium opibus, præaltam, fornicibus varijs, & Labyrinthæis (ut ſic loquar) feneſtris ſummâ arte colligatis, prætenſionibus lapideis

Digitized by Google

Welesl. in Cal: hiſtor. ad 20. Sept.

pideis toto opere, ùt vocant, Lombardico (prætenſiones illas fornicum in ſumma arte reponebant antiqui) Læta eſt altiſſimi Templi facies, ſed cum decora quadam majeſtate, adeò, ut inter meliora, & auguſtiora *Bohemiæ Templa Launenſe* cenſeatur. Immortuus eſt huic ædificationi jam ętate (nè dicam laboribus) fractus *Beneſſius* An. 1531. 29. Septembris, ſenex octogenario major, primúſque omnium in ea *Eccleſia* quam parabat exſtruere, & penè ad apicem perduxerat, humatus eſt, ùt indicat lapis ſepulchralis.

L. S.

Altomeitenſis.

Altomeitæ Eccleſia eſt eodem Lombardico opere, ſed longè priùs perfecta, *Zierotinijs* (qui *Aquilam nigram* geſſerunt in clypeo) fundantibus; ſaxis inciſa hodiéque ſpectantur *Zierotiniorum*, & cognatorum Inſignia: putà *Roſenſium*, *Sternbergicorum*, *Lippæorum*, *&c.*) opus egregium ſecto lapide, ſtat adhuc.

Brixienſis.

Brixia (Moſt) Regia Bohemiæ Urbs perinſignem habet *Eccleſiam*, nullis itidem Columnis ſubnixam, nam cùm flammis poſt A. 1510. concidiſſet, implorati in *Comitijs Proceres* multas pecunię ſummas ſubmiſerunt. Hujus *Eccleſiæ* venuſtas me ſemper tenuit admiratione ſuſpenſum.

Jaomirenſis. Auſtenſis.

Jaromirenſis (olim Canonicorum *S. Auguſtini* eadémque Parochialis) altiſſima, latiſſimáque; *Auſtenſis* auguſta prorſus, cum ſuperioribus de pulcritudine concertant.

Plſnenſis. & aliæ plures.

S. Bartholomæi Eccleſia Plſnæ, Crumlovienſis S. Viti, Novodomenſis DEI Matris, Clatovienſis Urbica S. Jacobi, Glacij Beatiſſimæ Virginis, tam inſignes ſunt Eccleſiæ, ut *Baſilicæ* ob Regiam, & auguſtam molem, ob altiſſimas fornicum ſuſpenſiones, ob ſymmetriam, & proportionem, feneſtrarum vitrearum idoneo loco ſtantium lætam altitudinem appellari poſſint, & ab architectis, ac cæteris, qui ædificationes intelligunt, appellentur; ſunt etiam ædes ſacræ peregregiæ, quas in *Bohemia Societas JESU* à fundamentis condidit, quales ſunt *Salvatoris* Pragę Veteris, & *S. Ignatij* Pragæ novæ (quarum ſuprà meminimus) *Reginohradecij DEIparæ Virginis, Commotovij S. Ignatij, Brzeznicij itidem, Clatoviæ DEI Matris* (iſtud nondum perfectum eſt) *Sacella* ipſa, quæcunque *Societas* excitavit, eandem præferunt majeſtatem, ùt *mortuorum* Sacellum in *Domo Profeſſa* minoris Pragæ, *S. Eligij Epiſcopi* in Collegio antiquæ Urbis, & aliud *vetus*, à Noſtris tamen conditum *DEI Matris* (quod *Italicum* dicimus) Sacellum; *Sacellum S. Mariæ Magdalenæ in Collegio Novodomenſi, Sacellum S. Franciſci Xaverij in Collegio Novæ Urbis Pragenſis, Sacellum B. Virginis* (aut veriùs Templum) *Popovvicenſe* à Collegio Giczinenſi conſtructum, tum *Lauretana Domus Rzimovij* ad Collegium *Crumlovienſe* pertinens, & quæ ad eam ducunt ſubſtructiones magnifico opere *Paſſionem Chriſti* totam ad vivum juſtis ſtatuis referentes. Placet bonâ legentium gratiâ, brevem, quæ hoc loco accidit, hiſtoriam recenſere: Eſt inter cætera Chriſti Domini ſupplicia *miles* ſtatuâ expreſſus, qui *Chriſto ante Annam ſtanti colaphum* vi maximâ infringit; fortè inter Peregrinos his proximis annis, *Venator Catholicus Rzimovium*, ùt erat bombardâ inſtructus, advenerat; is igitur cæteros omnes *Chriſti* dolores ſatis patienter, licet lacrymoſis oculis, ſpectârat; at ubi ad hanc injuriam *Chriſto* in Concilio Sacerdotali Judæorum, à *milite* illatam pervênit, furore quodam iracundæ pietatis correptus, nec jam ſui ſatis potens, momento expeditis armis *militem* illum Judaicum globo bombardæ trajecit, *tu*, inquit, *ſcelerate nebulo, Chriſto Salvatori noſtro violentam manum inferre auſis? hoc habes!* hominem cæteri, qui unà erant, *Peregrini* circumſiſtunt, tum primùm ille, quò progreſ-

Rzimovij PaſſioChriſti egregiè repræſentatur.

ſus eſſet, vidit, ſéque potiùs pio dolori, quàm furori poſtea impendit; nos etiam in viam redeamus. *S. Wenceslai Eccleſiam*, ab Illuſtriſſimo Barone *Hinkone, ſeu Ignatiò Wıtanovvsky in Kiſsperg* conſtructam, commendant, qui vidêre. *Richnovij* (loco non celeberrimo) elegantiſſimam, & perartificioſam *Eccleſiam* ſæpe mirabar, quæ nullis intus columnis fornicem ſuſtinentibus communitur. *Petengelij Civis Pragenſis* ætate ſuâ ditiſſimi liberalitate (licèt hæretici) hanc Eccleſiam ſuſpicor excitatam. Ad *Blatnam* pervetuſtam Arcem, quondam *Leonum de Rozmital* ab eadem cum *Hazmburgicis* origine deſcendentium, *Eccleſia* ſtat elegantiſſimi operis, quam etiam mortuis in veneratione fuiſſe memorabili exemplo alio in loco probabo. *Pragâ* quatuor milliaribus in *Diſtrictu Slanenſi* in edito quodam monte ſtat nobilis, ſed ſolitaria *Eccleſia* Beatiſſimæ Virginis in cælos Aſſumtæ honori dedicata, & cœmeterio lapideo cincta. Multæ de hoc Templo narrationes circumferuntur: eſſe unum ex antiquioribus *Bohemiæ Templis*, idque ipſa ſepulcra loquuntur, in quorum uno Annus 1100. conſignatur. Alia ſepulchra lapidea viſuntur plurima; totum alioqui Templi ſolum, lapide quadrato pavitum. Admirationi eſt omnibus Templi majeſtas: *Chorus Templi* fornice concametus cum ampliſſimis feneſtris *Gothici operis*; muſicorum *Chorus* artificiosè ſecto lapide inſignis; *Sacriſtia* (ùt vocant) tum supernè alia concameratio (ubi viciniæ illius Dominus ſeparatim à Populo ſacris intereſſet) perelegans juſti *Sacelli* ſpeciem referens, ad quam per *cochleam lapideam* aſcenſus eſt; *Cathedra lapidea* figuris ſacris inciſis ſpectabilis; fornice lapideo totum quondam Templum contectum fuiſſe veſtigia oſtendunt; eum fornicem hæreticos in *Huſſitico bello* flammis corrupiſſe, & dejeciſſe narrant; oppidum etiam ponè ſtetiſſe ruderibus ipſis confirmant. *Turris Templo* annexa ſatìs alta tres Campanas portat inſignis magnitudinis; denique ad antiquam magnificentiam comparata ſunt omnia, *Eccleſia B. Virginis in Charvvatecz* appellatur.

Kiſperg.

Richnovienſis Eccleſia.

Blatnenſis Eccleſia.

Eccleſia B. V. in Charvvatecz.

In Pago *Holubicz* eâdem in Regione *Slanenſi Eccleſia* viſitur rotunda, quales olim *Ethnicorum* adhuc fuiſſe in *Bohemia* multis locis videmus. Mirum illud: portas hujus *Eccleſiæ ferreas*, conſignatas eſſe ferreis itidem literis, quas, qui ad me retulerunt, etſi multum conati ſint, legere non potuerunt; *MARIÆ* tamen ſanctiſſimum nomen alicubi dilucidè legi poſſe affirmant.

Eccleſia Holubicenſis.

In *Czaſlavienſi Provincia* pagus eſt, olim ſacrorum fundationibus (ùt *Libri Erectionum* oſtendunt) celebratiſſimus Czeſtin Koſtel nomine. Ajunt primùm ſedem illam fuiſſe *Templariorum*; Dedicata eſt Eccleſia *SS. Apoſtolis Petro, & Paulo* è ſolido quadrato lapide conſtans; ſed tanta fuit hæreticorum ante annos ducentos in hanc ſacram ædem ſævientium rabies, ut nihil, niſì pauca quædam veteris ſplendoris veſtigia hodie ſuperſint.

Czeſtin Koſtel.

Gitzinij in ditione ſua glorioſus *Fridlandiæ Dux Albertus Waldſteinius* Eccleſiam *S. Jacobi* nomine à fundamentis exſtruxit viſendi operis, quam ſi abſolviſſet, multarum Eccleſiarum luminibus obſtruxiſſet. Utinam *D. Jacobus Apoſtolus* Patronum excitet ſibi, qui *Spiritu Principali*, quo primùm inchoata fuit, Eccleſiæ huic, quæ nihil niſi magnificum ſpirat, ſupremam manum imponat!

❊ ❊ ❊

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Artificium quoddam Altarium apud Veteres Bohemos, in Imaginibus, & ſtatuis; item inaurandi, & auro ſcribendi, & pingendi modus, quem amiſiſſe videmur.

Altaria Vetera in Eccleſijs artificioſa.

IN antiquis *Bohemiæ Templis*, ſi paulùm oculos circumferas attentiùs, ſumma tibi ſæpenumero *Altarium Statuarum, & Imaginum* occurret & venuſtas, & Majeſtas, qualem ſæculo noſtro (quod totum ad ſimulationem comparatum, non diuturnitatem ſpectat in rebus, ſed fraudem & fucum) non facilè reperias. *Altaria* Majores noſtri, non ut Nos hodie (columnato opere ligneo cum coronidibus & Imagine in medio, Arcularij & Pictoris manu) ponebant, ſed poſtquam Altaris altitudinem & longitudinem deſignaſſent animo, dimenſique eſſent, Tabulas ex duriſſimo ligno (plerumque ex robore) ſcindebant & arctiſſimè conjungebant. Tabula maxima, quæ medium Altaris locum occupatura erat, quam moveri nolebant, baſi eleganter, ut poterant, ſubſtructâ, ſæpe hinc inde fulcris latenter ſuſtinebatur à tergo; duæ reliquæ Altaris tabulæ velut alę mobiles valvarum inſtar prout velles, vel claudebantur, vel pandebantur.

Modus Altaria vetera conſtruendi.

Hiſce Tabulis apud Artificem domi præparatis, ſtatuæ artificio ſingulari inſerebantur tabulis opere teſſellato; quarum ſtatuarum aliæ mediâ ſui parte, aliæ ex toto extare videbantur, ut placebat Artifici; addebantur ſuis locis ornamenta & parerga, terra, ſilvæ, montes, flumina, flores, animantia, aves, agri, oppida, cælum, ſtellæ, Angeli, & ejuſmodi cætera. Cùm hæc ſibi omnia Artifex peritiſſimus ordinaſſet, tum telam miro artificio tabulę in primis, deinde cæteris rebus exſtantibus (quas modò dixeram) inducebat, tantâ plerumque tenuitate, & tenacitate, ut hodie poſt tot ætates telam à Tabulis ſeparare non poſſis. Telâ ſuperinductâ tum primùm adhibebantur colores, aureus color præplacebat Majoribus (argentum quod mirère rariùs adhibebant) ſed auro tam tenaci pingebant, & tã vivaci, pleno & flavo, ut hodierna pictorum inauratio prę illa aurum eſſe comicum videatur, pallens aurũ morboſum quodammodo cùm illud ſanum ſit, veri & vitalis coloris.

Aurum Veterum mundiſſimum.

Videbis ſæpe in plurimis vetuſtis Eccleſijs, etiam in ruſticanis, ut ita dicam, ſeu ruralibus, Altaria tam bellè adornata, opere quod explicui, tam inſigni ſtatuarum proportione & ſymmetriâ, ut hodiernis Artificibus, quod ſæpe audivi, ſint pro miraculo. Sæpe etiam Imagines in valvis illis Altarium, tam eleganti & delicato filo, Pictorum Veterum manu expreſſæ viſuntur, ut nihil ſuprà. Scio *Sereniſſimum Archiducem Leopoldum Ferdinandi III. Cæſaris Fratrem* ſummum artis pictoriæ admiratorem, & amatorem, nec intelligentem minùs, plures ejuſmodi Imagines oblato pro Eccleſia majore pretio, in ruralibus Templis obtinuiſſe, quas ſuo Technophylacio Viennenſi intulit, quæ etiamnum parietibus affixæ ſpectantur.

In Galeria.

Sed ad Altaria Veterum redeamus, quorum fabricatores plurium artium peritiſſimos eſſe oportebat: unus idemque Arcularius erat opifex, idem ſtatuarius, idem infectionis, & incruſtationis, idem picturæ, & inaurationis (quod non æquè Pictores promiſcuè omnes noverunt) ſummus Magiſter.

Altare S. Crucis Novædomi perelegans.

Novædomi *Altare S. Crucis, in Eccleſia B. Virginis* Majore, à Magiſtris Statuarum mirificè commendatur: erexerunt illud, & cenſibus perpetuis dotarunt Viduæ tres *Annæ Novodomenſium Procerum* olim *Matres & Conjuges:*

S 2 exhi-

exhibet Altare Cruci affixum Dominum, adſtantibus plurimis, qui aut illam cruentiſſimam, & mœſtiſſimam ſcenam nefariè & ſacrilegè procurabant, aut piè averſabantur, & lamentabantur. In eadem Eccleſia plura affabre efformata & picta conſpiciuntur Altaria: palmam cæteris præripit *Altare SS. Trinitatis* divinas tres perſonas exhibens admirandi prorſus operis, & delicatiſſimæ & minutiſſimę ad ungviculos uſquè diligentiæ; nihil me nimium dicere, qui ſpectaverint, fatebuntur. Hoc Sacrarium extruxit *Victorinus Sſpulirz, Bohemus Eques*, & fundatione æternâ & Sacerdotio ſtabilivit An. 1493. 13. Novembris in Domino mortuus & ante hoc Sacellum compoſitus. Ejusdem artis & operis ſunt *Eccleſiæ Blatnenſis* Altaria, tum alia plura per Bohemiam, quæ deſcribere ſupervacaneum puto. Sed inter Altaria, quæ exſtantibus ſtatuis, & auro telis illito durant, in *Eccleſia Soc. JESU Pragæ* (quam *Salvatoris* appellamus) *Chriſtus reſurgens, & Maria Magdalenæ in horto apparens*, tum *Salome & Johanna* in lateralibus Tabulis cum aromatibus adſtantes, politiſſimâ arte initio hujus ſæculi perfectę cenſentur. *Duxoviæ* in Parochiali Eccleſia *SS. Petrus & Paulus Apoſtoli*, & media inter eos *Virgo Mater, Angelus* ei ex alto *Coronam* imponentibus ſcitè & venuſtè elaborati viſuntur. Sed hæc talia ut dixi, paſſim in vetuſtis Eccleſijs per *Bohemiam* videbis.

Altare Sſpulirziorum ibidem.

Altare S. M: Magdalenę in Eccleſia Salvatoris S. J. Pragæ.

Codices M. S. Veterum auro conſcripti.

Non poſſum præterire hoc loco, cùm de inauratione ſermo ſit, miram Majorum noſtrorum in Codicibus membraneis exarandis, & exornandis, & conſcribendis magnificentiam. Qui Bibliothecas Manuſcriptorum Codicum excutiunt, quæ non picturarum miracula deprehendunt? in plerisque Codicibus omnis propè litera, quæ caput inchoat (præſertim in *ſacris Biblijs*) aliquâ imagine aut picturâ exórnatur: ejuſmodi Codicem Pſalmos cum precibus, quem ſibi in uſus ſacros *Hanuſs de Kolovvrat Metropolitanæ Pragenſis Præpoſitus* ſcribi fecerat, apud *Reverendiſſimum D. Oſſecenſem Abbatem Laurentium* ſui Ordinis *Viſitatorem*, Amicum & Patronum ſingularem nuper invêni; is certè Liber venuſtate, & arte, neque illis Biblijs *Wenceslai Cæſaris* (quæ *Viennæ in Cæſarea Bibliotheca* ſtudiosè ſervantur) quidquam conceſſerit: literæ majuſculæ omnes auro illuſæ, tam tenaci glutino, tam vivaci auro pictæ, tam raris, & lętis coloribus collucent, quaſi hodie laborem Artifex abſolviſſet. Sunt in *Literis*, & ipſas literas aliquando ambiunt *Divorum & Divarum effigies*, ſunt animantia, *aves, Simiolæ, beſtiolæ, inſecta, culices, papiliunculi, &c.* per margines Libri membranei ludentes delicatè, & proximè ad veritatem & vitam expreſſi; admirationi eſt omnibus quædam nigra muſca, quaſi per librum ambulans, ut cùm jam vincerentur oculi, tactu an viveret, explorârim.

Pictorum Veterum ingenioſa comenta.

Adjiciam hîc aliquid ad *Veterum Pictorum* ingenia commendanda: videlicet, libentiſſimè illos Naturas commiſcere, & tam aptè diverſas animantes copulare ſolitos, ut unam novam animalis ſpeciem conſtituerent. Ejuſmodi Pictoṛ laudatiſſimus fuit, qui *Arcem Telczenſem* poſt *Novam domum* picturis adornavit; omnes cubiculorum parietes figuris artificioſis, & imaginibus elegantiſſimis implentur, at nuſquam perfectum aliquod *animal* videbis: hîc avis deſinit in piſcem, hîc piſcis in navim, & avim, ibi homo in pavonem, ibi vulpes, aut lepus in hominem vertuntur; ſæpe ex duabus, tribus, vel etiam quatuor naturis animal componitur; ſæpe in rem ridiculam, ut in lactucas, in allia, & in olera (ſed ſemper aptiſſimè) homines & animantia immigrant: alibi Arbores humanæ applaudunt, alibi volant cæpe, alibi allia pugnant cum roſis, vel ſpinis, fluente ex vulneribus ſangvine, alibi ſagittæ viventes

Imagines Arcis Telczenſis.

pro-

prorepunt ex pharetris, alibi Sclopus oculatum habet caput; nihil tamen eſt monſtroſum, vel ex monſtris terrificum, ſed læta & ridicula ſunt omnia, aptè ut toties dixi, cohærentia, quaſi revera fieri potuiſſent. Satis de pictura; ſed quod de auro pictorio apud Veteres uſitato dixeram, exiſtimo: artem auro in membrana tam vivaciter & tenaciter pingendi, nos ampliùs neſcire, neque illos Veterum colores tam virides, tam cæruleos, tam rubros & nigros efficere nos poſſe: de auro Pictores id mihi ingenuè confitentes audivi.

Poſtularet Vicinitas rerum, ut ex Altaribus ad pretioſam & vetuſtam Eccleſiarum ſupellectilé tranſeamus; ſed excuſant me hæreticorum ſacrilegia, quæ magnam & juſtam gloriandi Bohemiæ materiam rapinis ſuſtulerunt, vide quæ generatim, in fronte hùjus tertij Libri de divitijs Eccleſiarum Bohemicarum, ex *Ænea Silvio* nuper attulimus; me jam Campanę Eccleſiarum vocant, quarum concentum ſuaviſſimum videor eminus exaudire.

De ſupellectili Eccleſiarum, cur pauca ſcribantur.

§. V.

Quædam de Campanis Eccleſiarum.

Campanæ.

ERgo ad *Campanas*, ex argento præcipuè, aliiſque metallis fuſas, accedamus: *Campanarum* numero & multitudine (ſcio, quid ſcribam) pleraſque vicinas Regiones vincimus; nulla *Eccleſia*, nè ruralis quidem in *Bohemia* invenietur, quæ turri campanariâ careat; plerumque non unam, ſed duas, tres, etiam quatuor campanas in pagis pendentes videbis. In *Reginohradecij* conſpectu ſtat *Eccleſia* ſolitaria *S. Joannis in Eremo* dicta, quæ Campanam tam grandem habet, ut ea vel Civitas gloriari meritò poſſet; *Nummi* majores inſtar *Imperialium*, dum Campana funderetur, molliter infixi, mediàque ſui parte ex Campanæ ſuperficie proſtantes, *Regis Ladislai* nomen (qui apud nos ab An. 1453. uſque ad 1457. regnavit) referentes ſpectantur. Omnium in *Bohemia* Campanarum principatum in magnitudine obtinet *Metropolitana S. Viti*, de qua egimus ſuo loco; olim *Wiſſehradenſis Patronus* appellata, quam ignis diſſolvit. Altera in eadem *Turre S. Viti* campana *S. Wenceslao* conſecrata, ſecundum fortaſſis obtinet locum, niſi *Glacenſis à Cunſtadais Münſterbergæ Ducibus* procurata obſtaret; ejus deſcriptionem habes apud *Ælurium*. *Campanæ Pilsnenſes*, *Reginohradecenſes*, *Richnovienſes*, *Clatovienſes*, *Rakovvnicenſes*, *Tinenſes*, *ſeu Horſſovienſes* de magnitudine & ſoni granditate concertant. *Campanæ Teinenſes Pragæ* fulmineum, ſed gratiſſimum quendam ſonum effundunt. *Novodomenſis Campana* ab Authore, qui eam An. 1461. fieri fecit *Knaur* appellata, magnitudine alias per *Bohemiam* provocat, reliquæ ad eandem *Eccleſiam* ſuſpenſæ argentum ſonant, præſertim illa, quam *Turcicam* vel *argenteam* vocant, quòd (ùt alibi narravi) *Wolframo Pragenſi Archiepiſcopo* inſtituente, Populum quotidie admoneret, ut à DEO Chriſtianis adversùs *Turcas* pugnantibus precando ſuppetias impetraret. Inter minores *Campanas*, ea, quæ *Pragæ* ad ædem *D. Virginis in Lacu* dictam ad ſacra convocat, dicitur argento puro putiſſimo conſtare. *S. Nicolai* in Urbe minore *Pragenſi Campana*, enormis alicujus magnitudinis non eſt, ſed ſono tam grato, &, ut ità dicam heroico ſe commendat auribus, ut libentiſſimè totâ urbe audiatur, imò tam ſonorâ voce pollet, ut ejus clangor ad

Campana ad Reginohradecium.

Ælur. in Glaciographia.

in libris Erectionum.

Campana in Lacu parvula.

Veterem & Novam Urbem perveniat. Par illi ſoni Majeſtate *S. Ægidij major Campana* cenſetur; *S. Thomæ* iterum in minore *Praga* Campanæ concentum quendam gratiſſimum auribus reddunt, dum pulſantur. In *Curijs antiquæ, novæque Urbis Pragenſis*, earúmque in *Turribus, Campanas* juſtæ magnitudinis ſuſpenſas fuiſſe, docent hiſtoriæ; ſed eas niſi in ſubito tumultu, cùm Cives armati in *Curiã* convolare debebant, aut cùm renovaretur Senatus, pulſare nefas erat. *Przibrami ad S. Jacobum* notabiles duos verſus cum Campana fuſos ante multos annos legi, qui ſic habent:

En ego Campana nunquam pronuncio vana: (honeſtum.
Ignem, vel feſtum, gverram, vel funus

Campanæ Pragenſes univerſim.

De *Pragenſibus Campanis*, cùm omnes inſonuerint (quod in *Principum*, atque etiam in *Procerum* noſtrorum funeribus fieri ſolet) univerſim dici poteſt: paucas eſſe in Europa urbes, quæ paria præſtare (quod *Campanas* attinet) valeant; quo in genere nuper mirificâ voluptate affectus ſum: Nam cùm à *S. Montis Diva* redirem, neque *Pragam* nocte ingredi liceret, in *Zlichovv* ad Muldavam pernoctare in prædio coactus ſum; Fortè tum *Pragæ* funus, neſcio cujus divitis, ſecundâ, aut tertiâ noctis horâ ducebatur, quod totius propè Urbis *Campanæ* proſequebantur; quàm gratum erat omnium *Campanarum Pragenſium* voces, ſono ſeſe per ſuperficiem planiſſimam fluminis *Moldavæ* propagante, percipere! nihil in vita ejusmodi audieram, nec ſatis explicare hodiéque poſſum illam aurium voluptatem. Occurrit illud *M. Senecæ ſenioris*, quod velut elegans, & ſcitè dictum (in *Controverſiis*) commendat, cùm neſcio quis *Oratori* abſonè, & horridâ voce peroranti dixit: *Centum raucorum vocē habes!* mihi enim tum aptiſſimè dici poſſe videbatur: *O Praga centum Leonum rugitus habes!* Leones enim frementes, & rugientes, *Campanæ* noſtræ imitantur, & exprimunt.

Colini in Civitate Regia *Campanam* maximam eleganter, & inſigni arte fuſam narrant, ex qua inter alia decora, circulus eam ambiens ex puro auro ſatis notabili craſſitie prodibat.

Campana ferrea.

In Pago Stará Hut / rarum illud, ſed antiquæ ſimplicitatis: Incolæ enim pagi ferro fundendo, flando, feriendóque occupati, cùm argentum non ſuppeteret, unde *campanas* efformarent; ferro utique abundantes, è *ferro duas* ſibi fudère vel cudère *Campanas*, quæ hodiéq; pulſantur in Turre, ſed ſono horridiore, ùt quisque facilè poteſt divinare.

§. VI.

Corona Wiſſehradenſis; Curia Urbis antiquæ Pragenſis; Univerſitas Carolina; Mœnia Pragæ; Domus Saxonica; Domus Archiepiſcopalis in Praga minore ad Pontem; Domus Archiepiſcopalis, Waldſteiniana, Czerniniana, Noſticiana, Colorediana, & aliæ quædam; pauca ad extremum de Bibliothecis, & Armis.

Sepulchrū S. Wenceslai ornatū.

SEmper mihi non tantùm in donis, ſed etiam in donarijs *Eccleſiarum*, rara & ingenioſa placuit *Inventio*, qualem fuiſſe illam exiſtimo, cùm *Caroli IV.* hortatu, *univerſa Bohemiæ nobilitas*, aurea & gemmis ornata ſcutula certæ magnitudinis fieri fecit, & pro ſe quisque in eo ſcutulo ſtemmatis ſui ſignum incîdit, aut inuſſit; quibus deinde lamellis ſuper auream, phrygio opere pretioſo elaboratam materiam artificioſè innexis, *pallium* quoddam *Carolus Imperator* confecit immenſi pretij, aureo ſanctiſſi-

ctiſſimi Martyris *Wenceslai* tumulo contegendo. Ab ejusmodi Inventione fœlici commendandus eſt *Sobieslaus I.* Bohemiæ fortiſſimus, idémque omni virtutum Regiarum genere clariſſimus *Princeps*, cui paucos pares *Bohemia* tulit, qui pietate in Parentem ſuum *Wratiſlaum Regem*, & ipſum bello, & pace ſpectatiſſimum Principem, *Eccleſiæ Wiſſehradenſis Fundatorem* glorioſiſſimum adductus, ſuper ejus *Regium Mauſolæum* in eadem *Eccleſiæ Coronam* ex auro, argento, & gemmis clariſſimis ſummâ arte perfectam ſuſpendit (quę ſcilicet ex Tholo Templi pendebat) atque, ut magnificentiam videas, *octoginta argenti*, *duodecim talenta auri Corona illa* (ut gemmæ taceantur) continebat; nimirum ſignificare volebat *Sobieslaus*, Patrem ſuum (quod nemini ante id tempus ex *Principibus Bohemis* contigerat) inclytis facinoribus, & virtutibus unum ante omnes *Regium decus, & Corônam in Comitijs* omnium Imperij Principum meruiſſe, quam ei *Henricus IV. Imperator* auguſtâ manu impoſuit. Sed hæc in tempus data mittamus; ad *ædificia*, & *Baſilicas Bohemiæ* celebriores (quas hoc Capite propoſueramus dicere) redeamus: *Curiam Urbis antiquæ Pragenſis* omnes qui eruditos habent oculos, & introſpexêre diligentiùs, commendant; *Typotius*, vel quisquis alius author, qui *Iconographiæ Pragæ*, quam *Sadeler Rudolfo II.* imperante vulgavit, deſcriptionem ejusdem Urbis adjecit, *Curiam*, (quam ipſe vocat *Prætorium*) dilaudat magnificè; idem egêre *Dreſſerus & Gerardus Mercator*; Nos de *Curia Pragenſi*, tum *antiquæ*, tum *novæ Pragæ*, ſuo loco (*in Civitatibus*) aliqua adferemus: certè magnos hæc vetus *Curia* hoſpites habuit, *Cæſares ac Reges*, ex quibus alij (ùt *Georgius*) *Reges* hîc electi ſunt; alij, ùt *Carolus IV. Wenceslaus*, *Sigiſmundus*, *Ferdinandus I.* Cæſares, & ex Regibus noſtris plerique, in epulo ſolenni accubuerunt. *Domus Pannorum, pelliceorúmque* venalium (quam **Kotce** appellant) tum *Vetus Curia* (**Rychta**) pugilatibus, aliiſque certaminibus, & ſpectaculis accommodata; *duæ* item vaſtæ *domus*, Regum quondam habitacula, quarum alteri à *Moneta* nomen (*Monetariæ*) quæ in ea cuditur, alteri, cui *Vetus* nomen manſit *Aulæ Regia*, *Typotio*, aliiſque *Pragæ* Scriptoribus commendantur. Ad hanc *Turris* eſt robuſtiſſima, & perelegans quadrato lapide; hæc nullo procurante ſinè honore ſtat. Sunt aliæ *Domus duæ ad Pontem*, *vectigalis, & telonaria*, tum altera, quæ prima in minore *Praga* occurrit, ab ijs, qui ejusmodi moles non omittunt inſpicere, multùm laudatæ. *Carolinæ Univerſitati*, ejúsque magnificæ Fabricæ, *Collegijs item cæteris*, peculiaris tractatio in his *Miſcellaneis* noſtris ſervatur. *Mœnia* per montem *Petrzinum* uſquè ad *Cœnobium Strahovienſe*, atque rurſus circa *Hradczanum* euntia, in fame maxima, per homines famentes, quos ſuſtentabat, *Carolus IV. Patriæ Pater* erexit. Exterorum quoque Principum magnificentia prioribus ſæculis *Pragam* Urbem Regiam, ſedem Principum auxit: *Rudolphus I.* ejus nominis *Saxoniæ Dux* & Elector, *Senior* cognomine, cùm *Cæſarem Carolum IV.* omnium penè ejus itinerum domi, militiáque comes (cui erat merito prudentiæ, aliarúmque virtutum chariſſimus) affectaretur, *Domum* ſibi ſumtuoſiſſimam in *Praga* minore ad ipſum *Pontem* exſtruxit, quæ hodiéque *Saxonica* appellatur. Non poſſunt commendare ſatìs ejus Domûs ſplendorem, ac cætera commoda vetuſtæ, à Majoribus relictæ *memoriæ*. Præter alia foras ſpectantia *vivaria piſcium* & ichtyotrophia (viſendum opus) fecerat ex ſolido, & perſpicuo vitro, eáque non humi depoſuit, ſed in ſublime ſuper ipſam domum ſuſpendit, ſic ut piſces in aqua ludentes, & celeritate, ut amat fieri, concertantes, à viatoribus ex platea ſubjecta obſervarentur. E

regio-

Epitom. hiſt. noſtra l. 3. C. 10.

Corona Wiſſehradenſis.

Epit. l. 3. C. 8.

Curia antiquæ Urbis Pragenſis.

Kotce.

Carolina Univerſitas

lib. de Univerſit. Carolina.

Pontan. l. 1. Bohemiæ Pia.

Domus Pragæ.

Dubrav. l. 22. hiſt. Boh. Weleſl. in Calend. hiſt. ad 12. Martij. Fabric. in Origin. Saxon. & in Miſnicis l. 1. in Rudolfo.

Saxonica Domus.

regione *Saxonicæ Domûs* ſtabat *Domus Archiepiſcopi*, Regium propè in morem exſtructa, ad quam hortorum pretioſa viſebantur miracula; ejus domûs in *Vita Erneſti I. Archiepiſcopi Pragenſis* clariorem fecimus mentionem; quam poſtea An. 1367. *Joannes Archiepiſcopus Erneſti* ſucceſſor ſumtuosè in primis, & magnificè ornatam abſolvit; præcipuè *Sacrarium* in ea Domo commendavit antiquitas *in honorem Armorum Chriſti* conſtructum, quod An. 1370. ipſemet *Archiepiſcopus Joannes*, 7. Julij conſecravit *Imperatore* præſente, aliiſque Principibus, quos, & inprimis *Cæſarem*, lautiſſimo Convivio *Archiepiſcopus* honoravit. Veteris magnificentiæ genium poſt hæreticorum bella revocare cœpit Inclytus bello Dux *Albertus Waldſteinius*, & quidem ſub oculis, & ſub ictu (ut ſic loquar) *Regiæ Arcis Pragenſis*, in humili ſolo, & depreſſo, quod eum conſultò feciſſe, nemo dubitare poteſt in tam ſagaci Principe. Nolo *Domum* hanc vaſtiſſimam deſcribere, neque id mei muneris eſſe duco: ſtabula, horti, nemus, piſcinæ, aquæ fontanæ, & fontes, Equorum curricula, Palatia, cubicula, totáque altiſſimæ longiſſimæ, & altiſſimis muris circumdatæ *Domûs* deſcriptio, ſeu Œconomia alium laudatorem expoſcit; de cujus magnitudine, dum ædificatur, dici illúd potuit, quod in *Svetonio* legimus:

Domus Archiepiſcopalis.

Beneſſ. in Chr: ad A. 1367.

Domus Waldſteinica.

Sveton. in Nerone.

Roma (Praga minor) *Domus fiet, Veios migrate Quirites,*
Si non & Vejos occupet illa Domus.

Paucis ante Annis *Czerniniana* Domus, & paulò ante *Noſticiana* cœpit exſtrui, utraque magnis opibus, utraque Peregrinis eſt in honore. Ego neutram inſpexi, ideóque digitum ori impono, ut *Veteres* legimus feciſſe. Idem dicere cogor de *hortis Coloredianis*, & *Palatijs*, idem de *Domo* olim à *Dominis Chinskÿs* condita, & altera ponè ſtante *Principis*, & *Ducis de Lichtenſtein* (è regione Domûs Profeſſæ) in minore *Urbe Pragenſi*. In illa *Chinskiana* ſuper ipſum Domûs tectum, ſic aptata, & trabibus æquata ſunt omnia, ut aqua ex humili in altum librata, ſtabilem Piſcibus alendis, aliiſque uſibus præbeat facultatem. Tota propè *minor Praga* Domus habet accomodatas belliſſimè; *Novodomenſium Procerum* (nunc *Slavatina*) ad Arcis Regiæ gradus ſita, *Jani* bifrontis repræſentat effigiem, ùt canit Poëta:

Piſcina ſuper tectum Domûs.

O Jane à tergo, quem nulla Ciconia pinſit!

Nam & infrà ex ſubjecta platea adiri poteſt, & ſuprà ex arcis gradibus per ponticulum fornicatum magno itineris compendio. In *Arce* ipſa *Lobkoviciana*, *Roſenſis*, & *Pernſteiniana Domus*, magnificentiâ veteri ſunt exædificatæ. *Archiepiſcopalis Domus in Hradczano*, in ipſo tibi Arcis limine occurrit magnificum, & *Principe*, & *Primate Regni* digniſſimum opus, ubi perfectum evaſerit. E regione Domûs Archiepiſcopalis, *Sternbergicæ*, *Kolovvratiana*, aliæque Procerum Domûs (quas enumerare nihil attinet) exſurgunt; ſed plus tamen in receſſu habent, quàm prima frons promittat; nam, cùm meridiem verſùs *Mons Hradczanenſis* deſcendat, eo beneficio bene uſi, qui architectabantur, domibus illis altitudinem à meridionali parte, & capacitates maximas addidêre, ùt ſpectantes intelligent. Sunt alia per *Pragam minorem*, *antiquam*, & *Novam* ſparſa *Palatia*, ſunt ſplendida Domorum ædificia, ſunt hortorum deliciæ, & amœnitates; ſed quis omnia ſperet complecti? nec velim, ſi poſſim, nec poſſum, ſi velim; alterum efficit multitudo, alterum metus, nè cui odio, aut invidiæ libellum hunc meum ſubjiciam, præſertim, quòd alienum à propoſito hujus libelli videatur, hæc tam minuta perſequi, & *domorum* ſingularum, & *Palatiorum per Bohemiam* partes, laquearia, frontiſpicia, coronides, columnas, & cætera ornamenta deſcribere. *De Bibliothecis Bohemiæ*, quæ maximis, ſi bene inſtru-

Digitized by Google

ſtructę ſint, pecunijs egent, & ad ſumtuoſa opera quodammodo referri poſſunt, cùm de literis, & literatis ſermo erit, agemus.

Armamentarium. *Stransky Reip. Boi. C. 2. §7.*

Armamentarium inſigne, & ſpectabile Patrum ętate condidit *Petrus Wok Roſenſis* in Arce ſua *Trebonenſi* pluribus hominum millibus armandis deſubitò paratum. *Pragæ* ſub *Ferdinando I.* tantam (etiam in privatis Civium ędibus) copiam armorum inventam in Apologia ſua *Wilhelmus Slavata Cancellarius Regni* commemorat, ut integro Menſe quotidie plurimi currus onerati omni telorum genere ad *Arcem Pragenſem* deveherentur, neque tamen devehendis ſuffeciſſe. Hæc arma in omnem *Germaniam Ferdinandus I.* diſtraxit. *De Armis Bohemorum Veterum*, copiâ, uſu, & tractatione, in *Capite* quodam ſequentium Librorum latiùs diſſeremus; ſunt adhuc arma domi quibusdam, ſed nihil ad Majorum noſtrorum copiam, & ejus generis facultates.

§. VII.

Cœnobia quædam, & Collegia in Bohemia cum Templis ſuis magnificè exædificata, per indicem adducuntur.

NOn ego hoc loco (nè Lector erret) *Fundationes Cœnobiorum*, Viros in ijs doctos, & Sanctos, *Abbatum* ſucceſſiones, & alia ejusmodi commemorabo: nam illud argumentum libro integro poſtea tractabimus; ſed ædificia tantùm notiora, cum Templis, idque pauciſſimis verbis, adferemus.

Eccleſia Litomericenſis.

Collegialis, & Cathedralis Eccleſia Litomericenſis Epiſcopalem Domum, tum ædes Canonicorum ſatìs eleganter ædificatas habet; *Eccleſia* verò *S. Stephani* Cathedralis inter elegantiores *Bohemiæ Baſilicas* meritò cenſetur; *Altaria* artificio *Caroli Scretæ* depicta, Sedes *Canonicorum*, *frons* ipſa Templi cum *Turri*, ſed maximè interior facies delicias quasdam oculis facit.

Cœnobiũ Oſſecenſe.

Oſſecenſe Cœnobium, & *Templum* ex ruinis ętate noſtrâ ad invidendam Majeſtatem ſurrexit: *Refectionis locus* altiſſimo fornice tegitur; *Ambitus Cœnobij* itidem, cum ingenti ad *fratrum* uſum *ſaxeo cratere*, unde multis partibus aqua erumpit; in ingreſſu *Coſtæ*, & cætera oſſa grandia pendent, quæ vulgus *Gigantum* exiſtimat; ego marinæ alicujus belluæ eſſe crediderim, ùt pridem dixi. *Templum* antiquam obtinet dignitatem; *feneſtra* hîc ſpectatur ad *Orientem* rotæ inſtar, arte mirabili ſaxeis columellis innixa.

Collegium Commotovienſe.

Collegium Societatis JESU Commotovienſe à *Georgio de Lobkovvicz* fundatum; ab eóque magnificè deſcriptum, & deliniatum, poſt ejus primùm mortem cœpit exſtrui; egregium eſt opus. de Templo nuper dixi.

Cœnobij Plaſſenſis, & *Templi fabricam* commendant, qui in rem præſentem venerunt; Ante Annos viginti, dum illac iter haberem, nihil erat.

Cladrubienſe.

Cladrubienſe Benedictini, & *Teplenſe*, ac *Chotieſſovienſe*, *Doxanenſe Cœnobia Præmonſtratenſis Ordinis*, Eccleſias habent antiqui operis, & magnificentiæ. Cœnobiorum fabricæ non incommodæ, & ſatìs capaces; *Teplenſe* nuper flammis concidiſſe dolemus.

Coronæ Aureæ, *ſeu Spineæ Eccleſia* vaſtiſſima, unà cum *Cœnobio* ab hæreticis tota in pręceps data eſt ante ducentos, & quod excurrit, annos; nunc paulatim reconcinnantur omnia.

Altovadenſe.

Altovadenſe Cœnobium erigere, & ornare *Abbates* egregij, qui noſtrâ ætate vixerunt, conati ſunt: *Eccleſia* ipſa viſendi operis, & antiqui ſtat, egregijs *Baſilicis Bohemiæ* annumeranda.

Auleregienſe Cœnobium non æquat (fateor) veterem illam ante *Huſſitica-*

tem-

Digitized by Google

tempora magnitudinem, & ſplendorem; nihil tamen cæteris per *Bohemiã* & vetuſtate Eccleſiæ & *Cænobij* fabricâ, aliisq; commodis concedit; Idem de *Strahovienſi, Sedlecenſi, Milovicenſi, Siloënſi, Braunovienſi*, intellige. *Cænobium Carlovienſe*, uti & *Slovvanenſe*, *& S. Wenceslai in Urbe Nova Eremitarum S. Auguſtini, & ad S. Benedictum* ſpatioſum ædificium *Strahovienſium*, *& Carmelitarum Reformatorum*, tum *Brzeznicenſe, & Glacenſe Societatis JESU Collegia*, quę noſtrâ memoriâ exædificari vidimus; *Giczinenſe, Novodomenſe, Crumlovienſe* auguſtiſſima quidem dici non poſſunt, ſed commodè ſatis incoluntur; *Cuttnenſe* perficitur.

Pragenſe Collegium

Jam ad *Pragenſe*, quod omnium *Bohemiæ Collegiorum Societatis JESU* Caput eſt, veniamus, quod ijs, qui tam numeroſum Sociorum Noſtrorum populum (à quibus inhabitatur) non examinant, Superbum, ac nimis ſplendidum videtur. Errant, qui id ſentiunt, luculenter: reflectant animum, amabò, & in primis numerum *Incolarum & hoſpitum*, deinde, (ut ſic dicam) publicas Collegij, ac neceſſarias habitationes, qualia ſunt *Refectorium, Muſæa, ægrotorum cubicula, ambulacra, Pharmacopæi, Bibliothecarum officinas*, & plura alia; tandem (quod infinita quædam ſpatia requirit) *Scholas omnes: Humaniorum ſeptem, Philoſophiæ tres, Theologiæ Auditoria, ad Conciones, Sodalitatum Conventus, Theatra ad Comœdias, & Tragœdias*, conſiderent, aut ipſi arrepto ſemel carbone, aut, ſi malint, cretâ delineent, omni ſponſione certabo, poſituros ſpatia altero tantò majora, quàm videmus; & revera nondum eò perventum eſt, ut laxè habitetur, cùm major ſociorum pars in anguſtis cubiculis, plerumque bini (cùm locus alius non ſuppetat) hoſpitentur. *Refectorium, ſeu Cænaculum* marmore politiſſimo duûm colorum (albi, & porphyretici) ſtratum, fornix deinde altiſſimus, nobili inventione architecti, quaſi à quibusdam *ſuggrundijs* (nomen aliud ſcribenti non ſuccurrit) ſuſtineretur, cùm *ſuggrundia* ipſa à *fornice* ſuſtineantur, palmam hujus ædificij obtinent; *fornicem* certè latiorem, & tam belle feneſtris ad ornatum poſt *Regis Wladislai palatium* (quod jam antè deſcripſi) *Praga* non videt.

§. VIII.

Turres, & turritæ quædam moles Bohemiæ.

Turres Pragenſes.

A *Praga* placet ordiri, quam non vanè, & de nihilo *turritam* non Poëtę noſtri tantùm, Exterique, ſed etiam hiſtorici appellant, adeò turribus *Praga* plurimis redimitur, & coronatur. Erant Majores noſtri Turrium amatores maximi, & de *Carolo, & Archiepiſcopo Erneſto* id olim probavi. De *Turre S. Viti*, de *Turribus Caroli IV.* auro illitis dictum eſt; ipſa ornamenta, & coronides veterum *Baſilicarum*, ùt *S. Viti Pragæ, S. Barbaræ Cutnæ*, ac cæterarum, nihil aliud dici poſſunt, quàm turriculæ quædam; turriti operis ſunt omnia, & turres imitantur, quod obſervare poterunt curioſi.

In Vita Ven: Arneſti.

Turris in Ponte Pragenſi.

Turris in Ponte Pragenſi ſtans (quà ex *Veteri* in *Parvam* Urbem iter eſt) inter præcipuas haberi debet, tum ob ingentem molem (nam ſub ea gemini currus ſeſe nullo negotio vitare ſolent) tum ob materiam (quadratis enim, & ſectis ad Regulam lapidibus conſtat) tum ob formam eximiæ cujuſdam, & Regiæ majeſtatis. Excreſcunt lateribus parvæ quædam turriculæ, & velut filiolæ matrem magnam hinc inde circumſtant. *Turris* ipſa ſtatuis quibuſdam perelegantibus, tum *Clypeis* omnium *Provinciarum*, quas *Imperator Carolus* obtinebat, ornatur; ſed erit mihi mag-

Digitized by Google

magnus Apollo, & conjectator optimus, qui *ſtatuas* omnes nominârit. Sunt ab utroque *Turris latere quinque Anates* minutulæ cum clypeolis ſuis, artificis forſan, aut qui operi præfuit honori exſculptæ, quas pueri, & qui nunquam antè *Pragam* viderunt, ſolerter oculis indagant; ſunt enim, ùt dixi, minutæ, & veteri proverbio, & credulitate quadam vulgi ridiculâ, negant ab ijs, qui honeſto loco nati non fuerint, *omnes quinque* poſſe videri. Hæc ſymbola exciſa habet *facies Turris, antiqua Urbi* obverſa; gemina prorſus erant omnia in adverſo quoq; latere, ſed *Svecis An. 1649. captâ Urbe Pragenſi Minore* in nos detonantibus, totum hoc *Turris* decus tormentis muralibus abolitum eſt: ſtatuerant enim hoſtes turrim hanc, quæ plurimùm conatibus obſtare videbatur, unde noſtris confertim jaculantibus damna accipiebant maxima, aut omnino demoliri, ſi poſſent, aut apertam, & inutilem reddere. Credo facilè centum, & ampliùs ictibus tormentorum verberatam fuiſſe *Turrim;* ad ſummam tamen rei nihil profectum. Hęc una Turris *Pragam* antiquam, *& novam* ſervavit ab hoſtibus. Nam cùm imminerent, *& per Pontem* ad nos contenderent, unus *P. Georgius Plachy è Societate JESU*, ſolâ ſecuri armatus cum M. Czibis, tribus, aut quatuor Jaculatoribus comitantibus, *Turrim* aſcendit, & catenis ſecuri diſſectis, *cataractam* illam ferream (quo alio nomine appellem neſcio) quæ ſuper Urbium portas plerumque pendere ſolet, dejecit, & obtendit hoſti, eóſque tam diu detinuit jaculantibus militibus pauciſſimis, dum defenſores è Civibus, ſtudioſis, aliiſque advenirent, & hoſtis visâ multitudine ad receptum cogeretur. Legitur hodiéque in *Turri* aureis literis ſcriptum *Elogium* argutum, & breve, quo indicatur eò uſquè perveniſſe hoſtes, nec ultrà progredi permiſſos; hîc terminum fuiſſe *Svecicæ* fœlicitatis. *Turris in Pontis* fine ad minorem *Pragam* ſtans, huic noſtræ comparari nullo pacto poteſt: eſt tamen & ipſa egregij, & antiqui operis ſecto lapide; altera olim prorſus ſimilis, & quaſi ſoror ad ipſam *Saxonicam*, ùt vocant, *Domum* ſtabat, quam fulmineus ignis partim dejecit, partim conſumſit.

Turres aquariæ Pragenſes, ex quibus aqua inſigni artificio, certis in altum canalibus elata, rurſus in alios canales refuſa, ac ponderibus depreſſa, per omnia Urbium fora, compita, & domos diſpenſatur; lapideæ ſunt omnes candido lapide dolabris quadrato; quatuor numerantur ejusmodi *Turres* opere eleganti & venuſto perfectæ.

Turres ad ædem *ſacram Teinenſem* duæ, ſingulæ cum coronidibus ſuis, tum illa, quæ in *Curia Veteris Urbis* ſpectatur, cum pergula in alto *Turrim* ambiente, mirificè *Pragam antiquam* exornant, ùt & illa in *Curia Nova Urbis* ſita, (ſed hanc incendia ſæpius oblæſerunt, perinde ac illam, quam *Rězek Mathematicus Carolinæ Univerſitatis* exſtruxit, de qua alio loco) hæ, inquam, Turres quatuor, ob altitudinem alias omnes deſpectant. Turres Teinenſes &c.

S. Catharinæ Turris in Nova Civitate Pragenſi Carolum IV. habuit Fundatorem; pertenuis eſt, ſed alta, perizonijs quibusdam ligatur, quod artifices commendant: nihil enim aliud intus continet, quàm lapideos gradus, ab infimo ad ſummum tendentes.

Portæ Antiquæ, & Novæ Urbis omnes, turritum ſunt opus, ſed nimiâ trecentorum annorum antiquitate laborant, & alicubi calveſcunt.

Turriculæ Strahovienſis Cœnobij. (quòd totius Urbis oculis ſint expoſitæ) gratioſè ſpectantur. Turriculæ duæ *Parthenonis Georgiani in Arce Pragenſi* tecto carent: nimirum æternitatem quandam ſuo operi additurus artifex, laterculos ità aptavit, & cæmento junxit, ut tecti formam referant quidem, ſed, quia temporis injuriam

 riam

riam non ſentiunt, reparatione non egeant.

Turris Pardubicenſis.

Extra *Pragam Bohemiæ Metropolim*, tanta eſt multitudo turrium, ut etiam in *Vineis* altiſſimæ ſpectentur, ac ſolæ; an ob cuſtodiam vicinæ Regionis, an ob vigilias, atque ut inde ſignum Operis, & Vinitoribus daretur, an alia de cauſſa? ignoro. Univerſim *Arces* noſtræ omnes (quas nuper recenſui) niſi, quæ funditus dejectæ ſunt, non unam modò turrem, ſed duas, ſæpe etiam tres, ac plures oſtentant. *Turris Pardubicij* in Urbecula Cameratica, ſeu ad Regiam Cameram pertinente (antè quàm flammis violaretur) veteri Proverbio celebrabatur, cùm aliquam rem nitere, & ſplendidam apparere ſignificarent: *ſic eſſe nitidam & ſplendidam, quaſi foret Turris Pardubicenſis*, quod antè jam memini me innuiſſe. *Clatoviæ ad Curiam Turris* ſtat quadrato lapide altiſſimè educta; ſed *Pilſna* quoque pervetuſtam, & validam habet Turrim ad Eccleſiam *S. Bartholomæi Apoſtoli*. *Reginohradecij* ex albo quadrato lapide exciſa Turris *Eccleſiæ S. Clementis* (quę prima ab *Hagecio in Bohemia* fuiſſe ſcribitur) ſuperſtat; ſimilis (ſed rotunda) *Tuſtæ*, item *Mizæ*, *Suſſicij*, *Ponti*, aliiſque in Urbibus viſendi operis ſpectantur. *Crumlovij* in Arce aliquot egregiæ *Turres* ſpectantur. Inter vetuſtas, & annis horridas numerantur *Roſenbergica*, *Bezdiezienſis*, *Hazmburgica*, ſeu in Caſtro *Hazmburg*; Antiquos rotundis Turribus oblectati ſolitos res ipſa demonſtrat. In hac poſtrema *Turri* ſaxea, illud mirabile ſummo cum timore ſpectatum eſt à me:

In caſtro Haſenberg Turrim aforis ſcandunt pueri.

Pueri opilionum, & *Paſtorum* exiguo pretio, certatim *afforis* altiſſimam turrim Arcis conſcendebant, atque iterum deſcendebant, nullo niſi manuum, & pedum auxilio, quos inſerebant commiſſuris lapidum, idque tantâ peragebant celeritate, maximè cùm deſcenderent, ut caſuri jam jam & cadere viderentur; at illi quotidiano inter ſe certamine exercitati, ſecurè, & ridentes hæc præſtabant. Quæſivi ex *Pueris*: quis illis primus eam mentem, & conſilium dediſſet? reſpondêre: *Monedulas, & paſſeres* cauſſam dediſſe. nam cùm ad primam turris feneſtram nidificâſſent, nec alia ratio ſuppeteret nidos ſpoliandi, tentâſſe aſcenſum, idque fœliciter proceſſiſſe; altero anno altiùs aves nidificâſſe uſquè ad apicem turris, ſe quoque altiùs, ut pullos avium eximerent, aſcendiſſe, atque ità jam totam Turrim exteriùs obiri à ſe poſſe; rem ſinè periculo confici. tantum valet audendi conſvetudo! *Taborienſis Civitatis Turris* diu miraculo fuit Peregrinis, Civibus verò timori: nam, cùm poſt A. 1620. à Cæſareis, tum hoſtibus, *Taborium* oppugnaretur, hæc Turris tormentis appetita ſic eſt, ut inclinaretur, manſitque *Turris* ità inclinata, & Civium Capitibus imminens (cùm ſumtus ad reparandum Civibus non ſuppeterent: paupertas enim *onus miſerum & grave*, ut ait Comicus, univerſam Bohemiam, ac pręcipuè *Regias Urbes* premit, & humo affigit, ut non modò glorioſa & publica opera, ſed etiam neceſſaria & privata jacere ſinantur) ſtetit inquam, Turris inclinata facilè annis quadraginta; ſed proximè cùm innoxiè & ubi nulla domus ſtabat, concidiſſet, tandem Cęſaris auxilijs reparata, & rurſus erecta formam veterem, ac juventutem (ut ità dicam) recepit. Minutulum aliquid hoc loco adjiciam de via literata.

Terent.

Via literata

Reginohradecij via ſilicea literata in foro mirabili forte caſúque mihi Adoleſcenti innotuit: Redieram *Reginohradecium* ad Matrem cùm Alcyonia ſunt in Scholis Autumno Anni 1634. & domi *neſcio quid meditans nugarum totus in illis*, ut *Horatius* canit, ſedebam, cùm adeſt adoleſcens familiaris, & quid, inquit, tu ſolus tecum? & negligis cœlo delapſas literas? ubi illæ, inquam? in foro ait, venduntur, adſunt Emtores: præcipito me confeſtim in forum; video multitudinem, præſertim Advenarum, qui cùm ſtratam

tam

tam per latitudinem fori ſilicibus viam, & aliquid ſimile literarum viderent, quod legere non poterant, cœlo delapſum eſſe credebant. Præceſſerat ventus, deinde ſecuta pluvia purgaverat locum, ſic, ut inter ſilices qui eminebant, *literæ* apparerent. Sociato igitur labore, omnes qui ex Academijs veneramus, clarè, diſtinctè, indubiè, ac ſine hæſitatione, doctis Civibus applaudentibus, legimus hæc verba: *SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. AMEN. HOC FORUM STRATUM EST.* (Annus additus erat, ſed à nobis legi non poterat.) Notandum: literas ſilicibus expreſſas non fuiſſe, ſed inter ſilices *Literas* nigrâ terrâ expreſſas, & delineatas, ordine ſemper æquabili, ut altera alteram non ſuperaret. Poſſem hodiéque locum, ſi quis poſtulet, demonſtrare. Vide etiam in re tantula magnificentiam Majorum noſtrorum!

Aliud literatum Opus inveni An. 1652. in *Klaſſterecz* (pagus eſt ad *Zambergenſem Comitum Bubna* ditionem pertinens) nomen ipſum eò loci *Cœnobium* olim fuiſſe ſignificat; in Altaris ſummi fronte in ſaxo exciſæ ſunt literæ *Fundationis Cœnobij*, eo ipſo in loco ubi *Antependium* (ùt in templis loquimur) Altari prætendi ſolet: traditur perelegantis Eccleſiæ & vicini Cœnobij poſſeſſio *FF. Strictioris Obſervantiæ Minorum S. Franciſci.* Hæc res palam à me oſtenſa, Catholicos ex hæreticis aliquot fecit; ſed ego millies jam dolui, me litteras ipſas non exſcripſiſſe; quæ ſaxo inciſæ totius Fundationis Œconomiam oſtendunt.

CAPUT XI.

Plures ejusmodi Operum Raritates in Bohemia. Ambitus in Monaſterio Aulæregienſi. Sedlecenſe Cœmiterium. Subterraneæ quædam cellæ, & viæ procul ſub terram ducentes.

Nimiopere *Caput de Templis, Campanis, & Turribus*, tum etiam de ædificijs Cœnobiorum excrevit; ſed quædam rara non minùs, quàm ſcitu jucunda ſuperſunt; quæ præſenti *Capite*, cùm materiâ abundem, complectar.

§. I.

Ambitus Aulæregienſis Ciſtercienſium.

Ambitus Aulæregiēſis Cœnobij.

PEnè fidem excederet de *Ambitu Aulæregienſis Cœnobij* narratio, niſi authoritate *Pij II.* Papæ, qui eo tempore vixit, & omnium *Bohemiæ* Scriptorum teſtimonijs, niteretur. Audiamus *Pium*, qui poſtquam Bohemiam Templorum magnificentiâ Regna omnia ſuperâſſe ſcripſiſſet: *Fuit*, inquit, *inter alia Monaſterium Aula Regia apud ripam Multaviæ, quà Moſa* (Miza ſcribendum erat) *fluvius illi jungitur, ſitum, in quo Regum corpora condebantur, ſingularis excellentiæ: nam præter ædem magni, & memorabilis operis, amplum dormitorium, cæteráſque Monachorum officinas magnificè conſtructas, habuêre circuitum, qui non parvum concluſit hortum, Ambitum vocavêre. In hujus lateribus vetùs, novúmque Teſtamentum, ab initio Geneſis uſquè ad Apocalipſin Joannis, literis majuſculis in Tabulis*

Æneas Silvius hiſt. Boh. C. 36

lus ſcriptum continebatur, Notis (ſeu literis) *quò altiùs irent, paulatim creſcentibus, ità, ut à ſummo uſque deorſum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus poſt Wenceslai mortem, Huſſitarum rabies delevit.* Hucuſque verba *Æneæ Sylvij*. Quis oro, tam rari operis inventor, & author! quàm nobilis, & Cœnobio digna inventio, *ſacrarum literarum* quodammodo *apertum Codicem* perpetuò ante ſe, & præ oculis habere! nihil profectò eſſe quivit illuſtrius! Sed quantum ſimul in eam rem laborem, & ſumtum, putamus impenſum? Si quis omnium ſacrorum Bibliorum, ſeu Librorum apices, vel domi deſidendo, & pluteo ſuo incumbendo per otium deſcribere vellet, tamen niſi longiſſimo tempore abſolvere laborem non poſſet; quàm igitur ferreum, & adamantinum pectus attulit, & quot annorum curriculis laborem continuavit, qui iſta perfecit? adde quòd non ſcriptorius, ſed pictorius fuerit iſte labor, tum quòd in *Tabulis*, & penicillo deductus, tum quòd artificio colorum, & proportione mirabili literarum, ut ſuperiores, eædémque remotiores creſcerent, inferiores, & vicinę majores neutiquam apparerent, ſed ejusdem magnitudinis literæ omnes oculis offerrentur. Utinam vel una ejuſmodi *Tabula* ab antiquitate ad nos perveniſſet! nimirum, ùt in *Manuſcriptis* eorum temporum legimus: *Hæretici Pragenſes*, & fæx hominum, cùm *Cœnobium* hoc *Aularegienſe* magnificum, & primi in *Bohemia* ſplendoris diruerent, haſce pleraſque, quaſi magna de hoſtibus trophæa, & manubias, parietibus detractas Tabulas, *Pragam* attuliſſere, Monachorum Cantus imitantes, & rogo in foro Urbis exſtructo, unà omnes injectas flammis conſumſère. Nimirum ſic ſacra, & ſacras literas tractant, qui maximè & unicè ſacris literis gloriantur, eáſque pro Judice omnium controverſiarum agnoſcunt; pro libitu itaque ſuos exurunt Judices; *mala mens malus animus*!

Tabulæ Aularegienſes in rogum injectæ.

§. II.

Oſſuaria Cœnobij Sedlecenſis.

Cœmeterij Sedlecenſis oſſa.

MUltis in Antiquitate prærogativis, & dotibus, multis etiam & miris ex magna opum vi, tum ex liberalitate *Patronorum*, tum ex propria *Abbatum* ſuorum magnificentia, raritatibus (quæ alio in loco referemus) *Cœnobium Sedlecenſe* gaudebat; ſed hæc fuiſſe ſcimus, non eſſe; corrupta hæreticorum flammis, & velut recurvis Harpyjarum ungvibus fœdata ſunt omnia; unum opus remanſit, quod, niſi cum larvis luctari, & bellare voluiſſent, auferre non poterant, *Cœmeterium* videlicet ampliſſimum, quo majus vidiſſe me in vita non memini, cum *Capella & turriculis duabus*, tantis oſſium humanorum, & calvarum acervis (ſi acervi dici poſſunt, quæ aptè ſuiſque ac certis locis compoſita ſunt) referta, ut non exercitus hominum, ſed tota aliqua Gens, & natio hunc ſibi, ac ſuis legiſſe locum ac ſepulcrum videatur. Addunt, qui tellurem illam, & *Oſſuaria* ſolum aliquando foſſione tentârunt, tam conferta oſſibus humanis apparere omnia, ut ſolum ipſum in oſſa tranſijſſe videatur. Fidenter certè *Euſtachius Hiſtoriæ Sedlecenſis* conditor affirmat: infinitatem, & innumerabilitaté quandam habere, longéque plura oſſa hominum ſub ea tellure abſcondi, quàm ea, quæ proſtant, & cernuntur expoſita. *Converſus* quidam (ùt illi vocant) *Ciſtercienſis*, ſenio rebus alijs agendis impar, priore ſæculo (cujus nomen antè lectum, poſtea nullâ diligentiâ invenire potui) *Converſus*,

Euſtachius in hiſt. Sedl: C. 1.

verſus, inquam, cùm ſinè lege, ſinè ordine jacentia illa oſſa, & ſceleta videret, pietate in mortuos incitante, deſignatis priùs, & definitis in grandi *oſſaria* ſpacijs; locóque diligentiſſimè perpurgato, laborem exorſus, oſſa recolligere, reverenter, ùt decebat, & unum in locum conferre cœpit; quo in opere eam ſecutus eſt rationem, ut oſſibus majoribus, videlicet brachiorum, & pedum, ſua ſemper calvaria ſuperſtaret, cætera oſſa intus amitterentur, id eſt oculis non paterent, atque ità præter manus, pedes, & calvam, nihil aliud objiceretur aſpectui. Stant igitur prævalta oſſium mœnia, & velut in acie legiones, plateolis dividuntur, ut tranſire commodè, & obire qui volet, poſſit; aditur enim ſæpiſſimè locus, & tantus mortuorum Exercitus ſpectantibus eſt miraculo, mihíque olim fuit ante annos plurimos locum viſenti. Nimirum è tota *Bohemia* quondam, imò adeò ex vicinis *Germanorum* Provincijs innumeri mortales *Sedlecium* affluebant ſæculis prioribus, qui loci ſanctitate capti, huc poſtea deferri ad Tumulum à ſuis orabant, & ex ultima voluntate devehebantur. Originem hujus Pietatis breviſſimè aperiam: excitatæ erant *Sodalitates duæ*, altera *Sanctiſſimi Corporis Chriſti*, altera *Sepulchri Dominici*, *Bonifacio* ejus Nominis *Nono* (qui ab An. 1389. uſque ad 1404. ſedit) confirmante, & plurimis, ùt vocamus, *Indulgentijs* utramque *Sodalitatem* proſequente, & locum honorante. Idem egêre *Archiepiſcopi Pragenſes*; totam utriusque *Confraternitatis* inſtitutionem, Leges, ac cætera, tum Pontificum, & Archiepiſcoporum ex ordine literas recitat *Euſtachius*; diſertè in *Bonifacij* literis legimus: maximam vim hominum quotidie ad *Indulgentias Sepulchri* properâſſe, præſertim, cùm pro ſingulis, qui in ea *Sodalitate* cenſi morerentur, in *Altari* illo *Privilegiato ſacrum* fieret mortuale. Porrò in *Capella SS. Philippi & Jacobi* ponè Sacriſtiam, & ſacrum veſtiarium, ſtabat *Arca* quædam in *Sepulcri* figuram conformata, quam *Sepulchrum Domini* vocabant; in eo Sepulchro perpetim *VENERABILE SACRAMENTUM in Monſtrantia*, ùt in Templis vocant, adorationi Peregrinorum proſtabat. Has, ùt dixi, tantæ frequentiæ cauſſas attulit *Sedlecenſis Hiſtoria*; ſed potior (quæ omiſſa eſt) ac longè dignior Populo videbatur: quòd totum illud grande *Cæmeterium terrâ Paleſtinæ* (quæ antiquis Chriſtianis ſummo in honore ſemper fuit) maximis impendijs advectâ, non quacunque ratione conſperſum, ſed prorſus impletum eſſe conſtaret; unde pro miraculo habebant corpora mortuorum intra naturalem diem conſumi, relictis tantùm oſſibus, quę *candore cretam* imitarentur, quod hodiéque in ijs, quæ compoſita ſunt, oſſibus videmus. Ad extremum hoc quoque adjiciendum eſt: In Turribus illis duabus *Capellæ*, ubi oſſa compoſita videmus, *Lampades* elegantiſſimo opere perfectas, & elaboratas, ex fundatione vetuſtiſſima die noctéque pendentes arſiſſe, quæ *Viatores* omnes mortalitatis admonerent, pro mortuis quodammodo ſupplicarent, *& Peregrino*, aut *Viatori* nocturno facem quandam ad locum optatum præferrent. Jam *Oſſariâ Sedlecenſi* deſcriptâ, proximus eſt, idémque facilis à *Tumulis* ſubter terram deſcenſus.

Origo antiquæ Pietatis in Cœnobio Sedlecenſi.

Simeon Euſtachius l. cit.

Terra Palæſtinę in Cœnobio Sedlecenſi.

❋ ❁ ❋

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Subterranei quidam meatus in Bohemia improbo labore hominum perfecti; Cuniculus Pragâ uſquè in Bubenecz; Cellæ ſaxeæ manufactæ multis in locis; Cellaria in Mimonic, & in Zernovvſck; Arx Letovicenſis in Moravia; Cavus mons ad Kurzivvodam.

Arces ſuffoſſæ.

AD magnificentiæ *Genium* (quem in Majoribus noſtris ad miraculum eluxiſſe legimus, & ex paucis, quæ poſt tot bella ex antiquitate ſuperſunt monimentis colligimus) pertinere exiſtimo ſubterraneos quosdam meatus, & cellas rupibus exciſas in annos plurimos, ùt intelligi datur, perpetuato labore. De Arce *Dubenſi*, *Bradlicenſi*, *Benatecenſi*, & *Oibinenſi* jam dictum eſt, ac certè affirmari poteſt, nullam eſſe paulò celebriorem *Arcem*, quæ in *vivo ſaxo cellaria* non habeat, aut fontem ſaltem, plerumque infinitis laboribus, & pertinaci ſtudio per medias rupes quæſitum; ejusmodi fontes exciſos ſaxis, ſi id ageretur, facilè ducentos producere poſſem, eósque altiſſimè ad centenas, & ampliùs ulnas deſcendentes; ſed aliud mihi nunc argumentum tractandum propoſui. *Bubenecz* pagus eſt in *Arcis Regiæ Pragenſis* conſpectu (multi *Marobodui Regiam Bubienum*, ùt Libro 2. diximus, hîc ſtetiſſe ſuſpicantur) ad eum pagum *Pragâ* patere viam, ſaxis cuniculatim ingenti labore procul exciſis, graviſſimi Viri teſtantur; neque dubitare ampliùs licet. Audivi *Illuſtriſſimum Comitem*, qui ſe *Bubeneczio* per eum cuniculum aſcendiſſe uſquè *Pragam* jactabat; contrà Vir religioſus è *Societate noſtra Pragâ Bubenecium* deſcenderat. Ingreſſus *Pragâ* cuique patet è regione *S. Agnetis* trans flumen infra *S. Mariæ Magdalenæ Sacellum*, ubi aqua è fluvio *Muldava* perennè fluens canalibus ſaxeis ad vivarium uſquè Regium in *Bubenecz* per multos anfractus, quos foſſorum labor patefecit, demittitur, ad feras (præcipuè Cervos) hauſtu, & natatu gelidiſſimo recreandos.

Bubenecz ſub terra meatus.

Subterraneæ Cellæ labore maximo effoſſæ, multis in locis *Bohemiæ* ſpectantur: de *Fodinis Metallorum* nihil dicam, quas omnes Labor foſſionis aperuit, ut primo abhinc libro narravi; nihil de Arcium plurimarum ad *Aquam* deſcenſu ſaxeo perterebratis rupibus, ùt in Arcibus eſt dictum; nihil de *Skalucenſibus* antris, ubi integrum Exercitum *Catholici Proceres* abſcondiſſe feruntur: hoc enim poſtremum *Naturæ*, non *artis* eſt opus; *Cellaria* quædam è vivo ſaxo in exemplum adducam: nam facilè quisque intelligit, me majorem partem neceſſariò omiſſurum, non negligentiâ, ſed multitudine omnem diligentiam ſuperante. *Reginobradecij*, *Urbe Reginis* attributa, *Cellaria* eſſe conſtat in quibusdam Domibus tam profunda, & ſaxis exciſa, adjuvante tamen alicubi murariorum labore, aptata, ut (quod ipſe hiſce oculis vidi) *Cellaria* terna ſibi ſuperſtantia in profundum deſcendant, neq; unquam opus habeat Dominus, æſtate calices refrigerare hoſpitibus; frigidiſſimus enim hauſtus eſt, neque tamen (ùt glacialis, vel nive percolatus) inſalubris, aut noxius. Dubitare non licet, alijs quoque in Urbibus, & Arcibus *Bohemiæ* (præcipuè quæ in ſaxis & montibus, vel intra rupes ſedent) ùt *Cubiti*, *Mielnicij*, *Litomericij*, *Taborij*, *Jaromirij*, *Skalicij*, *in Benatek*, *Novoboleslaviæ*, *Bechinæ*, *Cuttnæ*, *Crumlovij*, *Trebonæ*, & innumeris alijs; ac ferè, ùt dixi, in omnibus Arcibus, ſaxea ejusmodi profundiſſimè ſub terrâ euntia *Cellaria* reperiri. *Okorz* vetuſtiſſimũ Caſtrum altero *Pragâ* milliario in *Slanenſi* Diſtrictu *cellarium* habet miri, & elegantis operis in ſaxo, concamera-

Cellaria profundiſſima multis in locis.

meratũ cum columna in medio concamerationem ſuſtinente. E regione *Czaſtolovitÿ* (quod in ditione eſt *Dominorum ab Oppersdorff*) non procul ab *Eccleſia Parochiali* viſuntur in monte rudera Arcis antiquæ, maximæ, & Principibus cognatæ ſtirpis *Dominorum de Czaſtolovvitz*, cujus *Arcis cellaria* profundiſſima audivi à ſenibus deprædicari, ſed jam me puero (qui ſemel, ac iterum in intimos illos receſſus penetrare fruſtra conatus ſum) multis in locis fornices hiabant, & antiquitate, velut ſenio gravati, cadebant. Interiora & validiora ad perpetuitatem *Cellaria duo* rupibus effoſſa videre mihi contigit, alterum in *Mimonie*, ſeu Mimo, ditione Illuſtriſſimi Baronis *Putz*, alterum in Zernoſek ditione Excellentiſſimi Comitis de *Noſticz Regni Bohemiæ Cancellarÿ*; utrumque, dum locum inviſerem, vino (illud *Auſtriaco*, hoc *Bohemico*) erat pleniſſimum. *Mimonenſe*, multùm naturâ loci adjuvante, effoſſum, majus videtur, éſtque vaſorum grandium centum, & ampliùs capax; at *Zernoſecenſe* geminum (quippe ex uno in alterum tranſitur) totum ex puro ſaxo conſtat, magno Operarum labore, licèt renitente ſaxoſo monte, perfectum, neque in illud, ùt fieri ſolet, deſcenditur, ſed molliter aſcenditur, ſic ut ultimæ vaſorum contignationes altiſſimo *Cellarÿ* loco conſideant, & prorſus cum monte aſcendere videantur. In *Arce Letovicenſi* antiquiſſima, dum illac ante quadraginta ferme annos iter facerem, tria memoratu digniſſima vidi; primum: non ita ab Arce procul ſaxum præceps & valliculæ cuidam, quaſi ad Inferos depreſſæ totâ mole incumbens; conſcendi olim ingenij curioſitate altiſſimas Turres, & ipſam *Roſam*, quæ in apice, & cuſpide *Turris Viennenſis S. Stephani* extremitatem obtinet, hac manu contigi foris extra Túrrim; bis tantùm in præceps (niſi me fallunt oculi) ſcopulum hunc *Letovicenſem* exiſtimo pendêre. Cohorrui totus, & caligo quędam oculis eſt oborta. Communiter locorum periti affirmant, nihil ei præcipitio in vicinis latè regionibus ſimile reperiri. Sed hoc *Natura*, duo alia, quæ ſequuntur, invictus, & cedere neſcius foſſorum *labor* perfecit: *fontem* ſcilicet ex vivo ſaxo profundiſſimum, & ùt perhibent, ad uſquè rivum, qui ad radices montis hujus altiſſimi labitur, pertingentem; unde hauſtris grandia aquæ vaſa attrahuntur conatu leviſſimo, arte maximâ. Major in *cellarÿs* (quod tertium æſtimo) effodiendis, opera neceſſaria fuit: ea longiſſimè extenduntur ambitu duplici ex meris rupibus exciſo, quorum alter alteri incumbit. Uterque ambitus, ad fontem portas habet apertas, quò fit, ut *Cellarium* frigidiſſimam ſemper hauriat auram, & vina reſpirent: quippe bono, & vivaci vino vitam, & animam addideris, ſi frigus addideris. Hæc de *Letovicenſi Arce* attuli; fateor eam ad *Moravos* pertinere, tamen ob ſimilitudinem argumenti, & quòd Arx à Proceribus noſtris ex *Lippæa gente* ſit olim condita, & vicina finibus noſtris, quódque alium fortaſſe commodiorem narrandi locum habiturus non ſim, veniam apud Lectores benevolos impetrabo.

Mimonie.
Zernoſek.
Letovicij.

Ad *Bohemiam* ſpectat, quod ſequitur: Kurżwoda vel Kurwoda pagus eſt in *Boleslavienſi Provincia*. Ab eo pago non procul in ditione *Comitum de Bredau*, antrum mirabile & memorabile in cavo monte intus deliteſcit. Mons primùm arduus turri cuicunq; altitudine par eminet, ſaxeus totus, & mera rupes, quem nullâ jumentorum ope ſuperaveris, pedibus atque etiam manibus, nonnunquam rependo, longo circuitu in altum evades. Hîc foramen ſe aperit in rupe ſurſum verſus porrectum *Camini* inſtar quo è fornace fumus emittitur, an manufactum & perterebratum, an naturâ perfectum ſit opus, neſcitur, ſed ligneis

Digitized by Google

Rupes Curzivvodenſis.

ſcalis aut funibus utendum eſt ad aſcenſum; quo ſuperato locus amœniſſimus panditur, & vireta pulcerrima, inter quæ fons ſaxo vivo exciſus, altiſſimus, perennis & gelidiſſimus ſpectatur & expirans ſentitur à floribus. Planitiem reliquam occupant rupes ad habitationem & uſus hominum accommodatæ: parte unâ ingentis magnitudinis Conclave, hypocauſto, ut vulgus vocat, non abſimile ſaxo excavatum, in quo quidquid neceſſarium eſt rei domeſticæ & uſibus humanis invenies: Lecti complures ſaxei, ſedes, menſæ, armaria, omnia ſaxea, amphoras etiam ſaxeas & orbes menſarum certo in loco ſervari affirmant. Parte alterâ (an ad ſpectaculum, an etiam ad uſum ſcire non poſſum) officina coquendæ cerevisiæ cum omni neceſſario apparatu proſtat; admirationi præcipuè eſt curioſis, *Lebes* ſeu *caldarium* ſaxeum tantæ magnitudinis, quantæ in ejuſmodi officinis Cereviſiarij artifices adhibere ſolent, ut nihil præter ignem & frumentum (nam & polentam torreri ibi poſſe dicunt) ad coquendam Cereviſiam deſiderari poſſit; ſub monte, ejuſdem operis ſtabulum viſitur, facilè duodenis Equis recipiendis accommodatum. Hæc omnia Viri fide digni retulêre, quæ diligentiùs & propiùs ad id quod res, eſt deſcribi poterant, ſi me aliquando in eum locum caſúſve, DEUSvè tuliſſet. Omnes accolæ conſentiunt, & ſenes confirmant: latronum ibi nidum fuiſſe, & ab ijs multo tempore Arcem illam inſeſſam, unde impune latrocinabantur, & incautos *Viatores* excipiebant inſidijs, atque ad certiſſimam mortem trahebant.

Mons latronum admonet me Montis alterius, quem nuper, dum *Auſtâ* prono *Albi Tetznam* deſcenderem in dextra Albis ripa ſpectavi, ac propè hiſce manibus contigi: Mons ſaxeus totus recalvaſter in præceps in ſubjectum *Albim* pendet, *Petram Amantium* (de qua *Hiſpani Scriptores*) dicere poſſes: quippe ſenum omnium, & viciniæ totius conſtans aſſertio eſt: puellam innocentem, quæ à Proco perditè amabatur, neſcio qua fraude, domo paternâ extractam, animadverſo ſcelerato Amatoris conſilio fugientem ipſo ſequente, cùm ad rupem hanc curſu perveniſſet, nec quò fugeret ampliùs haberet, concitatiſſimo ſaltu in flumen ſeſe dejeciſſe, Juvenem verò ſequentem, & amore ſtultum, eodem ſeſe præcipitaſſe, ſed multum diſſimili exitu: nam Virgo etiam in fluctibus fugæ continuandæ imminens, bono Angelo favente, ex flumine in adverſam ripam evaſit; at Amator hauſtus fluctibus perijt, Albi impuras flammas ulciſcente. Hanc narrationem à Majoribus ſuis ſenes accepêre: loci Dominus eodem in Monte tres Cruces velut in monte Calvariæ ſtatuit, quæ facti infælicis, ſed multò magis dolorum & mortis Chriſti, memoriam navigantium admonerent.

de Petra Virginis ante Teztnam in Bohemia

§. IV.

Arx & Civitas Trebonenſis; Novædomi via occulta ſub fluvio uſquè in Urbem. Subterraneus Ambitus Jaromirenſis, rudi, & ridiculâ Latinitate ex Codice pervetuſto deſcriptus. Raudnicenſis ſub terra via.

Roſenſes Proceres maximi ædificatores.

NUllam ego Noſtrorum Procerum ſtirpem in antiquitate extitiſſe puto condendarum, & permuniendarum arcium, & locorû ſtudioſiorem, quàm *Roſenſem*; ipſi *Przibenicenſes* Arces duas, ipſi *Helffenburgum* ad *Prachaticium*, ipſi *Fraumbergam*, ſeu *Hlubokam*, ipſi *Witgenaviam*, ſeu *Trebonam* ipſi *Novum Caſtrum* Nowý Hrady / ſeu Gratzen / aliáſque

Crumlovium, Roſenbergam &c.

Digitized by Google

áſque Civitates, & Arces innumeras à fundamentis extruxêre, & plurimis operibus ac machinis invictas ab hoſtibus præſtare ſunt conati, ídque ſapienti conſilio: qui enim divitijs abundat, & facultatibus, & omni genere opum affluit (ùt erant *Roſenſes*) id unum ei ante alia omnia curare incumbit, ut ea illi perpetua bona ſint, neque eripi facilè poſſint, efficere, útque arcium, ac locorum firmitas Dominum indemnem, fiducia tranquillum, & ſecurum in periculis, ac magnanimum reddat.

Trebona vel Třeboň. Wittgenau

Trebonam Roſenſes ſuper alias omnes Civitates, & Arces communivêre; poſt *Sſvvihovvium*, & pauculas quaſdam Arces nihil illâ ætate *Trebonâ* munitius fuit. Sunt in manibus *Rationarij Codices* manuſcripti *Roſenſium*, in quibus annotatum legimus, quantum in *Trebonam* muniendam impenſum ſit. Explicari non poteſt pecuniæ expenſæ magnitudo, neque eſt conſilij mei, *Trebonam* (ùt muniebatur) deſcribere; hoc tantum ad id, quod propoſueram dicere: majores expenſas in opera ſubterranea, quàm in ea, quæ patebant foris, factas eſſe. *Urbecula* ipſa cum Arce, quanta demum eſt, ſuffoſſa fuit, cuniculis humus impervia reddita, admiſſæ ſubter, certis locis, lacunæ & paludes, cúmque uliginoſo, & paluſtri loco ſedeat, multum laborandum fuit, ut omnia firmarentur æterno quodam, ùt ità dicam, labore, palis ex certa, & invicta humori materia ſuſpenſa. Ad fallendos verò hoſtes procul extra *Urbem* factæ ignotæ quædam viæ, tum cellæ, & concamerationes, & cuniculi ſolis obſeſſis noti, ut quoties luberet, inſtabile ſolum hoſtibus redderetur, atque etiam in auras vi pulveris ignei mitti poſſent, aut ſi aliud conſilium placeret, parato ad id præſtandum occulto itinere perfoſſis vicinis lacubus, & piſcinis, *Aquis* infunderentur campi, ut omnia elementa in obſidentes (nullo obſeſſorum damno) pugnarent, congerentúrque igne ad volatum, terrâ ad natatum, utrumque natura hominum adverſans. Satis de *Trebona*.

Subterraneus quidam Novædomi ſub Eccl. S. Jacobi meatus.

Longè inferior labor, memorabilis tamen *Novæ Domi* Urbe *Slavatarum Procerum* reperitur. Stat in vicino ſupra *Novamdomum* colle *S. Jacobi Eccleſia* à Peregrinis Civibus (ùt in hiſtoria *Civitatum Bohemiæ* latiùs narrabimus) pietatis gratiâ, & memoriæ *S. Jacobi in Gallæcia* condita; in ipſa Eccleſia ante *cornu Epiſtolæ* porta lignea deorſum tendens ſolum contegit, quæ elata, & aperta gradus quoſdam exhibet, & ſubterraneum meatum oſtendit; communis, pervulgata Civium, & à Majoribus accepta narratio circumfertur paſſim: ab illo *Eccleſiæ* loco uſquè ad ipſam Civitatem introrſus iri poſſe, viam omnem ſcopuloſam & inter ſpecus, & ſcopulos cavam, naturâ, & ubi illa ceſſat, arte & labore patentem. His ego quondam narrationibus incitatus, dum *Novadomi Rhetoricam* docerem, clavibus *S. Jacobi Eccleſiæ* diſſimulato conſilio petitis, comparatiſque facibus, ex audacioribus diſcipulos quatuor aſſumo: ardebant jam faces, portam aperîmus, deſcendimûs, viam ducentem ſat commodam, ſed humilem, cautè ſequimur, videmus omnia convenire; via plana occurrebat, ſicca, nihil impedita, ſcrupuloſa nonnihil, donec tandem ad lateritium quendam murum perventum eſt: nihil is habebat muri ſimile, ſed lateres tantùm compoſiti, ſinè omni cæmento viam intercludebant: clamant *Juvenes* mei, lateres obſtantes dejici oportere; mihi non ſinè gravi cauſsâ ſic compoſiti lateres videbantur; unum tamen, vel alterum (quod facilè fieri poterat) eximo, aliquos intrò propello, & trudo, qui in profundam aliquam foſſam cecidiſſe audiebantur; ſimul ventus vehemens exoritur ab imo, qui lumina omnia, uno excepto, momento extinxit; Juvenum tamen *manus emicat ardens*, & audendum eſſe aliquid vociferantes,

-tes, lateres conantur impellere; ego unus illis ſaluti fui, ac vetui ulteriùs procedere, hiatum ſubeſſe, facilè in præceps devolvendos. Ergo, cùm ſcalæ ad manum non eſſent, méque ſubitus quidam terror invaſiſſet, ſpe juvenibus factâ, alio nos tempore redituros, & cum ſcalis venturos, viam relegere juſſi; locus nulli jam viventium notus audaciores expoſcit. At ſi id, quod narratur, verum comperiant, profectò non parva res eſt, cùm & locus à Civitate facilè duûm jugerum ſpatio diſtet, & **Nežarka** fluvius interſit, ſub cujus alveo neceſſariò eſt eundum. *Jam verò ad Ambitum ſubterraneum Jaromirenſem*, qui omnia hęc ſuperat, veniamus: nemo à me locum ſcire poſtulet, nam fortaſſe dicere non expedit; locus quidem publicus, ſed in operto, quem ſinè lumine fruſtra tentâris: ajunt ſuper *ambitum* illum *ſubterraneum* (qui ab utraque vix parte permunitur) *Albim* ipſum maximum *Bohemiæ flumen* decurrere. Via hæc ſubterranea, (ùt affirmant) uſquè ad *Cœnobium* deſertum, ólim *Prædicatorij Ordinis in Zvvole* medio ab *Jaromirio* milliari porrigitur; porrò *Zvvolenſe Cœnobium* An. 1425. à *Ziſka* Latronum Taborienſium Duce cum ipſis Religioſis exciſum eſt.

Ambitus ſubterrane' Jaromirij.

P. G.

Narratur & illud: ætate noſtrâ *Subcamerarium* quendam *Urbium Reginę dotalium*, hoc iter ſubterraneum tentâſſe facibus accenſis quàm plurimis, procúlque jam proceſſiſſe, ſed ob parietes *ambitûs* illius, qui injuriâ temporum quibusdam in locis deciderant viâ interclusâ, redire coactum. Riſi *albis dentibus* (ùt cùm Satyrico loquar) cùm librum à *Senatu Jaromirenſi* mihi porrectum, inſpicerem; erat M. S. Codex, cui titulus: *Diæta ſalutis Bibliotheca Zvvolenſis;* in cujus marginibus poſſeſſor ejus Codicis, quædam geſta ſui temporis memoriæ cauſsâ annotârat; inter ea fuit narratio de *Excidio Monaſterij*, quod *Laicus* illius Ordinis (qui cædem evaſerat) in *Tabula Altaris Eccleſiæ Zvvolenſis* breviſſimè deſcribit. Non adfero iſta in contemtum (quis enim neſciat *Laicos* in omnibus religioſis Ordinibus, Latinitatis ferè expertes eſſe? adde ſæculi illius barbariem, & literarum latinarum ignorantiam) ſed ut de excidio Cœnobij (cujus nulla, nè apud ſuos quidem, neque apud Scriptores ullos noſtros extat memoria) notitiam aliquam offeramus Lectori, & quæ de *ſubterraneo Ambitu* paulò antè memorata ſunt, confirmemus. Sequitur annotatio: *Ego Frater Joannes Zileſius* (Sileſius) *in Monaſterio Prædicatorum Ordinis, & Profeſſus in Templo Zvvolo* (vult dicere: ſe in Cœnobio Zwolenſi vota religioſa profeſſum) *in medio Tabula Altaris* (id eſt: in medio Tabulæ, quæ in ara ſumma viſitur) *ſcripſi manu meâ ad perpetuam memoriam.* (huculquè ſatis latinè; jam ridicula Latinitas ſequitur) *Quod S. Dominus* (quid illud S. denotet, divinare non potui) *inſtruit pago Zvvolo, Zzhaſtal, Dolen, Reichovtæ, & iſtud pago noſter* (explicat fundationem Cœnobij Zwolenſis, pagis quatuor attributis à Fundatore (*Collator obyt cum ſuo nomine Zvvulsko* (id eſt, Collator Zwolsky appellabatur) *dedit iſti pagines quatuor ad Albim, Jeremiriæ, Skaliciáque*, id eſt, legavit pagos quatuor ad Albim inter Jaromirium, & Skalicium) *ut ſemper die Veneris orate pro Collatorem, & Requiem tenet apud illum* (id eſt, ut ſacerdos aliquis aleretur, qui quavis feriâ ſextâ requiem, ſeu defunctorum miſſam legeret pro ejus anima) *& non habet uxorem* (id eſt, ut non habeat, vivat in cælibatu) *Sunt noſtri quinque Fratres hîc Ordinis Prædicatorum. deinde venit Dominus Zſiſchiſka* (Dux hæreticorum, id factum An. 1425.) *& accepit quatuor fratres in currum, & jacet in aqua*, (id eſt, erant hîc relicti quinque fratres, ex quibus unus ipſe erat, qui evaſit; hos quatuor deprehenſos Ziſka projecit in Albim, & ſubmergit) *requieſcant*

Excidium Cœnobij Zvvolenſis ad Jaromirium.

Digitized by Google

cant in pace! (Jam narrat, quomodo cædem evaſerit) *Ego fui apud Albim in Jeremiriæ Sacellano* (id eſt, ût reor, apud Sacellanum Jâromirenſem) *habitatio mea in priori domo de porta* (id eſt, in prima domo ad portam) Jam notanda, quæ ſeqvuntur: *Sub terra ſunt ſex hypocauſtum, & ibunt ſub terram* poſt (id eſt, versùs) *Radiſcam* (Hradiſſtie nominatiſſimus pagus, cujus & Skalicij vicinia tota antris, & ſpeluncis ſcatet, ût in hiſtoria *Naturali Bohemiæ* primo libro docuimus) *poſtea ibimus ſub terra in Templo; ex Templo iterum venimus in habitatione mea in domo Prioris ſub terra. Actum A. 1425.* His ego quid adjiciam, nihil occurrit; niſi aliud ſimile prorſus ſubterraneum opus in deſerto *Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cœnobio Raudnicenſi* reperiri: exſcribam ipſa M. S. Codicis verba: *Loca ſubterranea plurima & maxima, fornice obducta, &* (Nota) *in quadrantem milliaris ſe extendentia in hoc Cœnobio noſtro Raudnicenſi habemus &c.* poſſem in hanc rem teſtes adducere Raudnicenſes Cives aliquot, qui locum inſpexêre.

M. S. Monaſt. Raudnic.

CAPUT XII.

Admirandum, & rarum opus, Horologium Curiæ Antiquæ Urbis Pragenſis, hiſtoricè & mechanicè (ſed breviſſimè) deſcriptum.

DUo adhuc ſuperſunt ædificationum & Operum magnificorũ ſplendore (liceat propitijs Lectorum judicijs dicere) miracula, certè poſterorum memoriâ digniſſima; quorum alterum hodiéque videmus, & miramur, alterum procul amandatum, & religione Chriſtianâ ſuperante abolitum eſſe gaudemus, idque ſequenti mox Capite proferemus; his duobus pertractatis, totum hoc de ſumtuoſis Majorum ędificijs argumentum, quod aliquot mihi paginas fecit, concludemus.

§. I.

Hiſtoria Horologij Pragenſis.

Dignitas Horologij Pragenſis.

INter opera publica pretioſiora, & rariora, quæ in *Urbe Pragenſi* à ſcriptoribus laudantur, *Horologium antiquæ Urbis* longè, latéque celebratur, éſtque revera inſigne hujus Urbis ornamentum, & decus, quod neque ſatis pro dignitate, & artis raritate (à me quidem) arbitror poſſe deſcribi. Commendat illud *Dreſſerus*, *Gerardus Mercator*, *Typotius*, *Chytræus*, *Blaën*, verbo: omnes, quicunque de *Praga* egerunt, horologij hujus meminerunt; paucis multa Typotius: *Spectandum*, inquit, *Pragæ ſe præbet Automa, in quo veri motus Lunæ, ſignorúmque Zodiaci, antiqui ſimul, & ingenioſiſſimi Operis exhibentur, quibus nominibus haud facilè ulli alteri cedit.* Furneri noſtri verba ſunt: *horologio Pragenſi vix par in orbe toto reperies.* Audax dictum! ſed ſi in rem præſentem veniat, quisquis derogat fidem, ad ſponſionem provoco, dabit manus. Non hîc aliqua horologiorum, ut ſic dicam, crepundia, offeruntur oculis; non ducunt choreas *vetulæ*, mortésque, non *Genij* fidibus canere, tubas inflare, aut tympana verberare conantur, nec cum tabulis promoventur foras puppæ & neſcio quæ *Virgines*, cum admi-

Dreſſ. in Urbibus. Merc: in Atla: Typot. in deſcriptione Pragæ. Chytræus in Itinerario Europæ.

Blaëu in Atlante in Boh. Fournier. in Notitia Orbis l. 4. C. 6.

admiratione puerorum, & rudis ætatulæ, ac ruſticorum, cùm fœnum, & ligna in Urbem advexerint, aliáve ridicula (hæc certè ad *Horologium*, ejúsque præſtantiam nihil faciunt) at noſtrum, de quo nobis eſt ſermo, Philoſophicis, & Mathematicis oculis explorandum eſt, neque unam diei, aut noctis *horam*, ſed *diem*, *Menſem*, *Annum*, *Solis & Lunæ* ortus, ſiderúmque omnium curſus, *Zodiaci* ſigna, *Lunæ* ætatem, *aureum numerum*, *Cyclos*, quódque amplius eſt, *Feſta* per annum præcipua demonſtrat, & indicat, ut ex Eruditiſſimorum Virorũ ſenſu (quos hac de re differentes audivi non ſemel, quódque etiam paulò antè laudatus *Jacobus Typotius* ſignificat) in Cæſaris ditione, aut quod *Furnerus* paulò antè affirmabat, nè *quidem in orbe toto* tam artificioſa Horologij machina, quod ſciamus, inveniri putetur. Optarem quæ jam dixi, non curſim, & ludibundis oculis veritatis ſtudioſos legere, ſed, ùt par eſt, perpendere: ajo ergo iterum, *Calendarij feſta* omnia majora inſcripta eſſe *Circulis*, & demonſtrari, *aureum numerum*, *Annos biſſextiles*, *Bohemicàs horas*, *& Germanicas* oſtendi, & ſonare, idque non ſimul, ſed ut ratio poſtulat, diverſis temporibus; *Solis* globum, & *Lunæ* (ùt eſt acceſſus, & receſſus in Cœlo) utrumque vero auro apud aurifabros illitum, ad amuſſim, aut *creſcentem*, aut *plenam*, aut *deficientem*, aut *luce caſſam Lunam* exhibere: tum *Eclipſes*, deinde omnium *Planetarum* curſus, denique totius cœli faciem ſub aſpectum ponere. Ubi quæſo, & qua in Urbe illuc inveniemus? ſunt fateor hîc etiam ſua ludicra: *Mors* enim à dextris ſtans admonet campanulæ pulſu, horas jamjam ſonaturas, at ſiniſtrâ pyxidem arenariam horæ unius tenet, eámque poſtquam horæ ſonuerint, invertit; à dextris tremulus, & capularis *ſenex*, etſi à morte admonitus, capite renuit, debitúmque mortalitatis exſolvere recuſat; ſed hæc omnia, ùt Græci loqvuntur, parerga ſunt, potuítque Author hujus Operis, ſideralis ſcientiæ peritiſſimus Terentianum illud (etſi in diverſo ſenſu) uſurpare: *nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro.* Unum hoc ad Parerga pertinens, & fortuitum, quod proximis hiſce annis accidit, omittere non poſſum: dum *Mors*, quam dixi, ad horas ſingulas dum eæ ſonant, os dentatum aperit, & cum *dentium arietatorum*, ut vetus author loquitur, *crepitu* claudit; ecce tibi *Paſſer*, neſcio quo timore perculſus, in foramen trepidus involat, & concluditur; unâ horâ oris illo carcere clauſus plaudentibus illis, qui involantem obſervârant, poſt horam denique rurſus, hiante *morte*, lætus in libertatem aëris evolavit; Tirocinium quoddam mortis hoc viſum eſt fuiſſe, multíque mortales cuperent, ſic ex mortis faucibus evolare.

Quàm multa indicet Horologium Pragenſe.

Paſſeris in horologio captivitas.

§. II.

Quis mirandi hujus Automatis artifex, qui Curatores. Tractatus Joannis Taborsky Mathematici de præſtantia, & Arcanis Horologij Pragenſis ſummatim recitatur.

Antiquitatis negligentia.

JUſtam, ùt reor, indignationem meam hoc loco communicabo cum Lectore: iraſcor Antiquitati, quæ per negligentiam pulcerrimis ingenijs ſuis apud poſteros, quam laudem mereantur, invidit. Quid frequentius in Antiquitate Bohemica, quàm iſtud, aut illud opus *M. Wenceslaum*, vel *M. Jacobum* deſignâſſe, inveniſſe, abſolviſſe; à *Beneſſio*, ſeu *Benedicto* Palatium Regium exædificatum? *Magiſtrum Rezek* Baſilicam *S. Barbaræ* extruxiſſe? aliáque hujuſmodi; quis hæc tam nudè dicta ſinè ſtomacho

macho tolerare poſſit? quod igitur viro cognomen, quæ Patria? quæ conditio? *quis eſt hic, & laudabimus eum?* niſi vates ſimus, aut *natatores Delij*, ùt eſt in Proverbio, nihil ſcimus; idem in præſenti argumento indignor accidiſſe: *Magiſter Hanuß* circa An. D. 1490. cum *Magiſtro Jacobo* ſuo Diſcipulo hujus Horologij author, & fabricator in omnibus vetuſtis Memorijs nominatur. Hoc unum addit manuſcriptus quidam Codex: clarum in Aſtronomia, & in cœli ſcientia Virum, & *præcipuum in Univerſitate Carolina Mathematicum, & Matheſeos Profeſſorem* fuiſſe; debetur igitur antiquiſſimæ, & Inclytæ *Carolinæ Univerſitati* ex hoc opere gloria, quòd ex ejus ſinu Vir tantus prodierit. Tantum eſt, quod de *Magiſtro Hanuß* Mathematico, & horologij hujus admirandi Artifice annotatum invêni. De *Curatoribus, & Rectoribus*, ùt vocant, ſcire oportet, eos à *Senatu* imponi, qui machinam illam probè comprehendant intellectu, Mathematicis diſciplinis, ac præcipuè Aſtronomiæ ſcientiâ perpoliti ſint, ac denique perſonam hanc, & publicum munus cum dignitate, & laude ſua, aliorum & totius Civitatis commodo valeant ſuſtinere. Primus molis hujus Rector, idem qui Author fuit *Magiſter Hanuß, Wladislao regnante;* Magiſtro morte ſublato eidem ſucceſſit *M. Jacobus*, quo intelligentiorem invenire *Senatus* non poterat, propterea, quòd *Horologij* hujus partes omnes cum Magiſtro noverat, & haberet in numerato; is igitur uſquè ad *Ferdinandi I.* tempora vivendo, & horologium (quod ſummam attentionem requirit) regendo pervênit; moriens *M. Jacobus* nullum poſt ſe rerum talium peritum reliquit, & incidêre calamitoſa *Bohemiæ* tempora, cùm ruditas quædam, & inſcitia etiam in Senatu regnaret, ac pretioſum eſſe videretur *neſcire*; itaque Operi tam ingenioſo indoctus, & amuſus imponitur Curator *Wenceslaus Zvunek* nomine, *Civis Pragenſis*, idque Civium favore, quaſi Eruditio, & doctrina, favore poſſent comparari; hoc Curatore, quantum peccatum ſit, & quantas clades, & damna *Horologium* acceperit, explicat in ſuo tractatu *Joannes Taborsky*, qui ad ea damna reconcinanda An. 1552. neceſſariò debuit admoveri. Erat hic Aſtronomiæ peritus in primis, & in *Academia Pragenſi* jam An. 1519. Mathematicas omnes diſciplinas perceperat *Magiſtro Paulo Przibram* docente, quem Anno ſequenti 1520. (erat enim ætate grandior) obijſſe annotatum invenio. *Taborsky*, conſilio cum plurimis, quos & Aſtronomiæ, & machinarum peritos intellexerat inito, (poſtquam errores, & puncta quædam minimè ſibi reſpondentia diu perpendiſſet animò, atque etiam comprehendiſſet) totius *Horologij* machinam diſſolvit, & correctis omnibus, iterum ſuis omnia locis reſtituit. Quos in hoc labore ſocios ex Aurifabris, & Opificibus adhibuerit, quę correxerit, quę jam tempore, & uſu attrita, & labefactata firmârit, quæ de novo adjunxerit, omnia in ſuo illo toties laudato Tractatu proſequitur, atque hunc Laborem fæliciter abſolvit An. 1557. multis ob eam rem à *Senatu Urbico* pretijs cumulatus, & ſtabili quamdiu viveret cenſu honoratus. Huic ſocius, & diſcipulus, & omnium curarum particeps fuit *Jacobus Sspaczek* à Magiſtro multis in locis laudatus, quem etiam in horologij cura exiſtimo ſucceſſiſſe. Porrò *Joannes Taborsky* bohemicum Opuſculum *Senatui Pragenſi* ab Authore ipſo An. 1570. dedicatum, hæc continet: *Primò:* horologij hujus præſtantiam oſtendit, appellat *Effigiem Cœli, & primi mobilis ſimulacrum;* patêre in hac mole, quando, & in quo ſigno *Zodiaci Sol* oriatur, & quo gradu decurrat, quâ horâ ſe terris oſtendat, quando medium Cœli occupet, quando occidat, quàm altè ab Oriente, & Occidente ſuper horizontem feratur, quàm procul

M. Hanuſs author hujus Horologij.

Directores hujus Horologij.

Joannis Taborsky præclara in hoc opere merita.

Summa libelli de horologio ſcripti ab eodẽ Joanne.

Cap. 1.

Horologij hujus præſtantia in rebus indicandis.

cul à meridiano diſtet, quamdiu, apud antipodas decurrente *Sole*, carituri nos ſimus; quantum recedat à nobis, quantum rurſus accedat. Jam de *Luna*; ipſo *Lunæ* globo oſtendi, quàm adulta ſit, quàm nova, quadrantes omnes videri, in quibus ſignis verſetur; In *Zodiaci Circulo*, quæ ſigna oriantur, quæ decidant: horas *Planetarum* inæquales conſtanter indicari; *Calendarium feſtorum*, item quomodo *biſſextilis Annus* efficiatur, manu demonſtrari; tum *aureum Numerum* à 21. Martij ad 18. Aprilis, ut eruditi quocunque Anno in omne tempus futurum, *Paſcha* celebrandum ſit, poſſint prędicere.

Quid requiratur ab Horologij hujus curatore.

C. 2. *Capite ſecundo* docet, quantas ſcientiæ, & virtutum facultates afferre debeat, is, qui machinam hanc peritè, & innoxiè tractare poſſit, & velit.

C. 3. *Capite tertio*: quatuor eſſe *Horologij* hujus partes præcipuas, quarum quælibet ſuis ponderibus, ſuo apparatu, ſuis rotis regatur.

C. 4. Partes horologij.

Primam partem minutorum ſeu *minutalem* dici poſſe, alteram *claſſico* ſimilem, cùm rotæ omnes ſeſe apparant ad horas, ad *Campanam à mortis* ſimulacro trahendam (Lermo ipſe Patriâ voce appellat) & alia hujuſmodi, quæ explicat diligenter, quæ à me nimis jejunè, & aridè ſcribuntur, quia niſi à præſente non poſſunt intelligi.

C. 5. Horologiũ Turris.

Capite quinto Horologij, quod in ſumma turre dat horas, totum ordinem, & rationem explicat; quæ tertia pars omnibus horologijs eſt communis; eámque ante *Magiſtrum Hanuſſium* fuiſſe affirmat, qui primam, ſecundam, & quartam partem, ac deinde ſphæras, antiquo & communi horologio addiderit; quæ additamenta centies, & amplius hanc tertiam partem inventione, machinis, & totâ arte exſuperent.

C. 6. De Rota Annali.

Caput ſextum agit de *quarta Horologij*, eáque artificioſiſſimâ parte; hæc *Rotam* habet, quæ ſemel tantùm intra Annum tota convertitur, denticulos in ea rota trecentos ſexaginta quinq; numerari, quot ſcilicet anni ſunt dies, atque uno quotidie denticulo, non ampliùs, *rotam* moveri; in hac parte *Calendarium* ineſſe, hîc *Zodiacum*, hîc *Solis* ortum, hîc *Lunæ* curſus, *Solſtitia*, *Ecclipſes*, aliáque cœleſtia; inter quæ illud, quod maximè Scriptor miratur, & commendat: eum eſſe *Solis ſphæræ* motum, & circulorum modum, ut eâ ratione, quâ *Sol* diſcedit à nobis, eâdem ſemper lentius *Solis Sphæra* moveatur, donec in *ſolſtitio ad Capricornum* appròpinquans tam pigrè à nobis recedat, vel rurſus à puncto *Solſtitij* ad nos accedat, ut nihil promoviſſe, ac nuſquam moveri videatur, cùm tamen id maximè præſtet, alioque motu quotidie nobis oriatur, & occidat; ídque fieri nullâ humanâ manu, ſed ſolis ponderibus (ùt fieri ſolet) attractis.

De cæteris Rotis.

C. 7. *Capite ſeptimo* ad primam partem *minutalem* redit, rotáſque ejus omnes, Indices *Solis & Lunæ*, Oppoſitionum, & Conjunctionum Lineas oſtendit.

C. 8. *Caput octavum* arcana trium Rotarum continet *Zodiaci*, *Solis & Lunæ*, in quantum *rotæ* illæ junguntur, ſéque mutuò reſpiciunt, & tangunt.

C. 9. *Caput nonum de Solis rota*, quid illa ſeparatim efficiat, quódque ejus ſit munus, tum de *Sphærula Solis*, quomodo ea in *manu Indicis* volvatur.

C. 10. *Caput decimum* agit de *Rota univerſali*, & prima omnium cæterarum, quam *primum mobile* dicere poſſis; quæ ſint ejus munia, & cur non ſingulis horis (quod in alijs horologijs videmus) ſed intra viginti quatuor horas, tantùm decies quinquies, hæc *rota* decurrat, & ad punctum, unde cœperat, revertatur?

C. 11. C. 12. *Capite undecimo de Zodiaci Circulo*, capite verò ſequenti, de *Lunæ* circulo, & motu tractatur.

C. 13. *Caput decimum tertium* agit de *Erroribus*, qui in regenda hujus *Horologij* machina admitti poſſunt, & quantum ij ſint cavendi.

C. 14. *Capite decimo quarto* agitur de concordia *Calendarij*, *& horarum*, ut ea invicem concordent, ſibíque reſpondeant.

C. 15. *Capite decimo quinto* aperitur quoddam

Digitized by Google

dam arcanum clavuli cujuſdam, ſinè cujus notitia regimen *Horologij* claudicabit. *Caput decimum ſextum* tractat, de *Horologio* (ut paſſim appellant) *Germanico*, duodecim horarum, quod ſe *Ferdinandi I.* temporibus, cùm antè *Bohemis* ferè ignotum eſſet, addidiſſe, hujus Libri author gloriatur; & quâ ratione idem *Index & manus*, quæ totius naturalis diei horas oſtendit, eadem oſtendat & has, quas appellamus, *Germanicas*. *Caput decimum ſeptimum* docet aëris, & cœli, aliarùmque cauſſarum mutatione ſæpe *horologium* quoque mutari; & quid tum ſit agendum. *Caput decimum octavum* aliud nihil eſt, quàm omnium, quæ antè dicta fuère, compendium; addit verò ſcriptor, hanc omnem notitiam, quam hucuſque tradidit, niſì *horologium* ipſum oculis, & manu tractetur, inutilem fore, ac proinde *Senatui Pragenſi* (cui *Librum* hunc ſuum dedicat) magnopere providendum admonet, ut qui antecedit horologio *Præfectus*, in procuratione ſucceſſorem erudiat, aut duo ſint, quibus tota dirigendi ratio, & quidquid in hoc opere arcanum eſt, notum, perſpectùmque ſit, alioqui æternum hoc ex ſe Opus, & digniſſimum æternitate, in graviſſimum periculum, ac diſcrimen adduci.

C. 16. Qui fieri poſſit, ut eadem Manus horas indicet Bohemicas & Germanicas. C. 17. C. 17.

§. III.

Deſcriptio Nova Horologij Pragenſis.

JAm in eo eram, ut *Caput* hoc non prolixum illud quidem, ſed ob rerum obſcuritatem difficile, & involutum concluderem, (neque enim omnes ejuſmodi rebus, quæ difficillimè, niſì videas, comprehenduntur, teneri ſolent) cùm ecce Vir è *Societate noſtra* amiciſſimus, audito argumentum hoc me tractare velle, mihi nec opinanti, *Novam Horologij Pragenſis Deſcriptionem* à Viro doctiſſimo profectam, transmittit, magnâ inſuper charitate, & comitate verborum, cui ut aliquando reſpondeam, ſtudioſè curabo. Tractationis hujus author, fuit *R. P. Beniamin Sslajer S. J. Pragenſis*, Vir in machinali ſcientia, & erudito Geometriæ, ac cæterarum artium pulvere verſatiſſimus, multóſque annos *Matheſeos in Univerſitate Carolo-Ferdinandæa Profeſſor*, cui certè ea laus, quam in *Hippia Eleo Tullius* fuiſſe ſcribit, tribui poteſt: quòd omnes artes liberas, & non liberas ſciverit, & quidquid in ſe ferret, hoc ſibi ſuâ manu, & arte confecerit; poſſem hoc in *Viro*, quem antè dixi, exemplis prolatis adſtruere, ſi id ageretur; ſed hæc ſufficere puto ad conciliandam ſcripto huic authoritatem. Si quis erit, cui hæc tractatio obſcura tædium pariat, vertat pagellam, & latius argumentum inveniet.

P. G. R. S. J. Cic. l. 3. de Oratore.

Horologium Curiæ Pragenſis.

Quatuor hujus Horologij partes.

COntinet *quatuor Partes*; quarum ſingulæ ſuis ducuntur ponderibus. *Primò*: eſt Rota major, cui incumbit alia minor (aliàs Stegrad) cum Inquiete (Unruhe) minuta ducens.


Secundò: priori adſtat in eadem quadratura cum ſua *Rota*, cujus hoc eſt officium: quando prior pars, hujus malleum elevat, qui cadendo excutit clauſuram ſecundæ partis, tunc hæc pulſat, & in hoc pulſu media circumagitur rota. Interea uno ex duobus clavo (ſeu Worff) elevat vectem (dictum Lermo) cui filum craſſum ferreum alligatum, per quod malleus partis tertiæ elevatur; cadente autem vecte cadit malleus ſuperius, & excutit ſeram horologij, quod tunc immediatè ſonat, & inferior rota partis ſecundæ clauditur.

Digitized by Google

Tertia pars eſt ſuperiùs; opus antiqvum, ſed ordinarium, quo horæ ſonant; unde aſſoris filum pendet, per quod *ſenex* horas numerat.

Quarta pars eſt infima, infra ſecundam, quæ nulli quadraturæ (aliàs Kayʒ / vel ʒranice) eſt incluſa, quæ ſolùm regit *Calendarium* ab uno ſolſtitio ad alterum, cujus limbus habet 365. dentes, tot videlicet, quot dies in anno; ſingulis autem diebus promovetur uno dente. (NB. In Anno biſſextili, calendarium uno die retardandum) Hic motus ſic perficitur:


Machinarũ in hoc genere ratio.



I.


Poſt orbem Calendarij inter duas columnas, eſt longa pertica A. B. ferrea, cui annexa eſt rotula C. diviſa ſpiraliter, ità, ut dum apertâ ſerâ illius, axis A. B. ſemel circumvolvitur, rotula unum dentem promoveat, & mox altera extremitas rurſum ſubintret, & contineat Calendarij limbum, donec denuo aperiatur. Hæc autem apertura ſic perficitur: In rota motûs Solis (de qua poſtea) eſt denticulus (quem vocant Worff) revoluto ergo curſu Solis diurno, per Worff, elevatur malleus; qui aperit ſeram, v. g. circa B. & tunc axis A. B. ſemel cum rotula C. circumvolvitur, & mox iterum clauditur. *Calendarius* autem *Orbis* hoc præterea efficit: Habet in centro affixum axem D. intortum, ità diſpoſitum, ut juxta Calendarij motum in Solſtitio hyberno deſcendat in D.

II.



in ſolſtitio æſtivo aſcendat in E. & conſequenter virgam ferream ſibi inſertam, D. E. nunc attollat, nunc deprimat; hæc autem virga ſuperiùs inter primam partem affixa eſt rotæ, quæ intus tres radios ſolùm habet, exterius verò in limbo horas numerat 24. bohemicas. Et cùm *Pragæ* inter Solſtitia ſit varietas horarum quatuor, fit, ut mediante virgâ illâ ferreâ in ſolſtitio æſtivo veniat ad lineam meridianam hora 16. in ſolſtitio verò hyberno horâ vigeſimâ. Cùm enim virga


III.



illa nunc aſcendat, nunc deſcendat, trahit etiam nunc horas à meridiana linea, nunc retrudit, ità, ut pulcerrimo artificio *Solis* declinatio à *Solſtitio*, & concordantia horarum bohemicarum cum Aſtronomicis demonſtretur. *Axis rotæ* minutorum G. Partis primæ, quę habet dentes 112. protenditur extra ſepta ſua, in cujus fine ſunt tres rotulæ dentatæ, a. a. a. ſingulæ continentes 24. dentes. Super has

IV.

De rotis horologij.



ſunt

ſunt aliæ tres rotæ b. c. d. æqualis magnitudinis, ſat capaces, quæ ab inferioribus motæ curſus diverſos perficiunt.

De Rotis Horologij.

Tertia d. videlicet *Lunæ* habet denticulos 379. ſecunda *Solis* c. habet denticulos 366. Prima *Zodiaci* b. habet denticulos 365. Hæ tres rotæ proprium habent axem per centrum *Sphæræ* ad E. exeuntem: ità, ut prima b. incumbat ipſi axi; ſecundæ rotæ c. axis ſit cavus, ſuperinductus primo; ſimiliter tertiæ rotæ d. axis cavus magis, ſuperinductus ſecundo. Porrò primæ rotę b. axis longiſſimus per *centrum ſphæræ* excurrit ad forum ad E. in cujus extremitate affixus eſt per ſua ſuſtentacula *circulus* pertingens ferè ad circulum horarium bohemicum, de quo ſuprà. Huic affixus eſt *Zodiacus* ſecundùm ſuam excentricitatem. Secundæ rotæ c. axis aliquantò brevior, cui affixa regula H. pertingens ferè

V.



uſquè ad limbum horarium mobilem, quæ ſupernè inflexa eſt utrinq;, ità, ut illi ſuperpoſitus index I. ſupra *Zodiacum* ire queat, qui tamen index in medio apertus eſt, ut *centrum Zodiaci* per totum periodicum motum ſit liberum propter regulam *Lunæ*. Huic autem indici in una extremitate affixa eſt manus inaurata, quæ horas oſtendit. in medio *Solis effigies* in indice mobilis, qui index etiam vocatur *declinatio Solis*. Tertiæ rotæ D. axis breviſſimus, in cujus fine ad ipſum planum ſphæræ affixa

VI.




regula K. quæ itidem utrinque incurvata magis, quàm prior, ut illi index affixus L. ambiat *Zodiacum*, & indicem ſolis. Hic Index utrinque circulum horarium extimè radit, pertingitq; ferè uſque ad medium limbi horarij. huic inſertus eſt *globus Lunæ*.

De motu Solis, & Lunæ in Zodiaco.

Motus Solis & Lunæ in Zodiaco.

IN *centro Zodiaci* infrà eſt affixa Regula, cui ad ſemidiametrum extimum *Zodiaci* affixus eſt etiam *Sol*, ità, ut per circulum anni percurrat totum *Zodiacum*, ſemper illi adhærens, & gradus, ac ſigna demonſtret, in quibus verſatur, & horas inæquales oſtendere poſſit, adeòque in ſuo indice nunc deſcendit, nùnc aſcendit, ità, ut in *ſolſtitio æſtivo* manum contegat. Similiter ex eodem *centro Zodiaci* afforis prodit alia regula, cujus alteri extremitati affixus eſt *lectulus Lunæ*,



quem dicta regula ſimiliter continet beneficio annuli inſerti Indici *Lunæ*, cui affixa eſt regula, ut ſemper gradus *Zodiaci* percurrat. VII.

In extremitate autem axis Zodiaci eſt rotula ſtabilis dentata, circa quam eſt ex ipſa regula pinnacidium prominens, in medio perforata, cui inſertus eſt baculus ferreus, habens in extremitate aliam rotulam dentatam, quæ inſertis in alteram immobilem dentibus, dum *index Lunæ* movetur, & ipſa ſit mobilis, adeòque *Lunam* in lectulo, huic baculo inſertam gyrat, ut novilunia, & plenilunia oſtendat.

De Rota Solari.

Rota ſolaris.

ROtæ ſupradictæ tres majores *Zodiaci Solis & Lunæ*, beneficio ſubjectarum rotularum (Tribl dictarum) intra diem naturalem omnes revolvuntur, ità, ut ſingulis horis decurrant denticulos $15\frac{1}{4}$. & ſic motus raptus repręſentatur. *Rota* autem *ſolaris* in medio ſita, habet in circumferentia laterales 24. clavos, ſeu Worff/ per quos aperitur pars ſecunda, ut horæ ſonent, in quem finem ſupra has tres rotas eſt *arcus ferreus* affixus duobus radijs rotæ interioris, quę limbum horarium nunc attollit, nunc deprimit à *Solſtitio ad Solſtitium* unà cum *Calendario*. arcus autem hic protenditur, ut ſummitas illius ſit inter primam, & ſecundam rotam, in cujus me-

medio affixus baculus ferreus, in cujus extremitate eſt malleolus, quem clavi horarij apprehendentes, aperiunt ſeram ſecundæ partis, beneficio regularum ad id diſpoſitarum, & pertingentium uſque ad ſecundam partem. Cùm autem rota horaria ſit mobilis, conſequenter & arcus; hinc non eodem ſemper loco horæ dimittuntur, ſed inter ſolſtitium æſtivum, & hibernum ſpatium quatuor horarum, aut 61. denticulorum intercedit; quod eo finè factum, ut index horarum, horis, & ſono illarum reſpondeat. Ad *vectem* autem, ſeu *regulam*, per quam aperitur pars ſecunda, affixum filum ferreum, per quod regitur *aſtrolabium*, reſpiciens Templum Teinenſe.

De Rota minutorum fundamentali.

Rota Minutorum.

HÆc non vertitur per diem naturalem, niſi 15. vicibus: cùm enim rotulæ hujus axi affixę contineant ſingulę 24. dentes, & ſolis rota intra horam abſolvat tantùm $15\frac{1}{4}$. denticulos, remanebunt ergo in rotula reſidui uſque ad 24. videlicet $8\frac{3}{4}$. & cùm rota minutorum habeat 112. dentes, reſpondebunt ſingulis dentibus rotulæ in rota minutorum $4\frac{1}{2}$. & $\frac{1}{6}$. denticuli, adeóque dum ſex denticuli abſolvuntur in Tribl, & in rota Solis, in rota minutorum decurrent 70. remanebúntque ferè 40. unde conſequenter per diem naturalem hæc tantùm 15. vicibus vertitur.

De Rota Zodiaci.

Rota Zodiaci.

ROta Zodiaci, cùm habeat dentes 365. rota autem *Solis* 366. hinc intra diem naturalem quando revolutionem perficit, antecedit *rotam ſolis* uno gradu, & conſequenter in *Zodiaco* exteriori *Sol* uno gradu progreſſus eſt à loco prioris diei, donec poſt unum annum ad eundem locum redeat. Hæc rota præterea in *Zodiaco* exteriori ſemper ſex ſigna ſupra horizontem apparentia oſtendit, ſex ſub horizonte, adeóque *ortus*, & *occaſus ſignorum*.

De Rota Lunæ.

Rotæ Lunę.

HÆc *Rota*, cùm habeat 14. dentes ampliùs, quàm *Zodiaci* rota, & 13. ampliùs quàm *rota Solis*, videlicet 379. cùm *Solis* habeat 366. & inferiores rotulæ ſint 24. dentium ſingulæ æqualiter moventes, hinc *rota Lunæ* 14. dentibus intra diem naturalem tardiùs revolutionem abſolvit, quàm *rota Solis*, adeóque dum *Sol in Zodiaco* unum gradum progreditur, *Luna* 14. & conſequenter *Luna à Sole* recedit 13. & ſic abſolvitur motus uterq; planetarum *violentus* primi mobilis, & *naturalis* contra ſignorum conſequentiam. *Luna* autem intra anni ſpatium in *Zodiaco* hoc, facit Lunationes 12. & $\frac{1}{4}$.

Recitata eſt integre, nè unâ quidem literâ immutatâ, ab inſigni illo Viro elucubrata, & ad me ab amico transmiſſa deſcriptio; ex qua una (vel ſi abeſſent cætera) *Horologij* hujus magnitudo, admirabile artificium, ingenioſiſſima inventio à prudentibus talium rerum, & in arte curioſis ad liquidum poteſt intelligi; idque ante tot annos (ſcilicet propè ducentos) elaboratum hoc opus, cùm adhuc horologiorũ ratio ad perfectum adducta non eſſet, quæ jam ætate avorum etiam minimis orbiculis, æreis, argenteis, aureis, quæ nuces juglandes magnitudine ſæpe non ſuperant, inſeruntur. Porrò, nè quid memoratu dignum omittam, narrant, *horologiũ hoc ominoſum* multis videri: ſiquidem obſervatum jam eſt, cùm aliàs juſtiſſimè decurrat, tamen imminente aliquâ clade, aut mutatione Reipublicę *Horologium* turbari, & ſolitos curſus, aliáq; ob-

Digitized by Google

obſequia non præſtare, cauſſam Magiſtris ignorantibus, ac præſertim Conſulum, & primorum in Senatu Civium mortes mutatione ſuâ portendere, idque habetur in Exemplis. Ego ut in totum fidem abrogare non auſim, ſuſpicor tamen, ejusmodi turbationes magnam partem ab ignorantia, vel etiam negligentia Præfectorum proficiſci.

CAPUT XIII.

De Magnifico Veneris Templo, cum pulcerrima Deæ Statua, quam Rex Merovius Brunæ condidiſſe, & fabricâſſe ſcribitur; de Sacellis quibusdam ſumtuoſis; tum de Automatis duobus fodinarum argenti.

§. I.

Templum Veneris.

DAbunt veniam Lectores mei, ſi in *Miſcellaneis Bohemiæ* paulùm ultra limites noſtros in *Moraviam* deflexero; non enim pro rebus Bohemicis *Moraviæ hiſtoriã obtrudam* (quia id titulo parùm congrueret, fierétque Horatianum illud, *Humano capiti*, & quæ ſeqvuntur, aut illud ejuſdem:

- - *amphora cæpit*
Inſtitui, currente rotâ cur Urceus exit?)

Sed rem admirabilem ab alijs prætermiſſam, in vicinia tamen noſtra, & in *Provinciæ Coronæ Bohemiæ* ſubjecta, celebratam, ſed jam paucis, aut nullis notam, idque ob vicinitatem argumenti (*de ſumtuoſis majorum ædificijs*) bonâ Lectoris gratiâ memorabo. Ac nè quis me fortè plagij accuſet, ipſa verba annumerabo Authoris, ex quo rem totam deſcripſi, à me ex Germanico in Latinum converſa:

Libri Hoſſmanniani titulus.

Memorabilis, & relatu digniſſima Interpretatio, & Deſcriptio magnifici, & id temporis toto orbe decantati Templi Veneris, quod Inclytus heros Rex Merovius, cùm Moravos debellâſſet, & Regnum fundâſſet, honori Deæ ſuæ Brunæ in Moravia conſtruxit, & puro auro ſumtuoſiſſimè exornavit, quò faciliùs ſubjectum Populum ad humanitatem, & Civilem vitam traduceret, & turpi atróque illo Svvantovvito relicto, quem Deum Deorum vocabant, quem in ſilvis adorabant, & cui (ùt Embſerus narrat) quotannis Chriſtianum hominem (quemcunque ſors objecerat) immolare conſveverant, hanc unam Deam agnoſcerent, ac venerarentur; ex plurimis, & fide digniſſimis Scriptoribus (qui poſtea nominabuntur) diligenter excerpta, & Typis edita per Abrahamum Hoßmannum Lauban: Luſatium, Sacræ Cæſ: Majeſtatis hiſtoricum, Budiſſinæ apud Nicolaum Zipſerum Anno 1616. Hic Libelli titulus; ſequitur Dedicatio ad *Senatum Brunenſem, & Iglavienſem;* in ea pollicetur Author, quem dixi, *Hoßmannus*, ſe proximo Autumno (ſcribebat *Laubæ.* 7. Auguſti A. 1616.) *Hiſtoriam Moraviæ* (grande volumen, quod jam lucubrando abſolviſſet) daturum ad Typum; hanc verò Narrationem Promulſidis inſtar, & velut mulſi pocillum propinare, & præmittere; tum in hunc modum orditur: *Legimus (in Vetere Chronico Moraviæ Doctoris Salmuth fol. 167. item apud Joannem Turpinum fol. 353. & apud Spangenbergium in Chronico Schvvartzenburgico fol. 464. cujus rei etiam*

Brunæ ſedes Regia.

Simulacrũ Veneris Partheniæ.

latè mentionem fecit D. Mauritius Brandt in ſuo Chronico fol. 533.) Juvenem, ſed excelſi animi Regem Merovium (eum ſcilicet, cui ſponſa abducta olim erat) An. 367. cùm Moraviam viris & armis inundâſſet, & Victor in poteſtatem redegiſſet, ac in Regni formam, ſéq; in Regem conſtituiſſet, Brunæ in Moravia ſedem Regiam collocâſſe, atque ibi non procul ab arce munitiſſima ſua Veneri, quam Partheniam vocavit, honoris & debitæ gratitudinis ergô, mirum in modum ſumtuoſum, operoſum, magnificum, & orbe toto celebratum ſtatuiſſe Templum, quod facilè quingentis annis inviolatum, & illæſum perſtiterit. In eo Templo omnia auro, & gemmis radiabant, & coruſcabant, quotidiéq; Deæ illi maximi deferebantur honores. Pórrò ipſum Simulacrum nudum admirandi operis, à Rege Merovio propoſitum, ad juſtam mulieris, aut Virginis formoſiſſimæ figuram conformatum ſtabat; oculi erant ludibundi, melliti, & illecebrarum pleniſſimi, Corpus totum nive candidius, capilli uſquè ad genua promiſſi; Myrtea Corona purpureis Roſis diſtincta Caput velabat; labella, quæ riſus modicè aperiebat, clauſam Roſam gerebant; ad ipſum cordis locum Radius, aut fax ardens viſebatur; ponè, latus hiabat euſquè, ut cor poſſes intueri. Siniſtra manus Globum ferebat eâ ratione diviſum, ut in eo Orbem totum, Solem, & Cælum, maria, & terras agnoſceres; dextram tria ex auro poma implebant. Ipſa Dea curru aureo vehebatur, quem duo albuli columbuli, & duo Cygni trahebant. Adſtabant tres nudæ Virgines (Gratiæ) *manibus innexis, eo poſitu, ut ſingulæ ſingulis terga obverterent, ſibiq; , ut cum Plauto loquar, datatim poma ex auro ultro porrigerent.*

Deſcriptionem *Veneris Partheniæ ex Hoſmanno* nimiùm fortè prolixam recitavi; quid ageret Lector, ſi Interpretationem apponerem? itaque cætera omnia, ùt obvia, & protrita, cogor omittere: nullum enim paululum eruditiorem repertum iri exiſtimo, qui ſibi ipſi interpretari *Idolum* hoc non poſſit. Majorem difficultatem movet hiſtorica veritas: quis enim *Merovius* An. 367. in *Moravia* regnavit? quem, oro, Antiquiorem Scriptorem in hanc rem citare poſſumus? quos enim adducit, *Turpino* excepto, ſunt novi, & ipſum *Turpinum* (magnum alioqui fabulatorem) ſurſum deorſum pervolutavi, nihilque iſtorum invêni; adeò ut ſuperſit nihil, quàm uſitatum illud dicere N. L. vel altiore voce proclamare: *Fides ſit penes Authorem.*


§. II.

An aliqua ſint, quæ huic Sacrario æquiparari poſſint?

Res quædã pretioſæ in Provincijs hęreditarijs

Multa quę huic *Sacrario* ęquari, conferrique poſſent, non modò in *Germania*, aliiſque terris, ſed vel in *Bohemia* reperias: *Carlſteinenſis Arx* dubiam palmam fecerit, quam nuper deſcripſimus; *gaza Regia* Viennenſis, *Technophylacia* regia aliquot, & illuſtres artificum omnis generis labores pretia Regnorum continent; *Corona vetus Regni Bohemiæ*, *Pomum aureum*, & *Sceptrum*, deinde *Corona Imperij*, aliáque *Inſignia Imperatoris domeſtica*, quæ *Bohemiæ* opibus & ſumtibus, *Rudolfus II. Imperator* fieri fecit, longè *Merovei Sacellum* exſuperant. Nihil de his agam hoc loco: nam *Coronam Bohemiæ* Regum in *Hiſtoria S. Montis* latiſſimè, gemmis omnibus nominatis, deſcripſi; *Rudolfinam* verò Imperij *Coronam*, *ex Anſelmo de Boot*, qui ejus conficiendæ artifex fuit, tum alia *Rudolfi II.* Auſtriaci Opera ex auro & gemmis, utcunque deſcripta *Libro I. Miſcellaneorum* curioſus & eruditus Lector inveniet. His adjice: quòd *Hoſmanni* jam pridem mihi

Digitized by Google



Delineatio Machinæ, quâ ex fodinis Przibramenſibus aquâ educitur.

A. Orificium fodinarũ, per quod foſſores deſcendunt, & mineralia extrahunt.

B. Cylindrus mobilis, cui duo fortes vectes C. D. transverſùm infixi, qui aquam exanthliant, per meatus ſubterraneos, ad rivulum N. defluentem.

E. F. & G. H. Vectes cylindris B. & I. inſerti, quibus ſupernè in F. & H. infernè in E. & G. affixæ trabeculæ longâ ſerie connexæ F. K. H. & E. L. G. Ne autem ob diſtantiam nimiam ſuccumbant oneri (eſt enim diſtantia ab F. uſq; ad H. pedum Pragenſium 1148.) intercedunt ſuſtentacula K. L. numero 67. ſuis cylindris inſiſtentia, quæ æquali cum vectibus E. F. & G. H. ductu moventur. Ità ut trabeculæ F. H. ſupernè in K. illis incumbant; infernè verò trabeculæ F. L. G. in L. à clavis ſuppoſitis retineantur, quò trabeculæ parallelæ maneant.

Eſt autem orificium A. in colle: Vectis G. H. in valle, cujus ductu tota machina movetur. Hic verò ducitur à rota molari ſubterranea M. quæ impellitur à rivulo N. ità ut quando vectis O. infixus vecti G. H. propè Rotam in P. venerit in Q.; vectis C. anthliam ſuam deprimat, D. elevet. quando verò vectis O. venerit in R.; vectis D. anthliam deprimat, C. elevet. Illuſtris profectò inventio viliſſimi cujuſdam Molitoris, ſed admiratione Doctorum excepta; utinam percontando toties, Artificis optimi nomen reſcire potuiſſem, ut aliquod apud poſteros præconium, quod mille modis merebatur, haberet!

Digitized by Google

mihi ſuſpecta ſit fides, eſtque apud me, ſed adhuc ſilente calamo refutatus; dicta indicta eſſe tantiſper volo, dum alio in loco Lectori meo fidem exſolvam. Quod *Imagines* de quibus paulò antè mentionem feceram, attinet, nihil in hoc genere illuſtrius *Bohemia* videre poteſt, quàm *Novadomi Palatium Procerum Slavatarum*: non enim Imagines à ſolo artificio pretium obtinent, ſed ſæpe etiam antiquitate, raritate, virorum clarorum Effigie aliiſque titulis commendantur: *Novadomi* itaque omnes Noſtrorum Principum & Regum, à *Czecho* uſquè ad *Auguſtiſſ: Caſ: LEOPOLDUM* ad vivum expreſſas invenies veris eorum vultibus, & amictu perantiquo; de quo inſigni theſauro, & authenticè picto, agemus in ſequentibus. *C. 20. §. 1.*

§. III.

Automata Fodinarum auri & argenti.

Arte factorum laudatio.

Cùm in *Miſcellaneis* parum, aut omnino nihil referat: quid, quòve in loco narretur, modò res ſcitu digna ſit, ſubjiciam pretioſiſſimis hiſce gazis res in ſpeciem viles, ſed utilitate maximas: nam abſque his eſſet, nec aurum, nec argentum haberemus. Ego ſanè me eorum in numero colloco, qui ferè magìs Artes, quàm Naturam mirantur: etſi enim Naturæ opera admiratione hominum digniſſima ſint, tamen cùm ea à DEI omnipotentia & providentia proficiſci cogitamus, magna admirationis pars cadit; at exiſtere, & prodire ingenia, quæ imitatione divinitatis aliquid ex ſeſe mirabile gignant, & ſtudio ac labore audaci & fælici, quod mille alij præſtare non poterant, ad utilitatem humani generis inveniant, idque quod omnes fieri poſſe negabant, factum exhibeant, hoc profectò plusquam mortale, hoc propè divinum, hoc admiratione & commendatione proſequendum eſſe duco; habétque admiratio mea locum in ijs omnibus, quæ de primis rerum Inventoribus tam vetuſtis, quàm novis apud *Polydorum Vergilium*, aut apud *Guidonem Pancirollum*, alióſque Scriptores digna memoratu narrantur. *Pancirollo l. 1. de rebus perditis & l. 2. de rebus recèns inventis.*

Automa Przibramenſe.

Automa primùm *Przibrami* ſuper fodinas argenti viſebatur cùm ibi eſſem; quod aquam fodinas mergentem, & omnino merſuram, rivuli cujuſdam beneficio mirabiliter die noctéque nunquam interruptè extrahebat ab imo, exantlabat, & aquam alium in locum effundebat; rem totam *Georgij Conſtantij Societatis Noſtræ Sacerdotis* ſtylo deſcribam:

Mihadla, eſt inſtrumentum aquæ adductorium in argenti fodinis Przibramenſibus, ex meris variæ formæ & compoſitionis lignis machina, fortè tam longa, quàm eſt pons Pragenſis, lata ad ſeſquiorgiam circiter. Quoad Etymologiam Bohemicam, dicitur à micando, nam **mihati ſe** / eſt micare, **Mihadla** / micationes, quia dum machina illa perpetuò movetur, procul illam aſpicientibus micat. Ligna ex quibus machina tota componitur primaria, ſunt axes centeni circiter ſuis ſpondis & ſuſtentaculis incumbentes, capite humano craſſiores, ad ſeſquiorgiam longi, circulis ferreis prope utrumque finem circumdati (nè rumpantur) à binis vectibus ſinguli, per medium eorum hinc & hinc transverſim trajectis, craſſitie humanæ ſuræ, longitudinis ad duas circiter orgias. Qui vectes ab imo rectâ ſurſum protenſi, in utraque extremitate habent fiſſuras, in quas ſingulas fiſſuras immiſſæ ſunt duorum lignorum extremitates, ad tres circiter òrgias longorum, æquè ut ipſi vectes craſſorum, in ipſis vectium fiſſuris ſupra communem axiculum ligneum volubilium, & ſeſe *Hiſt. S. Mon: l. 2. C. 3. §. 4.*

& ſeſe invicem contingentium. Quæ ligna ſupernè duo, & infernè duo, à vectibus unius axis, ad alteros duos vectes alterius axis protenſa, machinæ partes connectunt à rota molaria tanquam motûs principio ſurſum uſquè ad foſſam ad 40. circiter orgias profundam, in cujus imo lacus eſt, & confluentia aquarum ex fodinis argenteis, & cuniculis hinc inde ad partes ſub terra factis. Supra quam foſſam ſtat ſucula ſuo axe & transverſo ligno inſtructa, ex cujus ligni una extremitate pendet pilum inſtar brachij humani craſſum, atque tantæ longitudinis, quàm ipſa foſſa profunditatis; alteri autem extremitati per proportionatum lignum connectitur tota reliqua hactenus deſcripta machina, movens ſuculam, & ſucula pilum, pilum verò infernè ſyphone aquam hauriens, & in canalem ſubterraneum æquè ac tota machina longum effundens. Hoc ergo inſtrumentum aſpectu ſimpliciſſimum eſt ingens artis miraculum, propter hoc, quòd tam exigua rota à tam modica aqua impulſa, quam rotundum foramen caperet, cujus diameter eſſet vix unius ſpithamæ, tot centenariorum molem agitet. Nam ſolum pilum minimùm 200. libras ponderat, quid jam aqua, quid syphonis anguſtiæ, quantas vires ad ſurſum trahendum & deorſum premendum requirunt? Quid tot, quot dixi axes, tot ferramentis, & coluris ferreis rubiginoſis, in armillis etiam rubiginoſis voluminibus armati (ſub dio enim tota machina perpetuò ſtat, jam madida, jam ſicca, ventis plerumq; in motu impedita) quantas vires ſimul omnes ad movendum neceſſe habent! Puto quòd unius validi viri vires vix ſufficerent ad agitandum unicum axem, cum omnibus ei annexis lignis, tam ob pondus, quàm rubiginem, dum movetur, ſtridentem, ut ad quadrantem milliaris nocte concubiâ audiatur.

Centum homines conjunctis viribus totum hoc opus vix moverent. Ac proinde audaciſſimus fuit ejus machinæ inventor, quòd ſibi fidere potuerit tot impenſas ad conſtruendum illud inſtrumentum priùs factas non futuras inanes. Hæc *P. Georgius Conſtantius S. J.*

Alteram artificioſam machinam *Cuttenbergæ* fodinis ſuperſtantem, vidi, quam, alter *Societatis Noſtræ Sacerdos Joannes Korzinek* nuper *proh dolor!* morbis crudeliſſimis extinctus, in *Cuttnenſi hiſtoria linguâ Patriâ* deſcripſit, ſupervacaneum exiſtimavi deſcriptionem iſtam Latinè reddere, quòd & liber ſit obvius, & deſcriptio ipſa niſi addatur figura tã obſcura ſit, ut *Lectores* intelligendo, ùt ait *Comicus*, denique nihil intelligant, tum etiam quòd ejusmodi rotas uſitatas fodinis, quicunq; de hoc *aureo & argenteo* labore agunt (quales *Georgius Agricola*, *Theobaldus* ac cæteri) eleganter & diligente deſcripſerint, figuris expreſſerint, & uſum omnem explicârint. *In LL. de re metallica.*

§. IV.

Quædam Sacella inſigniora in Arcibus Bohemiæ.

MAjorum noſtrorum Pietas conſvetudinem ſibi fecit, non modò DEUM cum populo in Eccleſijs publicè honorandi, ſed domi etiam privatim apud ſe colendi. Nullam Arcem alicujus momenti dederis, quæ *Sacrario* ſuo deſtituatur, & careat; imò adeò in Urbibus, in Domibus majorum & opulentiorum Civium (ut *Pragæ*) *Sacella* vetuſto opere conſtructa fuiſſe, non ſemel ipſemet animadverti. In *Arcibus* Matronæ illuſtres quotidie mane & veſpere (quod moribus inductum ni

in *Vetere Bohemia* fuit) univerſâ familiâ, campanulæ ſono advocatâ in *Sacellis* orabant de genu, canebántque idque me adhuc puero in multis Nobilium Arcibus factitatum recordor. Ejusmodi *Sacella*, ſed quæ ob ſingularem elegantiam celebrantur magis, hîc annotabo : *In Arce Crumlovienſi S. Georgij Sacellum* perelegans viſitur cum Campanis, in quod *Roſenſes Proceres*, quidquid habere ſacri poterant, congeſſerunt : ſervabatur in eo ſat notabilis *Crucis Chriſti* portio ex *Sacra Capella Regum Galliæ* donata; *pars veli Beatiſſimæ Virginis* ſangvineis Filij DEI guttis reſperſa (qua de re ſunt apud me *Bonifacij Papæ Apoſtolicæ literæ* teſtantis, & Indulgentias ei Sacello perpetuas conferentis) tum nonnulla *Sanctorum corpora*, & reliquiæ. *Wilhelmus Landſteinius Wiſſehradenſis ſub Carolo IV. Præpoſitus* in Arce ſua hæreditaria *Lomnicenſi* ante An. 1360. *Sacellum* Regiâ prorſus magnificentiâ ſtruxit. *Netolicij* in ſuis hortis & in Tempe *Sacrarium* prorſus magnificum excitavit *Wilhelmus Roſenſis*, ut antè narravi. *Nalziovij* apud *Ssvvihovvios* amplum & elegans eſt *Sacrarium*. De Aureis & gemmeis *Carlſteinenſis Arcis Sacellis*, tum de eo, quod eſt *S. Wenceslao in Arce S. Viti* dicatum, peculiari tractatione jam egimus. *Curia Antiqua Urbis Pragenſis Sacrarium* habet (cui olim opimum Sacerdotium adjecerant Majores) in quo ante Conventus & Conſilia *Miſſam quotidie Senatus Pragenſis* audiebat, quæ Catholicis Senatoribus poſtea cauſſam mortis dedit, ut *L. IV. Miſcellaneorum* narrabo. Sed in Antiquitate velut totius Bohemiæ primum, opibus, ædificatione, & aureis atque argenteis imaginibus laudabatur *Sacrarium Archiepiſcoporum ad Pontem Pragenſem* in ingreſſu Minoris Urbis Pragenſis ad dextram, quæ prima occurrit *Domus*, *ad S. Thomam* uſquè protenſa; ibi erat *Sacellum Armorum Chriſti* quod *Epiſcopi Pragenſes* excitarunt, deindè *Arneſtus I.* ornavit, & tandem *Joannes Erneſti Succeſſor* abſolvit: omnia ibi Fidei noſtræ Myſteria, & quidquid credendum eſt, depictum, & deſcriptum ſpectabatur & legebatur. Sed hanc *Domum* elegantiſſimam, *Sacrarium & Hortum ad Muldavam* procul porrectum, cui parem peregrinis ſtirpibus & plantis *Bohemia* non habuit, *Haretici* poſt An. 1621. in cumulum dejecêre, arbores excidêre, lapides ipſos avexêre, ſic ut nè veſtigium quidem ſuperſit. Jam in *Domo Archiepiſcopali* (ponè ingreſſum *Arcis S. Viti* occidentalem) perelegans *Sacellum* excitavit *Sbignæus Berka Pragenſis Archi-Epiſcopus*, *cum Stallo Prælatorum & Abbatum*, & Imaginibus coloratis & plaſticis exornavit egregiè, quod hodiéque videmus.

Sacellum Crumlovij.

L. 1. Miſcell. C.
L. 3. C. 9. §. 1. & C. 8. §. 3.

M S plurima, quæ poſtea citabuntur.
Franciſcus M. S.
Lauda in M. S.

Ad *S. Clementis Eccleſiam* ad Pontem Pragenſem duo miri operis Sacella (*B. Virginis & S. Bartholomæi*) ſtetiſſe ſcribit *Crugerius* cum fundatione, ut ita dicam, *Baronali*.

Crug. ad 8. Jan.

Podiebradij Arce Regiâ ab ipſo *Rege Podiebradio* conditum, ab operis firmitate laudatur. In *Caſtro Svvihov*, præclariſſimum eſt *Arcis Sacellum*, in quo, *Altare Matrem DEI ut Reginam* exhibet inter *Choros Angelorum*, *Martyrum*, *Virginum*, *Confeſſorum &c.* numero imnumero, ſummâ ſemper ſtatuarum, etiam in minimis, proportione & ſymmetriâ. At *Sacelli* fornix cognationes & Clypeos *Ssvvihoviorum & Rozmitalenſium Procerum* repræſentat. *Budina*, *Libochovicium*, *Bechina*, *Commotovium*, in Arce, *Novadomus*, *Smeczna*, *Buſſtiehrad*, *Lipnicium*, *Nachodium*, *Litomyſſlium Arces*, *Sacraria* habent altiſſima, ornatiſſimáque, omnia ſaxis conſtant, & fornicibus (ùt etiam ſuperiùs nominata) conteguntur. Nihil aut parum his concedunt Sacella: *in Rabi*, *Raupov*, *Worlik*, *Welharticij*, *Zvvikovvia*, *Zirovvnicij*, *Schlüſſelburgi &c.* In *Arce Teplicenſi* ſtat *Sacrarium* Eccleſiæ alicui par; majus adhuc eſt, quod in Zelená

Sacellum in Ssvihov.

Zora videmus; utrumque olim Parthenonis fuit: hoc *Ciſtercienſium*, illud *Benedictinarum Virginum*. *Liſſa Arx* Sacrarium habet non inelegans, idque *S. Deſiderio Epiſcopo* ſacrum. Nullus eſſet finis *Sacella Arcium* enumerandi. Hoc in exemplum ſufficiat: ego me neque omnia ſcire, neq; poſſe, ſi velim, profiteor.

CAPUT XIV.

Aliquid de Theſauris latentibus Bohemiæ.

SUmtuoſis Majorum ædificationibus, ac molibus, quarum aliquas attulimus, & ſubterraneis operibus, de quibus paulò antè locuti ſumus, *Theſauros* quoque ſubjicere conſentaneum, & conſectarium puto: neque enim ad Naturę hiſtoriam, ſed ad manufacta, quæ nunc deſcribimus, referuntur, adeóque tractatione jungentur, quæ confinia ſunt, ac fortaſſe ingrata non erunt.

§. I.

De Theſauro Wilhelmi de Roſis, Crumloviæ Domini.

Wilhelm⁹ de Roſis maximus amator ſubditorum.

THeſaurum, quem gazis, & theſauris omnibus potiorem, & præſtantiorem duceret, oſtendit *Wilhelmus de Roſis*, potentiſſimus ſuperiore ſæculo Procerum noſtrorum, de quo multa in *primo Miſcellaneorum libro* commemoravimus: jam quiddam de eo ſingulare prorſus, & plenum humaniſſimæ urbanitatis, & liberaliſſimæ humanitatis referemus. Fortè accidit, ut *Crumlovium*, velut ad *fratrem armorum*, imò, ùt ad *Patruelem*, & ab eadem ſtirpe *Roſarum* deſcendentem *Wilhelmum*, ab Italia *Urſini Dynaſtæ* ſummæ claritudinis, invitati advenirent (id factum *Wenceslaus Brzezan*, qui *vitam Wilhelmi* deſcripſit, annotat An. 1566. 12. die Menſis Decembris) accepti admirabiliter, & apparatu Regio ut hoſpites, & Amici, per Civitates, & oppida, per arces, & pagos circumducuntur, omnes honores, & omnia voluptatum genera (quantum ſinebat hiems) ad recreandos tam gratos hoſpites adhibentur; ſpectabant, & probabant omnia, præcipuè domi apud *Wilhelmum, aurea pocula, orbes, patinas, argentum, gemmas*, ac cæteram cultiſſimam, ac ditiſſimam ſupellectilem, commendabant; *theſaurum & ſignatæ pecuniæ* vim maximam, quam *Wilhelmum* habere audierant (& habebat *Wilhelmus Dynaſta* præpotens, qui, ut alia taceantur, *Reichſteinenſes in Sileſia aurifodinas* tenebat id temporis, aurúmque, & argentum ſuo nomine ſignabat) hunc igitur *theſaurum* inſpicere ſe velle, *Wilhelmo* ſignificant; benigniſſimè reſpondet, pollicetúrque *Wilhelmus*, intra octiduum copiam ſe facturum ejus pecuniæ omnis, quam haberet, viſendæ; ſimul omnium ſuarum ditionum *Prafectos* advocari ad ſe, velut ſi maxima res ageretur, jubet; docet, quid ab ijs ſimulari, quid dici ad ſubditos, & per Civitates, & oppida, per pagos, & omnem ditionem ſpargi, & fieri velit; dicerent: *veniſſe ab Italia Urſinos Principes, qui ſuum Jus, velut ex eodem ſangvine creti, apud Regem, & Cæſarem Maximilianum probâſſent, itaque damnatum ſe eſſe, bonis cedere debere, niſi ijs intra octiduum tantum, quantum ipſæ ditiones valeant, pecuniæ numeretur;*

Stratagema Wilhelmi de Roſis.

tur; jam in ſubditorum eſſe arbitrio, an Wilhelmum veterem Dominum, an hos advenas Italos pro Dominis habere velint; proinde, ſi Veterem retinere vellent, Domini ærarium exhauſtum de ſuo intra proximum hoc octiduum adjuvare, & ſuſtinere conarentur; ſingulorum nomina, & quantum quisque attuliſſet, abs ſe notatum iri. Amabatur *Wilhelmus* à ſubditis, velut *Pater;* conclamatur ab omnibus, & pro ſe quisque, non deſerturos Dominum jurant, intra paucos dies allaturos ſe pecuniam, ſimul itâ animati diſcedunt. Ab eo die *Præfecti* vix notandis, & numerandis pecunijs ſufficere poterant; erant tum alia, quàm nunc videmus tempora: alius *quingentas,* alius *mille ſexagenas,* ille *ſaccum grandem Imperialium,* alius minorem, ſed aureis refertum *Numiſmatis,* afferebant; erant, qui per *modios, bimodios, trimodios* annumerarent argentum, denique nullus finis, ut jam *quaternæ Cameræ ſaccis pecuniarum* implerentur. Tú primùm, ubi omnia per ſuos ordinâſſet *Wilhelmus, Hoſpites Italos* inducit. Non poterant ſe capere viſâ tantâ, támque innumerabili pecuniâ, tot cumulis altè ſurgentibus, tot ſaccis, auro, argento (nam æs omne, & minor moneta aberat) lucentibus ad plenum, ídque non in uno aliquo, ſed in *conclavibus quaternis* capaciſſimis *Arcis Crumlovienſis.* Hoc ſpectaculo attonitos hoſpites ad turrim quandam rurſus adducit *Wilhelmus,* ac tum primùm ſuam, ſive à Patre, & Majoribus relictam, ſive è *Crumlovienſibus, Nalzovienſibus* (quas tum colebat maximè argento divites) ſive è *Reichſteinenſibus,* aliisque fodinis effoſſam oſtendit. Erant inter alia *ſex hydriæ,* ſeu *canthari aurei,* & *aureis numiſmatis* pleni, ſed itâ foris artificio conformati, & coloribus tam vivaciter depicti, ut non *hydriæ,* ſed totidem *Pavones* viderentur: pedibus duobus inſiſtebant, ſyrma aureum caudæ explicatū formoſiſſimè radiabat; criſtæ aureæ pictæ, ùt dixi, caput ornabant; quà collum reliquo corpori committebatur, *Pavones* aperiebantur, illúdque erat operculum, ut cùm placeret, effuſo, quod pectore gerebant, auro, inferrentur menſis, & vino impleti propinarentur; unde vetus apud *Trebonenſes* remanſit proverbium: *tum fortunata Bohemiæ fluxiſſe tempora, cùm ex pavonibus potaretur.* Nôvi *Trebonæ* Civem maximo natu, qui ante annos vicenos quinos hos mihi *Pavones,* ùt jam retuli, deſcripſit; unum enim *Pavonem* ejusmodi ſe Puerum in convivio *Petri Wok* (ad quem, utpote ad fratrem, *Wilhelmi* hæreditas pervenerat) vidiſſe circumferri. Sed ad narrationem redeamus: *Wilhelmus* cùm poſt ſpectaculum conſediſſent: *Vidiſtis,* inquit, *Hoſpites, & Patrueles chariſſimi, quem videre cupiebatis Theſaurum; Turre quem vidiſtis, hic mihi ſoli proprius eſt; at illa conclavia ſunt mihi cum ſubditis meis communia* (ſimul totum negotium, & quid ſimulârit, aperuit) *Si auri mille myriadas haberem, tamen non me tam fortunatum, & divitem ex auro, quàm ex amore ſubditorum putarem! videte, quantum me diligant mei! quàm mecum liberaliter, & amanter ſua omnia, quæ alijs vitâ, & ſangvine cariora ſunt, communicent! Theſaurus itaque meus eſt, non pecunia, ſed amor, fides & ſynceritas ſubditorum!* Laudârunt, ùt erant ex humaniſſima gente Italica, & ipſi laudatiſſimi *Principes Urſini,* & hoc amoris in Dominos exemplum, & miraculum prædicaturos in *Italia ſua* promiſerunt: vidiſſe aliquid in *Bohemia,* (quam ignari *terram barbaram* eſſe dicerent) quod *Itali,* & cæteræ nationes omnes diſcere, & imitari deberent. At *Wilhelmus* explorato jam ſatis ſuorum in ſe ſubditorum amore edixit diem, quâ omnes, qui pecuniam ad *Arcem* attuliſſent, cum conjugibus advenirent; venientibus ampliſſimas ipſemet ex altiore loco egit gratias, promiſit amorem, & clementiam

Amor Subditorum in Wilhelmū de Roſis.

Pavones aurei.

Dominus & ſubditi charitate certantes.

Digitized by Google

tiam, pecuniam omnem, ùt erat pagatim, & oppidatim ordinatè à Præfectis diſtributa in claſſes, reſtituit, totóque illo die duplici carne, & pane, & Cereviſiâ, quantam vellent, lautè habitos, domum dimiſit, neque ceſſavit deinceps bonis benefacere, ſed huic pago hanc *ſilvæ* ſuæ *partem*, illis *pratum*, alijs *agri* aliquem modum, tum *Immunitates* quasdam, omnibus in eum annum *mediam partem fundalium*, ſeu quæ ex fundo dari Domino ſolent, *pecuniarum* remiſit. Audivi à ſenibus, qui à ſuis Majoribus acceperant, initum eſſe numerum ultroneæ illius & à ſubditis collatæ pecuniæ, & plura quàm decies centena millia florenorum eſſe reperta. Utinam aut hodiè tam ſe commodos, & charos Domini præſtarent ſubditis, aut iſti tam multùm vellent, aut potiùs poſſent pro Dominis! hoc voto narrationem hanc ſatis memorabilem concludo.

§. II.

De Theſauro Opatovicenſis Cœnobij.

Carolus IV adit Opatovicium.

POtentiſſimum omnium per Bohemiam Cœnobium, & prævalidum opibus fuit *Opatovicenſe* familiæ *S. Benedicti* circa An. C. 1091. à *Wratislao* jam Bohemiæ Rege ampliſſimè fundatum. In hoc Cœnobio nemo niſì illuſtri ſtirpe genitus admittebatur; unde, cùm more eorum temporum, qui religioſam vitam ſequi vellent, ſua patrimonia Cœnobijs inferrent, tot incrementis, & propè annuo affluxu, ditata *Cœnobia*, atque hoc præcipuè ex prima dotatione jam antè opulentiſſimum, acceſſione ditiſſimæ nobilitatis, ad immenſas opes paulatim tempore procedente pervenit. Non omnibus æquè nota ſunt, quæ de *Opatovicenſis Cœnobij* divitijs ex fide majorum, & omnis Antiquitatis conſenſu Bohemicè ſcripſit *Wenceslaus Hagecius*: An: 1359. *Cæſar* Carolus tricenis circiter aulicis aſſumtis *Pragâ* Eques exijt, quaſi ſpatiaturus, ùt præferebat, ſed uſquè *Reginohradecium* pervênit, â Civibus ſummo honore exceptus. Mane primo *Cæſar* fidiſſimos Cubicularios duos ſequi ſe juſſit, cæteros in *Urbe* manere, rectâque *Opatovicium*, quod *Cœnobium* id temporis omnium aliorum princeps habebatur, contendit, vetuítque, nè ſe *Regem*, aut *Cæſarem* comites appellarent; ubi ad *Cœnobium*, quod ab Urbe uno, & dimidio milliari diſtat, ventum eſt, *Carolus*, Abbate, & fratribus reverenter ſalutatis, quòd Vir honoratus videretur, viciſſim comiter acceptus; cùm prandij tempus inſtaret, ab ijsdem ad menſam ducitur, & penes *Abbatem* collocatur, qui, ùt erat, civilis & humanus, ipſemet præſcindere, & lanci cibos apponere, & blandè appellare hoſpitem cœpit. Menſis ſublatis, *Abbas* ſolum hoſpitem nactus, *Domine*, inquit, *hoſpes, licétne tuum ex te nomen audire? libenter* (reſpondet *Carolus*) *faciam, modò, ùt priùs, mecum ad Eccleſiam te conferas, & duos Cœnobij Patres, quos habes fidiſſimos, adducas;* fecit *Abbas*, ſtatimque hoſpitem ad *Eccleſiam* manu deduxit; ubi paulùm oráſſent, ſurgit hoſpes, & *Venerande Pater*, ait, *meum nomen, quod ſcire cupiebatis, eſt Carolus Imperator Romanorum, Rex Bohemiæ veſtræ;* tum Abbas: *Glorioſiſſime Imperator, & Domine, an ego Tuam Majeſtatem nunquam vidi, nunquam adij? ſed quòd nullo comitante venires, id, fateor, dubitavi; DEI voluntate actum eſt, ut Te non agnoſcerem.* Rurſus Imperator: *Aulicos Reginohradecij reliqui, ut eò liberiùs hæc, quæ arcana eſſe volo, à vobis reſcire poſſim.* Tum verſus ad Abbatem: *hicine*, inquit, *ſunt ſenes fidiſſimi, & omnium*

Hagecius in Ann. Boh. An. 1359.

Petit videre Theſaurum.

Cæ-

Cœnobij ſecretorum conſcij? rectè ait Abbas, *hi ſunt.* Tum *Carolus*: *jam igitur in hoc Sancto loco cauſſam adventûs mei accipite: Pervênit ad aures meas, idque paſſim jactatur, vos in hoc Cœnobio ex divina benedictione ingentem auri, & argenti vim obtinere; ſi res ità ſe habet, exiſtimo vos tam inurbanos & ingratos non fore, ut Regi, Domino & Patrono Cœnobij negare velitis; ego Cæſareâ fide polliceor, me de Theſauro hoc veſtro, neque, per me, neque per meos, ullo, qui excogitari poſſit, modo, aliquid ablaturum; id ſolum poſtulo, ut liceat inſpicere.* Percelli ad hęc Cęſaris verba ſunt viſi *Patres*, tum *Abbas*: *Glorioſiſſime Cæſar, oramus Majeſtatem Tuam, uti nobis liceat paulùm digredi, & ad brevem moram ſolis colloqui.* Cùm *Cæſar* indulſiſſet, paulùm abſceſſerunt; dein poſt longiorem diſputationem ad Cęſarem reverſus *Abbas*: *Domine Clementiſſime*, infit, *quod de Theſauro quærebas, ſcito in hoc Cœnobio noſtro nunc Religioſos viros quinquaginta quinque cenſeri, nullum tamen ex his omnibus de hoc Theſauro quidquam ſcire: fatendum eſt, aliquid ejuſmodi eſſe apud nos; at me, & his duobus ſenibus exceptis, omnes latet; quòd ſi me, vel alterum ex his Patribus mori contingat, alteri, quem duo cæteri judicârint, arcanum Theſauri committitur, ut neque plures, neque pauciores tribus (Abbas videlicet, & duo Seniores) ſciant, quod occultum eſſe volumus. Adde quòd plurimis Excommunicationibus, & cenſuris obſtricti ſimus ad ſilentium, útque nè verbo, nè ſigno ullo cuipiam theſauri, & loci ubi conditus eſt, indicium faciamus; ad extremum ipſe locus tam impeditus eſt, ut Majeſtatem Tuam ingredi non ſatìs decere videatur.* Cæſar ſubridens: *Ergo me quartum in hujus arcani ſocietatem aſſumite, ego me ijsdem juramentis, & Excommunicationibus, quibus vos obſtrictos dicitis, obſtringam;* poſtulato ſeceſſu, redeunt, & *Clementiſſime Cæſar*, inquiunt, *nec iſtud, quod petis, ex toto tibi dare poſſumus, neque tamen etiam ex toto negare; igitur ſic dividemus negotium: aut locum tibi indicabimus ſinè Theſauro, aut Theſaurum oſtendemus, loco tamen non indicato; Carolus* ſtatim Theſaurum ſe velle inſpicere, locum non curare, reſpondet; illi contrà: *Si*, inquiunt, *tantùm lubet inſpicere, tegendus erit vultus, ut locus neſciatur.* Annuit *Cæſar*, atque illi *Cæſarem* inter manus in vaſtum quoddam *Cellarium* lâterculis ſtratum deducunt, tum duas faces cereas grandes accendunt, ac ſimul *Cæſaris* volentis, & ſibi id placere ſignificantis vultum inverſo Capitio contegunt. Advertit poſtea *Cæſar* in eo cellario laterculos aliquot dimoveri, & foramen aperiri in ſolo, per quod ſat profundè ſcalis deſcendunt, *Cæſare* ſequente, ſed velato. Cùm verò jam è ſcalis terram attigiſſent, ſemel atque iterum *Cæſarem*, (ut memoriam ejus confunderent) verſârunt in latera, mox per ſubterraneum quendam Cuniculum duorum jugerum (quantum videbatur) longitudine, ducunt, & detracto Capitio ingentem *Cavernam* demonſtrant plenam argenti fuſi, nondum ſignati glebis, & fragmentis; deducto non procul inde *Cæſari aliam cavernam* limo effoſſam oſtendunt, & in ea plurima, & maxima auri fragmenta, quaſi ſinè modo, & pondere temerè jacentia. Rurſus in *tertiam cavernam* deducitur, in qua conditas erat videre cruces diverſæ formæ aureas, & argenteas, Pacificalia, ùt in Templis vocant, diſtincta gemmis clariſſimis, tum alia pretioſa monilia varij generis. Tum *Abbas* ad *Cæſarem*: *Theſauri iſti* Cæſar, *tui ſunt, tuisq; poſteris ſervantur; igitur quantum voles, ex his accipe: Cæſar* contrà, *avertat*, inquit, *DEUS, ut quidquam ex bonis Eccleſiarum uſurpem! Abbas: Atqui minimè decet, ut hinc excedas, & nihil memoriæ cauſſâ auferas tecum* & cum dicto formoſiſſimum quendam *annulum*, in quo lucidiſſimus adamas ſedebat, *Cæſare* dignum munus,

Certis conditionibus Imperator admittitur.

Theſauri locus.

Aureæ, argenteæque divitiæ.

Digitized by Google

Anulum unum ex omni gaza accipit Cæſar oblatum.

nus, in *Caroli manum* inſerit, eóque gratias agente, vertuntur ad reditum, & *Cæſari* capitium rurſus imponitur; relecto toto itinere, & ex primo illo cellario *Cæſar* egreſſus, ante aram majorem DEO & Beatiſſimæ Matri flexis genibus ſe commendat, deinde ſurgens: *Venerandi Patres*, inquit, *ago huic humanitati, & facilitati veſtræ de oſtenſo Theſauro veſtro gratias; illud unum quæro ex vobis: licebitne Amicis meis de tam nobili Theſauro, qui in hoc meo Regno inveniatur, aliquid unquam innuere? licèt revera locum ignorem, neque de eo ſciſcitari, neque iterum unquam illum videre deſiderem, abſit verò, ut eum concupiſcam.* At illi unâ, eâdemque ſententiâ reſponderunt: *Tua Majeſtas, utpote Dominus, agat quod lubet;* extremùm valedicens, *hunc* ait *Cæſar, annulum à vobis datum, tanti facio, ut neque vivus, neque mortuus eo carere velim, mecum inferetur in Tumulum.* hodiéque in *Caroli* digito *Annulus* ille ſpectatur. Conſcenſo igitur Equo *Reginobradecium* redijt, ſed primores Aulæ ſolicitè *Cubicularios* rogabant, ubi *Cæſar* fuiſſet? illi *Opatovicium* nominârunt, ibi in *Cœnobio* pranſum & poſtea cum *Abbate*, & duobus ſenibus *Eccleſiam* ingreſſum diu more ſuo orâſſe. Sed *Cæſar* ante mortem Conſiliarijs quibusdam ſuis, quibus omnium rerum fidem habebat, *Opatovicenſis Cœnobij* ſubterraneas divitias & quæ antè diximus, commemoravit, addens, locum ſe neſcire, & neſcire velle, ſimul *Anulum & adamantem* ſibi ab *Abbate*, & fratribus donatum, monſtrabat; quæ *Cæſaris Caroli* cauta narratio nihilominus poſt Annos quinquaginta ſex evulgata eſt, & in exitium *Cœnobij* vertit. Hæc *Hagecius*. *Ita Hagec.*

§. III.

De eodem Theſauro, ob quem Abbas Cœnobij necatus, & Cœnobium expilatum eſt. De Albi flumine hodie per Cœnobium illud fluente; tum alia quædam huc ſpectantia.

PEr hoc indicium, ùt modò dicebam, patefactâ re, cùm jam ob *Joannem Huſſum Carolo IV.* pridem mortuo tumultuari cœpiſſet *Bohemia* An. 1415. *Joannes* Mieſtecky *Hermannomieſtecij Dominus Vir nobilis & Catholicus,* ſed idem prædo inſignis, & ad facinus omne paratus, cùm quacunque poſſet viâ *Theſauro* illo potiri ſtatuiſſet, ſcelere toto ordinato *Opatovicium* cum duobus comitibus ſtatuto die advênit; *Abbas Petrus Lazur* Vir opinione ejus ætatis hominum Sanctus, humaniſſimè *Mieſtecium* accipit, & tractat; poſt breve intervallum adſunt alij tres *Mieſtecij* Satellites, rurſus decem, tandem viginti, quorum poſtremi armatâ manu in *Cœnobium* irruentes obvios quosque convulnerant, & trucidant, dilapsisque Monachis *Abbatem* omnibus humanæ vitæ tormentis excarnificant, illo inter tormenta aliud nihil, quàm hæc verba iterante: *Chriſtus pro me peccatore majora pertulit ſupplicia, quàm ego pro meo Monaſterio perpetiar.* Ubi *Latro* nihil exprimi de Theſauro poſſe vidit, ad obvia quæque diripienda converſus, octo millia aureorum, præſentis pecuniæ rapit, Templum cimelijs, quæ ſummam viginti millium aureorum conficere credebantur, ſacrilegè ſpoliat; ad eum tamen Theſaurum, quem *Carolus Imperator* ſpectatum à ſe dixerat, atque ùt *Pontanus* affirmat, quadragies centenis aureorum millibus æſtimabat, nullo unquam indicio potuit pervenire; *Abbas* his excruciatus tormentis, nonâ hebdomade poſt expiravit; *Mieſtecius* ex ſpolijs Eccleſię ſexdecim dies convivatus cum Nobilibus Viris, ac fœminis, reliquam exin-

Mieſtecius latro nobiliſſimus.

Petrus Lazur Abbas

Pont. in Joh. Pia Lib. 1 Hagek in Annal. Boh. ad A. 1415.

Digitized by Google

exinde pecuniam emendæ *Arci Opoczenſi* impendit, nullâ poſthac felicitate; nam & *Catholicis*, & *hereticis* exoſus, & contemtus vitam finivit; iſque primus fuit, qui *Cœnobia* invadendi, & ſpoliandi initium, & exemplum inſanis *Taboritis*, & furibundis *Orebitis* oſtendit.

Hodierna loci facies.

Jam quæ hodierna ſit *Opatovicij* rerum facies, & quis hominum viventium ſenſus, dicamus: Primùm, latêre adhuc *Theſaurum*, neque exceptum, aut ablatum eſſe plerique conſentiunt; ſucceſsêre enim huic *Joannis Mieſtecij* latrocinio *Huſſitica* tempora, ſemélq; pulſi Religioſi homines (maximè *Abbate* necato, ac cæteris omnibus diſſipatis, licèt ſæpe redire conati ſint, præſidióque militari adſcito, *Cœnobium* defenderint, ùt alio in loco narrabimus) nunquam ampliùs poſtea ſtationem ſatis firmam, & fidam *Opatovicij* habuerunt. Acceſſi ego ipſe locum non ſemel, ut certi aliquid cognoſcerem, pagi Incolas conſului, & quidquid ibi hominum fuit, interrogando fatigavi; ajebant grandem *Tiliam*, quæ ibi viſitur, in loco *ſummi Altaris* creviſſe, luminibus nocturnis frequentiſſime locum illuſtrari, effodi aliquando à pecudibus *membranas Sanctorum* nominibus inſcriptas, eo prorſus modo, quo *Sanctorum Reliquię* & lipſana in Eccleſijs notantur; deſcendere per Cœnobium, ubi olim ſteterat, *Albim*, idque eluvione ante multa tempora accidiſſe; *Molam* oſtendebant eo loco, ubi quædam *Cœnobij* pars ſtetiſſet; in *Albis* alveo rudera *Cœnobij* hodiéque apparere. Vêni ipſemet in rem præſentem, vera eſſe, quæ de *fluminis Alveo* dicebantur, inveni; *Molam* deinde, & *Molitorem* acceſſi; duo quęſivi; primùm: utrùmne *Albis* alio poſſet averti? deinde, ſi quid de *Cœnobio* à ſenibus accepiſſet, exponeret. Reſpondit; modico in primis ſumtu *Albim* averti poſſe, atq; iterum inferiùs in alveum ſuum reponi, ſed *molam* ſibi perituram, digito etiam indicabat locum, & alveum, ubi olim *Albis* præter *Cœnobium* fluxiſſet; de nocturnis ignibus, & faculis multa; hoc quod ſequitur mirabile, audiſſe ſe à *Majoribus* narravit: ante annos, inquiebat, octoginta, & ampliùs (triginta propè anni ſunt, quòd eum narrantem audiverim) ſubitò mediâ die *rotæ* omnes in *mola* noſtra quietæ conſtiterunt; Socij mirantes, rem ad *molitorem* deferunt; accurritur; vident omnes in alveo ante *molam* hanc noſtram *Albim* perire, & in medio alveo aquam omnem amitti, & nihil aquæ rotis noſtris movendis affluere; mediâ propè horâ in quendam hiatum in Alveo deſcendebat flumen, ac poſtea rurſus cavo illo aquis impleto, veterem curſum repetijt, rotáſque verſavit: quæſivi, quid illud fuiſſe putaret? Reſpondit: videri ſibi *Cellarium* aliquod antiquitate ſubtus corruiſſe, inventáque per alveum viâ, flumen tam diu ſeſe in *Cellarium* illud infudiſſe, donec impleretur, quo facto, rurſus quem ſolebat curſum, *Albis* tenuerit. Viſa mihi eſt probabilis ſatis *Molitoris* conjectura, & ratiocinatio, cujus in ipſa re fundamentum appareret. Hoc etiam, quod antè nunquam audieram, Incolæ & Senes narrabant: veniſſe olim poſt victoriam de Hæreticis in *Albo monte* partam, ab Italia *Venetijs* Urinatores (à *Ferdinando II.* Cæſare miſſos; quod mihi veriſimile non videtur, privato alicujus conſilio rem geſtam eſſe ſuſpicor) qui cùm ſe in *Albim* immerſiſſent, ut aliquem ad *Cellaria* aditum invenirent, re infectâ emerſerint; duos ex ijs, quòd fortaſſis inter rudera aberrârint, nuſquam apparuiſſe. Timeo, nè hæc ultima narratio fabuloſum aliquid contineat: rem interim totam in medio relinquo.

Albis per Cœnobij locum fluxit.

Narrationes de Cœnobij loco.

✻) ✝ (✻

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Theſauro in Arce quadam Bohemiæ mira narratio.

Occaſio notitiæ de theſauro.

ANno 1642. *ſtudijs Philoſophicis abſolutis, Vacationum Autumnalium tempore* R. Patri Roderico de Arriaga S. J. *ſocium me addidêre* Majores *noſtri; multas tum arces, multa loca, multos Amicorum convenimus; certatim enim bonum illum ſenem optabant, & expetebant ſibi, qui* Societatem noſtram *amabant (quorum tum gratiſſimorum hominum ingens erat numerus) ejúsque latiſſimus, & urbaniſſimis ſermonibus cùm perfectè* Bohemicam *calleret, mirum in modum oblectari ſe fatebantur. Venimus* Comitis *cujuſdam (nam conſultò & nomen, & locum, ubi geſta res eſt, tacebo)* Comitis *igitur amiciſſimi invitatu ad vetuſtiſſimam Arcem advecti ſumus, lautè, & amanter habiti per aliquot continuos dies; quodam veſpere cœnâ finitâ,* vertebram *quandam* eburneam *punctulis alearum ſignatam profert* Dominus, *& me provocat ad luſum; ludimus; ſuperat me ſignorum numero Dominus ſemel, iterum, tertiò. mirabar, cùm trochum illum* Fortuna *verſaret, & nulli arti, ſed caſui adſcribenda ſint omnia, me ſemper vinci! vincor iterum quartò, quintò, ſextò, ſeptimo, octavo, denique quidquid agerem, nè ſemel falicem jactum, qui victoriam adferret, facere potui. Eâ re ſatìs compertâ, indignans conſurgo, &* Spiritum *aliquem adeſſe, qui adverſetur, exclamo; tum* Comes: *quis igitur tibi* Magiſter *de ſpiritu fecit indicium? (putabat famulos mihi narrâſſe) ego audiſſe me quidquam nego, ſed quid eſſet, ſcire velle: hîc, inquit,* Comes, *ubi nunc aſſidemus,* Theſaurus *grandis infra nos deliteſcit, quem* malus Genius *ſervat. Acuit hoc dictum cupiditatem meam, multiſque precibus, quod optabam, elicui. Tum* Comes *exorſus: poſt Patruum meum, inquit, qui hanc à Caſare* Ferdinando II. *ditionem acceperat,*

D.

G. V.

poſſeſſionem adeunti mihi & Juveni, & rerum inexperto, & immodicè curioſo, inſuſurratur ab Incolis: in hac arce mea ingentes latêre divitias, id ſenes ſcire, id ab omni antiquitate traditum eſſe; hoc conclave nominabant, in quo defoſſus Theſaurus *conderetur. Contemſi primùm; at ubi ipſe etiam* Arcis Præfectus *author acceſſit, & modum, quo obtineri poſſet, oſtendit; ſtimulante habendi cupiditate, & juvenili curioſitate, aſſentior, & nihil me magìs velle ſignifico. Mittunt confeſtim illi in vicinam* Miſniam *nuncium, &* Magum *his artibus clarum advocant, promittunt etiam, me conſcio, tertiam* Theſauri, *ſi potiri contigerit, partem;* Magus *nominat certum, quo venturus ſit, diem, denique expectatus adeſt, & à me benignè accipitur; promiſſionem tertiæ partis itero, ad locum, & conclave hoc ipſum, in quo ſumus, deduco; juſſit omnes faceſſere, revocato mihi confirmat latêre hoc loco aureæ pecuniæ ſummam grandem aliquot millium aureorum, & eam in ferrea arca concludi, ſed magnum habere, & potentem* Spiritum *defenſorem: ſi, inquit, potentior erit meo, actum agemus; ſi meus potentior, rem confectam habemus. Sed,* quid tentare nocebit? *perendie rem aggrediar; Tibi* Comes *hoc negotium do: nullam tu mulierem, quacunque illa ſit, ſeu juvenis, ſeu ſenex, ſeu libera, ſeu conjugata, eo veſpere in Arce manere ſiveris, omnes excedant, paucos tecum ſervos retine. Feci, quod imperabat, & duos à pedibus ſervos (qui hîc adſunt uterque) retineo, cæteros, & cæteras omnes ad choreas, & hauſtus ad popinam dimitto. Advenit perendinus veſper; faces duas nigras imperat* Magus *accendi, bono animo eſſe jubet, nihil timere; ſuo periculo omnia hæc fieri, vetat verbum ullum proloqui, ſi ſalvi eſſe velimus; ingredimur conclave,* Mago *præeunte;*

Magus ad Theſaurũ quærendũ advocatur.

Conditiones à Mago propoſitæ.

Digitized by Google

eunte; ſequuntur famuli duo, quos benè & ſecurè armatos adeſſe juſſeram; magus digito ori appreſſo, angulum mihi, & famulis, quem occupare ſilentio deberemus, oſtendit; ipſemet veſtes ſuas omnes exuit, nè induſio quidem relicto, nudus totus; res quatuor ſecum attulerat: librum membranaceum ſcriptum, ligonem, palam & enſem; his rebus prolatis, Librum arripit, carmen ignotum & horrificis ſpirituum nominibus plenum tonat potiùs quàm legit, tremere omnia, & concuti videbantur ab imo; abſoluto carmine Palam ſumit in manus, fodere incipit magnâ celeritate, & conatu inprimis, deinde tam facile videbatur negotium, & ibat ſub manum, ut non terram, ſed molliſſimam, & paulò antè ſubactam calcem effodere videretur; jam unius ferè orgyiæ foſſam effecerat, en tibi ferrea Arca ferreis clavis permunita, incipit apparere; in quovis arcæ cornu ſat grandis circulus pendebat, arca ipſa facilè quatuor ulnas longa, unam ulnam lata videbatur; abjectâ palâ, ligonem propere rapit artifex, eúmque in unum annulum, quem modò dixi, inſerit, & ciſtam tentat foras in lucem protrahere; protrahebatur ſæpe, ſed iterum recidebat, ſemel jam totam protractam vidimus, ſed occultâ vi prorſus detracta, vix jam poterat videri; in hoc trahendi, & retrahendi certamine, non parvâ morâ conſumtâ, magus noſter quodammodo in rabiem actus horripilans (horreſco, quoties memini) ſtantibus in capite crinibus, toto vultu malum dæmonem ſpirans, oculis ſcintillantibus, cum quadam digitorum omnium aduncitate Enſem lucidum (quem humi antea depoſuerat) vaginâ educit, ac ſimul ſiniſtrâ librum, ponè jacentem corripit, & carmina horrificè demurmurans circa foſſam in orbem cum graviſſimo anhelitu decurrit; manu, ùt dixi, ſiniſtrâ librum tenebat, dextrâ nudum enſem in omnes partes, maximè præ ſeſe vibrans, quaſi aliquem fugientem ſequeretur, aut viam ſibi enſe facere vellet. Terrificum erat ſpectaculum! Hic ego interlocutus: Illuſtriſſime Comes, inquam, quid tibi tunc erat animi? in tanto metu, cùm neſcires, quorſum res eſſet evaſura? Reſpondit Comes: millies meam curioſitatem damnabam, ſanctéque jurabam, nunquam me ampliùs artes iſtas ſtygias tam periculoſas tentaturum; ſed nihil tum metuebam magìs, quàm nè me cum famulis, & mago Cacodæmon in Tartara præcipitem deturbaret; neque periculo omni res caruit, ùt audietis: quippe, cùm maximè in gyrum magus per terram curreret, (ſeſe ſequitúrq;, fugitq; diceret Poëta) cœpit paulatim à terra levari, jámq; in aëre ferebatur orbem illum ſui curſûs proſequens, & gladio neſcio quē conſectans; mugire interea ſubtus ſolum, ecce occultâ vi magus in aëre ſiſtitur, & ter ac quater ſurſum, ac deorſum rotatus, mox humi affligitur in latus tanto impetu, ut animam illi exturbatam nihil dubitare poſſemus; ſimul eodem temporis articulo Arca ferrea, quam hactenus videbamus, deorſum ſtrepitu maximo edito quaſi in profundam aliquam voraginem aquâ plenam decideret, ex oculis amittitur; foſſa ipſa, quam magus effoderat, impletur, & ſolum totum æquatum, mago, qui ſtratus jacebat, nihil ſe commovente. Ego trepidus famulos urgeo; infæliciter abrupto labore conclavi eximus. adigo ante omnia ſervos ad ſecretum; mors ſcelerati hominis obturbabat conſilia; unâ cogitatione cruciabar maximè, nè ſi cades illa emanaret in publicum, Fiſcus Regius actionem intentaret, & mea omnia in amittendi periculum venirent; unâ ſententiâ ſtatuimus omnes, Magum mortuum foras extrahere, & clam omnes ſepelire. Ægre alter famulorum audacior induci potuit, ut regrederetur. Tandem meo imperio urgente Magum foras extraxit; tentamus, an vitæ aliqua daret indicia, reſpirâſſe ſentimus, unguentis recreamus; ſurrexit, dolorem tamen lateris præcipuè incuſans; cùm ſe iterum veſte induiſſet, vini pocillum poſtulavit; tum mihi periculum (quod ad-

Magici ritus.

Magus à dæmone repellitur.

Digitized by Google

adijſſet) amplificanti, non melior periculo, ſed tantò deterior, reſpondit: potentiorē huic Theſauro *alligatum eſſe* dæmonem, *quàm eum, quem ipſe in obſequio haberet. Suum igitur, quamvis acriter oppugnâſſet, cedere debuiſſe. At breve hoc illi Theſaurophylaci gaudium ſe facturum: fratrem ſibi eſſe germanum* in montibus Miſniæ, *qui altero tantò potentiorem Dæmonem adjutorem, & ſatellitem nactus eſſet, eum ſe adducturum ad me proximis menſibus, promittens fore ut illius, & ſuus, conjunctis viribus, ac ſtudijs incubatorem illum theſauri tertium deturbent. Ità viatico à me accepto, altero pòſt die,* magus *malè acceptus diſceſſit, at nunquam deinde redijt: certis enim nuntijs accepimus, tertio quàm à mè diſceſſerat menſe, laterum dolore, & inde contractis alijs morbis infælicem animam exhalâſſe. Hæc eſt tota narratio, quam à Viro* Illuſtriſſimo, *& fide digniſſimo, adſtantibus duobus illiùs famulis, & confirmantibus, & ſi quid* Dominus *omitteret, admonentibus, ipſo* Domino *denique juramenti fide omnia obſignante, accepi, locum, tempus, perſonas nominare poſſum, ſed certis de cauſis viſa ſunt ſuperſedenda.*

Magi adverſus Dæmonem minæ.

§. V.

Cauſſæ præcipuæ duæ, cur pretia rerum in Theſauros cavernarum condantur; recitabimus Nomina quarundam Arcium, in quibus latêre Theſauros à Majoribus eſt traditum.

Clemens V. in diplom: Univ. Carolinæ.

BOhemiam auro, & argento plenam priora ſæcula viderunt, *Regnum aureum Bohemiam* ipſi *Pontifices* dixêre; id innumerabiles auri, & argenti fodinæ, id veteres divitiæ, id victoriæ noſtrorum *Regum* de vicinis gentibus (nullam nominabo, ſed ex hiſtorijs poſſunt cognoſci) id devictarum gentium manubię, id belli præmia, & opera militiæ (ut alio loço dicam) exteris Regibus propè omnibus, atque Imperatoribus navatæ, relatáque inde domum ſtipendia, uţ quisque intelliget, pepererunt. Hęc *aureæ tempora* bellicæ calamitates, & bella Civilia exceperunt. Quid agendum erat ijs, qui pecuniarum acervos numerabant, cùm vix ullus munitus locus ſit, qui tutari noſtra adversùs vim, & ſi vis abſit, adversùs proditionem poſſit? ergo neceſſario conſilio infodiebantur pecuniæ, ídque potiſſimùm fiebat in *Arcibus*; ità enim *Theſaurus* & arcis munitione, & quanquam ea caperetur, quòd lateret, loci ignoratione defendebatur. Ob eam potiſſimùm cauſſam *Bohemis* veteribus, ùt narrat *Silvius*, erat in proverbio: *Pragæ nihil eſſe cloacis pecunioſius*: nam, cùm *Sigiſmundus Imperator Pragam Veterem, & Novam centum millium* armatorum exercitu cinxiſſet, atque Urbis occupatio timeretur (quanquam poſtea *Ziſcæ* præcipuè virtute *Imperator* repulſus eſt) *Cives* pretioſiſſima quæque ex argento, & auro, tum ipſam pecuniam in foricas, nè in poteſtatem hoſtium venirent, injecêre; quorum pleraque, utpote in lacunas inſtabiles, alia atque alia loca ſubeuntes, injecta, nunquam poſtea recuperari potuerunt. Sed neque ſolo hoſtium metu ad occultandas opes adducuntur mortales, etiamſi abſit amittendi periculum abſcondunt, fœdiſſimo avaritiæ morbo incitante; unde illud noſtrum in Epigrammatis *de Genio hominum Avarorum:*

Pericula, & maximè bella efficiunt, ut pecunia infodiatur.

Silvius in hiſt. Boh. & Commentario in dicta & facta Alfonſi M. apud Panorm.

Avaritia incitat ſæpe ad infodiendas opes.

Exam. Meliſſ. l. 1. Epigr. 50.

Effodiantur Opes clamabat Avarus, at idem
Poſtquam effodit Opes, infodiantur, ait.

Satìs de cauſſis tot latentium in *Bohemia Theſaurorum*; generatim illud dici poteſt; vix arcem ullam apud nos alicujus nominis inveniri, quę famam

The-

Digitized by Google

Arx Radim &c.

Theſauri non habeat; certiores tantùm, de quibus majores loquebantur, nominabo: *Arx Radim* ſuper Plſnam, quæ noctibus ardere ſolet, *Theſaurum* ingentem occultare dicitur: *Falckenavienſis Arx*, *Chauſtnik*, *Kumburg*, *Rabi*, *Ssvvihovv*, *Tocznik*, *Daupovv*, *ſeu Dupa*, *Litice*, *Zebrak*, *Carlſteina*, *Zvvikovv*, *Orlik* (& quis nominare omnes poſſit?) *Theſauris* fœtas eſſe tradidit nobis Antiquitas;

Carlſtein. Trebona. Weliſs.

Carlſteina, *Trebona & Weliſs* ætate noſtrâ (ſi quæ audivi, vera ſunt) *Theſauros* aliquos ſuos, quærentibus ediderunt; locos ipſos vacuos, unde jam excepti erant *Theſauri*, vidiſſe memini; ſed in duabus prioribus Arcibus latère adhuc plures, dubitare vix poſſum.

Lipnice.

Lipnice in *Czaslavienſi* regione arx eſt in edito monte, in qua *Theſauros ſuos Trczkiani Equites* ſplendidiſſimi, & opibus inclyti, certis in locis abditos habuiſſe narrantur. Vidi ipſe *Turrem*, in qua ſub invicto, & ampliſſimo fornice *Wilhelmum Trczkam* ſenem, alióſque ejus ſtirpis poſteros *aurum* per artem *Chimicam* feciſſe *Lipnicij* narrabant; cella, quam intravi, *labores chimicos* loquebatur, & caminos, & fornaculas anhelantes, ut ità dicam, ſtetiſſe, prodebat locus ipſe; *Trebonenſis Arx* quoque aliquot in locis *Cava* hujusmodi, & ut hodie vocant, *Laboratoria* ſemota ferè, & in angulis, & penetralibus Aulæ interiùs ſita abſcondit. De *Theſauro à Petro Wok* reperto, cùm de *Alba Dominæ* ſpectro agetur, dicemus.

Epit. hiſt. rer. Boh. l. 3. not. in C. 16.

Eccleſia Metropolitana S. Viti Pragenſis Theſauros pluſſimos Procerum occultatos habuiſſe in Antiquitate narratur, quos *Miniſtri Ottonis Brandeburgici* (qui velut tutor *Wenceslai II. Regis* gubernabat *Bohemiam*) abſtulère, ùt narrat vetus *manuſcriptus Codex* ejus ævi in *Bibliotheca Capituli Pragenſis*.

In Tumulo S. Joannis Nepomuceni Theſaurus.

Cùm *B. Joanni Nepomuceno* in Eccleſia ſua ijdem *Canonici Pragenſes* Tumulum effoderent (ubi etiamnum conditus jacet, & calamitate afflictis, & infamiam metuentibus potiſſimùm opitulatur ex Cœlo) inſperatæ pecuniæ grandes ſummas repererunt; Hoc fortitudini *Canonicorum* præmium rependit DEUS, quòd eum, quem *Rex* cruentus, & Tyrannus occiderat, ipſi tanto honore, & cultu, qui *Martyrem Chriſti* decebat, nullo Regis metu, ad Tumulum comitari ſtatuiſſent.

Theſaurus in Carolino

Suam quoque *Univerſitatem* abs ſe *Carolinam* appellatam, & præcipuè *Collegium magnum* reſpexiſſe viſus eſt Imperator *Carolus* è cœlo: nam pauculis ab ejus morte menſibus, cùm in *domo Lazari Judæi* (in qua, emtâ domo, Collegium ſuum *Carolus Imperator* collocârat) multa pro Magiſtrorum, & Profeſſorum commoditate An: 1379. *Wenceslaus Caroli Filius* inſtrui, & aptari juſſiſſet, bonâ fortunâ repertus eſt *Theſaurus* innumeræ quodammodo pecuniæ, quam omnem *Wenceslaus* in utilitates *Collegij Carolini*, ſeu *Magni* libenter expendit.

M. S. Budvicenſe ad Annū 1378.

§. VI.

Quæ potiſſimùm Civitates, & Arces Theſauros contineant, conjectura probabilis; enumerantur ejusmodi apud nos Civitates. De Theſauro Eccleſiæ Trebonenſis. Theſauri loco Carbones inventi.

Quæ potiſſimùm Civitates Theſauros habeant.

Sed non minùs, quàm Arces, *Civitates* etiam *Theſauris* condendis deſignatas ab antiquis fuiſſe, plurima nos docent exempla; eóque ampliùs, quo plures ſunt in Civitatibus, qui metu hoſtium percelluntur. Obſervare *Lectores* meos hoc loco velim: eas præcipuè Urbes, & arces, & loca *Theſauris* abundare, quæ ab hoſte ſæpius obſeſſæ, & captæ, vel in maximo ejus metu aliquando fuerunt. Quotus enim quisque eſt, qui hoſte

Urbem, & domum ſuam (quod timetur) ingreſſuro, palàm, & in propatulo expoſitas facultates ſuas eſſe ſinat? itaque locus occultus, & abditus quæritur, & non parva ſecuritatis, & libertatis pars eſt de *Theſauro* jam bene condito fiducia; vidimus hoc ipſi ante annos triginta, cùm *Praga à Svecis* obſidione cingi cœpiſſet, quàm multi ad nos, conſilij petendi gratiâ veniebant, ubi quid infoderent, reconderent, & ſubducerent oculis, & rapinis? habeo quos nominem, qui mihi dare ſe, & allaturos pecuniam, quam occultarem, pollicebantur, & meæ tum adhuc juvenis fidei ſuas opes parabant committere; ſed ego recepto *Majorum noſtrorum* inſtituto, omnes rejeci. Ergo ſi *hoſtem* occupare *Civitatem* contingat, & aliqua cædes Civium, aut captivitas, & ex captivitate mors, aut exilium conſequatur, aut etiam hoſtis longiore paulùm tempore Urbem teneat, tótque alijs timoribus imminentibus, *Cives*, quas condiderant opes, proferre non poſſint, aut etiam avaritiâ vetante ſtudioſè non velint, atque ità decedant; tum profectò neceſſe eſt accidere, ut *Theſaurus* fiat, *cujus nulla ampliùs exſtet memoria*, ùt Juris humani conſulti definiunt; ſed ego me hiſtoriam ſcribere, meminiſſe debeo, & *titulum*, quem præfixeram, tueri. *Pragæ* in urbe toties obſeſsâ, commiſſis in ipſa Urbe pluribus prælijs (qua de re ſuo loco) captâ non ſemel, nec parum ſæpe multis Civium trucidatis, *Theſauros* latere dubitari non poteſt; eadem, & longè acerbior fortuna *Pilſnam*, eadem *Cuttnam*, eadem *Teutobrodam*, *Prachaticium*, *Litomeritium*, *Nimburgum*, *Taborium*, *Wodnianum*, *Piſecam*, *novam & minorem Pragam*, *Bohemobrodam*, *Beraunam*, *Reginobradecium*, *Slanam*, *Novamboleslaviam*, *Clatoviam*, aliáſque plurimas per *Bohemiam* Civitates, & oppida, proſtravit, quæ, cùm direptioni hoſtium permiſſæ fuiſſent, coacti ſunt Cives, & antè, & dum prædatio

Civitatum occultæ divitiæ.

fieret, quæ poterant, oculis ſubducere, & *Theſauros* cavernarum reſpicere; unde *Theſauri* relicti, maximè quòd quædam earum *Civitatum* interneciones aliquando deletæ ſint, ùt *Cuttna*, *Teutobroda*, *Wodnianum*, *Berauna*, *Commotovia*, *Bilina*, *Nimburgum*, *Prachaticium*, & *Piſeca* non ſemel, *Tachovia*, aliæque. *Berauna* in Civitate non magna, ætate meâ, *Saxones Theſaurum Eccleſiæ*, de quo jam nemo viventium ſciebat, *Pacificalia*, *Cruces*, *Monſtrantias*, & *triginta ſeptem argenteos inauratos Calices*, ac cætera Eccleſiæ ornamenta, magicis artibus quæſita, invenère, & ſecum in *Saxoniam* abſtulère. Aliquando etiam *caſúſne*, *Deúſne!* obvias, & omnibus expoſitas divitias immunes omnis mali diu præſtat: eſt apud me indiculus laborum viri Apoſtolici *R. P. Adami Kravvarsky*, *S. J.* propriâ ejus manu conſcriptus; in eo narrat: ſe *Trebonam* poſt Annum 1624. Socium *R. P. Petro Wolfgango Silvano S. J.* datum ad Civitatulam illam in Religione Catholica informandam (quod fæliciter ceſſit) veniſſe. In eo labore verſantes quodam feſto die *Cœnobium Canonicorum Regularium* (quod nè unus quidem Religioſorum id temporis incolebat) comitante Senatu, & præcipuis Civibus intráſſe, quod eo fine fecerat, ut aliqua Catholicæ, & (quod idem eſt) antiquæ Pietatis in Eccleſia illa monimenta novis Catholicis oſtenderet, explicarétque; ubi id copiosè præſtitum erat, excedebant Templo. videt *P. Adamus* Templo propè contiguum conclave in *Cœnobio* prævalidâ ſerâ communitum, quærit ex *Senatoribus* ubi claves eſſent? negant inter claves ullam aperire hanc ſeram poſſe, neq; unquam incidiſſe, tu tentarent. Res *Patri* non contemnenda videbatur; fabrum advocari continuò jubet, ſeram ille excutit, aperitur janua; ecce tibi venuſtiſſima *Sacrary* ſpecies, totáque divitis, & opulentæ *Canonicorum* (quæ eadem *Parochia-*

Beraunenſis Eccleſiæ Theſaurus repertus.

M. S. Vitæ P. Adami Krawarsky.

Trebonenſis Eccleſiæ Theſaurus diu latuit.

Digitized by Google

chialis ab omni memoria fuit) *Eccleſiæ* ſupellex, & *Theſaurus* oculis objicitur! Sacerdotum ſacræ veſtes (quas *Caſulas*, vel *Planetas* dicimus) *Pluvialia*, pleraque Phrygio opere elaborata, panni aurei, ſericei, villoſi cum capitellis aureis, & gemmis multicoloribus, ſinè dubio ex *Roſenſium Matronarum* veſtibus nuptialibus (ùt tum fiebat) ipſarum manu pro Aris, & Sacerdotibus ad cultum, & honorem DEI majorem, in eam formam, quâ in Templis utimur, aptati; denique omnis ſacrorum apparatus, tum argentum: calices argentei inaurati, & gemmati, cruces, Thuribula, turriculæ *Ven: Eucharistiæ* ex argento, omnia gemmis, & auro lucentia, & expoſita, quaſi eo die ſacrificatum fuiſſet, aut majoris notæ, feſti, atque ſolennes dies agerentur. Poſt admirationem omnium conſumtam, nihil potius *Patri Adamo* viſum, quàm manu, quæ videbat, explorare, ſed breve gaudium apparuit! inter manus quidquid metallum non erat, peribat, momento difflabantur omnia, cadebant in terram aurum, & gemmæ, cætera vieta, & corrupta, aut in auras, & cinerem, aut in telas aranearum, ut ſic loquar, vertebantur; apparebat ab hæreticorum primis temporibus hæc ità duràſſe, & illo conclavis humore, & tempore conſumta, quæ conſumi potuerunt, perijſſe. Mirum illud: nemini unquam hæreticorum, maximè initio hujus ſęculi, dum *Petrus Wok* ex *Theodori Bezæ*, quem *Genevæ* audierat, Schola, *Calvinianos*, *& Pickarditicos* miniſtros circum ſe haberet, veniſſe in mentem, cùm Eccleſiam illam profanâſſent, eâque uterentur, vicinum conclave, ubi *Theſaurus Eccleſiæ* proſtabat, tentandi. Sed, ut narrationem finiam, *P. Adamus* quæ remanſerant, omnia numerata, & annotata *Senatui* tradidit, Sacerdotibus Catholicis, & Eccleſiæ illi uſui futura, ex quibus ſunt illa, quibus hodiéq; *Canonici S. Auguſtini* in ſacris utuntur.

Me quoq; *Theſauris* aliquando *Fortuna* adhibuit, ſed nunquam ſatis fœliciter: in arce *magni Comitis*, quem viventem & in ſummo culmine honorum ſtantem, mecū hodiéq; adorant multi, *virga nucea* data eſt in manum; *Cellarium* profundiſſimum ingredimur; ubi *Theſauros* eſſe conditos *Comitum Sslickiorum*, narrabant antiqui; vix ingreſſus eram, jam *corylus* mea ſummâ vi in certum locum flectitur; jubet *Dominus* famulos fodere; ad unius ulnæ altitudinem, *grandem ollam* effodiunt, orbe ligneo mundiſſimo contectam, plenam limpidiſſimæ aquæ ſinè omni gravi odore, quaſi ſi hodie infuſa fuiſſet; idem repertum in altero *Cellarÿ* angulo, idem in tertio, idem in quarto; cauſſas diſcutiant, & diſputent Eruditi; mihi narrare ſolùm propoſitum eſt. In aliam deinde *ſubterraneam cellam* inducor oppidò anguſtam, hîc rurſus ſalit *corylus* mea, mox quaſi caput dormiens ſubmitteret, in pedes meos inclinatur; ſinè cunctatione effodi locum imperat *Comes*; profundè, imò jam ſinè ſpe fodiunt, me tamen urgente, tandem ad *ferream ciſtam* fodiendo perveniunt; læti omnes extractam circumſpicimus, & ligonibus ac palis perfringimus; bene dictum à Veteribus Gręcis memini: *Theſaurus carbones!* Ciſta aperta nihil omnino aliud, quàm *Carbones* continebat; quid cum illis egerit *Dominus*, neſcio; ſed ego Carbonibus ſaccum implevi, diúque circumtuli, at nunquam (quod fore dicebatur) in pecuniam, vel metallum transformatos invêni.

Theſaurus virgâ colurnâ quæſitꝰ.

Theſaurus carbones. proverb:

Eraſmus in Adagÿs

Altomuta Urbecula Reginę dotalis, de *Theſauro* diu apud ſe ſervato gloriari poteſt, niſi cuipiam inanis & ridicula gloriatio videatur, habuiſſe, & amiſiſſe. Narrabo rem omnibus Altomutenſibus ſenibus notam, & à R. D. loci Decano ad nos perſcriptam: Cùm *Dorſtenſohn* Svedicę militię Dux ab Brunam obſidendam tenderet, Altomutę cum exercitu conquievit: trahebat

hebat

hebat ſecum nequiſſimorum hominum fæcem innumeram, complures magicis artibus claros (obſcuros dicam potiùs) qui ubicunque in pagis, oppidis, Urbibus conſtitiſſet Exercitus, prolatis artis ſuæ inſtrumentis & recitatis carminibus domatim Theſauros quærebant, plerumque fæliciter addicente Cacodæmone, & Theſauros, de quibus nemo, nè Incolæ quidem unquam ſomniârant, pandente; id quoque tum Altomutæ factum, & pecuniæ vis magna varijs in locis reperta. Eſt ibi Baſilica perelegans S. Laurentij (cujus Divi nullam magnificentiorem Eccleſiam in Bohemia vidi) ibi ſolicitatus Dæmon locum oſtendit; effoſsâ tellure vas juſtum apparuit, aureis nummis uſquè ad ſummum ab imo pleniſſimum: nefas viſum eſt omnibus tantas opes Duci celare; indicatur; mittit, qui ad ſe perferant: ergo alijs vas tulêre, alij ſtrictis militaliter Enſibus comitabantur, Civibus eam ſibi fortunam in poſterum eripi dolentibus; ubi ante Ducem effuſa pecunia eſt, admiratione ſtupefactus hæſit *Dorſtenſohnius*, tum adjecit (quam ejus vocem plurimi excepêre) *Si*, inquit, *in Urbe aliqua occupanda multa meorum millia cecidiſſent, vix tantum pecuniæ accepiſſem, quantum (videte!) hæc mihi una Urbecula hodie dedit!*

Scilicet verum eſt illud: *Sic vos non vobis* - - (de Civibus loquor) & cui tandem, obſecro ſervantur, quæ tanto ſilentio reconduntur?

§. VII.

Pluros narrationes de Theſauris optimâ fide adducuntur.

Theſaurus à P. noſtro repertus.

NArrationes de *Theſauris*, *de Spectris*, & quædam aliæ, nunquam habent finem, & curioſitate humani ingenij, & lubricitate ipſius argumenti, nunquam exhauriri poſſe videntur; ego, nè infinitus ſim, hoc paragrapho *Theſauros* concludam, & ea ſolùm, quæ mihi nota ſunt, commemorabo; cætera, quæ vel auditione, vel lectione librorum accepi, ſilentio transmittam: Novî familiariter Virum è *Societate noſtra* (P. M. R.) in Mathematicorum ſpatijs, & ſtudijs egregiè verſatum; is, cùm invitatu *Illuſtriſſimi Comitis* (G.) ad ejus quandam Arcem veniſſet, atque inter alia audiſſet à Domino: *ſibi eſſe à Majoribus ſuis ſcriptam Theſauri memoriam*, ſed locú ignorari, nihil ſibi ad ſummam diligentiam reliqvum fecit, totámque arcem, & ſingulas partes obeundo, & contemplando, denique ad rotundam quandam *Turriculam* in medio ædium abſconditam, quæ quodammodo amittebatur, pervenit; nullum ad eam aditum invenire poterat, deprehendit tandem in ſummo perfunctoriè paucis quibusdam trabeculis malè munitam aperiri; duobus fidiſſimis, quos *Dominus* nominavit, famulis comitatus, ad ipſum ſolum uſquè deſcendit, tum perpurgato loco, & leniter effoſsâ tellure apparuit, *Arca* videlicet cum aliquot millibus aureorum, quam extractam lætus attulit ad Dominum; hæc ipſo *Patre* narrante didicimus. Utinam ùt divitem theſaurum invênit, perinde divitem, & liberalem animum & magnificum pectus inveniſſet: nam *Dominus* præter aurea verba, mille gratias, pollicitationes infinitas, nè aureo obolo ditiorem ex arce illa *Patrem*, qui illum momentò ditaverat, dimiſit. Liberaliores profectò ipſorum, qui *Theſauros* ſervant, bonorum Geniorum ſunt manus. Narrabo, quod cum *Matre mea* accidit, vulgatum, & ab eo, qui pecuniam allatam domum vidit, mihi narratum, & religiosâ fide (vivit enim in Societate noſtra Vir Religioſus, & magnæ virtutis, qui Matri meæ tum

Regino hradecij Theſaurus oſtẽſus non datus.

Digitized by Google

tum erat in obſequijs) confirmatum, id quod etiam noſtris *Patribus* non ſemel *Mater*, dum viveret, *Matrona* probiſſima, commemoravit, quos iterum narrantes audivi non ſemel. Eſt Reginohradecij *Reginarum Bohemiæ dotalis Arx*, quæ manibus primùm hæreticorum An. 1423. dejecta, deinde paulò ante noſtra tempora fulminibus ſæpius verberata concidit in cumulos; traditum à majoribus Cives habent: *Cænobium Virginum* in ea arce ſtetiſſe, deinde plurimos *Reginarum Theſauros* ea in arce recondi. De *Cænobio* difficile adducor, ut credam, in tanto hiſtoricorum omnium ſilentio; ſed credibile eſt aliquas *Reginarum* (præcipuè *Richſam* Parthenonis Regij *Brunenſis* Fundatricem) ad pietatem augendam in Aula ſua ſacratas DEO Virgines habuiſſe; de *Theſauris* in ea Arce certum videtur, & quod jam referam, ſatis oſtendit. Fortè evenit, ut *Mater mea*, quæ ex divite fortuna in tenuem deciderat, ancillulam ad deſertam illam *Arcem* mitteret, certas herbas (quarum *Mater* erat ſtudioſiſſima, & diſtillandi, ùt vocant, peritiſſima) collecturam. Quærebat herbas ancilla, & carpebat, cùm Sol orietur; ecce tibi niveo habitu puellulam vultu modeſto, & decenti, ut nihil ſuprà, ad ſe venientem aſpicit, quæ his ipſis *bohemicè* verbis ſtupentem alloquitur: *Nónne tu es Domina Suſannæ* (ità *Matrem*, neque aliter tota Civitas appellabat) *ancilla?* Reſpondit ſe eſſe; *vêni*, inquit, mecum; ſequitur intrepidè ancilla, & per aliquas ruderum ambages ad cujusdam *Cellarij* fores adducitur; ſubinde *Puella* illa nivea *clavim* cingulo affixam in ſeram inſerit, ipſa ingreditur, jubet ſequi ancillam; hæc neſcio quo timore correpta, negat ſe ingreſſuram, fœmineâ tamen (ùt fit) curioſitate inſpicit; videt *Cellarium* illud acervis pecuniarum maximis diverſi generis, & cadis plurimis, & urnis metallorum, aliarúmque opum collucere, denique invitat ſæpius, recuſabat: tum puella candida ex proximo acervo ſinum veſtis implet, *Tene*, inquit, *& Dominæ tuæ defer, quæ ego mitto. Si ſtulta intrâſſes, & Domina, & tibi, quod ſatìs in omnem* [illegible]*itam foret, abſtuliſſes;* ſimul pecuniam effudit in ſinum; ancilla gratias agens, & jam obverſa, rurſus poſt tergum audit ex Cellario, *cùm Domina tua hæc conſumſerit, rurſus, mea tu, huc ad me redi! plura referes!* Redijt domum Ancilla, attulit *Matri* pecuniam, probatiſſima reperta eſt, inde æs alienum omne diſſolutum, reliqua in quotidianos, & domeſticos uſus converſa; ſæpe poſthæc ancilla ire jubebatur, ſed nullis unquam nec hortatibus, nec imperijs adigi ſtulta potuit, ut rediret. Jam, cùm de *Reginohradecio* dicere cœperim, plura dabo, eàque mihi notiſſima. *Sveci* eam Urbem An. 1639. occupârunt; inaudierunt poſtea *Theſauros* in Domibus Civium multos reperiri: ad id ſtudium converſi certatim omnes, ubicunq; ſuſpicari poterant, fodiebant, idque multis fæliciter ceſſit, præſertim, cùm *magicas*, ùt ſolent, artes adhiberent. In domo *Materna* indicio *globi magici* fodêre parietem, ubi nullum alioquin apparebat indicium, *cavum* intus lapide ingenti, contectum in pariete, ac cæmento, inductâ deſuper calce æquatum. Hoc cùm effodiunt, fractus ligonibus lapis, duos *Svecorum* oppreſſit, at cæteris *Theſaurum* oſtendit, & nudavit. Erat in eo *Cavo* conditum argentum menſarium, pocula aurea, argentea plurima, argenteæ lances, cochlearia, & quidquid divitum menſa argenteum, & aureum habere ſolet, aliquot millium pretio, ab illis *Harpyis* ablatum. Vidi ipſe poſtea locum, lapidem, & eos qui adfuêre, narrantes audivi. In eadem Urbe, ſed alia in domo, quæ me prima naſcentem vidit, in primo atrio *Domûs*, *columna lapidea* hodiéque ſpectatur, à qua ſuſtineri domum diu credebant; in ejus columnæ medio *Caput*

Theſaurus repertus arte magicâ, cum exitio quæſitoris.

Columna Theſauraria.

put Gigantis, ex columna exiens, ore aperto hiat; de ea columna à fide dignis iſtud accepi: Vas cereviſiæ, aut vini, advectum in *Cellarium* prope illam columnam trahebatur, cùm negligentiâ trahentium ſervorum, vas illud columnæ impingitur; viſa eſt columna quamvis lapidea intremuiſſe, atque en tibi unum, alterúmve, & tertium grande argenteum numiſma (*Imperialis*, quem vocamus, magnitudine) ex ore illo Gigantis excuſſum cadit in terram; mirantur omnes, ſéque mutuò aſpiciunt, celeriter ad *Dominum* res defertur. Is accurrens, diſſimulato tantiſper conſilio, & numiſmatis inſpectis, jubet continuare laborem; poſtea per otium, clam omnes, tentat, an columna aliquâ parte inſpici poſſet; denique obſervat in Domûs pavimento, quod columna, ùt dixi, ſuſtentare videbatur, lateres quoſdam ab alijs diverſos apparere; hos elevat, ſolum purgat, tum ad columnam perventum eſt, quam totam cavam à ſummo uſque ad baſim, & argento puriſſimo aliquot millium plenam invênit; addidit nomen ſuum, qui columnam ædificârat, ſed jam legi antiquitate non poterat, ſententiam tamen aſſecutus eſt Dominus: *videlicet Domum hanc condidiſſe ſe, & gratæ poſteritati, ſi quando fatiſceret domus, hoc auxilium, ut reædificaretur relinquere, pecuniam iſtam longiſſimâ Wladislai Regis pace collectam.* Jam aliud exemplum, dum hæc ſcribo, occurrit, quod ipſo, cui contigit, narrante didici; Patri *Joanni Widman* nomen erat ex Societate noſtra, Viro & doctrinâ omni claro, & judicio acri, & elimato, ſed laudes iſtæ huc non faciunt; igitur *Svecico* bello in *Bohemia* ardente, ad Collegium aliquod proficiſcens, ànte meridiem ad Virum nobilem amicum divertit, omnibus, quæ inter hoſpites intercedere ſolent, verborum officijs perfunctum *Patrem Nobilis* in hortum adſitum ducit, ubi Sacerdotum preces, & penſum *Breviarij*, quod vocamus, abſolveret: orat *Pater*, ſemélque, ac iterum orando hortum obit, ecce inter pedes *muſculus*, neſcio quid *lucidum* ore portans ſe offert, qui, dum *Pater* manu inermi ſequitur, effugit, & cavernulam ſubit. Paulò pòſt alter muſculus apparet, qui & ipſe metallum ferebat in ore, denique cùm foramina, & nidos murium paſſim hortus oſtenderet, paſsímque mures apparerent, omnes aliquid auri ſimile inter denticulos ferre videbantur. Ubi primùm *Dominus* ad prandendum *Patrem* vocavit, Pater ejus rei fecit indicium: *Olim*, inquit, *aurum arrodi à muribus inter prodigia habebatur, jam etiam aurum ferre mures nihil eſt novi*, ſimul quid viderit, narrat. Exhorruit ad eam narrationem Nobilis, *& quid ſi meum iſti ſcelerati mures*, ait, *aurum vorarent?* mox à prandio cum *Patre* redit ad hortum, & familiariter locum oſtendit, in quo ſexcentos aureos *Svecorum* metu infodiſſet; pâlam, aliáque hujusmodi inſtrumenta adferri jubet; adferuntur, ipſe manus operi admovet *Dominus*, qui optimè unus omnium locum noverat; fodiendo locum invenit, ſed auri nuſquam quidquam; in omnes tamen partes, *murium* vias à *Theſauri* loco tendentes obſervat, ut vehemens ſtatim ſuſpicio oriretur, *mures furtum feciſſe*. *Cavum* proximum muris fodiendo aperit, invênit ſtatim triginta & ampliùs aureos; rurſus vocatis ad laborem famulis, qui *cava murium* circumſiſterent, alterum foramen palâ exhaurit, rurſus bonum numerum aureorum in intimo *murium cubili* deprehendit; idem in tertio, quarto, & alijs omnibus factum: erant ex *muribus*, qui in ipſa fuga aurum ore deferrent, ſed à circumſtantibus famulis in fuga deprehenſi pœnas dederunt. Labor hic ad Cœnam uſquè *Dominum* tenuit; ad extremum numeratâ omni pecuniâ, decem tantùm ex ſexcentis aureis deſiderati ſunt, quos ſcilicet vel *muſculi*, cùm evaderent, abſtulêre,

Mures auri legi.

Cava murium auro plena.

vel

Digitized by Google

vel malè effoſſum ſolum in *Cavo* contexit; *Patri* noſtro de indicio prolixæ actæ gratiæ, & uno, alteróve donatus in viam Numiſmate diſceſſit. Hîc ego Naturæ rerum peritos audire velim, quid *muribus & auro*, qui aurum non comedunt, commune eſſe poſſit? *nucilegos mures* nemo miratur, cibo illo apud nos hieme veſcuntur, at *Aurilegos* etiam eſſe, & *Formicas Æthiopum* imitari (de quibus meminit *Philoſtratus*) aliquod naturæ arcanum ſubeſſe videtur. Sed dum *Philoſophi* reſponſum parant, nos ultra progrediemur.

Philoſtrat. in Vita Apollonij lib. 6. C. 1.

Theſauri incantati.

Theſauros quoſdam, dum conduntur, incantari, & malis verbis malo dæmoni ſacrari, notiſſimum eſt; hinc illi tanquam ſua tuentur, & ſæpe *nigri canis* ſpecie objectâ, & horrifico latratu abſterrent. Hujuſmodi *Theſauros* ſacris Chriſtianis adjuratos audivi non ſemel *nigro cane* in auras abeunte; nunquam tamen ex dæmonis poteſtate liberari potuiſſe, cùm ſemper *Theſaurus* in alium, atque alium locum occultâ vi transferretur, multâ Sacerdotis vexatione, donec denique ſpe abjectâ recederet; id accidiſſe *P. Julio Codurio* noſtræ Societatis, cùm eum *Dominus* quidam ad *Theſaurum* adjurandum in arce deſerta adduxiſſet. Sæpe etiam *Theſauros Draconis* ſpecie malus dæmon circumvolitat: narravit mihi is, qui *Fabricæ Collegij Novæ Civitatis Pragæ* præfuit *Pater*; in aliquam horti partem involare, & evolare Draconem, vel ſerpentem ignitum, ſæpiſſime viſum à Civibus, dum in eo ipſo loco Collegij fundamenta ponenda eſſent, & aliò *Theſaurum* tuliſſe; notâſſe *Patrem* diligenter locum, & cùm foderetur, adfuiſſe; inventa eſſe *Theſauri* recentia veſtigia, & *Canem mortuum nigrum*, loco tamen adhuc incubantem ſpectâſſe; cane abjecto ignitum illum *draconem* videri deſijſſe.

A dæmone poſſidentur

T. G. S. J.

De Draconibus volantibus.

Quod *Dracones* attinet, certiſſimum eſt, ejuſmodi *dæmonum ſpectra*, ſyrma igneum trahentia, ſcintillis abſiſtentibus, & cadentibus apparere; bis talem mihi ſpeciem oblatam recordor, ſemel puero ſuper quandam *Judæorum domum*, *draconem igneum* vidi, cadentibus ex illo in tectum ſcintillis; iterum *Clatoviæ* ante octo circiter annos non draconis, ſed ſpecie *nigræ* cujuſdam *avis*, *Corvi* magnitudine, horâ poſt meridiem tertiâ ex Civitate in ſuburbij cujuſdam hortum celeriter devolantem (*Spinturnicem Plinij* dicere poſſes) ſpectavi; nihil avis ipſa igneum habebat dum volaret, ſed obſcuriſſimo quodam, & tenuiter atro colore diluta, & perfuſa videbatur; eam grandis unius, & mediæ orgyiæ linea ignium, velut longa fax ſequebatur, neque ſcintillæ cadebant, ſed in aëre peribant. Scio *Capras ſaltantes*, *Dracones volantes*, & *trabes igneas in meteoris*; hæc toto, quod ajunt, Cœlo, differunt: non enim uno quodam tractu lucis trahuntur, & propagantur ignes (ùt *Stellæ*, quas cadere, & purgari falsò credunt) ſed, ut volatum agnoſcas, eadem flamma ulteriùs perfertur, ſcintillæ tantùm turpes decidunt, velut ſcabies; unde à Bohemis dæmon ille, aut quidquid illud ſpectri, aut monſtri eſt, **Praſſywec** / quaſi *Avis ſcabioſa*, & *ſcabiem ferens* appellatur.

CA-

CAPUT XV.

De Spectris quibusdam in varijs Bohemiæ locis apparentibus, ac primùm de Alba Domina in ditionibus Roſenbergicorum & Novodomenſium Procerum, quænám ſit? quę rei origo? quas præbeat ſignificationes apparens?

Ribenzall.

AD hiſtoriam Arcium, & locorum *Bohemiæ*, quos humana manus excitavit, aptiſſimè referri poſſunt, ac ſolent, *Spectrorum*, ùt jam vocamus, narrationes, & aſpectabiles, ac ſeſe oculis offerentes certis in locis *Spiritus*, quorum ignota viventibus conditio, & horrifica advenientium præſentia pleroſque mortales conſternat. In eo genere nihil *Bohemia montano* illo ſpectro (quod *Ribenzall* appellant) in *Cerconoſſijs montibus*, celebratiùs habet; de eo pridem egimus *libro primo*, támque mira de eodem narrantur, ut juſtum libellum, qui paſſim legitur, tot ejus terriculamenta, & metamorphoſes impleverint. Similem *Genium*, aut quidquid illud eſt, in monte *Podhorſtein*, vel *Podhorberg* in ditione *Cœnobij Teplenſis*, regnare accolę montis affirmant, qui eum maximè timent iratum: nam tum ab imo evertit omnia, deducit pluvias, grandinat, fulgura, & fulmina ſereno, & illimi die præcipitat, & nihil aliud quærit, quàm timeri; alioqui placidis placidus, & niſi contemtu irritaveris, malus nulli.

Spectrum ad Podhoram.

§. I.

De Alba Domina varijs in locis, ac præcipuè in Arce Novodomenſi apparente.

POſt *Ribenzal*, *Alba Domina* apud *Bohemos* omnes celebratiſſimum eſt nomen: pleriſq; in Arcibus *Roſenſium & Novodomenſium Procerum*, quas ſcilicet hæ duæ Illuſtriſſimæ familiæ olim tenebant, apparere à fide dignis accepi, ùt *Crumlovij*, *Novadomi*, *Trebonæ*, *Fraumbergæ*, *ſeu in Hluboka*, *& Bechinenſi Caſtro*, in *Arce Teltzenſi*, alibique. Neque id noſtrâ primùm ætate fieri cœpit, ſed jam pridem *Alba Domina* Bohemis veteribus nota fuit, ùt teſtantur Scriptores *Melchior Piccartus in Hiſtoricopoliticis*, qui ejus ſpectri mentionem fecit, *& Gregorius Richter in Axiomatis OEconomicis*, qui eam *Mortes Procerum de Roſis* ſignificâſſe, multis ætatibus affirmat. Ego nulli diligentiæ peperci, ut rem ipſam penitus, penitúſque cognoſcerem; primùm, an *Alba Domina* confictum aliquid, & anile; tum, quænam illa ſit, fueritq;, & quâ cauſsâ potiſſimùm ſoleat apparere. Pro comperto inprimis haberi debet: *ſpectrum* hoc *albæ Dominæ* confictum dici non poſſe, id vetuſta ſuccedentium ſibi hominum, & quodammodo per manus porrecta traditio, id libri, & monimenta majorum, id exempla, quę brevì adferemus, oſtendunt: pridem nihil deſideravi magìs, quàm idoneum, & fide dignum teſtem, qui ſe eam vidiſſe diceret, invenire: invêni non paucos in *Arce Novodomenſi*, præcipuè, qui nocturnis laboribus, & vigilijs diſtinentur: *Cocos*, *Piſtores*, *Cellarios*, *& penui Præfectos*, *Excubitores Arcis*, ac *Vigiles*, tum ipſum, qui totam *Slavatarum Ditionem Regentis*, *& ſupremi* Capi-

Arces quæ ab alba Domina infeſtantur.

Alba Domina non eſt res conficta.

Digitized by Google

Capitanei nomine gubernabat, Virum integerrimum, & fidei ſpectatiſſimæ *D. Samuelem Carolidem*, imò & ſacros teſtes, ac omni exceptione majorem *Georgium Molitoris S.J. Rectoris Pragenſis, ad S. Clementem, tum Regentis in Contubernio Olomucenſi* munere, aliisque in Societate noſtra Præfecturis diu perfunctum, qui mihi quærenti non ſemel affirmavit, vidiſſe ſe *Albam Dominam* meridie, cùm è feneſtra *Arcis* (ex quadã turre deſerta, ad quam nimirũ acceſſus hominibus non patet, quòd antiquitate, & carie aſcenſus omnes, & ſcalæ ligneæ contabuiſſent) ſubjectam Urbem *Novodomenſem*, & in ea forum contemplaretur. *Albam* fuiſſe totam, operto etiam tænijs albis, viduarum more, capite, proceram, & modeſto vultu ſtetiſſe; quæ cùm digitis omnium oſtenderetur ex foro, ſéque notaret aſpici, non quidem loco deceſſerit, ſed minor ſemper, ac minor, quaſi deſcenderet, facta, tandem deſierit apparere. Facit hujus *Albæ Dominæ* mentionem in Apologeticis ſuis libris *Wilhelmus Slavata Regni Cancellarius, & Arcis illius Dominus*, & tanquam de re certiſſima, & pervulgata loquitur; addit, ſed infirmâ, & improbabili cujusdam Sacerdotis (qui plures viſis ſuis deceperat) authoritate ſeductus: *Albam* illam *Dominam*, quamdiu *Arx Novodomenſis* ſteterit, è purgantibus flammis liberari non poſſe, cadente, aut dirutâ *Arce* pœnis omnibus eximendam.

Quando ſe offerat ſpectandam Alba Domina.

Ætate noſtrâ, atque etiam dum *Novodomi in Collegio* noſtro degerem, memini nunciatum non ſemel: *Albam Dominam* comparuiſſe: ſecutæ ſunt mortes Dominorum, quòdque optimè memini, mortem Domini *Pauli Adami Slavvatæ Gubernatoris* apparitio anteceſſit. Sed non modò ante funera Dominorum ſpectandam ſe offerre, verùm etiam ante *Nativitates, Nuptias*, & ſi quid glorioſum familiæ Illuſtriſſimæ immineat, ab ijs, qui ſæpius eandem obviam habuerunt, traditum eſt: hâc tamen notâ diſtingvi, quòd morte inſtante *manicas* in utraque manu *nigras* geſtet, in lætis rebus *tota alba*, talari ſcilicet viduarum illuſtrium habitu procedat. Vident eam nonnunquam concito gradu negotioſè arcem perambulare, & affixo ad cingulum faſce clavium jam illud conclave, jam illud reſerare, atque iterum claudere nullo diei, aut noctis diſcrimine, & ſi quis obvium ſe fortè offerat, & ſalutet (modò nè impedire velit) ſummâ, & amabili gravitate, quæ *Viduam ſeneſcentem* deceat, oculis verecundiæ plenis reſalutare, cum ſignificatione multi honoris caput demittere, & innoxiam pertranſire.

§. II.

An Alba Domina Spectrum bonum ſit, & inter animas, vel ſpiritus, qui gratiam DEI retineant, referenda videatur.

Alba Domina virtutẽ præfert.

FActa ipſa ſatis loquuntur, *albam Dominam* (quam receptâ jam ſæculis voce ità appellamus) in DEI amore perſeverare: neque enim malus genius, aut anima damnata (quod exemplis infinitis docemur) quidquid agat, in eum modum conformare ſe, & fingere poteſt, quin aliquando aut mala vox, aut in ſummo, quem ſecum ferunt, cruciatu, aliquod deſperationis indicium, & truculenta quædam, & dæmonica barbaries erumpat; at *Alba Domina* nihil niſi modeſtiam, verecundiam, & pietatem vultu, & actionibus omnibus præfert. Indignari viſa eſt ſæpiſſime, & corrugare vultum, imò lapidibus, & quod in manum veniſſet, eos inſectari, qui maledictum aliquod in DEUM vel *Sacra* effutijſſent; adde in egenos

& pauperes amorem; omnes enim veteres memoriæ conſentiunt, *Albam Dominam dulcis Pultis* (de qua paulò pòſt agemus) quæ *Pauperibus ſubditus die Cœnæ Domini* quotannis coquitur, totiúsque illius Convivij authorem, & fundatricem eſſe. Itaque ſi per temporum injurias, per hoſtium pericula, aut per aliam cauſſam intermittatur illa beneficentia, tam ſe inquietam, tam malè contentam, & prorſus furentem exhibet, ut propè intolerabilis evadat, neque conquieſcat, donec uſitatâ miſericordiâ *Pauperes* paſcantur; tum primùm læta, & hilaris, & nulli noxia ſpectatur.

Alba Domina de Pauperum tractatione mirè ſolicita.

Teltzÿ (quod à fide digniſſimis hominibus accepi) cùm *Sveci* ante triginta, & quod excurrit annos, arce illâ, & Civitate occupatâ, epulum pauperibus dare, aut omiſiſſent oblivione, aut noluiſſent, tantos Tumultus edere illa cœpit, ut propè ad deſperationem adduceret; vigiliæ militares fugabantur, verberabantur, occultâ vi præcipitabantur in terram, occurſabant *ſimulacra modis pallentia miris*, ùt canit Poëta, ipſi militares Præfecti nocte extrahebantur lectulis, & humi volvebantur; in extrema conſiliorum penuria *Civium Telczenſium* aliquis admonet *Svecicum Præfectum*: Epulum anniverſarium Pauperibus datum non eſſe, jubet dari continuò more Majorum; eo peracto quies ſtatim arci reddita, tantúmque umbrarum ſilentium ſecutum, ut venti etiam conquieviſſe viderentur. Sed majus etiam boni ſpiritûs argumentum *Albam Dominam* dediſſe in *Annalibus Collegij Novodomenſis S. J.* memoratur: nam cùm Anno Domini 1604. 24. Januarij ultimus ejus Illuſtriſſimæ Familiæ Novodomenſis, quæ *auream roſam in campo cæruleo* gerebat depictâ in clypeo *Joachimus* nomine in *Arce ſua Novodomenſi* ad extrema deductus eſſet, ac nemo ex collegio *Sacerdotem* arceſſeret, *Alba* illa, de qua diximus, *Domina*, pulſato leniter oſtio, ingreſſa conclave, & aſpectabilis *Rectorem Collegij Nicolaum Piſtorium*, quo *Joachimus* in animæ ſuæ procuratione plurimùm utebatur, admonuit, properaret, *SS. Euchariſtiæ Sacramentum* ſecum ad ægrotum deferret, non enim ampliùs quàm horam vitæ *Joachimo* ſupereſſe. Paruit *Pater*, accurrit, invênit cum morte luctantem, ægrotum confeſſione peccatorum expiatum, & cœleſti viatico refectum, & optimè comparatum, Cœlo, ùt ſperare licet, tranſcripſit. Factum hoc *Albæ Dominæ* maximum, optimi ſtatûs, & fœlicis conſcientiæ continet argumentum.

Alba Domina Confeſſarium advocat Dño de Novadomo morienti.

Albam Dominam Bechynæ in Arce comparere jam dixi, proſpicere è feneſtris, obire cubicula narrant, qui vidêre. Traditum eſt: cùm *Catharina de Montfort Mariam Hohenzollerianam* ægrotantem *Bechynæ* inviſeret, neque ſtatim fax eſſet ad manum, *Albam Dominam* confeſtim obtuliſſe ſe, & facem prætuliſſe.

§. III.

Quænám ſit hæc Alba Domina, conjectura, & ſententia noſtra; Genus, Nomen, Vita in luctu apud maritum acta; tutela Pupillorum Novodomenſium; Trebonenſis Theſauri per eam manifeſtatio.

Alba Domina eſt Perchta de Roſis, Vidua.

QVod ante me neminem dixiſſe, aut ſcriptum reliquiſſe arbitror, magno meo labore, & cogitationibus varijs huc atque illuc annis aliquot libratis, & fluctuantibus tandem me aſſecutum puto, nomen videlicet *Albæ Dominæ*, quam ego eſſe *Dominam Perchtam de Roſenberg* affirmo: omnia, ùt jam videbimus, conveniunt. In primis conſtat *Viduam* eſſe, quæ apparet, id habitus ipſe *Vidualis*, viduis lugenti-

Digitized by Google

gentibus uſitatus oſtendit; eandem ob *prudentiam* maximi fuiſſe habitam apud ſuos, & cognatos, & pro *pupillis Novodomenſibus* ditiones gubernâſſe, *Epulum* (quod *dulcis Puls* appellatur) pro ſubditis inſtituiſſe, eandem *Arcem Veterem Novodomenſem* ædificâſſe, eandem *amaro aliquo affectu* occupatam, vixiſſe, & mortuam eſſe, eandem in ditionibus *Roſenſium* perinde ac *Novodomenſium* apparere (quod cum utraque ſtirpe conjunctionem aliquam interceſſiſſe oſtendit) eandem *utrique ſtirpi amicam*, & illorum, & horum mortes præſignificâſſe, & præſignificare, eandem *Petro Wok Roſenſi* ſemper benignam, Infantem adhuc, ut mox dicam, tractare ſolitam, *Theſaurum* indicâſſe; hæc omnia aggregata in nullam *Roſenſium*, aut *Novodomenſium*, *aut Ssvvambergicorum* ſtirpe editam Matronam, quam in *Perchtam* cadere poſſunt. Nata eſt *Perchta* inter Annum Domini 1420. & 1430. Pater ei fuit *Udalricus II. de Roſenberg*, qui ex prima conjuge ſua *Cathariua de Wartemberg* (quæ obijt 1436.) hanc *Perchtam* inter alios liberos mares & fœminas ſuſcepit. *Ulricus Pater*, *ſupremus Regni* (non Regis) *Burgravius*, & ſupremus Catholicorum in Bohemia adversùs hæreticos *Dux*, authoritate *Romani Pontificis* conſtitutus, hanc filiam, quam amabat unicè, *Joanni de Lichtenſtein*, Baroni in Styria nobiliſſimo, & potentiſſimo, ſed, ùt poſtea apparuit, ferinis & truculentis moribus (An. 1449. die Dominico ante S. Martini feſtum diem, nuptijs *Crumlovia* celebratis) elocavit. Nuptiæ infælices ſecutę ſunt: memorat Codex M. S. *Hiſtoria Roſenſis*, plus luctûs, & dolorum has nuptias *Matronæ*, quàm gaudiorum attuliſſe; quippe injuriosè, & indignè à Marito habitam, egeſtatem, & penuriam rerum maximam ſuſtinuiſſe, ac ſæpius *Patris & Fratris* auxilium implorâſſe, ac penè illud, quod exprimere nolo, quod de *Crotilde Regina Clodovæi Galliæ Regis Sorore*, *Amalarici Viſigothorum Regis* conjuge traditur, imitari coactam; unde non mirum, ſi injurias illas tam graves, & atroces à marito illatas nunquam concoquere, dum viveret, *Perchta* noſtra valuerit. DEUS tandem miſerorum pater, his omnibus malis, morte mariti, finem impoſuit, & *Perchta crudeles terras fugiens*, *& litus avarum*, laqueo quodammodo contrito, læta ad ſuos in *Bohemiam*, *& Henricum IV.* fratrem (qui *Gubernationem* familiæ ſuæ An. 1451. auſpicatus, An. 1457. ſinè liberis obijt) advolavit. Prudentiæ laude conſpicuam *Matronam* hanc fuiſſe multa oſtendunt, adeò, ut etiam *Henrico Fratri* Gubernatori Viro prorſus heroico, vitæ quendam modum præſcriberet, atque is ſororem maximis in rebus conſuleret; citantur in *M. S. Codice Roſenſi* quædam *Perchtæ* Epiſtolæ, in quibus *Fratrem* à ſupervacuo haſtis decurrendi ſtudio (in quo nimius erat) dehortatur, multiſque argumentis probare conatur, pretioſiorem nobis vitam eſſe oportere, quàm, ut eam Fortunæ temeritati, ac ludibrio, cùm nihil iſtud *nec Patriæ*, *nec Regis*, nec noſtrâ interſit, ob unam illam jucunditatem, quæ in decurrendo percipitur, & inanem gloriolam, quæ vincendo obtinetur, exponamus. Ejuſdem prudentiæ argumentum eſt, quòd eidem *Matronæ* educandos *Novodomenſes Pupillos*, *& Pupillas Meinhardi de Novadomo* (qui An. 1449. *Georgij Podiebradij* ambitione, dignitate, & vitâ exutus erat) filios, omnémque illorum ditionem regendam primario Tutore *Arneſto Leskovecio* conſentiente, cognati *Novodomenſium* commiſerint. Ex his *Meinhardi* filijs maximus natu *Ulricus de Novadomo*, tertio poſt patris mortem Anno 1452. obijt; duo reliqui *Joannes & Henricus* adhuc An. 1453. minorennes, ùt ex *Hagecio* patet, vixère, & quamvìs legitimos annos attigerint poſtea, *Perchtam* tamen Veterem Educatricem

Hiſtoria Dominæ Perchtæ.

M. S. hiſt. Roſ. fol. 114.

Mariana l. 5. rer. Hiſpanicar. C. 7.

Perchta ſingularis prudentiæ Matrona.

Perchta Tutelam geſſit Domûs Novodomenſium Pupillorum.

ſuam dimittere noluerunt, quæ *Novodomi* conſenuit. At *Joannes, & Henricus* nullâ prole relictâ deceſſerunt, atque ita *Meinhardi* quondam *Gubernatoris*, *& Supremi Burgraviȳ* totâ poſteritate extinctâ, *Novadomus*, omnéſque illæ ditiones, & *Jura*, *Prærogativæ*, *& Privilegia* ad alteram *Procerum de Novadomo* lineam, quæ *Telczenſis* dicebatur, ac nominatim ad *Henricum IV.* qui *Annam Ducem Münſterbergenſem* habebat conjugem, devoluta eſt. Hæc omnia, quæ modò attulimus, ſatis probabiliter evincunt *Perchtam Roſenſem*, cui ſcilicet omnia, quæ de *Alba Domina* traduntur, conveniant, eandem eſſe, nec aliam quærendam.

Imago albę Dominæ, ejúſque vera effigies.

Extremum, idque ſat potens, ùt reor, argumentum adducam: Eſt in *Vetere Arcis Novodomenſi* ſtructura, Imago ad magnitudinem hominis conformata, quæ *Viduam albam* exhibet; eam imaginem *Albam Dominam* tam propriè referre, qui unquam *Albam Dominam* occurrentem viderant, aſſeverant, ut nec ovum ovo, quod ajunt, ſimilius eſſe poſſit; itaque dum hoſpites inducuntur, & *Palatium* illud perluſtrant, digito indicatur *Effigies*, idque ab omni memoria etiam mecum factum, cùm Arcem illam Anno 1655. primùm inviſerem, adhuc memini; at, qui propiùs inſpexêre, *Roſenbergici* ſtemmatis in Imagine *clypeum* lucere, & *Perchtæ* nomen inſcriptum obſervant. Hactenus conjectura noſtra. Duo adhuc ſuperſunt, quæ brevì abſolvam.

De nomine Perchta.

Quæritur, quid illud ſit nominis *Perchta*? Germanica quædam manuſcripta, deflexâ, ùt ſolent ad Idioma ſuum voce, *Prechtam* appellant. Diu credebam nomen eſſe aliquod, ùt ſunt apud nos familiarum veterum, *Criſelda*, *Siguna*, & cætera fœminina, virilia *Hroznatarum*, *Kunatarum*, *Lidmirorum &c.* quæ fruſtra (ùt olim probavi) ad *Divorum* latina nomina nonnulli revocare conantur; at, cùm quodam tempore *Indiculum Reliquiarum* antiquarum cujusdam Eccleſiæ legerem (locus mihi excidit, ſed rem teneo) inveni *Perchtæ Reginæ Galliæ* nomen, oſſiculo cuidam ſacro inſciptum, ut jam quę fuerit, dubitare non liceat.

Epit. hiſt. rer. boh. l. 2. C. 13.

Albæ Dominæ indicio Theſaurus repert⁹.

Dixi *Trebonenſem Theſaurum Albæ Dominæ* indicio repertum: ea res ſic accidit, quam ex narratione ſenum accepi: An. 1539. *Petrus Wok Wilhelmi Frater*, ultimus poſtea gentis ſuæ, natus, *Trebonæ* in gynæceo (ùt infantûm nobilium fert conditio) educabatur: cœpit ad eum infantem nocte *Alba Domina* ventitare, cùm nutrix, aut gerulæ victæ ſomno ceſſarent; agitare cunabula, flentem cunis eximere, ſibilis, aliiſque nutricum artibus componere, blandè arridere, & alludere, geſtare per conclave, denique nihil diligentiæ circa infantem omittere, adeò familiariter, ut mulieres nutrices, & quibus *Petrus* commiſſus erat, nihil obturbarent, & geſtari ulnis, & manibus ejus tractari permitterent.

Ira albę Dominæ ob infantem ſibi ereptum.

Evênit poſtea, ut quędam novitia mulier in gynæceum reciperetur, quæ, cùm ab *Alba Domina* ex cunis levari, & circumferri infantem videret, rata indignum eſſe, ſpectro infantem committi, audaciâ plusquam muliebri, accedit, & ex ulnis *Dominæ* eripit, *quid tibi*, inquit, *negotȳ cum noſtro infante?* tum *Alba Domina*, quæ ſemper hactenus ſiluerat, ut commotam eſſe appareret: *tu*, ait, *mulier impurata, & lutulenta meretrix, id ex me quærere auſis, quæ huc nuper nudis pedibus adrepſeris? atqui ſcito hunc Infantem ſtirpis eſſe meæ, & à fratre meo per nepotes deſcendere, ac lineam ſangvinis mei ducere, ac proinde me alienam illi non eſſe.* Tum ad omnes Ancillas converſa: *nec*, inquit, *vos, ùt decebat, Dominam veſtram unquam honore aliquo proſecutæ eſtis; itaque habete vobis Infantem! ego jam non ampliùs redibo, tu* (nutricem appellat) *curam habe pueruli, gratus erit, cúmq; adoleverit, meum illi erga ſe amorem inculca, ac dicito ex hoc loco* (ſimul manu parietem ſignabat) *ad eum me venire,*

&

Digitized by Google

& hâc recedere ſolitam; vix iſta dixerat, in illum parietem ingreſſa, ex oculis evanuit, neque unquam ab eo die infantem reviſit. At *Petrus Wok*, cùm hæc à nutrice juvenis accepiſſet, quò pertinerent, diu non intellexit, donec ſenex fratre *Wilhelmo* mortuo, fortaſſe novo aliquo indicio admonitus, parietem illum, quem *Alba Domina* ſubire ſemper erat ſolita, fodi juſſit, grandémque ibi latentem *Theſaurum* invênit; ex quo deinde An. 1611. *Paſſavienſi Exercitui*, qui ob negata ſtipendia tumultuabatur, & *Bohemiam* hoſtiliter ingreſſus erat, *Cæſari Rudolfo* mutui nomine id à *Petro* petente, aliquot centena millia numerata ſunt, & perſolutis omnibus ſtipendijs Exercitus dimiſſus, ùt ex hiſtoria eorum temporum datur intelligi.

§. IV.

De dulci Pulte, quam Alba Domina pro pauperibus, & ſubditis quotannis parare inſtituit.

Ad dulcem Pultem hominũ multa millia conveniunt

CElebratur omnium ſermonibus in *Bohemia* convivium, quod à Gubernatore *Domûs Hradecenſis, Novodomi*, atque etiam *Telczij* ſubditis, & pauperibus quotannis in hebdomade majori, *feriâ quintâ in Cœna Domini* ab immemorabili tempore apponitur (dulcem pultem appellant) ad id Convivium tanto numero affluunt ex tota vicinia collecti *Pauperes*, ùt minimùm *ſeptem* hominum millia, aliquando etiam *novem*, *& decem in Arce Novodomenſi* convivarum pauperum numerentur, ùt ipſe non ſemel ſpectavi. Humi conſident per duodecim, quaſi per contubernia, diſtributi in ampliſſimis *Arcis Novodomenſis* areis in impluvio (quæ enim habitatio omnes caperet?) ac nè quid turbarum oriatur, numerantur *Menſæ*, & ſui ſingulis *miniſtri* apponuntur, imò jam pridem appoſiti ſunt, qui cibos adferant, & potum miniſtrent, Œconomiæ herilis *Præfecti*, *Capitanei*, *Burgravij*, *Scribæ*, & quocunque nomine, aut munere inſignes (quorum magnus eſt numerus) tum *Magiſtratus Urbicus*, ac cæteri honoratiores Civium; plerumque ipſe *Gubernator loci Dominus* cum hoſpitibus Illuſtriſſimis pompam ferculorum præit, & lancem primam deferens agmen ducit; & quia vix fieri poteſt, ut tanta multitudo uno ſimul loco, ac tempore veſci poſſit, non plures, quàm area capere poſſit, convivæ admittuntur; quibus ſatiatis, & per poſticam Arcis partem dimiſſis, novi rurſus inducuntur, donec paſti omnes conſurgant, nullúſque pauperum ſuperſit paſcendus: Fercula hæc ſunt: *Panis* primùm (libonem dicunt) juſtæ magnitudinis, facilè trium librarum; *jus liquidum* ocellatum butyro, ſaporis optimi, ex cereviſia, vel alio cocis noto obſonio decoctum; tum *interanea piſcium*, copioſo butyro perfuſa; deinde duplex ex *carpionibus cibus*, & tandem *puls* illa *dulcis*, ſeu illa ex piſis, ſeu panico, ſeu ex lente, aut quocunque alio leguminis genere confecta; olim admixtum *mel* fuiſſe, nomen ipſum oſtendit; *Cereviſia tenuis*, quantum poſcunt; adduntur *ſpiræ* ex ſimila (libi genus) numero ſeptenæ.

Convivii Pauperum.

Notavi ipſemet ex proximo dum adeſſem, plurimos convivas, maximè pauperes, quę auferri domum poſſunt, auferre; itaque *ollis duabus* inſtructi adveniunt, *& Carpionum duas partes*, etſi conditurâ diverſas, in alteram ollam injiciunt, in alteram *cereviſiam* infundunt, reliqua omnia, quia dividi non licet, ùt juſculum, interanea, & pultes, communiter, ſeu cum alijs veſcendo abſumunt. Narravit mihi, eâque liberalitate gloriabatur, *Excellentiſſimæ Familiæ* id temporis *Guber-*

Digitized by Google

bernator Ferdinandus Comes Slavata, hoc convivio Pauperum aliquot cereviſiæ cocturas, & piſcinas exhauriri. Jam cænâ (vel ſi lubet prandium appellare) finitâ, de inſtitutione, & Inſtitutore, ſeu authore dicamus: Memini ſæpe me à varijs rogatum, quis meus eſſet de hac Inſtitutione ſenſus, & quem inſtituiſſe crederem? reſpondebam primùm: *Pietatem Majorum*, tam gratæ DEO beneficentiæ in pauperes ſinè dubio originem dediſſe; at, cùm premerent, & annum, & nomina ſibi indicari vellent, nimirum ad ignorantiæ confeſſionem adductus, ſilebam: ergo adjuvante *Loci Domino*, quem paulò antè dixi, *Comite Ferdinando*, & qui ditionum omnium rem familiarem *Regentis* nomine adminiſtrabat *Samuele Carolide* Viro diligentiſſimo, & Antiquitatum ejuſmodi inprimis ſtudioſo, *Veteres Archivi* chartas excutere aggredior. Invêni primùm omni anno mentionem *Dulcis Pultis* fieri, & quantum in eam tot millium Menſam expoſitum fuiſſet, annotari accuratiſſimè; origo nuſquam, nec ulla litera, quâ authenticè obligatum ad has Epulas faciendas *Dominum* demonſtraret; ſed hæc tempore, & incendijs perire potuerunt: nam conſvetudo ipſa tam antiqua, ſatìs oſtendit, ſinè cauſsâ nec inchoari, multóque etiam minùs tamdiu retineri potuiſſe. Ergo ſpe literarum amiſsâ, *Senes*, quicunque ætate cæteros omnes anteirent, advocari *Comes* juſſit; diverſi interrogantur, quid unquam de origine hujus convivij à majoribus ſuis audîſſent? erant inter hos nonagenarij; & centenarij ſenes; nè longum faciam: omnes propè in eandem ſententiam reſpondêre, quod à Senibus, & Patribus accepiſſent: fuiſſe olim *Matronam Illuſtriſſimæ Stirpis*, cui *Pupillorum Dominorum de Novadomo* tutela commiſſa fuerit, eam, quòd *Vidua* foret, & viduali habitu incederet, *Albam Dominam* appellatam, eandem affirmâſſe majores, quæ aliquando in Arce compareat; eam igitur *Arcem Novodomenſem* exſtruere cœpiſſe, multóſque annos in eo opere conſumſiſſe, cum magna ſubditorum omnium moleſtia in vallis effodiendis, in Turribus excitandis, in advehenda calce, lapide, arenâ, cæterâque materiâ, toto denique Arcis tam vaſtæ ædificio abſolvendo; ſed eam benignè ſubditos appellare ſolitam, & ex fine operis brevì futuro ſolari, pretium repræſentare, & præſente pecuniâ laborem ſolvere: *Laborate*, ajebat, *pro Dominis veſtris, fideles ſubditi, laborate! ubi Arcem perfectam habuerimus; ego vobis, & omnibus veſtris dulcem pultem apponam!* (phraſis hæc erat Antiquorum ad Epulas invitantium) Arx tandem abſolvitur (quod factum in *Autumno* ipſi dicebant) & *Domina* factæ promiſſionis rea magnificis Epulis ſubditos omnes accepit, & inter prandendum inſuper, *ùt* inquit, *memoria veſtræ fidei, & amoris in Dominos perpetuò perennet, Anniverſarium hoc Epulum habebitis, & in ſeros nepotes facti veſtri gratia extendetur.* At poſtea (addebant) commodiùs viſum Dominis ab Autumno Epulâs haſce ad diem, & memoriam *Cœnæ Chriſti ultimæ* transferre, quo nimirum Pauperes alioquin à Chriſtianis ditioribus tractarentur; eam mutationem diei, antiquiſſimam non eſſe, & vix centum annos ſuperare. Hæc illi Senes, memorabant: ex quibus omnia, quę nuper de *Alba Domina* genere, nomine, & vita diximus, clariſſimè confirmantur, ſatíſque elucet cauſſa, cur Epulum illud pauperum, & ſubditorum tam ardenter, & quaſi ferventer propugnet; nimirum rerum ſuarum ſatagit, beneficium ſuum tuetur, & eſſe cupit æternum.

Origo dulcis pulticulæ quæſita.

Promiſſa dulcis Puls ab alba Domina ſubditis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Albas Dominas in pluribus Bohemiæ locis apparuiſſe, & apparere. Virgineum Spectrum Perenſteinij. De Spectris quibuſdam, Lemuribus, & Larunculis; Eques Bechinius malè ab his acceptus. Dæmonum volatus Cuttnæ, & Exercitus obſidet Zatecium. Caroli IV. nocturnus Pragæ terror.

NOn potui rerum ſcribendarum multitudine ſuperante, uno Capite (ùt volueram) omnes *de Spectris* narrationes complecti, adeóque novo Capite inſcripto, claritatis gratiâ, argumentum dividam in partes.

§. I.

Quibus præcipuè in Arcibus Albæ Dominæ apparere dicantur, & de Spectro ad Sſvvihovium.

Forer. in Viridario Philoſophico diſp. de Plantis.

CÙm nulla in orbe domus ſinè luctu, & comploratione diu ſtare poſſit, atque ùt in *Creta* quocunque loco terram moveris, *Cupreſſum* protinus gigni tradunt, perinde ubique, & in omni loco *Luctus*, & *plurima mortis imago* occurſet, nòsque ipſi mortem feramus in oſſibus, & mors ſimus, ac fiamus, mirum non eſt ſpectaculum hoc triſte ſæpius oculis offerri, præſertim, cùm mortis inſtantis admonet DEUS, quod in maxima Divini beneficij parte ponendum eſt: *Sſvvambergenſes Proceres ab Alba* itidem *Domina*, quæ in Arce vetuſtiſſima *Kraſelovv*, vel *Sſvvamberg* appareret, *mortis* admoneri ſolitos accepi, eámque *Albam Dominam* ante mortes poſtremorum ex ea gente Fratrum apparuiſſe, quì tum erant in eorum obſequio, narrantes audivi; an etiam hodie ad hæredes hoc *Privilegium* extenderit *Divinitas*, non habeo dicere; ſunt tamen qui affirment.

AlbaDomina Sſvvambergenſis.

In Arce *Berkarum*, & *Lippaorum* pervetuſta Netv Schloß / Nowý Zámek / hodiéque *Albam Dominam* videri conſtat, ejúsque *Albæ Dominæ*, quæ mortua Arcem obit, & oberrat, Effigies genuina prorſus in *Tabula* depicta, monſtratur in pariete pendens. Habeo religioſú virum authorem, qui ſe tum puerum præſentem adfuiſſe, & vidiſſe affirmat, cùm virgines quędam ancillæ à meridie arcem ingreſſæ puellari petulantiâ, *Imaginem albæ illius Dominæ* invicem oſtentârent, & cachinnarentur, ſubito ſtrepitu exorto diffugiſſe, ultimámque earum in fuga deprehenſam, vi occultâ (nam neminem videbant) per togam, quæ elevabatur, retentam, & vociferantem, ægrè tandem dimiſſam ex manibus.

AlbaDomina in Neuſchlos.

E. H. S. J.

Arx deſerta *Tollenſtein* (quę multos continere *Theſauros* putatur) habet *Albam Dominam*, quam aliquando proſpectantem è feneſtris viatores mirantur, & ſalutant. Quod nunc de *Alba Domina* certis in locis apparente diximus, id de *Religioſo Spectro* in Cœmeterio Eccleſiæ è regione *Arcis Sſvihovienſis* narratum à pluribus oculatis teſtibus accepi: vel ipſo meridie *Monachus* ſpectatur, aliquando jam *Eccleſiam* ingrediens, jam rurſus *Cœmeterium* obiens, rurſus quaſi aliquem expectaret ad ſacra, è *Cœmeterio* foras proſpectans; aliud neſcio; rem conteſtatam narravi.

AlbaDomina in Tollenſtein.

Ad Sſwihovium Monachus.

Bb §. II.

§. II.

De Virgineo Spectro in Arce Perenſteinenſi.

M.S. P. Wenceslai Joannidæ S. J.

OB argumenti ſimilitudinem, & quia ab eo, cui videre contigit, rem narratam accepimus, in *Moraviam* perparvo itinere deflectemus: Venerabilis Pater *Joannes Drachovius Trebonenſis* è Societate noſtra Vir Apoſtolicus (qui fœliciſſimè aliquas *Bohemiæ* partes peragravit, & poſt Annum 1626. religionem Catholicam varijs in locis, præcipuè *Milini*, circumque ea loca, prædicando percurrit, tandem in *Moraviam* deſcendens, plurima hæreticorum millia ad Catholicę Eccleſiæ gremium adduxit) narrare ſolebat, ſe *Perenſteinium* (arx eſt celeberrima, cum ampliſſima ditione, quam *Pater Drachovius* totam Chriſto lucrifecit) cum Regijs mandatis veniſſe, datum hoſpitium ſibi in Arce fuiſſe; primis ſtatim diebus, innatâ omni hominum generi curioſitate ſciendi, obire arcem cœpit, turres conſcendere, inſpicere cubicula, & viciniam totam ex alto deſpectare; cùm in eo maximè eſſet, ac ſuperiorem *Arcis* partem luſtraret, en tibi è conclavi quodam *mulier Virginis os, habitúmque gerens*, eleganter adornata, cum faſciculo clavium egreditur; *Pater Virginem* aulicam eſſe ratus, appellat humaniter, illa conſiſtit; ait *Pater: ſe hoſpitem adeſſe, ut in Catholica Religione ſubditos informet, offerre ſe obſequia ſua Spiritualia, nihilque omiſſurum officij.* Ad hæc *Virgo* blandiſſimè arridens, & prę quàm modeſto vultu, quaſi verecundiâ ſilentium imperante, pro reſponſo curvatis poplitibus, ùt fœminæ ſolent, maximam honoris ſignificationem oſtendit, atque è veſtigio diſceſſit. Pauci abierant dies, cùm rurſus *Pater* ad concionem dicturus, quæ ſcripſerat, commendabat memoriæ, ac nè quis obturbaret, ſolitudinem quærebat; en rurſus eandem *Virginem* in pergula ſtantem incidit; ſparſos per totum vultum capillos promiſerat, aut permiſerat, quos pectine ſolicitè diſcriminabat; ubi *Patrem* adeſſe, quaſi ex improviſo animadvertit, capillos rejecit in tergum, ſéque agnoſcendam dedit; *Pater*, qui naturæ ſeverioris ſemper eſt habitus: *Die Dominico*, inquit (nam is erat dies) *nimia ornatûs cura non decet; ſatiùs eſt animam ad Divini verbi auditionem pijs precibus comparare.* Illa quaſi dicto audiens eſſe vellet, ſtatim pectinem abſcondit, & manu ad os relatâ, caput reverenter ſubmittens, abivit. Exinde *Pater ad Eccleſiam* (quæ ibi tota albo marmore conſtat) ex arce deſcendit; Divina peragit, concionatur, circumlatis oculis *Virginem* illam abeſſe indignatur, & ad arcem reverſus, čoram *Arcis Præfecto* quæritur; domeſticos, quos prælucere maximè bono exemplo oporteat, abſentare ſe à ſacris; *Præfectus Virginem* ſibi deſcribi poſtulat, qualis, & ubi viſa fuiſſet, tum primùm patuit *Virgineum* illud *ſpectrum*, quod ab immemorabili tempore circumiret, viſendum ſe obtuliſſe *Patri*, atque ità indignationi riſus ſucceſſit. Tertiam de eadem *Virgine* narrationem, cùm in illa arce hoſpitarer, accepi, ſed non ejuſdem, atque prior fuit authoritatis, quippe ab janitore Arcis auditam: fuiſſe inter conſervos ſæculi hujus initio, qui cùm ab alijs audîſſet formâ elegantiſſimâ *Virginem* aliquando apparere, jurârit: ſe Virgini illi ubiubi primùm occurrerit, oſculum vel ſi nolit, impreſſurum; dehortabantur cæteri, & denunciabant periculum, ille tamen jurabat; paucis pòſt diebus probè potus obviam habet *Virginem*, ruit in amplexus continuò, nec illa recuſare viſa, medium hominem tam arctè complexa eſt, ut amplexu illo intempeſtivo amatori animam eliſerit.

Ven. P. Joa: Drachovius Vir Apoſtolicus.

Virginis ſpectrum Patri apparet.

Improbum amatorem Virginis ſpectrum occidit.

§. III.

§. III.

Nocturni Lemures, & ſpectra, Trebonæ, Crumlovij, Giczinij.

Spectrum in Arce Trebonenſi.

NArraveram ſuperiore Capite, *Trebonæ, & Crumlovij, Albam Dominam* aliquando aſpectabilem ſe offerre; hæc, quæ mox adferam, prorſus ad *Albam Dominam* nihil pertinent. *Trebonæ* inprimis non procul *Palatio*, conclave viſitur anguſtum cum fornice invicto ignibus, ideóque *Tabulario, & Archivo* deſignatum; hodie, nè literam quidem inveneris, foruli tamen, loculamenta & arculæ adapertiles, & quæ extrahi poſſint, perſeverant. In eo igitur conclavi, quod dicebam, nocturno labore *ſpectrum* aliquod continenter occupatur, & quaſi ad Actionem aliquam forenſem, quod quæritur ſcriptum inveniri non poſſet, excutiuntur omnia, ciſtulæ extrahuntur, intruduntur, magno ſemper metu vicinorum. Res, quam narro, itá eſt conteſtata, & omnibus nota *Trebonæ*, ut nihil eſſe notius poſſit, auditúrque procul, ùt nocte fieri ſolet, ille tumultus. *Patres noſtri*, qui ex *Collegio Novodomenſi* frequentiùs invitante *Illuſtriſſimo Gubernatore Barone ab Eckersdorff Trebonam* ventitabant, in conclavibus vicinis pernoctare ſolebant, & ad ſtrepitus illos palleſcere: quos ſæpius narrantes audivi, præſertim *P. Chriſtophorum Pezeldum*. Ego ipſe in rem præſentem veni: nam etſi *ſpectra* plerumque contemnam, & ad vim illam animi, quam *phantaſiam Græci* appellant, quǽque timore ad aliquid terrificum fingendum excitatur, ſimulachra illa *ſpectrorum* referam; contigit, ut circa An. 1657. cum *Hiſpano Barone Don Martino de Paradis, Diſtrictûs Bechinenſis Capitaneo Trebonam* venirem. Ut alia omittam omnia, veſpere ad quietem capiendam ad conclavia *Jeſuitarum* (itá vocabant duo illa *Archivo* proxima cubicula) deducor. Archivi conclave ipſum famuli aperiunt, quod ego priùs luſtratum firmiſſimè claudo, illíſque abeuntibus, in vicino conclavi me ad ſomnum compono. Duæ vix interceſſerant horæ, jam in *Archivo* tumultus maximus, laborem ſolitum neſcio quis auſpicatur, trahit, & vexat ciſtulas, libros excutit, ac ſæpe velut fera quædam curvis ungvibus portam ad me ducentem perfricare, & necquicquam aperire conatur. *Mihi frigidus horror membra quatit*, denique quia nullam ampliùs quietem ſperare poteram, conſurgo, & raptis temere pulvinaribus, in tertium abinde conclave diſcedo, & pulvinaribus in medium conclavis humi projectis indormio, nemine uſquè in claram diem ſomnum turbante. Benignam poſtea riſûs materiam ex me ſibi fecit *Illuſtriſſimus Gubernatôr*; at ego alterâ nocte alium procul inde locum quæſivi. Quid iſtud *ſpectri* ſit, divinare non poſſum; ſcio id tantùm: *Theobaldum Hock, & Wenceſlaum Brzezan* (quorum ille *Familiæ Roſenbergicæ à Secretis* conſilijs diu fuit, hic ab *Epiſtolis* ſcribendis) cùm falſum quoddam inſtrumentum (ut dicunt) confeciſſent, & fallacibus ſigillis muniviſſent (quo inſtrumento tota *Roſenbergicæ Domûs hæreditas ad Sſuvambergicos*, velut ex pacto vetere devolvebatur) jubente *Cæſare Rudolfo*, velut *falſarios* (ſunt tamen, qui innocentes fuiſſe ſcripſerint, ac revera pactum ejuſmodi interceſſiſſe dicant) damnatos; *Wenceſlaum Petro Roſenſi* apud *Cæſarem* agente, carceris loco *Archivum Roſenſe* habuiſſe, in quo clauſus annis aliquot, omnes *Roſenſium lites, geſta*, & literas ordinavit, quem ejus laborem, licèt ex parte aliqua tantùm, veniſſe in manus meas, lætor & glorior. *Theobaldus Pragæ*, ut narrat *Caraſa* carceribus clauſus, omnia pro ejus libe-

A ſpectro infeſtari ſcriptorem contigit.

Capite plexi duo Roſenbergicæ Domûs.

Caraſa in Ger: ſacra.

Digitized by Google

liberatione moventibus hęreticis, magnis motibus poſtea cauſſam dedit.

Crumlovienſe ſpectrum Dæmoniacum.

Crumlovij in ſuprema Arcis antiquę fabrica, *infernale* (ùt ità dicam) *ſpectrum* aliquod apparere ſolitum ante multos annos accepi, modò bovis, modò draconis flammas vomentis ſpecie, aliíſque terrificis monſtrorum igneorum imaginibus objicitur, obvios malè multat, neque ullis ſacris, & bonis verbis, ac nominibus in officio retinetur; & profectò triſtiſſima eſt illa Cubiculorum ſeries, & vix ſinè horrore vel meridie aditur, in quibus ſceleratiſſimus ille maximi *Principis filius Nothus Julius* amore, & furore amens, quondam habitavit. Monſtrantur hodiéque (ùt ipſe hiſce oculis vidi) ſcelerum veſtigia, *& mulieris puellæ* (quam amatam, & vitiatam, pugione in cor adacto, ex feneſtra præcipitem dederat) *cruor* in pariete, ſolóque malignè translucet. Sunt alia ſcelera, quæ nunc condonantur, & alteri loco ſervantur. Sed dedit improbiſſimus *Juvenis* pœnas in ijsdem cubiculis, ùt ferunt, imperio *Parentis* ſui juſtè interfectus.

Giczinenſe ſpectrum.

Gitzinij notâ Civitate execrabile quodam in loco *ſpectrum* oberrat, conterrétque, & ſunt ea de re multæ apud Senes narrationes. Me *Gitzinij* degente, cùm *Juvenis* quidam pernoctare in conclavi illo auſus eſſet, propè erat, ut ab illo *Spiritu* necaretur; certè ſangvine juvenis jam addicti, quem poſt ſe trahebat *ſpectrum*, parietes, ſcamna, & ſolum omne crudelem in modum immaduerunt. *Juvenis* altero mox die, horrore fortaſſe, *Gitzinio* profugit, & ex oculis amiſſus eſt. Alterum ibidem, ſed in ſubterraneo loco *ſpectrum* apparere ſolet cum texto ex tela collari, *Pradicantium*, quos vocant, habitu; ab eo id accepi, cui non ſemel ſpectandum ſe dedit, idémque mihi omnia vultûs, lineamenta, canitiem, & cui ſimilis videretur, deſcripſit; vidêre eundem illum *Senem* Religioſi Viri plures, diverſis temporibus, ut ea res in dubium vocari non poſſit.

§. IV.

Vir Nobilis Bechinius, contactu ſpectrorum totus unâ nocte calveſcit. Chartarum folijs luſêre mortui. Spectrum Equitis cataphracti ad Novam Domum.

Chanowsky in Veſtigio Boh. Piæ C. 10.

QUod ſequitur, fide & authoritate Ven: & Apoſtolici Viri *P. Alberti Chanovvsky* nixus adjicio, qui & à fide dignis acceperat, & eum ipſum, quocum res acciderat, de facie nôrat: Notum eſt omnibus, ante *Ferdinandi II.* tempora Religionem Catholicam in *Bohemia* proculcatam, & peſſimis modis ab hæreticis tractatam, & in religioſos viros, eorúmque ditiones præcipuè factum impetum: *Milevvsko*, ſeu *Milovicenſe Pramonſtratenſium Cænobium* jam inde à *Taboritarum* temporibus occupatum, ad profanas manus devenerat, & velut alia quæcunque ditio vendebatur, emebatur, & mutabat Dominos. Sæculi hujus initio circa An. 1600. *David Bechinie* ex Equeſtri, & antiqua *Bohemiæ* nobilitate ortus, ſed idem hæreſi corruptiſſimus, *Cænobium* illud deſertum, totámque unà ampliſſimam *Cænobij* ditionem tenebat; audierat ille ſæpe à narrantibus, in ijs *Cænobij* ruinis, ubi adhuc aliquot cubicula perſtabant, obire *ſpectra*, terrorem noctu ſpargere, gemitus audiri; homo, qui nihil divinæ fidei tribueret, humanam etiam in dubium revocabat; denique in cubiculo maximo *ſpectris* illis plurimùm obnoxio, ſterni ſibi lectulum jubet. Nocte mediâ tumultus excitatur, evigilat, adeſt copioſa *Religioſorum hominum*, qui

De Davide Bechinio mira narratio.

per

Digitized by Google

per paria diſtingvebantur, multitudo; adornatur *Proceſſio*, ùt mos eſt, canitur, & præter lectum vigilantis *Domini* ducitur; at ſimul quoties ad jacentem ventum, per ordiné quisq; caput involabant, & crines vellebant, donec (non humanum factum!) calvum omnino, & ut ſic dicam, implumem relinquerent. Rem omnibus notam eo tempore fuiſſe, ridereíque ſolitum *Bechinium*, ac nunquam quoad vixit, recreviſſe illi, quos amiſerat crines, idem *Scriptor* affirmat. Quid illud *ſpectrorum* fuerit, quæ ſibi ex homine ludibrium facere voluerint, in medio relinquo; id tamen certiſſimum eſt, ac narrationibus, & omni fide digniſſimis exemplis, ac teſtimonijs compertum: in deſertis Arcibus, ac Cœnobijs, plerumque nocturnos *lemures* habitare, nec audiri modò, ſed etiam ſpectari. A Viro religioſo, gravi, & circumſpecto, certè, nullis alioqui imaginibus, & terriculamentis phantaſiæ ſubjecto accepi (locum non nominabo; ſatis eſt dicere, *Cœnobium* olim ſtetiſſe certi ordinis Religioſorum, quod poſtea *Societati noſtræ Pontificum, & Cæſarum* voluntate transſcriptum eſt.) Cùm igitur Religioſus hic Vir in Penuaria cella pro officij ſui munere (quippe *Collegij noſtri promus condus*) uſquè ad multam noctem ſecandis in diem craſtinum carnibus, aliíſque ejusmodi negotijs occupatus hæſiſſet, opere jam perfecto, fiſcinâ in humeros ſublatâ, carnes in culinam, ut per noctem in aqua permadeſcerent, ac teneriores fierent, deferebat. Tranſeundum erat per hortum, & via penes ipſas feneſtras ad terram (ubi olim vetus *Cœnobij ædificium* ſteterat) ducebat; videt lucem in cubiculo, quod jam in *Scholas* Majores noſtri converterant; miratur id noctis aliquem in cubiculo deſerto morari; feneſtram afforis aperire tentat, aperitur facilè: en tibi ad candelæ lumen *tres Religioſos* in habitu ſui ordinis conſpicit truci aſpectu ad *Menſam* quandam ſedentes, & *chartarum folijs*, ùt fieri apud otioſos ſcurras ſolet, ludentes. Exhorruit nimirum, & illa ludionum ſcena momentò ex oculis evanuit; *Noſter* plenus terrore, & conſternatione propere ſe ſpectaculo ſubduxit. *Locum* ipſum, *Ordinem* ſacrum, *tempus & annum*, quo id contigit ſcio; *Virum* ipſum, qui ludentes deprehenderat, commemorantem audivi.

G. P.

Spectra chartarum folijs ludentia.

Mirabile *ſpectri* genus, non æquè tamen omnibus obvium, & aſpectabile ad *Novamdomum Bohemiæ Urbem* aliquando viatoribus occurſat, itinere illo, quod eſt inter duas *Eccleſias* propè ſuburbanas, *S. Jacobi* ſcilicet, & *S. Catharinæ*. Redibam ante circiter octodecim annos *Sobieslaviâ*, nocte jam concubiâ, comitante *D. Joanne Sumſar* Viro primario, conſulari, & doctrinis omnibus, etiam Theologicis exculto, qui mihi ſanctè (ùt erat probus) affirmavit, ſibi in hac via, non ſemel *Sobieslaviâ* (quæ erat Viro Patria) redeunti, occurriſſe *Equitem* grandi *Equo nigro* frementi inſidentem, totum à capite cum ipſis pedibus, & veſtigijs cataphractum, plumatâ galeâ, ſuccinctum enſe, aliíſque armis probè inſtructum, cataphracturam ipſam politiſſimam, ùt & galeam lucentem à lęvore multis in locis inauratam fuiſſe, ut dubitari non poſſet, magni alicujus herois, aut Principis Perſonam ſuſtineri; *Equos* ſuos currules illius occurſu perturbatos, at ipſum *Equitem* à ſe ſalutatum toto capite ſemper annuiſſe, & innoxium præterequitâſſe ſilentio. Citabat Vir peramicus alios quoq; teſtes, quibus idem *Eques* ſæpius occurrit; ego tum nihil tale occurriſſe nobis gaviſus, *Urbem* intravi.

Spectrum Equitis cataphracti.

§. V.

*De Laruncul*is*, infantûm ad inſtar, flentibus, & ridentibus. De Montanis dæmunculis. Volatus Cacodæmonum Cuttenbergæ. Zatecium Civitas à Dæmonibus obſeſſa. Rex Artuſs. Dæmones concionabundi.*

Superſtitio anilis de Laribus.

VArijs, miriſque modis *malos genios* hominibus illudere pro comperto habetur, & cui deeſſe poſſent exempla? ſuperſtitioſum quarundam Vetularum genus *Lares* ſibi demerendos ſumit; præcipit cavere, nè in *pervigilio diei Veneris* (niſi fallor) *Menſa* vacua relinquatur, *Lares* ſcilicet illis reliquijs veſci. Memini me puerum, cùm *Ancillæ noſtræ* poſt Cœnam diei Jovis, neſcio quid tale reliquiſſent *Laribus*, farinam totâ menſâ ſparſiſſe, ac manè *felis domeſticæ* veſtigia, & pedum vaginulas demonſtrâſſe; hic illis *Lar* fuit. Attamen *Larunculos* illos aſpectabiles nonnunquam venire ad ſuos, & coli velle, nimis quàm certum eſt. In Oppido quodam (nomen conſultò non addo) Domus erat, in qua *Larunculi* illi regnabant; duo formoſiſſimi pueri, quaſi quinquennes, pedibus, & manibus innexis ludibundi, & ridentes propè diebus ſingulis ſpectabantur; *Erotem, & Anterotem Philoſtrati* dixiſſes. Colebantur à domeſticis religiosè, & *Sancti Tutelares Angeli* putabantur; illi viciſſim, ut gratos ſe præſtarent, Equos pectebant, Boves, oves, Anſeres, gallinas curabant, ut omnia juxta vòtum hoſpitæ ſana, fœcunda, & ad invidiam omnium vicinorum formoſa evaderent. Res ad me, qui tum in arce apud amantem mei *Comitem* verſabar, defertur; acceſſi domum, rem omnibus domeſticis notam audio; diu mihi laborandum fuit, ut perſvadere poſſem, *malos Dæmones* eſſe; utilitates ex ijs commemorabant, nihil mali agere, *flere* tantùm, ſi quid immineret mali, *ridere* ad ventura bona. Juſſi, ut me vocarent, ubi iterum adveniſſent; venêre, advocor, ante ingreſſum amittuntur ex oculis; denique ſacris amuletis fugati deſierunt apparere, & honoribus Divinis, quos affectare videbantur, ſunt dejecti.

Larunculi duo Daupoviæ.

D.

Philoſtr. ſenior in imaginibus. in Erote.

Fabrelli Domorum.

De *Fabrellis domorum*, qui in parietibus ad numerum incudem tundunt, dixi libro primo; ibidem etiam eorum *Dæmonum* fecimus mentionem, qui pumilo corpore, ſed ſenili, & caperatâ fronte, barbis plusquam philoſophicis humum verrentes illudunt *foſſoribus*; de quibus multæ ſunt apud *Theobaldum*, *Agricolam*, & alios qui de fodinis agunt, narrationes. Quod ad fabrellos: *Chriſtophorus Arnoldus* Vir clariſſimus, omnibus illuſtribus diſciplinis, etiam Orientalium lingvarum peritiâ clarus inprimis, publicus Noribergæ Hiſtorices, Poëſeos &c. Profeſſor. (datis ad me An. 1679. 8. Auguſti humaniſſimis literis) narrationem meam exemplo, & authoritate ſuâ ſtabilivit; cujus hæc ſunt: *fabrellos in parietibus Domorum, vermes ligna rodentes non eſſe, mecum rectè pernegas; quos ante trimeſtre hoc temporis ſpatium in Vidui cujusdam ædibus, velut teſtis audivi in corbe ſubtili vimine colligata, atque perſpicua; aurem applicui à pariete removi, manu prætuli: ceſſavit malleolus donec reponerem. Altero autem vel tertio die in patina ſtannea dum cœnarent, omnibus conviventibus domeſticis, rurſus iterúmque exaudiebatur. Anno ſuperiore ferè idem accidit antequàm uxor nunc defuncta ægrotaret. Idem ex Amico audivi, eosdem ictus in vitreo poculo ſentiente; nono pòſt filiolus fato conceſſit.* Hæc ille Vir doctiſſimus.

Theobald. l. de Arcanis natu: Agricola l. de ſubterraneis.

C. 16. Miſcell.

Fabrelli præſagi malorum.

Cutten-

Cuttenbergæ An. 1509. in fodina celebri, quam *Ssmytnam* dixêre, *mali dæmones* laborem auſpicati, multos dies, ac noctes foſſionibus occupati foris audiebantur; præſagium id fuiſſe *mortis foſſorum*, qui pòſt in ea fodina extincti ſunt, affirmat *Cuttnenſis hiſtoria.* Annis pòſt decem in Septembri narratur ibidem, magno numero *dæmones* varijs ex locis, diverſis formis, per aërem volitantes viſos à Civibus.

M S Nicolai Prachnian.

Exercitus dæmonum.

Longè admirabilius eſt, quod in *Annalibus Bohemiæ* ex vetuſtis monimentis recitat *Hagecius* ad A.D. 1201. paulò antè Paſchatis ſolennes dies, occidente Sole, ante Urbem *Ziatecium* numeroſum militum Exercitum apparuiſſe, caſtráque velut obſeſſuros circa *Urbem* fixiſſe. *Senatus* re cognitâ vocari *Cives* ad arma juſſit, & *Urbem* ſuis locis defendere; interea ex turribus, & propugnaculis viſebantur hoſtes armati, & ad obſidionem comparati; exploratum miſſi duo *Hrobek*, & *Ssyba* referunt vim parari, obijſſe ſe univerſum Exercitum hoſtium, interrogare non auſos, copias *Equitum*, & *Peditum* eſſe maximas, *germanicâ* alios, alios etiam *bohemicâ* lingvâ loqui. Nocte vigilando in ſummis terroribus exactâ, manè trepidi *Cives*, quid hoſtes agant, proſpectant, nullus uſquam comparet, mittunt iterum, qui explorent, hoſtis nullus; Urbe denique *Cives* egreſſi quàm plurimi, nihil omnino mutatum in campis, ex *gabalo* ſolùm *reum*, qui pendebat, dejectum eſſe, & ad ſalicem reclinatum invenerunt! Ad mali *Dæmonis* fallacias, & præſtigias & illud arbitror pertinere, quod idem *Hagecius* ad Ann. 1445. de *Rege Artuſſ in Villa Stadienſi ad Bilinam*, apparente commemorat: veniſſe videlicet in vere ejus anni auguſtâ & regiâ formâ ſenem ad *Villam Stadicenſem* ſex Viris comitatum, ex quibus quatuor prolixâ barbâ Seneciones, primo illi Seni (quem *Regem Artuſſ* vocabant) à conſilijs ſe eſſe jactabant, ſextus velut à commentarijs annotabat Oracula, quæcunque *Rex Artuſſ*, aut ejus conſilium pronunciaſſet; ſervum quoque adduxerant, qui in ligneis lancibus & poculis cibum & potum, cùm tempus poſceret, miniſtrabat. Nemo unde veniſſent, aut quid ſibi vellent percontando à Senibus exſculpere potuit, ſedebant in ceſpite, in coryleto *Przemislai Bohemiæ Ducis* velut magnis de rebus agentes. Vulgatâ per viciniam Senum apparentiû famâ, accurrêre mortales plurimi, & interrogationib⁹ fatigabant; illud tantùm cognitum eſt, aliud nihil: *Regem Artuſſ vocari, regnaſſe in tranſmarinis partibus, à DEO Regem Bohemis eſſe deſtinatum, eóque regnante aurea Przemyslai Ducis tempora*, Bohemiæ *reditura.* *Joannes Smirzicius Raudnicij Dynaſta* miſſis ſatellitibus comprehenſos ad ſe juſſit adduci, cúmque aliud nihil ab ijs exprimi poſſet, per dies aliquot recluſos bene tamen & liberaliter habitos, tandem *Regem Artuſſ Pragam* Amico ſuo *Peſſikoni de Kunvvald* miſit, conſiliarios retinuit tantiſper, deinde barbis reſectis diverſos expulit; quorum primus cùm *Smirzicij* manum valedicendo teneret, *malè*, inquit, *egiſti nos inhonorando.* Alter *Deus nos vindicabit, Tu pœnam expecta.* Tertius: *octo vitæ annos amiſiſti.* Poſtremus: *tu barbam demeſſuiſti nobis, tibi caput demetetur.* Quæ omnia ut prædicta ſunt, eveniſſe, *Joannis Smirzicij* mors, quæ in *Ænea Silvio* narratur, oſtendit. At *Regem Artuſſ Pragæ Peſſik*, captus morum ſimplicitate, & miſericordiâ hominis à Dæmone illuſi benignè habuit, ac tandem aureo Numiſmate donatum dimiſit; cui *Pſeudoartuſſ Smirzicio*, inquit, *mei Conſiliarij malò malè precati ſunt, ego tibi bono Viro, & mei amanti bene precor;* ſimul diſceſſit, & nunquam poſtea apparuit, neque ullis quæſtionibus reſcire licuit, quam viam tenuerit, & utrum ſuos invenerit. Triſtius multò atque etiam periculoſius exemplum idem *Hagecius* ad An. 1176. commemo-

De hoc coryleto vide C. ſeq. §. 2.

Rex Artuſs Stadicij.

In hiſt. Boh.

In Anna: Boh:

Digitized by Google

morat: cùm enim ex Gallia *Waldenſes*, *Pauperes de Lugdano*, *Picardi*, *&c.* in Bohemiam penetraſſent (qua de re in *Epitome* noſtra multa leguntur) & in ſpecubus, ac ſubterraneis locis continerent ſeſe, omni genere libidinum & ſubationum maculoſi, tandem, ut nihil ad nequitiam deeſſet *duos Cacodæmones Picardis* miſcuiſſe ſeſe, qui per vicos, & caſtella diſcurrentes conciones cogebant, & fœdiſſimos errores ſpargebant in populum, illum præcipuè: *nullum in hominum vita cenſeri poſſe peccatum.* Diu hoc illis concionandi munus ibat ſub manum, donec *Weſelenſis Parochus* (nomen *Hagecius* non addidit) Vir à ſanctimonia celebris deprehenſos diſputando convicit, & ſacris adjurationibus uſus, hominum formas exuere juſſit, & ad lares ſuos infernales præcipites ire compulit. De malo dæmone *Patavij* Anno ſæculari, *de cœlo & beata vita* concionante admirabilis prorſus hiſtoria eſt, quam elegantiſſimis verbis, & lectiſſimis ſententijs deſcripſit in ſuo *Thraſymeno Urbano VIII. Summo Pontifici* dedicato orbus quidem oculis, ſed plurimis ſapientior oculatis *M. Antonius Bonciarius*, quem *Homerum Italiæ Lipſius* appellavit. Sed hæc quia nihil ad nos mittamus.

§. VI.

De Spectro in Arce Pragenſi, quod Carolum IV. Imperatorem conterruit.

Carolus IV. Imp in vita ſua edidit Marquard. Frecherus.

Spectrum in Arce S. Viti in Domo Burgraviatûs.

OPtimum Imperatorem, & Bohemiæ Regem, *Carolum IV.* cœleſtibus viſis aliquando dignatum, *ſpectrorum* etiam terriculamentis vexatum, ea, quæ in *vita ſua* ipſe narrat, oſtendunt: *Illo tempore* (verba Caroli recito) *equitabamus, unâ dierum de Purglino in Pragam, volentes adire Patrem noſtrum* (Joannem Regem videlicet) *qui erat in Moravia; & tardè venimus in Caſtrum Pragenſe ad antiquam domum Burgraviatûs, ubi manſionem per aliquot annos feceramus, antequam Palatium magnum fuerat ædificatum: & nocturno tempore depoſuimus nos in lecto, & Buſko* (Bohuslaus) *de Welbarticz ſenior in altero ante nos: & erat magnus ignis in Camera, quia tempus hiemale erat, multæque candelæ ardebant in Camera, ità quòd lumen ſufficiens erat, ac janua ac feneſtræ omnes erant clauſæ. Et cum incepiſſemus dormire, tunc deambulabat neſcio quid per Cameram, ità quòd ambò evigilavimus, & fecimus dictum Buſkonem ſurgere, ut videret, quid eſſet. Ipſe autem ſurgens circuivit per Cameram quærens, & nihil vidit, nec quicquam potuit invenire. Tunc fecit majorem ignem, & plures candelas accendit, & ivit ad ſcyphos, qui ſtabant pleni vino ſuper bancas, & potavit, & repoſuit unum ſcyphum propè unam magnam candelam ardentem, potatione facta. Tunc depoſuit ſe iterum ad lectum, & Nos induti pallio noſtro ſedebamus in lecto, & audiebamus ambulantem, neminem tamen videre poteramus. Et ſic reſpicientes cum prædicto Buſkone ſuper ſcyphos, & candelas, vidimus ſcyphum projectum, & idem ſcyphus projiciebatur, neſcimus per quem, ultra lectum Buſkonis de uno angulo Cameræ uſquè ad alterum parietem, qui ſic reverberatus à pariete, cecidit in medium Cameræ. Videntes hoc, territi ſumus nimium, & ſemper ambulantem in Camera audivimus, neminem autem vidimus. Poſt verò ſignati ſanctâ Cruce, in Chriſti nomine uſquè in manè dormivimus, & manè ſurgentes, ſcyphum, prout projectus erat, in medio Cameræ invenimus, & noſtris familiaribus ad nos de mane venientibus, oſtendimus.* Hæc ex vita *Caroli IV.* quam *Frecherus* edidit, exſcripſi, nè verbo mutato: nam mi-

Digitized by Google

mirum in modum me ſimplex Antiquitatis Oratio præ ipſo *Cicerone* oblectat, præſertim *Imperatoris* tanti, cujus virtutes diu ignaviſſimi filij vitia ſuſtentârunt.

T. G.

Huic quod *Carolus IV.* narrat exemplo ſimile aliud (quod ætate noſtrâ in Arce *Bohemiæ* notiſſima, *Sacerdoti* cuidam *è Societate*, viro graviſſimo contigit) ſubjicere poſſem; ſed jam ſcribere tædet ea, quæ ubique & legimus, & audimus; ſunt enim infinita de *Spectris, & Lemuribus*, quæ ſi adferre velim, non tam me dies, quàm vita deficeret. Lege, ſi lubet *Hagecium* ad An. 878. 909. 991. 1029. 1080. 1081. 1093.

Exempla plura citantur.

CAPUT XVII.

Ex occaſione Spectrorum, & præſtigiarum, quas mali Genij mortalium oculis objiciunt; de Magicis artibus veterum Bohemorum, rariora adducuntur exempla.

Magia fuit ſumma Veterum Sapientia.

A *Spectris, Lemuribus, Laribus, & pallentibus umbris*, ut Virgilianè dicam, proximus ad *Magicen* gradus eſt, cujus tam ſtudioſa *Bohema* gens antè quàm Chriſtiana ſacra ſuſciperent, fuit, ut nihil, niſi *Dæmonibus* conſultis aggrederentur, nihil ſinè his authoribus, ſeu pace, ſeu bello, ſeu domi, ſeu foris, ſeu privatum, ſeu publicum patrarent; omnia referebantur ad Deos! tanta erat miſeræ gentis cæcitas, tanta ſervitus, tanta Dæmonum Divinitatis nomen affectantium Tyrannis! ſumma ſapientia cenſebatur, *familiarem eſſe Dæmonibus*, ritúmque eos advocandi, colendi, propitiandi didiciſſe. *Budecij* non procul *Welvvario* ejuſmodi Scholas, in quibus *magicè* doceretur, apertas habuêre *Bohemi*, quas omnis Juventus, adoleſcentes, virgines, & pueri frequentabant; illuc à *Croco II.* Pragenſi Principe, *Budecij* conditore, & magicis ſacris deditiſſimo, tres filias ad diſcendum miſſas *Libuſſam, Tetkam, & Kaſſam* noſtri annales ſignificant, traditque *Weleslavinus: Przemyslum* Stadicenſis villæ Dominum puerilibus Annis *Budecij* condiſcipulum *Libuſſæ* fuiſſe, & notitiæ, & amoris jacta jam tum inter eos quædam ſemina, quibus tempore maturatis (primi enim amores tenaciſſimè animis affiguntur) *Przemislaus ad Libuſſæ* conjugium, & ad *Principatum Bohemiæ* obtinendum vocatus aſcenderit. Hanc *Budecenſem Dæmonum Academiam* poſtea (ut in hiſtoria narravi) Sanctiſſimi noſtræ gentis Apoſtoli *Cyrillus & Methodius* in melius correxêre, & *dæmone* quodammodo in ſuis caſtris caſo, Magiſtros* impoſuêre, *qui *Slavicas* abs ſe tú primùm inventas literas, ac deinde *Latinas*, bonáſque artes cæteras docerent, & Chriſtianis ſacris initarent Juventutem, in quibus ſcholis auditorem fuiſſe *S. Principem Wenceslaum* ſcribit nepos ejus *Chriſtannus*. Sed hęc diu pòſt; ad inſtitutum ſermonem redeamus.

Hagek ad An. 680.

Weleslav. in Geneal. Ducum ac Regum Boh.

Budecenſis Schola magica in ſacram commutata.

Chriſtannus in vita S. Ludmilla.

§. I.

Sororum Kaſſæ, Tetcæ, ac Libuſſæ præcipuè, cum Dæmonibus familiaritas, artiſque magicæ peritia.

Hagek ad An. 709. in Annal:

EX *Croci* parentis, & Magiſtrorum *Budecenſium* peſſimâ inſtitutione, omnes *Magices* partes, *ſorores* regiæ percepêre: *Kaſſa* natu maxima herba-

Kaſſa.

Digitized by Google

herbarum omnium vires didicerat, incantationes, & carmina, quibus pronunciatis morbos fæliciter averruncare ſciebat, & quidquid amiſſum foret, ubi lateret, indicare quærentibus. *Tetka* tota cerimonijs immerſa, ex Deorum cultu fælicitatem omnem pendêre, & amicos habere Deos populum docebat, neq; alios coli, quàm *Silvarum*, *Aquarum*, *& montium Deos* ſvadebat. Tertia, ſororum minima *Libuſſa*, conſilio validiſſima, regnandi artibus à Patre *Croco* informata, & dum moritur, Populo commendata, cùm futura omnia, velut coram ſe poſita intueri videretur, ac prædiceret, *Imperium* populo deferente accepit. *Auream ranam* geſtare ſolebat manu, cujus aſpectu incaleſcens quodammodo, abſentia, & futura videbat, vaticinans, & oracula profundens, quæ decreto populi in philyris, & tunicis arborum notabantur; *Dea*, quam maximè colebat Libuſſa, *Klimba* dicebatur.

Tetka.

Libuſſa.

§. II.

Libuſſa PrZemyslum ex villa StadicZ conjugem, & conſortem Imperij appellat; cui nominationi plurimæ præſtigiæ, & magica intervenêre.

Libuſſæ imperium quantumvis juſtiſſimum poſt annos propemodum duodecim viri, & nobiles, qui conjugium ejus fruſtra ſperaverant, faſtidire, & detrectare cæperunt; ergo *Libuſſa* Populi clamoribus, & nobilium jurgijs adacta, *Legatos* legit, & *Equum candidum* ſuum regio more inſtratum, auro & gemmis fulgentem juſſit educi; *hic*, inquit, *itineris veſtri ductor erit, hunc ſequimini; hic vobis Aratorem in ferrea menſa prandentem, Przemyslum nomine, mihi conjugem, vobis Principem oſtendet; veſtes purpureas, mitram, & calceos induendo, & ornando Novo Principi (cujus Regia ſtirps quingentos ſeptuaginta quatuor in bohemia regnabit annos) adjicio! ite! & redite feliciter!* ſponte præeuntem *Libuſſæ equum* Legati decem numero ſequuntur in equis; rectà ad ripam fluvij *Bilinæ*, ubi villa *Stadice* ſtabat, & ad agrum *Przemysli equus* contendit. Sedebat *Przemyslus* in ſtiva, & aratione nondum ex integro perfectâ, expoſitis in vomere (hæc erat illa *menſa ferrea*) caſeo, & pane veſcebatur. *Equus Libuſſæ* protinus flexis poplitibus ad *Przemyslum* vertitur, & cervicem etiam ſubmittit, *Legati* velut ſigno dato ex equis devolant, & *Libuſſæ*, & univerſi *Czechorum* populi votis disertâ oratione explicatis, *Principem* lætis vocibus conſalutant; ille nihil commoveri ſe paſſus, dum famem expleviſſet, conſurgit, & pro reſponſo ſtimulo colurno, quo antè uſus erat, elato, *boves duos candidos*, qui proximè paſcebantur in herba, virgâ colurnâ leniter admonuit, *ite*, inquit, *unde veniſtis!* boves ſtatim in altum ſublati, ut agi à *dæmone* appareret, antrum quoddam proximum volatu ſubière. *Virgam* deinde *Premyslus* humi infigit, quæ puncto temporis viruit, & in ramos tres diviſa, pauló pòſt folia, atque etiam *nuces* produxit; ex his duo ramuli brevì ſpectantibus *Legatis* exaruerunt, *tertius* altiùs ſeſe efferens, & ejaculans permanſit; tum ad *Legatos* converſus: *Cedamus*, ait, *voluntati Deorum! ab aratro ad faſces, & imperium nos vocant!* hoc dicto, mitram, & ruſticos illos perones, habitúmque Aratoris deponit, ac inſignia *Principis*, adjuvantibus *Legatis* aſſumit: deinde, cùm *equum Libuſſæ* priùs manu poppyſmate demulſiſſet, aſcendit, juſſitque *veteres calceos* ſibi porrigi, quos *Wiſſehradum* adferret. Certatim *Proceres* equis conſcenſis, quem *Dominum* ſalutârunt, ſequun-

Vaticinium magicum Libuſſæ.

Electio Przemyslai Magica.

quuntur, & quia tot novis rebus, & præſtigijs pertinxerat animos, diu ſilentium tenêre; tandem creſcente paulatim audaciâ, unus aliquis, qui *Przemyſli* benigniores in ſe oculos notaverat: *Ignoſces*, inquit, *Domine, ſi tot miracula, quæ apud te vidimus, nos paulùm carioſiores efficiant: quid amabò, illud primum ſignificat, quòd te in ferrea menſa ſedentem inventum à nobis iri Domina prædixit? ferrum* (reſpondet Przemyſlus) *huic noſtræ genti in pretio eſſe debet; ferrum paci ſervit, & bello: arat in pace, belli tempore dextram implet, & Patriam tuetur ab hoſtibus. Quamdiu hanc menſam, Viri Bohemi, habebitis, vincentur hoſtes; ubi alienigenæ menſam hanc vobis eripient, aut conſument*, (id eſt, ſi agriculturâ, & militiâ vos exteri depulerint) *actum eſſe de gente veſtra putate.*

Colleg. Pragen. S. J. ad Ferd. III in Vaticinio Przemyſl. Dubraw. hiſt. Boh. l. 2. init. Hagek ad An. 722.

De Przemiſlai corylo.

Tam prudenti reſponſo illectus ex *Legatis* alius, quid ſibi *corylus* velit, interrogat? tum Przemyſlus: *ſtirps mea fata denotantur hâc corylo: ſtirps mea in tres diviſa ramos in his oris regnabit; duabus intereuntibus, florebit tamen tertia, idque diutiſſimè, donec avi cædem nepos ulciſcatur. Atque utinam veſtra Domina ſeriùs vos ad me miſiſſet, aut vos expectare, & manere me, dum agrum omnem meum exararem, voluiſſetis, profectò nulla unquam fames Bohemiam vexâſſet.* Tandem & illud Proceres ex *Przemyſlo* quærunt: cui *calceos* illos ruſticos, quos ipſe ex tiliarũ corticibus olim conſuerat, & nunc in ſinu abditos geſtabat, ſervaret? *Poſterorum meorum memoria*, ait Przemyſlus. *meminerint, volo, fortunæ meæ, & ſuæ; meminerint originis, neque ſe ex alijs elementis, & luto, quàm ſint ſubditi, compoſitos arbitrentur, & miſeris ſuccurrere diſcant.* Inter hos, & ejuſmodi dignos *Principe* ſermones, altero etiam die conſumto *Wiſſehradum* vident. Occurrit cum *Procerum*, & Aulæ totius lectiſſimo comitatu *Libuſſa*, tum maritum, & *Principem* manu priùs, dein etiam oſculo ſalutat, atque in Arcem Regiam *Wiſſehradenſem* omnibus *Bohemiæ* Ordinibus plaudentibus inducit.

Przemyſlai in ſumma fortuna moderatio.

An ſuperiora verè contingere potuerint.

Omitto cætera, quæ ad propoſitum minùs faciunt: ſed hoc loco *Sciolus* aliquis, & temporum illorum, quibus ex *Dæmonum* afflatu pendebant omnia, non ſatis gnarus, interroget: an ego *fabellam* (quales pueris, ut indormiant, narrari à nutricibus ſolent) an *hiſtoriam* Viris dignam ſcribere inſtituerim? equidem ſúſque déque habeo, ſive hæc vera, ſive falſa putentur: non enim *in hoc ſita ſunt fortunæ Græciæ*, ùt veteri proverbio jactatur, neque velim *fabulis*, quas *audire cognitioni veritatis impedimentum* eſt (ùt ait *Ariſtoteles*) hiſtoriam meam corrumpi, & cùm partem defendo, de veritate univerſæ hiſtoriæ periclitari: ajo tamen fidenter: hæc omnia mali *Dæmonis* ope peragi potuiſſe.

Ariſt. 2. Metaph.

Quanta magicis artibus (etiam *Euſebio* concedente) *Apollonius Tyaneus* perfecit? in judicium *Domitiani* vocatus momentò diſparuit, *Româ in Græciam* translatus, ùt habet *D. Hieronymus;* quàm mira ejuſmodi exempla, *Cicogna*, & *Delrius* adducunt, jam *Chriſto Domino*, Deóque noſtro per Europam regnante, patrata! de *bobus* in auras elatis, & de *Equo Libuſſæ* magico, quid magnopere mirandum ei, qui *vitulos aureos Jeroboami* in aëre ſuſpenſos, & *Dædali ſtatuas* arte magicâ mobiles, & quæ niſi vincirentur catenis, profugerent, tum *canes Cornelij Agrippæ*, & *Fauſti*, inſeſſos à Dæmonibus, & *gallum Libanij* ſophiſtæ, aliáque ejuſmodi magorum legerit ab idoneis authoribus deſcripta? *Coryli* ſubitò creſcentis ſpectaculum, quid habet incredibile, ſi naturam *Dæmonum* viribus metiamur? quid, an non flores, & lilia, & vites cum botris ex menſa creſcentes à pluribus *Magis*, ac nominatim à *Fauſto* & *Scoto Parmenſi* convivis propoſitos ignoramus? *Jacobus Typotius* V. Cl. dum in *Finlandia* verſaretur compeƿiſſe ſe ſcribit: incantationibus *Lap-*

Baron. in An: Eccl. ad A. 98. Euſebius in Hieroclem. Philoſtr. in vita Apollonij. Joan. Bapt: Pius in Annot. C. 99. Delrio in Diſquiſitionibus Magicis. Strozzius Cicogna de Magia libris 4. Kircher. in Magnetiſmo l. 1. proleg. C. 5. Theoph. Raynaud Tom. 4. diſt. 2. q. 1. art. 1. Jovius in Elogijs doctor. Viror. Cicogna l. 4 de Magia C. 7. Typot. l. 1 de Hierogr. n. 75.

Quàm multa per Magiam conficiantur.

ponum feras cicurari, terram, & arbuſta moveri, rerum naturam univerſam percelli. Hæc omnia, quæ de *Przemyslo* antiquorum fide retulimus, fieri potuiſſe ſatìs oſtendunt; facta verò eſſe universa *Bohemiæ* credidit antiquitas: *Coryletum* illud *Przemysli* diligenter coli *Carolus IV.* ùt in hiſtoria narravimus, juſſit, earúmque nucium certam menſuram in coronationibus ante *Regem* à villæ *Stadicenſis Dominis* effundi ſolitam conſtat; *Antrum* illud, in quod involavêre *Boves*, *hodiéque* monſtratur, ac ne quid deeſſet, perfecêre *Dæmones*, ut rivulus aquæ ſaluberrimus, qui ex eo monte profluit, *fimum bubulum* hodiéque redoleat, vel potiùs ſapiat, ídque guſtatu intelligitur; cujus rei ipſe ego præſens feci periculum, & rem ità ſe habere deprehendi. Porrò ruſtici illi *perones* multis ſæculis in coronationibus *Principum* populo monſtrabantur, eósque in *Eccleſia Wiſſehradenſi* diligentiſſimè cuſtoditos, *Hagecius* ſcribit in oppugnatione arcis illius perijſſe. At *mitra Przemyslai*, quam ei *Libuſſa* impoſuerat, *Duces* noſtri, quàm diu *Regium* nomen *Bohemia* illatum non fuit, in inauguratione, & in populi *Panegyribus*, *ac Comitijs* utebantur.

§. III.

Horomirus Dynaſta equo incantato, & à malo Genio inſeſſo per aëra vectus, Muldavam flumen tranſilit, & mortem evadit.

hiſt S. Montis l. 2. C. 3. §. 2.

Hiſtoriam hanc, aut ſi quis pugnare velit, fabulam, pridem in Hiſtoria *S. Montis* narravi, quam hîc, cùm ad alia *Miſcellaneorum argumenta* tractanda properem, bonâ gratiâ Lectoris exſcribam: An. 843. juxta *Hagecij Chronologiam* (nos enim aliam ſequimur, ùt in *Rationario* temporum dicemus) *Creſomyslio Bohemis* imperante, montes *Przibramenſium* tantam effundebant venis argenti vim, ut tota illa regio, deſertis agris, ad fodiendum, velut ad certas opes convolaret: *creſcebat amor nummi, quantum ipſa pecunia;* ſed brevi conſecuta *fames* & cùm ſubterranea illa turba *Pragâ* frumentum peteret, ibi quoque conſumtis alimentis, laborabatur. Adeunt Principem *Creſomyslum Proceres*, & de *fame* in populo tot foſſionibus occupato, agríſque deſertis queruntur; ſed jam *lux argenti* oculos *Ducis* perſtrinxerat, & *argenti panis Przibramo* allati, famem Ducis accenderant. Anni ferè três interceſſerunt, neque modò imminuta, ſed aucta *fames*: univerſi *Bohemiæ Proceres*, aditu ad *Principem* impetrato, rogant, nè populum perire miſerè velit; docent, quid facto opus ſit, claudi tantiſper fodinas, dum populus ad agrorum culturam revocetur. Non latuit ea res *foſſores Przibramenſes*, & quia ſe peti videbant, ſuáque lucra perire, omnem moverunt etiam argenteum lapidem, ut victus argenti ſplendore *Princeps*, nihil adversùm fodinas ſtatueret. Victa *Procerum* interceſſio eſt, cùm malus *Princeps* famem ſe diceret non ſentire; qui ſameret, eum verò laborare in agro debere. Erat inter *Proceres* militaris ingenij Vir *Horomirus*, nec longè à *Przibramo* ſub *Auſinijs* montibus habitabat: hunc *foſſores* (quia *Procerum* nomine meminerant nuper ad *Principem* eſſe locutum) ſibi petendum ùt hoſtem decernunt: cogitur *Przibrami* conſilium: alij interficiendum clamant, alij captum tam diu pane, cujus inopiam timeret, ſaginandum, quoad animâ interclusâ periret. Silentio comparatis militibus *Neumetelium Horomiri Arcem* nocte aggrediuntur; ſenſit *Horomirus*, & equo conſcenſo, ægrè licèt, effugit. *Ssenik Equo* nomen erat, qui pridem

Avaritia famem facit.

Horomirus foſſoribus metallicis adverſus invaditur.

Hagek in An: ad A. 846. Dubraw. hiſt. Boh. l. 2.

Caco-

Digitized by Google

Cacodæmoni magicis devotus carminibus, ab ipſo illo malo Genio inſidebatur. *Foſſores* omni frumento *Neumetelij* direpto, ignem arci ſubjecêre, néve facto ignominia deeſſet, chartulas maledictis, & contumelijs plenas per humum ſparsêre. *Horomirus*, cùm poſt periculum redijſſet, & flammis abſumpta videret omnia, incenſus irâ, non de vindicijs apud ignavum, & non ſuum *Principem*, ſed de ultione ſumenda cogitabat. Ergo malis *Dæmonibus* carminibus evocatis, *Equo ſuo Ssemiko* vectus, de media nocte *Przibramum* invadit, ſuccendit tuguria, evadentes obtruncat, alios in flammas repellit, ad *foſſas* deinde procedit; ibi, quia *foſſorum* nocturnus etiam eſt labor, & operas diu, noctúque commutant, malis genijs auxiliantibus, obruit tumulis laborantes, & fodinas rupibus maximis injectis, obcœcat & claudit. Perpetrato facinore lætus *Horomirus Equo* illo ſuo *Dæmoniaco* per ſeptem longiſſima milliaria vectus, manè primo re omni diſſimulatâ, ante *Principem Pragæ* ſtetit. Statim à *Regijs fodinarum Præfectis* tertio die cum tumultu *Horomiri* facinus indicatur *Principi*; conſequuntur deinde *Przibramenſium Legati*, de vi queruntur, cædes factas demonſtrant, vulnera, qui effugerant, oſtentant; negat *Horomirus* fieri potuiſſe, ut poſt dimidiam noctem *Przibramij*, & manè ante lucem coram *Principe* ſtaret; ſed teſtibus obrutus, veneficij pridem ſuſpectus, lite ſecundùm foſſores pronunciatâ, rei capitalis damnatur. Ille velut jam moriturus, ſupremam hanc gratiam poſtulat: liceret *Equum Ssemikum* conſcendere, & poſtremùm, in area arcis *Wiſſehradi* decurrere. Id, cùm impetratum eſſet, obfirmatis *Duce* jubente portis, quædam priùs in ſtabulo cum *Equo* collocutus, educit; ſemel, iterúmque citato curſu defertur, alacrius inde *Equum* adhortatur, ſaltu ille altiore libratur, denique cùm tertiò *Ssemici* nomen *Equus* audiſſet, reſpondere auſus: *Dominum* ut firmiter hæreret, admonuit, & per aëra ſublimem, per arcis mœnia raptum in adverſa *Muldavæ* ripa innoxiè deponit; *Equi veſtigia* diu monſtrata, donec eodem in loco templum conderetur. *Horomirto* diu Exuli venia *Procerum* interventu data, & *fodinæ*, ijsdem ſvadentibus, aliquamdiu deſertæ jacuerunt. *Lepidam fabellam* totum id, quod retuli, *Dubravius* arbitratur, clauditque narrationem Epiphonemate: *Id videlicet fabulæ defuerat, ut Equus etiam cum ſuo Horomiro loqueretur.* Mihi illa plena *Dæmonum* intuenti ſæcula, res humanas eâ tempeſtate pro libitu verſantium, non tam incredibile factum videtur; majora à *Cacodæmone* legimus perpetrata. *Coſmas Pragenſis Decanus*, primus *Bohemæ* Conditor Hiſtoriæ, qui An 1086. vixit, *Hagek* item *Boleslavienſis Præpoſitus*, id diſertis verbis affirmant: *Paredri* dæmones nimis obſequioſi multis fuerunt, authórque eſt *Svetonius*, *editum fuiſſe in theatro coram Nerone ſpectaculum, quo Icarius exhiberetur volatus;* ſed, ut Icarus eſſet, & cum nominis omne volaret, *S. Petrus Apoſtolus* præſens effecit, ſigno crucis adversùs volantem formato, momentò dejecit; & fabulam in hiſtoriam commutavit: *juxta cubiculum Neronis*, ait Svetonius, *decidit, atque illum cruore reſperſit.* Quis neſcit *Abarim Scythicum* à ſagitta pendentem, terras, & maria pervolâſſe narrari, in *Græciam* veniſſe, & per ſagittam reſponſa dediſſe? Id verò *Salianus* noſter minimè fabuloſum putat: nam cum *dæmone* vaticinaretur, eodem transferente, celeriùs omnibus ſagittis aërem permeabat.

[Margin notes: Horomiri de Metallicis vindicta. — Horomirus accuſatur, & damnatur. — Horomirus equo à dæmone inſeſſo per aëra vectus evadit. — Dubr. l. c. — Coſmas l. 1. hiſt. Boh. — Sveton. in Nerone C. 12. — Magicæ artes. — Icarus Simon Magus Baron. A. C. 68. Salian. in Annal. A. U. 189. S. Greg. Naz. monodia in S. Baſilium. Vide omnino Giraldum dialogo 3. de Poët. Coll. Prag. in Boh. Gentili Ferd. III. oblata A. 1627.]

Digitized by Google

§. IV.

Bellum inter Neklanum Pragenſium, & Wlaſtislaum Lucenſium Duces, portentis magicis confertum, & confectum. Æneæ Silvij narratio ex Scriptoribus cæteris correcta.

Coſm. l. c. Æn. Silv. hiſt. Boh. C. 10.

BEllum, quod inter *Patrueles Duces Neklanum, & Wlaſtislaum* geſtum eſt, & decretorum prælium, in quo *Wlaſtislaus* cæſus occubuit, miris quibuſdam eventis in hiſtoria noſtra ſignatur; deſcripsêre id *Coſmas* Scriptor antiquiſſimus, *Hagek, Dubravius, Silvius*, aliique omnes noſtri Scriptores; Æneam Silvium, qui breviſſimè complexus eſt omnia, deſcribam. *Ex Vniſlao natus eſt Krzezomyslaus, qui & Neklan dictus eſt, unicum timoris, & pavoris exemplum; cujus ignaviam animo volvens Patruus (* alij Patruelem appellant *) optimum inſtrumentum ſibi ad ſubigendam Bohemiam ratus, arma movens, plura adversùs eum bella fæliciter geſſit; quibus magnificatus, & auctus, Urbem condidit inter duos montes Mednam, & Pudecham, quam de ſuo nomine Wratislaviam nuncupavit; neque contentus prioribus victorijs, novum Nepoti bellum indicit, capitalem pœnam ſubditis ſuis interminans, qui gladij longitudinem æquantes in prælio deeſſent. Jubet quoque Purpuratos ſuos, Falcones, atque accipitres ſecum adferant, quos humanâ carne paſcere velit non ad pugnam, ſed ad cædem iturus. Poſtremò ſe nulli ærario parſurum dicit, ipſosque lactantes pueros ab ubere matrum rapi, atque confodi mandat, mammáſque mulierum pullis equorum ſugendas tradi. Inſolens ſanè, ac ſuperbiſſimus, & fortaſſe crudelior, quàm ſi viciſſet. Parte aliâ Neklan, Vir muliere corruptior, trepidare, atque pavere, nihil conſilij, nihil ſpei habere, ultimam vitæ ſuæ diem adveniſſe putare, non gladium intueri, non milites affari poſſe, alieno tamen ductus conſilio, ſe pugnæ interfuturum dicit. Et accerſito clàm Sclercio Nobili Equite, figurâ corporis ſibi perquam ſimili, animi verò fortitudine, & corporis robore diſſimillimo (fuit enim manu promptiſſimus, & audaci animo, atque inprimis rei bellicæ peritiſſimus) hunc ſuis armis indutum, ac Inſignibus Principalibus honeſtatum, quàm pauciſſimis rem ſcientibus, obire Ducis munia jubet. Multa interim vatum præſagia, fæminarum quoque ſpiritu (ùt ajunt) Pythonico imbutarum vaticinia exquiruntur; ex quibus una placandos Deos humanâ hoſtiâ reſpondit, ſic enim victoriam repromitti. Cui Neklan plus religioni, quàm armis fidens, cæſo quem fortes deſignavêre juvene, morem geſſit. In alia parte mulierem fuiſſe tradit, quæ Privigno bellum petituro, Wratislaum in pugna caſurum, majorémque Populi partem cum eo interituram prædixerit; poſſe tamen evadere Juvenem, ſi ſibi crederet. Adoleſcenti ſe credere, atq; imperata facturum reſpondenti, juſſiſſe ut pergeret, quando remanere domi capitale eſſet, primúmque, qui obvius fuerit, occidere, atque utraſque aures cadenti amputare, & in pera recondere: exin gladio inter priores equi pedes ſignum Crucis in terram facere; quâ deoſculatâ Equum aſcendentem fugam maturare. Pugna in Campo, cui Thuſco nomen eſt, committitur, concurrunt acies magnis utrinque viribus, ac clamoribus certatur. Stat belli fortuna diu anceps, multi hinc, atque inde vulnerantur, proſternuntur, occiduntur. Ad ultimum Pragenſes, qui non pro gloria, aut ampliando Imperio, ſed pro vita, pro focis, pro aris, pro uxoribus, ac liberis in aciem veniſſent, deſperatione in virtutem verſâ, audacibus animis, invicto robore præliantes, victoriâ potiuntur, non ſinè Sclercij magna laude, & ſummâ glo-*

Wlaſtislai cruentus animus.

Sſtiri virtus bellica.

Turſko.

Pragenſes vincunt.

Digitized by Google

*gloriâ; cujus in hoc bello, tum ars, tum virtus plurimùm valuit. Occiditur tamen inter præliandum, & ùt juſſerat, in eo campo ſepultus eſt, ubi prælium geſtum, ſuâq; morte vitam Ducis, & Patriæ liberationem redemit. Ex hoſtibus cæſo Principe (*Wratiſlao*) quàm pauciſſimi evaſerunt. Ajunt Adoleſcentem, Novercæ juſſioni paruerat, domum redeuntem, uxorem ſuam, quam unicè amavit, interemtam reperiſſe, ambabus carentem auribus, pectúsque confoſſam, & quas hoſti amputaverat aures, Conjugis ſuæ fuiſſe, ſtupentem, triſtémque cognoviſſe. Tantum præſtigia poſſunt, aut veneficarum carmina mulierum.* Hactenus *Silvius*, quæ longè aliter à *Coſma*, aliiſque narrantur: primùm omnes conſentiunt, non *Wratiſlaum*, ſed *Wlaſtiſlaum Lucenſem Principem* eſſe vocatum; pro *Sclercio* nobili Equite *Siderium* ſupponit *Dubravius*, *Coſmas Tyronem*, *Hagek* (quod rectius videtur) *Equitem Sstirum de Cheinovva;* campum *Thuſco* aream belli, *Dubravius*, *& Hagecius campum Tursko* vocant, cujus hodiéque appellatio perſeverat. *Wlaſtiſlaviam*, non *Wratiſlaviam* conditam à *Duce Lucenſi* tradunt cæteri, retinétque nomen pagus eo loci *Wlaſtiſlavv* appellatus. Notandum & illud: bellum hoc non totius *Bohemiæ* viribus, ſed à *Pragenſibus* ſolùm geſtum eſſe; nam id temporis *plures Principes* imperabant *Bohemiæ*, ùt de *Kaurzimenſi*, *Lippenſi*, *Teplicenſi*, aliiſque conſtat, & quatuordecim *Bohemiæ* Duces in vita *magni Caroli* numerantur, idque in *Hiſtoria* nuper luculenter probavi. *Humanâ hoſtiâ Pragenſes* litâſſe, negant cæteri, ſed *aſellum* quæſitum, eúmque *Marti & Bellonæ* immolatum diſertè *Hagecius*, *Coſmas*, *& Dubravius* tradiderunt; quin adeò priores duo affirmant, guſtatas (ùt mos tum erat) ex ſacrificio *aſelli carnes*, & quemlibet *Pragenſium* militum *fruſtillum aſelli*, ſagâ id præcipiente, ſumſiſſe. *Cerneres*, ait *Coſmas*, *latas phalangas eſu animatas aſineo &c.* Quæ poſtea narrat *Silvius*, omnes cæteri Scriptores confirmant; Novercam illam *Strabam Hagecius* nominat; addit Dubravius: *Lucenſes Wlaſtiſlao* cadente nec ultrà progredi, nec retrò pedem referre potuiſſe, à ſaga, ſuo quiſque loco nè profugerent, miro ſtupore injecto affixos, extra unum privignum, qui prælij initio, admonente domi novercâ profugerat; ſcribit idem *Dubravius*, *Sstirum*, non tam ab hoſtibus, quàm à ſuis, qui virtuti, & gloriæ ipſius invidebant, oppreſſum.

Diverſa apud alios Scriptores narratio.

Dubrav. l. 3. hiſt. Boh. init. Coſmas lib. 1. Hagek in An: ad A. 868. & 869.

Hoſtes per artem Magicâ ligati.

§. V.

Digreſſio ad oblectandum Lectorem de Aſelli Eſu.

AD divertendum Lectoris animum triſtibus *magorum* ſacris, & ſuperſtitioſæ anilitatis ritibus legendis immerſum, non contumeliæ, ſed defenſionis gratiâ, hanc tractatiunculam adornavi. Objici igitur poſſet, & velut ingens maledictum *Aſellum vorâſſe.* Idem Regioni cuidam virulentiſſimus ille ſæculi noſtri *Lucianus*, pollinctore *Patre*, forſitan etiam nocte *Matre* genitus, *Schoppius in Scaligero hypobolimæo* auſus eſt opprobrare. Sed quid mirum Ethnicos & barbaros tantillum illud cibi deguſtaſſe, cùm *Aſinos*, & præcipuè *pullos aſininos* in delicijs menſarum apud *Romanos* fuiſſe, *multúmque prælatos Onagris* teſtetur *Plinius?* refert alicubi *Dio Caſſius*, Conſul Romanus, & hiſtoricus idem, *Auguſtum Cæſarem* ad *Pullum Aſinæ* edendum invitatum à *Mæcenate* (deliciarum iſtiuſmodi magno artifice, & cupediarum magiſtro) eâ ſola de cauſſa renuiſſe, nè cibo authoritatem addidiſſe videretur; hodie quoque cultiſſimam, & ingenioſiſſimam

Aſini eſus nullum eſt maledictû.

Plin. l. 8. hiſt. Nat. c. 43.

Aſini in delicijs menſarum apud Romanos.

Lauren. Forer. in Anatomia S. I adv. Schoppium.

ſiſſimam *Sinarum Gentem*, totúmque illud grande Orientis Imperium *Canibus & Aſinis veſci*, eósque menſis inferre teſtatur *Martinus Martinius*. Caſeos ex *pingvedine Canum* confectos, oblatos in itinere *Carolo M. Imperatori*, quos humaniſſimus ille Princeps, ut hoſpitis verecundiæ conſuleret, guſtavit, *Sangallenſis* in vita Caroli commemorat.

Sangallenſis L. 1. Vitæ Caroli M. n. 17. apud H. Caniſ. T. 1. Antiqu. lect.

Multa, quæ olim & nunc ſunt odio, & menſis vetabantur, poſteà in honore eſſe cæperunt, cùm innoxiè, atque etiam ſvaviter edi poſſe gentes aliæ probâſſent exemplis: tota *Africa locuſtas* edit, tota propè *Italia*, & *Hiſpania feles*; eadem *Hiſpania Ciconias, picas, cornices*, (ut narrant, qui inde venerunt) & corvini generis reliqua. Quanto timore primùm in *Cancros, limaces, teſtudines, angvillas, lucios, typhlas, &c.* noſtri *Majores*, ſinè dubio, manus injecerunt! quantulum abeſt *Camelus ab Aſino?* ejus tamen carnem ſvaviſſimam, utì & *Lac aſininum* homini ſaluberrimum *Ariſtoteles & Plinius* docuerunt! uſum *carnis aſininæ* in rabidis commendat *Dalecampius*; eâ ſanatum *Bathylidem Ælianus* jocatur. Jam in ſacrificijs veſci apud Veteres, nihil eſt novum: apud *Hyperboreos* inſtitutas canit *Pindarus* Κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας; *Hyperborei* enim *Apollini aſinos* mactabant; quod & apud *Callimachum* legere eſt:

Ariſt. in hiſt. animal. l. 6. C. 26.
Plin: l. 28. C. 10.
DaleC. in Plin. l. 28. C 10.
Ælian. lib. 1. de animal. hiſt C. 35.

Exhilarant pingves Phœbum epulæ ex aſino.

Sed *Cœlius Rhodiginus* paulò aliter hunc verſiculum citat:

Pier. in hierog. l. 10. in Aſino.
Cæl. Rhodig. l. 30. Antiqu. lect. C. 21.

Pingves Apollinem delectant Aſinorum jugulationes.

Utrumque in rem noſtram facit. Alibi idem *Rhodiginus* probat: *marti aſinos* immolari ſolitos; ut nihil mirum à ſuperſtitioſa id temporis gente *Animal* immolatum, quod fortè tam rarum fuit, ùt nunc apud nos ſunt Simiæ. Quodſi argutari, & aliquid *extra ſacram*, ùt ajunt, *lineam* ſcribere detur venia; omnes in Europa *Aſinum edere* dici poſſumus, cùm attritu *molarium duorum lapidum* panem conficimus, quorum ſuperior *Aſinus* appellatur à Scriptoribus, ſciúntque molitores lapidem illum ſic atteri, in farinam comminui, ut vix tertiam ſui partem retineat. Sed de *Aſino* plus quàm ſatis.

Cæl. Rhodi l. 8. antiqu. lect. C. 18.

Heſych. in Onomaſtico.
Ant. Muret. l. 8. Variar. lect. C. 15.

Aſini quâ ratione edā tur ab omnibus.

Porrò ſimili propè ex cauſſa, quam *Schoppius* refert, *Botzen* nota ad *Brixiam Italiæ Urbs* ridetur: nam, cùm ibi præmium detur ei, qui belluam vineis noxiam occiderit, quidam *Bolzanus* grandem *moloſſum Anglicanum Canem*, Nobilis cujusdam viri illac iter habentis, advocatis vicinis, *Urſum* eſſe exiſtimans, tandem confecit, eóque in *Bozen* allato præmium à Senatoribus petijt; gratanter acceptum munus, ac præmia perſoluta. Confeſtim Senatores *Canem* (ut ſic dicam) *Urſinum* inter ſe partiuntur, & pro ferina abſumunt, ſed Caput, pedésque ex recepta conſvetudine, in *Porta* ſuæ Urbis affigunt. Interea *Dominus*, qui *Canem* ſuum, propoſito etiam inventori præmio quærebat, *Caput ſui canis* agnovit, ad Senatum rectâ de injuria poſtulaturus accedit; *canem* repetit; ibi primùm deprehenſus eſt error; *Senatus*, nè res emanaret, pretium offert; ſed jam actum erat, verſabatur in hominū ore, & brevì *nundinis* celeberrimis *Botzani* celebratis, toti *Italiæ*, & *Germaniæ* res innotuit, ut ibi nihil hâc hiſtoriâ ſit notius, eóque nomine etiamnum, ùt audio, vexentur. Ac profectò vix ullam mihi *Provinciam* dederis, in qua non *Urbs* aliqua, aut *Oppidum*, aut *locus* ob aliquod editum abs ſe ſtuporis exemplum rideatur. *Salomoniam Urbem* quandam, *Bohemiæ* occidentali vicinam aptiſſimè *Biſſelius* nominavit, cujus Civium ſtulta quædam facta recenſet; neq; id ulli ignotum eſſe arbitror, cùm exempla, admetiri poſſimus.

Itinerarium Italiæ Coloniæ edit. A. 1602. init.

Canis ubi ſit devoratus.

Biſſel. in Icaria

§. VI.

§. V I.

Ridiculæ quædam Zitonis Magi præſtigiæ, & exitus vitæ, ùt fieri ſolet, funeſtus.

Dubrav. hiſt. Boh. l. 23. init.

Wenceſlai Regis ac Cæſaris otioſa & nihili vita.

WEnceslaus Rex noſter, & Cæſar (quòd Rempublicam domeſticis voluptatibus immerſus negligeret) *Piger* appellatus, omnium curioſitatum artifices in aula ſua habere gloriabatur, perversâ videlicet imagine gloriæ perſtrictus, cùm ea, quæ honeſta non ſunt, glorioſa eſſe neutiquam poſſint. Huic *Regis* curioſitati, ut velificaretur Socer ejus *Joannes Stephanus (Fibulatus) Bavariæ Princeps*, Pragam profectus, refertiſſimum ludionibus, & præſtigiatoribus plauſtrum advexit: edebant illi ludos in Regio *Arcis Pragenſis Palatio*, totâ *Pragâ Regis ad exemplum* concurrente, ac ſpectante. Habebat *Wenceslaus* veterem Aulæ ſuæ aſſectatorem Magum, *Zitonem* nomine, qui æmulatione accenſus, cùm maximè ludi ferverent, & ſpectaculum populo prębēretur, ad *Palatij Regis portam*, duobus famulis comitatus, accedit; tum ſtentoreâ voce clamare, & jurgari: quæ res ageretur; *quid*, inquit, *ſcelerati ludiones, neque me ſalutato, qui Regijs ludis præeſſe jus habeo, ludos edere auſitis? jam ego vos!* ſimul dari ſibi à Populo viam ad theatrum poſtulat; nota erat vox, notus & ipſe *Zito* rerum magicarum Magiſter; certatim pro ſe quisque viam faciunt, admittúntque. Ille ubi in Theatrum obſequio ſervorum aſcendit, diducto in immenſum ore *hiſtriones Bavaricos*, aut *Palatinos* malè ſibi metuentes, & fugientes inſequitur, & modo hunc, modò illum magno illo rictu exceptos deglutit; ingens ſpectatorum clamor ſequitur, alijs ridentibus, alijs commiſerantibus, præcipuè cùm devoratis jam omnibus, *Zito calceos* hiſtrionum, luto oblitos, & alia, quæ incommoda ſtomacho eſſe dicebat, ejectaret. Ventre bene ſaginato theatrum circuiens, queritur ſibi dolere; interim in ventre intus *hiſtriones* clamant, & gemunt, ut poſſent exaudiri; dat arbitrium populo *Zito*: an vivere eos vellent, quos devoráſſet; exclamant omnes, parcendum eſſe; jubet Famulos grandem cadum, vel dolium ùt apud cæreviſiæ coctores eſſe ſolet adferri; erátque jam in promptu; adfertur, aquâ impletur, *ſeceſſum inde petens* (verba Joannis Olomucenſis Epiſcopi recitato, nè quis ſi mea ſint, iraſcatur, & ſtomachetur) *ventrem inſolitâ eſcâ gravem, in dolium aquâ plenum exonerat*, & cum cottabo (magìs adhuc vociferante, & varijs affectibus aſtuante populo) bene madentes remittit, & deridendos propinat.

Zitonis cũ exteris ludionibus jurgium.

Zito æmulos devorat

Zitonis alia mogica facta.

Cætera, quæ de vita *Zitonis*, & morte referuntur, ejusdem Epiſcopi verbis abſolvam: *ipſe verò* (Zito videlicet) *artem ſuam oſtentans, nunc ſuâ, nunc alienâ facie, ſtaturâque modò item in purpura, & ſerico, ac confeſtim in lana, & panno ſordido Regi ſe efferebat, ambulantémque in ſolido, ipſe in eodem ſolido, tanquam in aqua adnavigabat, & & aliquoties Regem equis Rhedarijs vectum, idem gallis gallinaceis ad epirhedium ſuum alligatis, ſubſequebatur. Convivas præterea Regis variè ludebat, interdum manus eorum nè eas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas Equorum transformans, & aliquoties fronti illorum cornua Cervorum latiſſima adjiciens, quoties videlicet è feneſtris ad ſubitum ſpectaculum proſpicerent, nè rurſus caput, & ora ad menſam referre poſſent, antequam ipſe vino, dapibúsque illorum ſe ingurgitâſſet. Atque ut oſtenderet ſe pecuniam quoque pro uſu ſuo facilè conflare poſſe, triginta ſues bene ſaginatas,*

 ex

Digitized by Google

ex manipulis graminum procreat, illáſque paſtum, proximè ſues Piſtoris parci, ſed locupletis extrudit, proponítque venales, quo Piſtor vult pretio; hoc tantùm Emtorem admonens, nè gregem novum ad flumen lotum propellat. Quâ ille monitione neglectâ, cernit in flumine manipulos fluitare, ſuibus ſubmerſis, itâ, ut neque ſtraminibus, neque ſuibus potiri potuerit. Nihilominus pretium datum recuperare parat, diúque Venditore quæſito, atque in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in ſcamno recubabat, ſtomachabundus alterum pedem excitandi cauſsâ invadit, eúmque protinus à corpore cum coxendice avellit, clarè Zitone quiritante, & obtorto collo Piſtorem ad Judicem trahente. Quid faceret Piſtor in manifeſto deprehenſus, ùt ſibi videbatur, facinore, niſi, ut damnum damno adderet, atque de hac inſuper injuria cum Zitone decideret? uſurpant ad hoc uſque tempus Bohemi, ut malam emtionem exprobraturi, vice proverbij dicant: lucrum facies, quantum Michaël in ſuibus; Piſtori namque illi Michaël nomen erat. Cæterùm Zito impoſtor extremùm à Cacodæmone ſuperſtes, cum corpore, & anima de medio hominum ſublatus fuit, injecítque Wenceslao curam de Religioſis deinceps, & magìs ſerijs rebus cogitandi. Hæc Dubravius.

Piſtorem Zito egregiè fruſtratur.

§. VII.

Terrificæ, & damnoſæ quædam Ambulationes poſt mortem hominum Magiæ deditorum; Item aliorum, ſed innoxiè apparentium.

Paſtor à morte terrificus ambulat.

EX Chronico Opatovicenſis Cœnobij ad Ann. 1337. hoc quod ſequitur ab *Hagecio* citatum exemplum deſcribo: Anno, quem dixi, in pago *Blovv*, uno *Cadanâ* Civitate milliari ſito, *Paſtor* (quod hominum genus facilè ſuperſtitionibus, & magicis artibus irretitur) *Myſlata* nomine, extinctus, & in ſacro loco ad Eccleſiam tumulatus, protinus ſequenti nocte, & pagum circumire, & viciniam omnem terroribus implere cœpit, idque ſingulis noctibus agebat; vivere hominem diceres: currebat, curſu fatigabatur, alloquebatur obvios, nonnullos etiam amplexu conſtrictos necabat; mirum illud: ſi quem appellaret de nomine, intra octiduum expirâſſe. Cùm jam ferri non poſſe omnino videretur, de communi conſilio, *Pagi* omnes vicini, quos vexaverat, conveniunt, & effoſſum querno palo per pectus adacto transverberari jubent; ille vivâ voce, ſublato cachinno: *magnam*, inquit, *rem præſtitiſtis, qui mihi baculum dediſtis, quo Canes allatrantes depellam;* conſecutâ nocte plurimum viæ confecit, & longè quàm unquam antè fecerat crudeliùs graſſatus, omnes conterruit, plurimos mortales obvios obtorto collo ſtrangulavit; redeunt in conſilium die craſtinâ *Judices Pagorum*, & unius optimo conſilio uſi, decernunt: flammis ſcelus expiandum advocatis carnificibus effoditur, reperitur viventi ſimilis, bene curatâ cute, ventrioſus, currui vinctus imponitur; nihil mortuum jurares, contrahebat, & protendebat pedes, curvabat ſeſe, rugiebat horrendum in modum; injectus deinde in rogum, aſini ruditum imitabatur; tum carnifex ſtipitem præuſtum in ejus latus infigit; ex quo vulnere copioſus cruor manavit, denique cadavere in cineres merſo momento omnia illa terriculamenta quaſi cum flammis, & fumo evanuerunt.

Geminum prorſus exemplum in ijsdem

Digitized by Google

Levinenſis fœmina poſt mortẽ noxia.

Hagek ad eum An: in Annal. Boh.

Horribiles hiſtoriæ ſeu Tragicæ incerti Authoris Islebiæ edita A. 1598. lib. 1.

ijsdem Annalibus noſtris ad An. 1345. refertur de *Brodka* figuli uxore in oppido *Levvin* ſagarum maxima; hæc à *dæmone* inter manium invocationes, conjecturâ Civium ſuorum ſubitò ſtrangulata, eadem omnia, cædésque patrabat, quas nuper *Myſlatam* feciſſe narravimus. Sed crudelius ſpectaculum effoſſa edidit; nam velum ipſa capitis ſui vorâſſe deprehenſa eſt, quod ex gutture totum ſangvine madens extraxit *Carnifex;* flammis conſumta finem fecit nocendi. Propiùs ad noſtra tempora priore ſæculo A. 1567. ſimiles poſt mortem pœnas dedit *Trutnoviæ* Civis avarus, ac dives *Stephanus Huber* cognomine, à quo in ea vicinia nôn pauci compreſſi, & interfecti ſunt. Pingvi, & ſano corpore extractus è tumulo, multo ſangvine profluente, capite truncatus eſt, & poſthac quievit. Quærat aliquis hoc loco, cur, niſi flammis conſumantur maleficorum ejusmodi cadavera, à nocendo non ceſſent? *Delrius in Diſquiſitionibus magicis* reſpondeat; ego ad *Juſtitiam* Divinam cauſſam retulerim, quæ ſcelus hoc, quo *DEI* hoſtis *Dæmon* adoratur, tanto proſequatur odio, ut non modò æternis flammis animas, ſed ipſa etiam corpora velit addici.

Hagek ad An. 864.

Quanquam nec à *Dæmonibus* ipſis *magi* ſecuritatem ullam ſibi polliceri poſſint, minimo námque errore in ſacris illis magicis (ùt exempla nos docent) admiſſo, quaſi non ritè procurato ſacrificio, cultores ſuos miſeris priùs modis habitos interimunt: ità accidiſſe legimus *Wlaſtislai Zatecenſis in Bohemia Principis*, conjugi *Widislavæ*, quam ſacris *Dæmonum* operantem fulmen fruſtatim diſcerpſit; plures ejusmodi tragicas mortes in *Annalibus* noſtris habemus; ſed quid illud ſibi vult; (quod vel ætati noſtræ notis exemplis approbare, ſi id ageretur, poſſem) quosdam *mortuos*, & ritè tumulatos *Equitantes* videri, nullúmq; aut doloris, aut contrà lætitiæ alicujus ſignificationem dare, ſed equo concitato, & ſudante, ùt olim agebant, œconomiam inſpicere? dum hæc ſcribo Vir fide digniſſimus, qui *Pragam* advênit, narrat: in arce *Raupovvienſi* equitâre, quem duo ſubditi priore anno interfecerant, & Equo dejecerant, *Capitaneum*, ditioni illi Præfectum, nec id modò nocte fieri, ſed inclinatâ etiam die ex feneſtris proſpicere, & loqui. In *Kautenſi* ditione ad Arcem *Rizemberg* paucis antè annis *Capitaneus* poſt mortem claro die obibat; ante Arcem, ùt vivens erat ſolitus, ſedebat, & ſi quis quæreret, nomen edicebat ſuum, ut ab oculatis, & auritis teſtibus accepi.

Spectra obeuntia.

Addam etiam hoc loco mirum aliquid, & *ſpectri* ſimillimum de viventibus; juratos teſtes audivi, qui dicerent, vidiſſe ſe, & obvium habuiſſe in Equo (nominabant *Capitaneum* Virum mihi notiſſimum, & vitæ probæ) qui ad œconomiam in prædijs procul ab ea Civitate diſſitis curandam, *Equo* pergere videbatur, eundem cùm ad Civitatem veniſſent, aut in Templo orantem, aut domi ſuæ ſedentem deprehendiſſet, teſtantibus domeſticis omnibus, eâ die *Dominum* ſuum pedem domo non extuliſſe; quod diverſis vicibus diverſos etiam homines obſervâſſe narrabant; ego rem in dubio relinquo, ſed multa ejusmodi exempla alibi quoque commemorantes audivi.

Quidam viſi in duobus locis.

 CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Exempla apud nos mortuorum, quorum corpora hodiéque incorrupta in tumulis perſeverant. Quædam miræ narrationes, hominum ex ſepulchro, vel ex media morte ſurgentium. Item quædam alia de morbis, vel mortibus rara.

Aliquando incorruptio humani corporis ſine miraculo peragitur.

TErribiles *viſu formæ*, & hominum dæmoni dum viverent devotorum, circum ſuos Tumulos (in quibus *requieſcere à laboribus ſuis* maximè oportebat) horrificæ oberrationes admonent, ut aliquid etiam de ijs dicatur, qui vel ob ſingularem vitæ, & morum innocentiam, vel ob aliquod præclarum meritum, vel ob aliam cauſſam, uni *DEO* notam, vivis, quàm mortuis propiores incorruptis corporibus in *Tumulis* perſeverant, & vel hoc præmio, & dote nos docent, *Pietatem ad omnia utilem*, & vitæ humanæ, ac totius hominis optimum eſſe condimentum virtutem. Scio magnum *Societatis noſtræ* hac ætate decus *Theophilum Reynaudum*, in immortali illa, & nunquam corruptionem admiſſura, *Geniúmque habitura perennem* tractatione, quam de *Incorruptione Cadaverum* ſcripſit, invictis argumentis, & exemplis demonſtrâſſe non modò divino miraculo, *DEO*, ſanctos ſuos, & viros bonos honorante, incorruptionem cadaverum præſtari, ſed etiam *dæmone* agente, aut *arte humanâ* (quod conſtat inter omnes) idem effici poſſe, (quod hactenus paucis notum erat) ſine ullo artis interventu *naturæ benificio* contingere, & ad naturales cauſſas nonnunquam poſſe referri. Nos omnium iſtarum cauſſarum exempla in *Patria* habemus; de *Mummia*, ſeu per artem inductâ corporibus incorruptione exemplum in *Boleslaviæ* deſcriptione attulimus, invento *Brundusij* in horto Regio cadavere, quod vera fuit *Mummia*, ùt ibidem probavi; de cadaveribus *Dæmonum* ope, integris ſervatis, ſuperiore Capite diximus, de *Divorum* Corporibus, & *S. Wenceslai*, *S. Ludmillæ*, ac cæterorum (in *Bohemia Sancta*) dicetur; reſtant, ut eorum exempla adducantur, qui etſi in *Divos* relati non ſunt, piè tamen, & cum virtute vixerunt, & vitam in *DEI* amore, & amicitia finierunt.

Theoph. Raynaud Tom. XIII. in Miſcellis Philoſophicis tr. 1.

Theoph. l. c. C. 4. & 5.

§. I.

Caroli IV. Imperatoris, & Ladislai Regum noſtrorum, tum aliorum quorundam corpora incorrupta, & nihil ſitu, ac tempore paſſa hodiéque in Tumulis ſpectantur.

Carol⁹ IV. Imp. incorrupto corpore perſeverans.

Pontan. in Bohem. Pia.

AGmen ducat *Carolus IV.* Imperator Auguſtus, cujus corpus Mauſolæo Regio *Pragæ* illatum in *Metropolitana Eccleſia S. Viti* ſæculi prioris fine An. 1589. ſe vidiſſe prorſus incorruptum, & omnis putoris, & putredinis expers, Vir omni exceptione major *Georgius Bertholdus Pontanus Eccleſiæ Metropolitanæ Præpoſitus*, jurejurando teſtatur. Laudationem, & defenſionem hujus optimi Principis in hiſtoria noſtra, & in *Vita Arneſti I.* Archiepiſcopi, quam pridem vulgavi, reperies; omnes laudes breviter complexus eſt Oratione funebri *Joannes Ocellus Wlaſtimius* Archi-

chiepiſcopus Pragenſis, quam cum *Bohemiæ* Scriptoribus *Hanoviæ Marquardus Frecherus* fecit excudi; ubi *ſeptem dona Sancti Spiritûs* habuiſſe *Carolum*, eâque in vita, & moribus ejus eluxiſſe, Sanctus ille Antiſtes deprædicat.

Ladislaus Rex incorruptus in Tumulo.

In eodem *Mauſolæo* Pragenſi (cæteris omnibus *Regum* corporibus corruptis) incorruptus jacet *Ladislaus Auſtriacus Alberti II. Cæſaris filius*, brevis Rex, adoleſcens vitæ innocentiâ ſpectatiſſimus. De ejus incorruptione teſtatur idem *Pontanus*, & *Weleslavinus*, ſéque cum multis hominum millibus *Carolum*, & *Ladislaum* incorruptos vidiſſe confirmat; cùm eorum corpora *Cæſaris Rudolfi* juſſu ad ſpectaculum Populi Pragenſis expoſita fuiſſent.

Arneſtus I. probabiliter incorruptus.

Arneſtum I. Archiepiſcopum Pragenſem Glacij incorruptum eſſe in Tumulo ſuſpicamur, quamvis adhuc nemo aperire tentârit, ſed ex eo tumulo totum marmor ſepulchri *oleum* ſudori humano ſimillimum ſæpius ſudâſſe tantâ copiâ, ut cochlearibus excipi poſſet, in ejus vita narratum eſt.

Puella nobilis hodiéque incorrupta.

Gerzice, Pagus eſt inter *Gitzinium*, & *Reginohradecium* ſitus; in ejus pagi Eccleſia *Sanctæ Mariæ Magdalenæ* nomine conſecrata, viſitur hodiéque tredecennis puellula incorrupta *Sabina*, *Georgij Wratislavv de Mitrovvicz*, Domini in Humburczicz, & Gerzicz, S. Cæſ. Majeſtatis in Chlumecenſi ditione Regij Capitanei, & *Magdalena de Rzehnicz* Nobiliſſimorum, & Catholicorum Parentûm filiola An. 1597.

Ejus quædã virtutes.

tumulata. Virguncula hæc omnes per eam viciniam Virgines venuſtate anteire, dum vita manebat, ferebatur, ſed animus, qui corpus incolebat, longè erat venuſtior: *vita* omnis ex Divinæ Majeſtatis memoria ducebatur, *oratio* delicijs omnibus potior, *labores* ex obedientia parentûm ſuſcepti, denique ità ad ungvem exigebat à ſe id ætatis puellula, officium, ut nihil unquam reprehendi poſſe videretur; ſed præcipuè benignitatem in pauperes, & miſericordiam in proximos virgineis præcordijs inſſerat *DEUS*, ut indefenſos, aut indonatos abire pro omni ſupplicio, & tormento haberet. Itaque aut à *matre* exoratâ ſtipe, aut pane ab *ancillis* impetrato recreabat. Si *Parentes* indignari ſubditis, aut pœnam irrogâſſe ſenſit, vel in ædium medio properè demittebat ſe in genua, & cum lacrymis veniam pro reis præcabatur, neque ſurgebat citiùs, quàm miſericordiam impetrâſſet; tum ut *Parentes* non indignarentur; orabat, eóque etiam impetrato læta, & oſculo Parentum manibus impreſſo diſcedebat; imò tam teneri erat in malis alienis ſenſûs, ut neque *beſtias* ſe præſente verberari pateretur, etiam earum ſequiùs facta benignè excuſans. Vitam hujus Virginis à *Crve Horziczenſi*, qui Patri à pedibus fuit, deſcriptam, diu ſervavi, & neſcio, cui ad legendum conceſſam, nunquam recepi. Latuiſſet hic *Virgineus theſaurus* (ùt alia multa incorrupta corpora, quæ aliquando proferuntur in lucem) niſi *Svecorum* injuria prodidiſſet; quippe ſcelera manifeſto, dum in *Bohemia* omnia verſarent pro libitu, etiam *Eccleſias*, & fana depeculabantur, ſepulchra violabant, mortuos ſpoliabant: *Sabinæ noſtræ* annulum, & pretioſum frontale, & coronam ex roſmarino quaſi hodie contextam detrahere non contenti, ipſam foras extulêre; jacuit diu in pulvere, & Sole, donec Patruelis Virginis *Chriſtophorus Wratislavv Litomiſslij Gubernator* cellulam cum fornice, ſeu cryptam exſtruxit, in qua *Virgo* compoſita, hodiéque incorrupta ſpectatur, *cruculam ligneam* inter manus tenens, & *libellum precatorium Bohemicum*, ex quo crebras ad Deum preces tenerrimo fundebat affectu.

Aliud incorruptionis exemplum.

Simile prorſus, & cum adjunctis ijsdem exemplum recitat in ſua *Philoſophia vetere reſtituta* Medicus peritiſſimus *Marcus Marci* de Matrona in pago *Preßern* dicto, *Zatetenſis Diſtrictûs*, cujus pupilla oculi ſit integerrima, cæte-

Marcus Marci in Philoſophia Vetere reſtituta. P. 4. ſubſect.

Digitized by Google

Marcus l. cit. P. 5. ſubſect. 3.

ráque omnia etiam quoad cutis colorem perſeverent; quod tamen *Marcus* Naturæ imputat, ejúsque viribus factum adſcribit. Digna notatu ſunt tanti Medici verba, aliud exemplum commemorantis de corolla: *Me præſente* (ſcribit) *hîc Pragæ An. 1618. in quodam hortulo, ubi aliquando ſtetit Templum D. Petro dedicatum, cadaver effoſſum fuit cum ſerto, & paſtillo è roremarino adeò recenti, & vegeto, ut heſternum mihi, aliísque qui aderant, videretur, & tamen conſtabat ultrà annos centum eo loco depoſitum, quandoquidem hoſpita in ea domo nata, ſeptuagenariâ erat major; unde manifeſtum, illum virorem, ſuique conſervationem Mumiæ humanæ, quâ fovebatur, debere.* De hac *Mumia Marcus* eodem in loco latiùs diſputat, & res eſt ſcitu digniſſima.

§. II.

Plura ejusmodi apud nos exempla corporum integrorum labis illius, & incorruptorum, ac primùm de brachio boni Pueri.

Brachium boni pueri incorruptũ.

ILluſtriſſima ſtirps *Comitum de Sternberg in Bohemia*, maximis rebus geſtis, tantâ authoritate pollens, tantâ *Regum, ac Patriæ* gratiâ florens, primis muneribus, & dignitatibus *belli* æquè, ac *Pacis* perfuncta, tot impreſſit gloriæ ſuæ veſtigia, ut magnum *Amico* ſcribenti volumen impleverint, quod ut brevi lucem aſpiciat, exoptamus! De puerulo ſeptenni (quem familia *bonum puerum* appellat) cujus brachium incorruptum ſervatur, mira eſt apud *Tannerum* noſtrum narratio: *Adami de Sternberg Regni Bohemiæ Burgravij, & Mariæ Maximilianæ Comitiſſæ de Hohenzollern filiolus Wenceslaus, cùm ab Archiepiſcopo Pragenſi Joanne Lohelio ſacris aquis tingeretur, manus precantium ritu complicavit; huic Mater Cælites Patronos elegit SS. Stephanum, & Laurentium, quorum quidem nomina poſtea fuit oblita, ijs tamen puerulum identidem commendabat. Non attigit puer ſeptennium. In morbo ſuo lethali circa Annum 1615. P. Georgio de Bon è Societate JESU ter de tota vita confeſſus, ſæpius ingeminabat: oportere nos magnâ diligentiâ ad mortem præparari. Flere Matrem prohibebat, quòd ſe utique ad Cælum mox iturum ſciret, quin & jam veniſſe pro ſe SS. Stephanum, & Laurentium, eósque adeſſe ad locum illum, ubi Crucifixi ſtabat effigies. Et verò in pede Crucifixi illius repertæ ſunt poſtea Reliquiæ duorum dictorum Sanctorum; ſed & Matri memoria redijt, hos eſſe ſanctos, quos illa infantulo Patronos legerat. Solebat Puerulus ille ad ſonum ſingularum horarum Cruce ſanctâ frontem ſignare, ac paulìſper precari; quod & in illo morbo, cùm tertiam pomeridianam audiret, facturus, dexteram elevârat, debilémque etiam lævâ juvabat; ſed eo ipſo momento morte abreptus duos digitos complicatos reliquit, quos ad Crucem faciendam extenderat. Sepultus Bechinæ in Monaſterio Franciſcanorum, ubi circa An. 1619. ab hæreticis, dum è tumba eſſet ejectus, manus illa cum Cubito apparuit integra, hodiéque incorrupta perſeverat; quam deinde Mater ſacrorum lipſanorum inſtar aſſervatam Filiæ ſuæ Mariæ Evæ de Tiſſenbach poſt obitum reliquit; quam & jam Sereniſſimi Archiduces Auſtriæ ſæpius ſibi monſtrari juſſerunt, & admirati ſunt, vocarique Viennæ manus illa ſolet: Manus boni Pueri.* hæc *Joannes Tanner*, quem ad verbum exſcripſi; quippe *dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ, & veritas* ſæpius transmiſſa, nativum vigorem amittere, & adſcititium aliquid facilè poteſt, & ſolet contrahere.

Tanner in Auctario ad C. 5. Bohemiæ Piæ.

In Pago *Zaborzi Prachenſis Diſtrictûs* Eccleſia eſt, quam malè ſtantem,

malè

Joannes Horziczky incorrupto corpore ſpe ctatur.

malè tectam, & materiatam reparari, fornice, & laterculis imbricatis contegi, amplificari, & altero tanto majorem effici, & ad gratiam uſque ornari de ſuo fecit vetuſtæ ſtirpis Eques *Joannes Senior Horczıczky de Proſtebo.* Vir fuit probus, & antiquæ, & innocentiſſimæ ſinceritatis, & ſimplicitatis, ùt, qui novêre, vel audière, commemorant, etſi, ùt tum ferebant tempora, & ſinebant (juxta *compactata*) Romani Pontifices, ſub utraque ſpecie *Eucharistiam* ſumere ſoleret; hic igitur *Eques in Eccleſia*, , quam tanto impendio coluerat, humatus, omnibus alijs circa ſe corporibus in cinerem redactis, unus etiamnum omnis corruptionis toto corpore expers, tanto jam tempore viſitur, ut qui vidère, atque inter eos *loci Parochus*, moribus, & vitâ venerandus, coram me teſtati ſunt, cùm anno ſuperiore locum acceſſiſſem, & nisì vetuiſſem, jam *Tumulum* aperire parabant.

Duo Conjuges incorrupti.

Narrabat mihi fide digniſſimus è Societate noſtra Sacerdos *Tobias Gebler*, ſe in pago cujuſdam (*Zatecenſem vel Cubitenſem Diſtrictum*, ſi rectè memini, nominabat) Eccleſiam (nomen mihi excidit) veniſſe, inductum in cryptam, oſtenſòſque ſibi duos unà jacentes in eodem *Tumulo Conjuges* loci quondam Dominos prorſus ad invidiam viventium incorruptos ab annis ampliùs octoginta; dubitâſse verò, qui *Patrem* adduxerant, utrúmne *Catholicam Religionem* coluiſſent? at ſe circumſpectis omnibus, tandem *Roſarij Mariani* globulos ponè jacentes notaviſſe, deinde in collo Domini, *Romanum Numiſma* è metallo pendens deprehendiſſe; quo ſatis evidenter conficiebat Pater: *Catholicè Conjuges vixiſſe.*

Petrus Torrentinus S. J. incorrup:

Argumenti ſimilitudo, quamvìs extra Bohemiam (ſed benignos me ſpero, & faciles habiturum *Lectores*) *Brunam* vocat: ubi in ſubterranea crypta *Eccleſiæ* noſtræ domûs Brunenſis *Petrus Torrentinus*, quondã *Collegij*, & *Tyrocinij illius ſacri Rector*, ſingulari in arca compoſitus ſpectatur, tantâ integritate corporis, ut etiam ungves, & barba excreſcant, & vulnus viventi factum in pede hodiéque obligàri poſſit; veſtes in eo, & cætera omnia circùm putreſcunt, & annis ſingulis mutabantur, unus ille nihil patitur. Memini me ipſum adjuviſſe manu, ut madidis & mundis linteolis lavaretur optimi ſenis corpus, & nigror, quem tanto ſitu contraxerat, abſtergeretur; quo facto, lurore abſterſo, candidum corpus evaſit. Alio tempore cryptâ apertâ, novis veſtibus in tumulo induebatur à Nobis An. 1637. aderat tum è præcipuis Provinciæ Bohemiæ noſtræ Patribus unus, *Paulus Anaſtaſius Peruſinus*, *Collegij Olomucenſis Rector*, qui viſo *P. Petro*, ſanctè affirmabat, *B. Catharinæ Bononienſi*, cujus Virgineum Corpus in *Italia* vidiſſet incorruptum, *Patris Torrentini* corpus nihil omnino concedere, & concertare poſſe. In ijsdem *Eccleſiæ noſtræ Brunenſis* ſubterraneis ambitibus plura Sociorum noſtrorum incorrupta ſpectabantur cadavera: Narravit mihi Laicus noſter Vir optimus *Michaël Sinnig*, qui, ut ità dicam, *Tumbarij* munus ſibi *Brunæ* per id tempus aſſumſerat, & locandis mortuorum corporibus præerat: ſe facilè quinque incorruptos obſervâſſe, & dicturus mihi erat eorum nomina, cùm primùm cryptam ſubijſſet; ſed ipſemet paulò pòſt mortuus cryptam ſubijt, illuc illatus, nec tamen ad referenda nomina reverſus; inter eos erat *Laicus* murarius noſter (cujus *Brunæ* nomen audivi) incorruptus ſic, ut etiam caro juberet, quod ipſe An. 1638. ſpectavi. Conſultò annos nominavi, quibus illa incorruptionum, ut ità dicam miracula, ſpectaverim: ſcio enim, & probare poſſum exemplis, tempore deteriora fieri in Tumulis quædam corpora, & illa etiam, quæ incorrupta per triginta, quadraginta, & plures annos viſebantur olim, poſtea communi mortalitatis noſtræ fato

Plures incorrupti Brunæ.

to

to cœpiſſe corrumpi, & tandem paulatim contabuiſſe. Illud tamen permirum, hanc *Incorruptionem Corporum* ijs ferè ſolis contingere, qui piam, & ſanctam vitam duxerunt, & quamvis, ùt principio tractationis ex *Raynaudo* monui, vel naturâ, vel arte id præſtari ſciamus, tamen apud nos plurimorum incorruptionem magìs ad Sanctimoniam vitæ, quàm ad ullas cauſſas naturales referri poſſe. Placet pro coronide apponere: vidiſſe me *Venerabilis Patris Nicolai Lancicij è Societete JESU* (cujus corpus poſtea *Cauna Moſci*, aut *Tartari* exhumatum ignibus conſumſiſſe feruntur) ejus, inquam, *P. Nicolai pollicem manûs* multis poſt mortem annis tam vividum, & carne tam plenâ ſucci vitalis, ut nihil propè à viventis hominis pollice differret, etiam pingvedinem exſudabat, madente, in quam involvebatur, papyro. Fuit hic ſenex Sanctimoniâ vitæ conſpicuus, ùt altero abhinc libro dicemus.

De pollice Ven. P. Nicolai Lancicij S. J.

§. III.

Aliquot apud nos miræ narrationes de ijs, qui vel ad tumulum, vel jam in tumulo compoſiti, ſurrexerunt.

Rei novitas, ac ſæculis rara à morte ſurgentium fælicitas, perpulit me dubitantem, ut exempla in hanc rem, duo, vel tria, quia in ſepulchris geſta, apponerem. *Heroina de Fürſtenberg* (verba recito *Marci*, clariſſimi in arte medendi ætate noſtrâ in Bohemia Doctoris) *Heroina de Fürſtenberg hîc Pragæ pro mortua habita, & extra ſuum cubile elata, in alio conclavi depoſita, & funeri deſtinata jacebat; cui aſſidens una ex pediſequis magìs fida, cùm neſcio quo caſu linteum, quo corpus erat tectum, delapſum reponere vellet, plantam pedis leviter offendit, ſubitòque ex illa titillatione pedem retrahi ſenſit; unde exterrita intrò profugit, herulam vivere clamans; metu reliquæ mulieres conſternatæ, demum animis collectis foras prodeunt, idémque experiuntur; advocantur medici, fomenta adhibentur, & medicamenta analiptica, & ecce ad vitam redux oculos aperit, ac demum ex toto ſibi reſtituta, refert omnia, quæ circa ſe ſiebant, auditu ſe percepiſſe, verùm præ virium langvore nullum vèl leviſſimum indicium vitæ dare potuiſſe. Hæc, dum ante Annos 22. Mediolani cum ejusdem nepote Regni Bohemiæ Mareſcallo eſſem, Cœnobio Virginum præfuit jam annoſa.* huc uſque Marci.

Marcus Marci in Vetere Philoſophia reſtituta P. 4 ſubſ. 1 ſol. 394.

Morbi quidam homines mortuis ſimiles reddunt.

Eandem admirationem meretur, quod apud eundem *Marcum Marci* legimus: *Simili modo*, inquit, *hic Pragæ Puella pro mortua habita Tumbæ incluſa, & ſepulturæ tradita fuit; cùm verò poſteà loculus refoſſus, & tumba retecta eſſet, aculei corollæ, quam in fronte geſtabat, eidem infixi viſebantur; quod ſignum erat infælicem, vitæ quidem reſtitutam; at ubi eâ ratione ſe incluſam, & deſolatam ſenſit terrore, mentiſque perturbatione motam, caput eidem inter luctandum alliſiſſe.* Duo hæc exempla *Marcus* toties laudatus ad *Ecſtaſin* refert, quæ fortè aptiùs ad *morbum Virgineum* poſſent referri, cùm, ut *Lælius Biſciola* noſter ex Hippocratis operibus loquitur: *cordi viciniora loca ex acuta inflammatione, ac putredine comprimuntur &c.* illuſtris eſt locus, quem rerum iſtiusmodi curioſos, ac præcipuè *medicos* legere operæ pretium fore exiſtimo. Sed nihil in hoc genere *Praga* celebrius vidit, quàm mortem creditam Virginis cujusdam, quæ in *Nova Civitate Pragenſi* Parentûm, & amicorum omnium comploratione, ſymphoniacorum cantu comitan-

Marci ibid.

Exemplum viventis in Tumulo.

Læl. Biſciola T. 1. Adverſ. l. 3. C. 3. ex Cælio, Rhodigino, Brodeo, Crinito, Galeno. Author libri de Virginum morbis inter opera Hippocratis.

Digitized by Google

mitante, proſequente funebri Civium proceſſione *Tumulo* illata eſt. Exornârunt virginem *Parentes* (ùt tum erant fælicia tempora) corollis, gemmis, anulis, torque, monilibus, veſtibus pretioſis, quæ, dum ſuprema à Parentibus, & cognatis oſcula figuntur, *Veſpillonem* perſtrinxerunt, animúmque adjecit, ea ſi poſſet ſua facere. Ergo nocte mediâ, nulli obſervatus, familiare ſibi pridem *Cæmeterium* ingreditur, loculum rurſus effodit, *Tumbam* ex deſtinato malè clauſam aperit, jámque auſus erat *torquem* ante omnia collo detrahere, cùm titillatione illâ excitata *Virgo* (quæ non mortua, ſed ſopitis ſenſibus jacebat) brachia tollit. *Veſpillo* aliud nihil, quàm *Virginis* mortuæ ſpectrum in ſe conſurgere ratus, exilit è tumulo, & confeſtim ſe dat in pedes. *Virgo* (ùt narrabat poſtea) circumſpectis omnibus, omni onere, & quod morari poſſet, exſoluta, conſurgit, ac *lucernâ Veſpillonis*, quá conſternatus ſtantem reliquerat, acceptâ, rectà in domum paternã contendit, fores pulſat, diu hoc fuit: *ancilla* vix tandem audit, & intus reſpondet, cum jurgio aperiri ſibi poſtulat; *Pater & Mater* expergefacti viciniam è feneſtris clamoribus implent; nec priùs, quàm rem totam narrâſſet, admiſſa domum eſt, vixit poſt hæc annis multis. Geminum, ac penè idem exemplum de *Colonienſi Matrona* narratur, quod æri inciſum multorum verſatur in manibus.

❊ ❊ ❊

§. IV.

Novæ quædam, & miræ narrationes ad hoc Argumentum de morte, vel ad curationem pertinentes.

Magna mihi Annis facilè duodecim, cum *Marco Marci* Viro doctiſſimo, Medico præſtantiſſimo, uno verbo, omnium literarum, & ſcientiarum homine, conſvetudo, & familiaritas interceſſit, ùt omnes nôrunt, qui illâ vixerunt ætate; quoties ad *Collegium Pragenſe* veniebat (veniebat autem quotidie, utpote pluribus annis Collegij medicus) accurrebam, cúmque ad ægrotorum cubile comitabar, audiebam diſſerentem, ac ſemper doctior diſcedebam; multa tum audivi ad valetudinem, & ad medicas artes ſpectantia, quæ peculiari ſcripto, rogatu *Viri magni* ſum complexus; ſed, quę præſens, de quo agimus, mortis argumentum illuſtrare poſſint, duo nunc mihi in memoriam recurrunt. Narrabat igitur *optimus ſenex* ſub initia hujus ſæculi adfuiſſe ſe adhuc adoleſcentem, dum in *Hradczan* in Arcis Regię conſpectu capite minueretur *Reus à Carnifice*; vidiſſe ibi turbam *Medicorum & Chirurgorum* (ac niſi fallor *Schattonem Regni Bohemiæ Phyſicum* nominabat, Virum medendi gloriâ clarum, cujus laudes *in Danielis Sennerti Philoſophia* leguntur) ponè ſtantium, velut grandi negotio operam daturos, præſertim *Chirurgos*, inſtrumentis, emplaſtris, ac tænijs armatos. Enimverò impetrârant à *Cæſare Rege*, & Ordinibus Medici: liceret probatione experiri, & periculum facere in reo, utrúmne vita ictu illo fatali tam graviter læſa, aliquo tempore ſuſtentari poſſet? ubi ergo primùm demeſſum *caput* eſt, alij *Chirurgorum* (diviſerant enim officia) truncum corpus in momento elevavêre, & venas, neſcio quo ungvento, ſubitò perunxêre, alij mox *Caput* jacens in *collum* repoſuêre, & venarum oſcula venis alijs claudere conabantur, quo tandem utcunque fæliciter perfecto, alijs immotè corpus, & caput tenentibus alij emplaſtro quodam linteolis calidiſſimis colligavêre; tum *Medici* ad confortandas vires verſi, odo-

Decapitato caput repoſitum Pragæ.

Ee

odoratiſſima quæque naribus appreſsêre, ſic, ut jam revera recreari, atque etiam nictare cum totius populi ſecundiſſima vociferatione inciperet. Elevatus deinde lentiſſimè, & tractus magìs, quàm ductus, in vicinam domum, poſtquam non parva vitæ indicia dediſſet, inter *Medicorum, & Chirurgorum* manus ſinè dubio vulnere illo debilitatus, & ſangvine forſitan, qui ſemel efferbuerat, & contineri jam non poterat, expiravit. Hæc eſt illa narratio, quam niſi à Viro tanto, tantæ authoritatis, experientiæ, probitatis,. & ſimplicis veritatis amico accepiſſem, nunquam commemorare, imò neque credere potuiſſem. Scio jugulari hâc narratione, aut debilitari ſententiam aliquorum, & mihi objici multa poſſe; at ego hiſtoriam ſcribendam ſuſcepi, neque convenit in præſenti opere philoſophari, multóque etiam minùs (ut ità dicam) theologari. Aliud, ſed jam quod faciliùs credatur, ſubijciam: *fuiſſe Pragæ Civem* (nominabat hominem *Marcus*) qui ex acerrimo, & continuo capitis dolore, denique in amentiam inciderit; *Caput* (maximè ſummam ejus partem, & apicem) illidebat parieti, ut fuerit conſtringendus; ejus jam ad extrema deducti, & brevì morituri curationem cum *Chirurgo* Pragæ notiſſimo *Friderico* ſuſcepiſſe, conſopiviſſe primùm hominem ægrotum medicinis, ut ſentiret nihil, deinde ſe jubente *Chirurgum* raſiſſe ægri caput, pòſt ſuſpensâ manu, & delicatiſſimo inſtrumento, & labore, nè *pia mater* læderetur, cranium aperuiſſe, continuò diducto paululùm cranio exiſſe ſummo impetu venenoſum illum, qui ſe in apicem, & arcem Capitis receperat, & condenſatus cerebrum inflammabat, fumum, donec totus expiraret; tum rurſus conſtrinxiſſe *calvam Chirurgum*, clauſis ſe medicamentis vulnus, obligâſſe, ægrotum poſteà evigilâſſe, & *morbo Sapientiæ* (ùt Plinianè loquar) percurato, intellectu, quid ſecum actum eſſet, utrique medico gratias habuiſſe, ac nunquam poſteà in aliqua re delirâſſe.

Capitis apertio innoxia à Chirurgo.

Cùm aliquando ſermo inter nos eſſet de ſangvine, qui ad adventum occiſoris ex occiſi vulnere aliquando proflueret, me ad DEUM homicidia prodentem omnia referente, *Marcus* naturæ vi hæc ſæpe fieri contendebat, idque vel hoc exemplo patêre. Noviſſe ſe hîc *Pragæ* puellam annorú quatuordecim, quę, falsò ab altera quadam muliere ſibi venenum porrectum, eâq; ſe cauſsâ mori triſtiſſimè querebatur, ſed ægrotabat tabano, & convulſionibus exanimabatur. Tertio pòſt, quàm è vivis exceſſerat, die, dum ſepulchro inferretur, & mulier illa, in quam ſuſpicionem veneni, & cauſsâ mortis ſuæ contulerat, superveniſſet, mox ſangvis è naribus mortuæ copioſus proſilijt. Inde philoſophabatur *Marcus*, dum puella vitam finiret, imaginationem veneni illius, & mulieris forſitan impreſſam, & relictam in ſangvine.

De ſangvine è cadavere manante.



Jam mirabile Curationis exemplum in deſperata re adducemus: *Ruſticus Bohemus Mathæus* nomine, dum per biennium mirâ, & *inauditâ quâdam gutturis dexteritate* (ùt ex *Crollio Kircherus* noſter loquitur) juſtæ magnitudinis *Cultrum ferreum*, in *guttur* ſuum ſatìs amplum immergere, & ocultare didiciſſet, eundémq; cultrum

Oſwald. Crollius Præfat: admonit. Baſilicæ Chimicæ. Kirch. in Magnetiſmo l. 3. P. 7. poſt C. 2.

De Cultro devorato.

trum ſingulari arte velut præſtigiator cuſpide cùm luberet, rurſus extraheret (cujus ſpectaculi cauſsâ in tabernis potus illi largiter præbebatur) tandem neſcio quâ infælicitate alterâ Paſchæ die tam altè cultrum demiſit, ut prorſus in ſtomachum uſquè deſcenderet, & nullo artificio retrahi poſſet. Jacebat ad extrema deductus ſeptem integras hebdomadas, & dies duos, mortem expectans, *ungvento etiam armario* adhibito, cujus vel alterius cauſæ adminiculo cultri cuſpis juxta orificium (ùt vocant) ſtomachi exitum moliri cœpit; quo animadverſo *Ruſticus* efflictim obſecravit, ut *culter* inciſione extraheretur; poſt tot preces, cùm etiam ceſſando mors ægrotum maneret, in omnem eventum princeps Regni, & Urbis Chirurgus *Florianus Mathis Brandeburgenſis*, ſectionem orſus fæliciter expedivit, cultrúmque extraxit. Color exciſi cultri inter *raritates Cæſareas* repoſiti, in eum modum à ſtomacho immutatus erat, quaſi in igne perpetuò canduiſſet. *Ruſticus* paucarum hebdomadarum ſpatio, legitimis ab expertiſſimo Chirurgo remedijs applicatis, integræ valetudini reſtitutus, Nuptias paulò pòſt celebravit, & Convivis ſuis inter fercula *Cultrum* oſtendit, & circuire juſſit. *Cultri* hujus longitudinem, formam, cæteráque omnia, ex Technophylacio Cæſaris ad vivum expreſſa *Lectores* aſpiciant! Ridiculum eſt, quod ex *Mathiolo*, *Cæſari Maximiliano II. Dioſcoridem ſuum Pragæ* dedicante, deſcribo: Veniſſe Pragam *Circulatorem*, qui cujusdam pulveris potentiâ, quemcunque hominem ad breve tempus, & innoxiè delirantem efficeret. Sed verba ipſa *Mathioli* adducere operæ pretium puto: *In vinum,* ait *radicis cujusdam pulverem, cujus guſtatu fauces convelluntur, circulatores immiſcent, & cui fucum facere volunt, jubent, ut illo in vino intinctum digitum, quaſi prægustandi cauſsâ ſugat, tum illico digitum in vino madidum in os inditum, ſibi mordicus non ſinè dolore, & clamore premit invitus. Interea perinde, atque blanditijs mærentem conſolatur Circulator, temporum, carpique arterias alio quopiam oblinit medicamento, deinde nummum in terram projectum hortatur ut tollat. Ibi ille pronus, primùm ſeſe nequit attollere, mox ungvinis vi amens factus concidit, ſtatimque ejus more, qui metuit, nè mergatur in aqua, natat, ac vociferatur ſimul ſe fluctibus obrui. Ergo eum eripit Circulator; ille quaſi ulturus injuriam, primùm maleficium obliquo, ac torvo intuitu exprobrare, mox hominem aggredi videtur. Poſtremò fugientem Circulatorem proſequi, donec abſterſo tandem illiti medicamenti veneno, recipiat animum, ac menti reſtituatur. Ubi autem ad ſe redijt, quaſi qui evaſerit à mari naufragus, capillum, veſtimentáq, velutì vela torquere, exprimeréque, brachia tergere, & nares emungere conſpicitur. Hæ fabulæ non ſunt: nam non deſunt multorum teſtimonia, qui viderunt, quique impoſturã ſuſpicantes, ſuis & amicorum ſuorum famulis (ut hoc anno Pragæ factum eſt) hæc fieri juſſerunt.*

Mathiolus in Dioſcoridem præfat. ad Imp. Maximil. II.

Delirium ad tempus medicamento procura tum.

Scribebat hæc Mathiolus Pragæ A. 1565

CAPUT XIX.

De ominibus, præſagijs, vaticinijs rem privatam & publicam Bohemiæ attingentibus.

S*Pectrorum*, & *umbrarum* (de quibus paulò antè egimus) occurſus, & illæ quaſi alterius vitæ imagines, ac ſimulacra hominum, aut monſtrorum, quæ ſeſe mortalium oculis nonnunquam offerunt, portendunt plerumque, & præſignificant tam læta, quæ deſiderare, quàm tri-

Digitized by Google

ſtia, quæ cavere, aut ſi id non datur, expectare, & timere debeamus. Sed eſt aliud quoddam admonitionis genus, idq; non infrequens, cùm repentinum aliquid, & in hac rerum, ac temporum conjunctione inſolitum & inopinatum objicitur, aut ejusmodi (quod triſtia ſolet antecedere) apparet, ùt *Cometa;* quamvis & hos nuper nihil eſſe timendos oſtendere conatus ſit Vir doctus, cùm docuit, & prædici poſſe, & neceſſario quorundam cœleſtium corporum concurſu exiſtere; ſed huic doctrinæ omnia hiſtoricorum ſæcula adverſantur, & innumerabilibus exemplis, ſyrma quoddam calamitatum poſt ſe traxiſſe demonſtrant. Nos hoc *Capite* omne genus omina, præſagia, admonitiones, ac prædictiones, ſummo ſemper ad brevitatem reſpectu proſequemur, & rectè (ùt reor) *umbris & mortibus* ea, quæ pœnas, & mortes ſignificant, ſubjiciemus.

Cometę an prædici poſſint.

§. I.

Spectrorum Exercitus nocte Pragam tranſit. Flagella in Cœlo ſpectantur. Wotavva, vel Watavva fluvius in caput redit.

Slavata in Apologia adv. Com. Turn. M. S. ad An. 1571. Epit. rer. Boh. l. 5. C. 14.

Spectrorū Exercitus Pragæ plurimis viſus.

Mira omnino ſunt, quæ de A. 1571. *Wilhelmus Slavata* Regni Cancellarius in hiſtoria ſua, & temporum ſuorum commemorat, quę licèt in *Epitome* pridé narrata, hîc loco ſuo aptiùs referentur, & repetentur. Spectaculum hoc terrificum, & triſtiſſimum, *Novæ Civitati Pragenſi* 20. Julij oblatum eſt: Ventus maximus primùm mediâ nocte ſubitò coortus, cum ingenti ab imo ſtrepitu, quaſi terræ motu, Cives propè omnes timore perculſos excitavit de ſomno; plerique Civium, quid rerum ageretur ſcire cupientes ſtatim feneſtras ad forum ſpectantes (unde ille Tumultus exire videbatur) circumſiſtunt, & occupant. Ecce autem *Equitatus* numeroſiſſimus, cujus nec initium, nec finem aſpectu terminare poterant, per latiſſimam *Plateam* (quam *combuſtam* appellant) ad *Eccleſiam Corporis Chriſti* medio in foro *Novæ Urbis* ſtantem, ac deinde Eccleſiâ vitatâ, longiùs penes Eccleſiam *Slovanenſem*, ſeu in *Emaus* procedit: Equites omnes quaſi jam jam acie concurſuri arma tenebant, & egregiè erant armati; Equi, & arma triſtè rutilabant, ac horridè ſtrepebant, mœſtiſſimo tamen omnium armatorum ſilentio; tandem aliquando truculentæ illius militiæ, & pompæ finem intueri datum eſt. Exercitum *Currus* contectus, & ferro probè munitus ſequebatur, ſed rotis carebat, atque is currus tanto per terram pondere trahebatur ab *Equis*, ut vicinæ domus omnes contremiſcerent, & terra nutare videretur. Currum octo viri comitabantur ingenti magnitudine corporum in ocreis, & calcaribus, ſed ſine *capitibus*, qui ambulando, majorem, quàm is, qui præceſſerat *Exercitus*, ſtrepitum edebant. Cùm forum *Novæ Urbis* tranſiſſent, maximus ignis in fori medio ante *Eccleſiam Corporis Chriſti* reluxit, in cujus ignis parte unâ, quàm plurimæ *Arcæ*, & ingentes ciſtæ ſpectabantur; parte alterâ *vaſa* plurima ſtabant, ùt ſolent in caſtris, quaſi pulveris Pyrij, ſubitóque *currus* capaciſſimus concitato Equorum ſecutus eſt, ſed retrò in Urbem longiùs; *Curiam* versùs, iter vertit. Hîc ventus exortus eſt, atque omnia momentò evanuêre, excepto, quòd in aëre lucidi *Halones, & rota* quædam lucida totâ nocte ad clarum uſq; diem permanſit. Hoc ſpectaculo attoniti, qui viderant, multi incidêre in morbum, & nonnulli terrore paulò pòſt

ſunt

Digitized by Google

ſunt extincti; neque de rei geſtæ fide dubitari potuit (ait *Slavata*) cùm plurimorum fide digniſſimorum Civium, qui ritè examinati ſunt, de Veritate conſtiterit. Poſt triginta ſex dies ab hoc tragico ſpectaculo 26. Auguſti ſuper Urbem totam *Pragam* multis hominum millibus excitatis, *Flagella, & Virgas*, & per eas *lanceam* longiſſimam cuſpide in occidentem decuſſatim protensâ minantem apparuiſſe ſcribunt hiſtorici eorum temporum, teſtes oculati, idque tam ſereno lumine in regione aëris expreſſum videbatur, ut nocturnum *Lunæ* ſplendorem *flagella, virgæ, & Lanceæ* æquarent. Tantam, & tam ſævam famem conſecutam *Slavata* commemorat, ut multis mortalibus fame extinctis, in *Bohemia* (aliàs frugum ferace Provinciâ, quæ vicinarum Regionum, ùt *Sileſiæ, Luſatiæ, Miſniæ, Bavariæ, &c.* horreum appellari ſolet) publicâ authoritate, graviſſimis pœnis conſtitutis, omnes omnino cærevisiæ (vulgò braxatoria) per *Bohemiam* clauderentur, nè conſumto in potum frumento, *Panis*, res magis neceſſaria, Populo deeſſet: unde ad aquam bibendam Populus damnabatur, extremo, ſed ſalutari, & prudenti *Procerum* in futurum providentium conſilio.

Famem maximam ſignificabat.

Flagella & virgæ in aëre viſæ.

Slavata l. c.

Cerevisiæ coctio in fame vetita.

Quod ſequitur, longè majore miraculo acceptum dum fieret, & poſtea triſtiſſimo luctu univerſæ *Bohemorum* gentis intellectum, & impletum eſt (quippe Regem, & Regiam familiam brevi extinctum iri portendebat) idq; Religioſus, coævus, & gravis author *Petrus Abbas Aularegienſis, Cuthenus, & Pulkavva* narrant: *Wotavam* fluvium apud *Piſecam*, eo die, quo *Wenceslaus* penultimus ex Przemyslæa ſtirpe *Rex*, vita, & moribus ſanctiſſimus obijt 21. Junij, à nocte media ad tertiam diei horam uſquè conſtitiſſe primùm, mox verò curſum retrò flexiſſe, quaſi in caput ſuum rediturum. Idem fluvius *Watavva* majore capto impetu, & concitatiore curſu Anno ſequenti 1305. rediens aſcendit, quò major calamitas Regno incubuerat, in *Wenceslai III. Bohemiæ Regis* indigna cæde *Olomucij* grandi parricidio, & infami proditione patratâ, in quo Principe univerſa regnans *Przemysli* familia finem accepit; duobus tantùm ſurculis, qui olim ex *Wladislai* Regis fratribus *Theobaldo, & Henrico* deſcenderant, *Ssvvibovijs, & Czerninijs* (ùt omnes patrij Scriptores conſentiunt) relictis.

Fluvij in caput redeuntes.

Petrus Abbas in Chronico Aulæ Regiæ C. 80. Cuth. in Notis ad Silvium. Pulkawa in hiſt. Boh. Weleslaw. in Calen. hiſtor. ad 21. Junij.

§. II.

Somnium Regis Ottogari ante cædem. Clades Bohemiæ, Rege Ottogaro cæſo, multis Divinitùs prænunciata. Stella in Luna apparens fauſtiſſima Bohemiæ.

IGnoſcent Lectores, ſi in *Præſagijs* referendis Ordinem temporum non teneam: neque enim hiſtoriam perpetuam, aut *Chronicon* aliquod ſcribo, ſed, ùt *apes floriferis in ſaltibus*, temerè feror, ac ùt quæq; res ſub acumen ſtyli venit, præſertim in *Adverſarijs* meis hiſtoricis occurrens, exſcribo.

Siffridus Miſnenſis Presbyter proximus *Ottogari* temporum, refert: extremum illud *Rudolfi I.* Cæſaris, & *Ottogari* Bohemiæ Regis prælium mira oſtenta præceſſiſſe: *Regi* ipſi *Ottogaro* oblatum ſomnium: credebat ſe caput gerere plenum cornibus, ac veniſſe neſcio quem, & radicitùs omnia illa cornua, ſummâ vi adhibitâ, evulſiſſe, unico cornu relicto; Regium profectò ſomnium, & *Danielis* ſomnio perſimile! Circa idem tempus *Sacerdotem* in Germania vidiſſe per quietem *flumen maximum* nigris, & turbi-

Siffrid. in Epit. ad A. 1276. lib. 2.

Somnium Ottogari Regis triſte

Daniel. 7.

Alia ominoſa ſomnia.

dis fluctibus, intermixtis partibus glaciei, ab occidente in *Bohemiam* magno impetu præcipitari, inter ſomnium audiviſſe vocem triſtiſſimam: *dies tribulationis! dies miſeriæ! Reinbotho* Eques dormiens videre viſus eſt *Lunas quindecim* in cœlo pugnantes; earum duæ cæteris magnitudine præſtabant, altera perfoſſa plurimis foraminibus, in quam certatim *Lunæ* cæteræ cornua impegêre, ſic, ut penitus conſumta videri deſierit; dum hæc miratur, & animo verſat, videt adſtare ſibi *Regem Ottogarum* cum multo cruciatu vomitantem. Quid iſta portenderint, eventus oſtendit: An. 1278. pergit Siffridus: *Occiſo Rege, totius Regni Bohemiæ clades eſt ſecuta, ità, ut per triennium* (ipſius verba recito) *quotidie gens Bohemorum de terra ſua, fame, & inopiâ compellente, relictis domibus transmigrarent, venientésque in Turingiam, Miſniam, & alias partes Teutoniæ, miſerabili inediâ per plateas Civitatum mortui corruerunt*. Hęc Siffridius. At, quæ immiſericordia, ſpectare in plateis præ fame corruentes? Idem *Siffridus* aliud Dresdenſis Clerici ſomnium ante obitum *Wenceslai II.* pijſſimi Regis Bohemiæ retulit, ad Annum 1305. itidem de Luna.

Mirabile eſt (qua de re diſputent Aſtrorum periti) *Lunæ* certos aſpectus iniquiores *Bohemiæ* videri; at, cùm inter *Lunæ creſcentis cornua ſtella* appareat, fœliciſſimum eſſe *Bohemiæ ſidus*, ac fælicitatem, & ſalutem ex inimicis oſtendere; id quod exemplis probaturum in me recipio; unum modò referam: poſt cladem *Ottogari* miſerabilem, & graviſſimam ſub *Ottone longo Marchione Brandeburgico* oppreſſionem An. 1284. die ſacro *Sancti Stephani Iris* ſolito coloratior (mirùm in media hieme) à minore Urbe in *Veterem Urbem Pragenſem* porrecta (nam *Nova Civitas* nondum erat, & ſi eam immemor ſui, *Pontanus* nominet) tum (quod huc facit) clariſſima quædam *Stella* altero in cornu *Lunæ* promicans *Bohemos* in ſpem novam libertatis erexit, idque paulò poſt factum *Keplerus*, & *Campanus* affirmant, reddito ſuis glorioſo Rege *Wenceslao II.*

Stella in Luna fortunatum Bohemiæ ſignū.

Pontan. l. 1. Boh. Pia.

Jo. Keplerus in Ephemerid. Campanus in Theſibus hiſt. Reg. Boh.

§. III.

Familiæ quædam Illuſtres apud nos Mortis admonentur; adducuntur in eam rem exempla. Maximiliani II. & Rudolfi II. Cæſarum mortes præſignificatæ. Petri de Roſis morientis de Bohemia noviſſima verba. De ſexto numero, & de S. Rufi die Regibus noſtris fatali.

Mortis admoneri grā de beneficium.

MAgni beneficij inſtar haberi debet, mortis inſtantis admoneri, ut benignè comparati æternitatem (in qua homini Chriſtiano ſunt omnia) inchoëmus, quam ob cauſſam meritò à nobis Divinæ Providentiæ gratiæ ſunt agendæ: nullam enim facilè gentem in Europa inveneris, cui toties, & tot mortis inſtantis ſignificationes cœlitùs præbeantur. Ejuſmodi exempla innumera in *Veſtigio Bohemiæ Piæ Albertus Chanovvsky*, ejúſque commentator *Joannes Tanner* uterque Societatis noſtræ Sacerdos retulerunt. Præterea *Albam Dominam* in Arcibus Procerum *Roſenſium*, & *Novodomenſium* ſæpius apparentem (de qua jam peculiari loco egimus) omitto dicere de *Sacello S. Annæ* in Arce *Smeczna*, ubi imminente *Martiniciorum* morte, vel lumina à nemine accenſa apparent, vel alia ſigna inſolita eduntur; certè obitus *Jaroslai Comitis de Martinitz Regni Bohemiæ Burgravij*, alióque tempore *Barbaræ* ejuſdem Comitis filiæ (quam *Sereniſſimus Marchio Brandeburgi Chriſtianus Wilhelmus* in conjugem acceperat)

Chanowsky in Veſtig. Boh. Pia C. 7.

Novodomenſes & Slavatæ.

Martinicij.

rat) multis, miriſque indicijs præſignificatus eſt. Familia Equitum *Strogeticzkiorum albo paſſere* viſo, mortis admonetur; *Geniſſkij Barones & Equites de Augezd hydriâ ſtanneâ* ſeſe ipsâ cum ſtrepitu modò aperiente, modò claudente, mortem alicui ex ſuis vicinam eſſe intelligunt. In Arce *Rabi*, *ciſta* grandis eſt (quam ipſe vidi panno nigro inſtratam *Crucifixi* ſigno ſuperſtante) hæc tanto cum tumultu vi occultâ movetur, & raptatur, ut in vicino ſubtus pago audiatur, quoties Illuſtri familiæ *Dlauhoveskijs*, *Czaſtolarijs aut Chanovvskijs* ab eadem origine deſcendentibus, moriendum eſt.

Strogeticzkij. De Augezd Chanowſkij.

Przichovvskiana Baronum, & Equitum vetuſta, & militaribus factis inclyta ſtirps in caſtro *Skoczicz* mortis clariſſimam ſignificationem accipit: nam, ſi quis moriturus ex ijs venationem coluit, *litui*, *& cornua* venatorum perſtrepunt, & *canes*, ùt in venatione fit, oblatrant; ſi moriturus eſt miles, *jaculationes*, & militum quaſi in certamen procurrentium vociferationes percipiuntur; ſi *Muſices*, ſi *Equorum* amator moriturus eſt, *cantus* perſonat, aut *Equorum* hinnitus inuſitati obſervantur. Iiſdem *Przichovvskijs Przeſticij* in Eccleſia mortis ſignificatio datur: reperitur enim *Statua D. Joannis Evangeliſtæ* humi in pavimento Templi depoſita, cùm aliàs eadem ſtatua in culmine Altaris penes clypeum *Przichovvskianum* conſiſtat. *Equites* notiſſimi, & pervetuſti apud nos *Wanczura* in Eccleſiæ (ſub *Horka* caſtro, & pago ſitæ) ſacrario habent tumulum lapideum (ac niſi me fallit memoria) marmoreum, clari ex ſua gente Herois *Georgij Wanczuræ*; quod imminente morte alicujus ex ea ſtirpe per totum ſaxum, & marmor largiſſimè *ſudat*, cùm tamen ad lapidem ob fornicem ſacrarij nullus imber, nulla pluvia pervenire poſſit; credebant priùs loci accolæ, *Georgium* illum *hæreticum Equitem* fuiſſe: at ego cùm illac A. 1650. iter haberem, ex inſcriptione ſepulchri demonſtravi, & *Catholicum*, & quod ampliùs eſt, *Eccleſiæ illius Fundatorem, vel Amplificatorem* fuiſſe.

Przichowſkij. Wanczuræ

Geminum prorſus ſepulchri miraculum Illuſtriſſimis Proceribus *de Kolovvrat* conceſſit DEUS, in *Rocovienſi Eccleſia*, nunc deſerti Cœnobij Ordinis *Eremitarum S. Auguſtini:* quoties enim *Kolovvratæo* cuipiam moriendum eſt, humorem copioſiſſimum profundit *lapis ſepulchri D. Alberti ſenioris de Kolovvrat* Fundatoris Cœnobij illius, qui plenus bonis meritis, in DEUM, & in Cæſarem *Carolum IV.* (quem *Piſis* ſuo corpore adversùs hoſtes protexerat) Anno 1391. vitâ exceſſit, eóque loco humatus eſt. *Nebylovvskiana Equitum Stirps*, quæ noſtrâ memoriâ prorſus interijt, in caſtro ſuo *Polina* idem habebat mortis indicium, quòd *Miſſam* audientibus *cerea* in Altari *candela* extingveretur. *Nepomuci* Eccleſia eſt plurimis *Sternbergicorum* ſepulchris viſenda; hæc tota noctu facibus collucet à *dextro latere* præcipuè, ſi *Sternbergicus* virilis ſexûs moriturus ſit, *ſiniſtro Templi latere*, ſi fœmina. Paulò ante mortem Illuſtriſſimæ *Ludmillæ de Sternberg* (quod ipſos *Nepomuci* vigiles narrantes audivi) itá illuſtrata nocte *Eccleſia* illa fuit, ut ardere videretur, ideóque accitis Ædituis properârunt Templum ingredi, nihil tamen lucis invenerunt. Proceres Bohemi *Sſvambergici Albam* quoque *Dominam* (ùt Roſenſes) in Gynæceum venientem videbant morituri. *Czerninij in Chudenicz* Originaria Majorum ſede, audire ante mortes ſuorum ſolent, velut ſi *rudera*, aut *arenæ* funderentur. In Arce *Kamen* (quod ipſo loci Domino *Joanne Chriſtophoro Malovvecz* referente didici) ante Equitum illorum mortes in quadam arcis areola diſcurrere per humum *lumina* ſolent. *Lobkovicios* ferunt admoneri *campanulis*, vel nolulis; *Udalricum de Lobkovicz* narrat *Brunæ* monitum campanulâ (quam in ciſta clauſerat) bis inſonante;

Kolowratæi. *Dubraw. l. 22. hiſt. Boh. Epiſt. rer. Boh. l. 3. C. 21.* Nebylowſkij. Sternbergici. Sswambergici. Czerninij. Malovecij. Lobkovicij

te;

te; unde ſibi, & filio mortem inſtare intellexit, quod paucis pòſt menſibus contigit. Ante *Wilhelmi Roſenbergici* mortem, non modò, ùt vocant *Albam Dominam* comparuiſſe, ſed Anno 1591. nominatim primâ Novembris, noƈte ſpeƈtra quædam alba, & in albis Equis, eâ *Urbis Crumlovienſis* parte, quæ *Fleberg* appellatur, excitatis Civibus, obequitâſſe, *Wenceslaus Brzezan* commemorat; niſi id retuleris in *Animarum diem*, cujus erat pervigilium, quo quarum noxis ſacrificium *Eccleſia Catholica* Divinæ Majeſtati offerre conſvevit.

Roſenbergici.

Vita Wilhelmi de Roſis M. S. Wenceslai Brzezan.

Refert *Khevvenhiller in Annalibus Ferdinandæis Pragæ* paulò antè *Rudolfi II.* Imperatoris mortem, *Leonem* ſeniorem, duas item *Aquilas*, quas Cæſari chariſſimas fuiſſe conſtabat, extinƈtas, mortis Imperatoriæ ſignificationem aliquam dediſſe Anno 1612.

Rudolfi II. Imp.

Kkevenhill. in Annal. Ferdinand. P. 3. ad A. 1612.

Præſagijs & illud forſitan adſcribendum, quod *Petrus Codicillus* in univerſitate Carolina Philoſophicæ Facultatis Decanus ad An. 1576. annotavit paulò ante *Maximiliani II.* mortem in fine Septembris, cùm ille pro *Rudolfo* filio Rege Romanorum eligendo *Ratisbonæ* Comitia celebraret, *Pragæ* poſt Arcem Regiam in via, quâ in Silvam *Ssarkam* nomine, iter eſt, ingentem vim colubrorum congregatam, capita, quaſi conſultarent, conferentium, per decem dies uno in grandi cumulo conſpeƈtam eſſe, cùm ad id ſpeƈtaculum quàm plurimi è Civitate accurrerent, ídque prudentibus permirum eſt viſum, quòd eo autumnali tempore *Colubri* cavernas potiùs, quàm Solem exquirant, poſt eos dies repetiêre cubilia, & dilapſi ſunt, eóque ipſo tempore *Rudolfus Rom. Rex* eleƈtus, & 12. Oƈtobris *Maximilianus* obijſſe nuntiabatur.

M. S. Codex Carolinæ Univerſit. Facult. Philoſophicæ.

Serpentum congeries ominoſa.

Rebellionem Ordinum hæreticorum Anno 1616. & inde clades ex paucorum eventuras, perfidia, non indubiè præſagiſſe *Patres* noſtros ſæpe à *ſenibus*, dum commemorarent, puer audivi: mirum illud (quod in *Originibus Comitum de Guttenſtein* obſervavi, ídque ex me deſcripſit *Noribergenſis Scriptor*, qui de turbis Polonicis nuper Librum vulgavit) quàm plurimas illuſtres, & vetuſtas *Bohemiæ Familias*, quas ſuo loco commemorabo, circa illos motus extinƈtas periſſe. Refert *Theobaldus: Petrum Wok* de Roſis poſtremum ſtirpis ſuæ, paulò ante mortem altè duƈto ſuſpirio exclamâſſe: *O miſera Bohemia, quanto brevi ſudabis ſangvine!* eam vocem in *Caſſettas* (ùt vocant) ſeu in folia illa curſorum relatam id temporis ſe vidiſſe An. 1611.

Regni calamitas interitu familiarum præſignificata.

Theob. ad An. 1611. in Huſſ.

Coronidem huic Capiti imponam: Majorum nobis traditâ, ac fortaſſe ſuperſtitioſâ nonnihil obſervatione (quæ, an huc direƈtè ſpeƈtet, nihil laboro; in *Miſcellaneis* certè locum meretur) *Auguſtum Menſem* (ac præcipuè *S. Rufi* diem 27. Auguſti) inter nefaſtos, atros, & infælicisſimos ponentium, quòd is videlicet aliquot maximorum *Bohemiæ Regum* funeribus conſignetur (*Przemyſlai*, *Ottogari II. Wenceslai III. Joannis, & Ludovici* Regum) nihil unquam *S. Rufi* die à *Bohemis* geſtum eſſe fæliciter, eâque gratiâ *Carolum IV.* à Pontificibus obtinuiſſe, ut is dies in Templis Bohemiæ, ritu ſolenniore *ſub duplici*, ùt vocant, coleretur, quo *Sanƈtiſſimus ille Martyr*, ſi quid impendere calamitatis, propitiatus averteret, periculúmque præſtaret. Ego nullam *Regno* ab hoc menſe, vel die, metuo calamitatem; innocens eſt omnis menſis, & dies, alijs ex cauſſis, ùt nôrunt prudentes, mala naſcuntur. Errant, ùt ex hiſtoricis patet, qui in hunc unum *S. Rufi* diem, omnia illa *Regum funera* contulerunt; deinde, quid mirum, eo menſe, quo bella confici plerumque ſolent, bellicoſiſſimos Reges perijſſe? alij alijs menſibus perierunt; *ſtat ſua cuique dies, & inevitabile fatum.* Poſſem læta *Bohemiæ* quàm plurima recitare, quæ Auguſto Menſe, ac *S. Rufi* die nominatim evenerint. Ridiculus eſt *Richte-*

Auguſti menſis dies 27. infælix Bohemiæ.

Digitized by Google

An quidam numeri Regibus infælices.

Richterus in Oeconomicis ſuis, qui Regibus alijs alios numeros, *Bohemiæ Regibus ſextum numerum* in Annis, menſibus, ac diebus infelicem eſſe docuit, duobus, vel tribus exemplis ad id ſentiendum adductus. Ego ſic exiſtimo: fælicibus Principibus, etiam ſextum ſæpe numerum fælicem, & optandum fuiſſe; infælicibus contrà non modò ſextum, ſed ſæpe & ſecundum, & tertium, & quartum infæliciter cecidiſſe, prudentia omnes numeros explet.

§. IV.

Vaticinia quædam de Regno Bohemiæ, tam vetera, quàm nova, déque fælici, aut infælici Regni ſtatu.

Przemysli vaticinium.

PRima de *Bohemia* vaticinatio, niſi fallor, in hiſtorijs noſtris reperitur, cùm ab aratro ad Imperium *Przemyslus* vocaretur; antiquiorem invenire non potui: eſt de *corylo frondente*, tum de *menſa: ego Davus ſum, non Oedipus,* ait ille: Vide quæ nuper attuli Capite 17. §. 2. *Coryli* vaticinium varij variè interpretantur; lege *Æneam Silvium*, tum *Dubravium*, *& Hagecium*. Vaticinium hoc *Przemysli* deſcriptum eleganter invenies in libro, vinulis, & delicatis verſibus ſcripto, quem *Collegium S. J. Pragenſe Ferdinando III.* A. 1627. cùm Coronam Regni acciperet, dedicavit. Inter quæ & illud legitur: eſſe in *fatis Bohemiæ*, tum eam perituram, cùm *menſa ferrea Przemyslai* (ego *aratrum, & vomerem* interpretor) ab allophylis devoraretur. *Libuſſæ* vaticinia ſequuntur, quæ plurima fuère: de *auri, & argenti* fodinis *Bohemiæ*; de *Sancto Wenceslao, & Adalberto; de Praga* urbis fortuna, quam à *limine* voluit appellari (quia ad humile limen, ait apud Coſmam vaticinans *Libuſſa*, etiam magni Domini ſe inclinant) *Urbem quam ædificabitis, vocabitis Pragam*. Ejuſdem *Libuſſæ* verba ſunt: *In Urbe Praga olim bina aurea aſcendent olivæ, quæ cacumine ſuo uſquè ad ſeptimum penetrabunt Cælum, & per totum mundum ſignis, & miraculis coruſcabunt. Has olivas hoſtijs, & muneribus colent, & adorabunt omnes tribus terræ Bohemiæ, & Nationes reliquæ. Una ex his vocabitur Major Gloria* (Wětſſý Sláwa / vel Wětſſý Slaw / per contractionem Wáclaw) *altera Exercitûs Conſolatio* (Wogtěch Wogna quippe vel Bog bellum, těſſyti conſolari ſignificat) hæc Coſmas. Quæ ſi verè a *Libuſſa* prædicta ſunt, altiore quàm humano, & Sybillineo prorſus ore, & inſtinctu edita eſſe hæc oracula fatendum erit. Alia ejuſmodi vaticinia *Przemyslo* marito jam regnante edita, paſſim in *Hagecij Annalibus* legi poſſunt, quem Authorem obvium, & genti noſtræ notiſſimum deſcribere tædet, pigétque; diligentiam in ſupervacuis affectare, meum eſſe non puto.

Æn. Silv. C. 6. hiſt. Boh. Hagek in An:

Colleg. Pragenſe S. J. in Boh. tit. Bohemia Exoriens. An. 1627.

Libuſſæ vaticinia.

Coſmas Decanus Prag. l. 1. hiſt. Boh.

Pontan. l. 1. Boh. Pia.

S. Cyrilli prædictio impleta.

Memorabile in primis vaticinium eſt Divini, & Apoſtolici Præſulis *Cyrilli Welebradi*, *Borzivoio* Duci noſtro Chriſtianam Religionem ſuſcipere cunctanti, editum (quod plurimi Authores retulerunt) quo, ſi Chriſtianam amplecteretur fidem, *DEI*, qui Cœlum & terram omnipotenti manu creavit, nomine, *Borzivoio* in poſteris fælicitates maximæ, opes, victoriæ, Regnum, & Imperia promittebantur; ſimilitudine magni fluminis uſus eſt *Sanctiſſimus Vates*, quod à fluvijs minoribus auctum in immenſum excreſcit. Hæc *Marcomannici Regni in Bohemiam* translatio trecentis ferè annis poſt *Cyrillum* contigit publicâ totius Imperij, & Imperatoris authoritate perfecta. Conſulantur hiſtoriæ, & qui omnium diligentiſſimè hæc tractavit prim⁹ *Bohemiæ Scriptor Chriſtannus de Scala, Boleslai Sævi filius, Borzivoij*

voij ipſius pronepos, cujus hiſtoriam noſtræ inſertam, & *Notis* illuſtratam Typis nuper vulgavimus.

S. Adalberti prædictiones.

Sanctiſſimi Præſulis *Adalberti* vaticinium adversùs *Wrſſovecios*, gentem eâ tempeſtate non modò Ducibus ex *Przemyslæa* ſtirpe inimicam, ſed Religionis quoque Chriſtianæ odio ſemper mirum in modum flagrantem, déque ejus (*Wrſſovecæ* ſtirpis) triplici ruinâ, & exitio, oraculum in *Hagecio*, *&* *Pontano* legi poteſt. Pœnis illis exſolutis, & vaticinio impleto, nihil *Wrſſovecij*, cæteris *Bohemiæ* familijs, ſeu pietâte in *DEUM*, ſeu fide erga *Reges*, ſeu meritis in *Patriam* conceſsêre.

Hag. in Ann. Pontan. in Bohem.: Pia. Bolelucky in vita S. Adalb:

Vogeno data prædictio.

Apud Majores noſtros *Vogeno Duci* data prædictio diu fuit in honore: *Slavicam lingvam*, quæ in *Bohemia* regnaret, nunquam ex integro ab hoſtibus *Slavici* nominis, quidquid ij conarentur, exſtirpandam. Gemina prorſus prædictio habebatur *Rudolfo II.* imperante, cujus author ferebatur *Petrus Codicillus* nobilis Aſtrologus, eâque in ſcientiâ & Cæſari *Rudolfo*, *&* *Bohemiæ Proceribus* probatus, qui ſe id ex aſtris didiciſſe palàm jactare ſolebat: *Croaticum Bohemiæ Populum* (ſic enim loquebatur) non periturum, quantumvis ad incitas, & egeſtatis terminos *Bohemiam* redigi aliquando contingeret. Utrumque Vaticinium (aut quo alio nomine vocandum prudentes cenſeant) refert *Gallus Zalansky*. Et certè tot machinæ adversùs lingvam, & gentem noſtram prioribus ſæculis (nam de præſente nihil volo, conſultò, dicere) admotæ ſunt, ut mirum ſit ſupereſſe, qui *Bohemicè in Bohemia* loquantur, aut qui ſe inter nos natos fateantur. Quanto ſangvine conſtitit, ſub *Ottone Brandeburgico*, plenam Saxonibus, Svevis, & Marchiacis *Bohemiam* vindicari? quantum opus fuit *Joannis Lucemburgici* Regis adversùs *Bohemos* ſuſcepta conſilia enervare, & evertere? Eadem mens *Wenceslao* Nepoti, & *Sigiſmundo* hujus fratri fuit, quam, quia poſtremus intempeſtivè, & incautè prodidit, eâdem operâ, ſibi quod cogitârat exequendi eripuit facultatem, unde cruentiſſima conſecuta ſunt bella; propiora ad nos tempora prætermitto. De his quorundam machinationibus latè diſſerui in *Tractatu de Lingva Slavicæ præſtantia*. De *ſtatu Bohemiæ* futuro à *Veteribus* per manus tradita jactatur prædictio, quam *Weleslavinus* Patriæ hiſtoriæ ſcientiſſimus prodidit: ventura aliquando (an fælicia, an contrà infortunata, ambiguum eſt, cùm in utramque partem, quod dicitur, valere poſſit) *Bohemiæ* tempora, quibus in *Ponte Pragenſi* tam pretioſus, & rarus ſit futurus *verus Bohemus* (id eſt, ſi quid ego intelligo, cordatus, ſincerus, antiquæ fidei, & ſinè dolo) *quàm eſſe poſſit cervus aureis cornibus.* Memoratu digniſſimum eſt, & quoddam vaticinij inſtar continet, quod *Poloni Scriptores* obſervant: *Regnum Bohemiæ, & Regnum Poloniæ* (quaſi in libræ lancibus ſederent) uno fortunę beneficio, ad laudem aliquam, & celebritatem elato, alterum deſcendere, & deprimi. Accumulant exempla *Miechovius*, & recens Scriptor ætate noſtrâ *Piaſecius*: illum audiamus: *Quo tempore Wratislaus Dux Bohemiæ ab Engelberto Trevirenſi Archiepiſcopo Pragæ An. 1087. 17. Calend. Junij coronatus eſt, penè eodem tempore Regnum Poloniæ deſijt; ſimiliter, dum Univerſitas Cracovienſis cœpit, Pragenſis defecit; Item dum Reges Bohemiæ tractis ad ſe Principibus Sileſiæ glorificati, contra Polonos pro Crucigeris Prutenorum pugnârunt, Reges Poloniæ humiliati contabuerunt; nunc verò Regibus Poloniæ exaltatis, & uſque in Bohemiam, & Ungariam elevatis* (ſub Wladislao Caſimiri filio, Bohemiæ, & Ungariæ Rege, ſcribebat Miechovius) *Bohemia decrevit.*

Codicilli Aſtrologi prædictio.

Zalansky Concione ſ.

Welesl. præf. in Æneam Sil: à Cutheno editum.

Regna Poloniæ & Bohemiæ in libra ſedere dicuntur.

Miechov. in hiſt. Polon. l. 3. C. 4. Paulus Piaſecius in hiſt. ſuorum tempor.

Hæc eſt Regnorum Mundi peſſima alternatio &c.

§. V.

§. V.

Boleſlai Pij Bohemiæ Principis Vaticinatio, & ſalutaria monita morientis.

Hagek in An: Boh. ad A 999

BOleſlai II. Bohemiæ Principis cognomento *Pij* (quem *Beati* titulo omnis retro honoravit antiquitas (ejus, inquam, morientis ſuprema ad filium, & nepotes admonitio vaticinationi proxima videtur, quam ex *Hagecio* noſtro in Latinum translatam fideliter reddam: fateor, eam longiuſculam viſum iri, ac fortaſſe extra ſacram, quod ajunt, lineam ferri clamabit, dum vaticinijs ſolis imminet, *Lector*; at verè aurea *Boleſlai* monita (quibus ſolis diligenter ſervatis, ad ſummam in terra, & cœlo gloriam *Principes* pervenire poſſint) contrahi, & curtari non patiebantur. Sic ergo loquitur: *Fili mi, ſicut non decet Matrem filio ubera negare, ità non convenit, ut Pater filios indonatos relinquat; atque ideò nobiſcum dona ſua, & gratias dividit DEUS, ut eas nos quoque proximis dividamus. Id ſatìs certum redditum exemplo Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Tobiæ, & Matathiæ; nam quibus iſti benedixerunt, à DEO quoque fuêre benedicti, & quos rebus humanis, & populo regendo præfecerunt, ùt Samuel Davidem, & alij alios, ijdem à DEO confirmati ſunt, ac ritè electi, ac benedicti, multa à DEO ad bene regendum auxilia perceperunt. Scito igitur Fili mi, me à Divina Bonitate, precibus Patrui mei Sancti Ducis Wenceslai ad hoc avi fæliciter gubernâſſe Bohemiam; jam ſentio me ad metam decurriſſe, quam vitare nullo modo decet. Te (DEO id jubente) mihi ſucceſſorem nomino, Tibi benedictionem, & pacem impertior! DEUMque oro, ut ejus gratia in Tuo corde perſeveret, nam abſque ea, omnia hæc monita, quæ nunc damus, evaneſcent! Rectorem te poſuerunt, ait DEUS, noli extolli, eſto quaſi unus ex illis; quoties te eſſe altiorem contigerit; memineris, & intellige te eſſe mortalem; cave dignitatibus vitæ mortalis efferaris! ſed illa cogita, quæ te in alteram vitam euntem comitabuntur. Mandata DEI ſcribe in corde tuo, ut ea cuſtodias, neque Patris tui monita dimittas! In DEI, & Sanctorum ejus honorem Eccleſias conſtrue, (in quibus DEO cultus, & veneratio præſtatur) easdem Eccleſias defende, ac ſæpe ad colloquendum cum DEO inviſe, in ijs reverenter te gere, ibique non alibi, enixè, & religiosè precare; Sacerdotes DEI ſervos reverere, liberaliter tracta, & injurijs appetitos tuêre. Noli eſſe ſapiens apud temetipſum; aliorum audi conſilia, præcipuè Amicorum; juſtè judica, ſed non absq; miſericordia! viduas, & Pupillos nunquam deſere; ſervos tuos ama; dominationis tuæ terminos cum reſpectu ad juſtitiam extende; pecuniam avarè non collige; Legibus, quæ perturbare rem publicam poſſent, ferendis abſtine; Monetam deteriorem facere noli! Memineris Carolum ſapientiſſimum, & potentiſſimum Principem, cui nos pares non ſumus, dum filium ſuum Philippum pro ſe Regno imponeret, magno juramento obſtrinxiſſe, nè Libram immutaret, nec leviorem Monetam faceret; nam revera nulla Peſtis, nullum bellum, neq; hoſtium prædationes, & incendia Patriæ tantùm Populo nocent, quantùm frequens Monetæ mutatio, & fraudulenta imminutio; quod ſcelus, eſt ſpoliatio, & deprædatio Populi Chriſtiani. Nihilominus poſteà, cùm vileſcet Juſtitia, & abundabit iniquitas, exſurgent in Bohemia Principes non Principes, ſed ſuorum ſubditorum deprædatores; non gubernatores, ſed raptores immites, & ſinè miſericordia Pecuniæ inhiantes, qui Divino oculo cernente ſinè omni pudore, & ſinè timore DEI, Populum bis, térve in anno gravabunt tributis, monetam mutabunt cum ſuorum ſubditorum interi-*

Ex Bohemico verti.

Amor Eccleſiarum comendatur.

Monetæ probitas.

Vaticinatio

 teri-

teritu, eâque ratione ipſimet hanc Regionem vaſtam reddent, & diminuent, quam ego dilatavi DEO adjuvante ultra Cracoviam ad montes uſquè, quos Tatros appellant; & tu fili, ſi timueris DEUM, poteris longiùs amplificare. Plura adhuc dicturum Boleſlaum Principem imbecillitas mortualis non permiſit. Deflevêre mortem ſui Principis Bohemi omnes, velut ſi Patrem amiſiſſent. Hæc Hagecius ad verbum, qui Annales ſuos 1541. ſcribendo abſolvit.

§. VI.

Novum Vaticinium ex Codice vetuſtiſſimis literis ſcripto. Aliud ex Archivo Roſenſi. Item vaticinium, quod vocant, ſacræ Coronæ.

Vaticinium de Bohem:

VAticinium, quod jam referam, ex vetuſtiſſimo Manuſcripto *Codice Crumlovienſis Bibliothecæ* ipſe ego deſcripſi. Eſt liber in octavo (ùt dicere ſolemus, cùm in octo folia, chartæ philyra complicatur) corio rubro contectus & afforis ad umbilicos titulum præfert: *Tractatus ſpirituales Religioſi*, veteri manu, & charactere totus conſcriptus eſt Liber, eámque præfert antiquitatem, ut ducentos minimùm annos ſuperare tutò credi poſſit; conatus eſt aliquis *Interpretationem* adjicere in margine, utrumque bona fide ad verbum exſcribo.

Prophetia de Bohemia.

(a) *Rex oriundus de Franciæ domo.*
(b) *id eſt Bohemiam.*
(c) *id eſt Barones.*
(d) *hæc duo verba dubiè ſcripta fuerunt, neque legere ob antiquitatem licuit.*
(e) *Ungarus.*
(f) *terrigenas*
(g) *Ungaria*
(h) *multos populos.*
(i) *divitias ejus, & theſaurum.*
(k) *id eſt Poloniæ.*
(l) *id eſt authoritate Papæ.*
(m) *id eſt terrigenas.*

Llium (a) *in meliori parte manebit integrum, & veniet in terram Leonis* (b) *& ſtabit in agro inter ſpinas* (c) *Regni ſui.* (d) *In primo filius* (e) *hominis veniet ferens feras* (f) *in brachijs ſuis, cujus Regnum eſt in terra* (g) *Lunæ, timendus per univerſum Mundum cum magno Exercitu tranſiens* (h) *aquas, & ingredietur in terram Leonis auxilio carentem, quia beſtiæ regionis ſuæ jam dentibus pellem ejus* (i) *dilaceraverunt. Illo anno veniet* (k) *Aquila à parte Orientali alis extenſis* (l) *ſuper ſolem, cum magna multitudine pullorum ſuorum in adjutorium filij hominis. Illo anno caſtra deſerentur, timor magnus erit in mundo, & in quadam parte Leonis erit bellum inter plures* (m) *Reges; illâ die erit ſangvinis diluvium, & perdet Lilium coronam, de qua poſtmodum Filius hominis coronabitur. Per quatuor annos ſequentes fient in mundo prælia multa inter plures fidem ſectantes* (n) *major pars mundi deſeretur. Caput mundi erit ad terram,* (o) *quia filius hominis, & Aquila prævalebunt, & tunc erit pax in toto orbe terrarum, & copia fructuum; & tunc Filius hominis accipiet ſignum mirabile* (p) *tranſibit ad Terram promiſſionis.* Hucuſque Prophetia, quam Lectores ex certis cauſſis diligenter perpendere conveniet.

(n) *id eſt ſpirituales.*
(o) *propter deſpicientiam.*
(p) *id eſt ſignum Crucis.*

Vaticinium de ſtirpe Roſenbergica.

Extat in alio M. S. ejuſdem *Bibliothecæ* Codice vetuſtiſſimo *vaticinium de familia* potiſſimùm *Roſenbergica*, & ejus auxilio reducendæ poſtliminio in *Bohemiam Religionis Catholicæ*, cujus vaticinij verba ſingula uni Anno reſpondent, inchoatúrque An. 1449. uſque Ad An. 1529. ſúntque vocabula illa in ſumma unum & octoginta. Quæ omnia, cùm jam evenerint, ſupervacaneum eſt recitare. Uti & illud, quod in Annalibus Germanæ repertum abs ſe, Zaweta adducit: *Germaniæ interitum duo triſyllaba, mas, & fæmina maturabunt;* cùm, niſi quatenus Germaniæ finitimi ſumus, ad *Bohemiam* non pertineat. Notius & ad *Bohemiam* propiùs ſpectans *Vaticinium* ante proxima Svecica bella *Bohemi Proceres* habebant in manibus, cujus mihi copiam fecit *R. P. Wenceslaus Joannides S. J.* qui ab *Illuſtriſſimo D. Franciſco de Sternberg* Bechinæ Domino, ſupremo Regni Bohemiæ Præfecto acceperat. *An. 1488. Iſthoc Prognoſticon repertum eſt in Sancta Corona in-*

De Germania.
Zaweta in Schola Aulica. monito: 142. ex Argentinate.

Novum aliud Vaticinium, ſed imminutum. V. ſeq. §.

Digitized by Google

in hunc ſenſum: Bohemiæ Regnum non conſilio, ſed benigno duntaxat Planetarum aſpectu regitur, qui cùm præterierit, niſi prudenter adminiſtratum fuerit, aut deſolabitur, aut Alienigenis in poteſtatem veniet. Exurget Aquila, cujus volatu deſtruetur Leo; veniet Pullus Aquillæ, nidificabitque in Leonis Domo, cujus fœtus non obtinebit cibum paternum: eligetur autem aliquis, cui Regia dignitas minimè tradetur. Conſpirabunt Germaniæ Principes adversùs hoc Regnum Bohemiæ, cujus Magnates affligentur, donec eos Leopardus devoret.

Siniſtra profectò, & malè ominata *Vaticinatio!* quam alij in *Cœnobio Ciſtercienſium*, quod *Spineæ*, vel *Aureæ Coronæ* appellatur, dum tumulus in Eccleſia neſcio cui effoderetur, repertam; alij ex *Corona Regia Bohemiæ*, cùm fortè *Coronam Wladislaus Rex Ludovici Pater* tractaret, excidiſſe, & in manus illius temporis Procerum deveniſſe commemorabant. Ego exiſtimo ex *Chriſtanni Aſtronomi Pragenſis* ſuâ tempeſtate clariſſimi, plurimisque alijs prædictionibus, non uni *Bohemiæ* modò, ſed vicinis quoque Provincijs noti deſumtam, & quaſi ex majore illo vaticinio defractam eſſe, nam initia conveniunt, finis tantùm diſcordat. Porrò de *Chriſtanno*, quantus ille vir fuerit, in Libro de *Literatis*, *& Eruditis in Bohemia viris* agemus, ut paratam defenſionem habeant, qui *Bohemiæ hiſtoriam* architectantur, cùm non deſint, qui *Chriſtanno* (ſed falsò) hæreſeos crimen impingant.

§. VII.

Prædictio M. Chriſtanni ætate ſuâ clariſſimi Aſtronomi, ejúsque ſcientiæ in Univerſitate Carolina Profeſſoris.

Ex Codice M. S.

AUdiamus igitur Aſtronomicam illam Prædictionem, quam ego in vetuſtiſſimo Codice *Bibliothecæ Novodomenſis Collegij* Societatis JESU inveni, éſtque à me ex Bohemico in Latinum optimâ fide traducta. Hiatus, quos alicubi Lector videbit, ſciat in ipſo Codice inveniri.

Exiſtimo hæc jam completa eſſe ſub Alberto, Ladiſlao, & Georgio Regibus.

Regnum Bohemiæ nullâ vi, neque humanâ providentiâ, ſed ſolis cæleſtium Corporũ converſionibus gubernatur &c.

In Bohemia ſciſſiones erunt: Proceres Bohemi, & Moravi, multæque etiam Civitates ſeparabunt ſeſe à Corona Regni; proditiones invaleſcent; Bohemi hærede Regio carebunt uſquè ad quatuor Reges. Et cùm ſcribetur Anno à Nativitate Domini (hiatus fuit.) *etſi tum vivere daretur, mori præoptarem: nam & in Bohemia, & in Moravia non bene agetur, uſquè ad unionem, & uſquè ad vitam Regis ab Oriente; Pragæ ſeditiones erunt, & ſangvinis profuſiones. Regem habebunt ab Oriente, & is magis amabit Judæos, quàm Chriſtianos; à ſuis veneno tolletur. Poſt multos annos Bohemi, & Moravi dolebunt ob Pragam, ob Hradecium, ob Cuttenbergam. Zatecium proditione capient Principes Miſnenſes, & omnes ibidem interiment, nam eo tempore erunt Bohemi ſinè Rege. Frequentia incendia in Regno, atque etiam in capitalibus Civitatibus ex negligentia orientur.* (Bohemiæ calamitates) *Æſtus, & nebulæ erunt, atque ſiccabuntur; fulgura, & tonitrua graviter ſævient; areſcent homines præ timore; diluvia frequentia in Bohemia, vicinisque Regionibus pagos, & Civitates auferent. Ijs Annis frumenta media ex parte putrida colligentur; terræ motus, & peſtilentiæ frequentes, & graves erunt, ſic ut tertia hominum pars conſumatur. Surgent falſi prophetæ, & volent fidem deſtruere, diſſeminantes falſa, & adverſa Sanctæ Legi dogmata, ſed delebuntur, & igne peribunt. Clerus affligetur, multique ex ijs diſpellentur. Cùm verò in Bohemia, & Moravia maximâ fœcunditate omnia*

Digitized by Google

omnia provenient, ſumma ſequetur rerum caritas in omnibus vicinis Provinciis, & hac caritas annonæ durabit Annis hiatus. *ſenes, & pueri fame peribunt, uti & pecudes. Siliginis modius vendetur groſſis probis argenteis* hiatus. . *Altera deinde Peſtilentia orietur, & qui antè non periêre fame, peſte peribunt; & ſubitaneis mortibus in Bohemia dimidia hominum pars peribit; ſanguinis erit effuſio; ad extremum tamen victoria penes Bohemos ſtabit, & hoſtes è terra ſua expellent; poſt hæc erit unus Paſtor, unum ovile, una fides, unum baptiſma.*

Finis bonus Vaticinij.

Hactenus *Chriſtanni* vel *Criſtini* prædictio; de qua quis ſenſus Lectoris mei futurus ſit, minimè omnium laboro: non enim vaticinijs, aliiſque ejusmodi rebus teneri ſoleo; itaque etſi plures adhuc *Prædictiones* adferre poſſim, omitto; eæ paucæ ad oblectandum Lectorem ſufficiant.

Prædictio Ssudi.

Breviſſimam Prędictionem pro coronide adjicio *M. Nicolai Ssud à Semanina*, eámque ex *Codice M.S. Carolinæ Univerſitatis* excerptam: *An: 1557. in Aprili vitâ exceſſit M. Nicolaus Aſtrologus maximus, & qui Nativitates privatorum hominum, tum etiam Reipublicæ mutationes prædicere ſolebat. Inter reliquas de Regno Bohemiæ Prognoſticationes Anno uno ante obitum ſcripſit in Regnum Bohemiæ pervaſuros ranunculos &c.* Nihil additum eſt præterea. quod reperi, hoc exſcripſi.

Dixeram paulò antè omittere me plura quæ in Codicibus MM. SS. legerim Vaticinia (ut erant Majores rerum talium avidi, & percurioſi (circumferebatur initio hujus ſæculi (An. 1605.) vaticinium cujusdam *Joſephi Hiſpani*, quod à *Gallo Georgillo* deſcriptum vidi. Nullibi annotatum eſt, quis ille *Joſephus*, & quo vixerit anno: prædicit defectionem à fide Eccleſiaſticorum, Sacerdotum, ac Religioſorum; Eccleſiarum deſolationes; Romæ occupationem &c. tum *Bohemiæ gentis* diu pôſt ſecuturam gloriam, & ſtatûs priſtini reſtitutionem, *Civilis Ordinis & Civitatum Bohemicarum felices* pro religione conatus; *Ungariæ* excidium, denique læta multa & triſtia; quæ *Ego* vel omnino fabuloſa, vel *Lutheri* hæreſi exoriente, *Carolo V.* regnante magna ex parte eveniſſe arbitror; niſi quod de *Gloria Civitatum Bohemiæ* nihil adhuc Majores noſtri viderint, neque etiam *Nos* videamus.

M.S. Georgilli

Habentur apud Nos plures aliæ de *Regno Ungariæ* prædictiones, quas velut improbabiles, & ad hanc rem, quam paro, minimè pertinentes omitto.

De Regno Ungariæ.

Celebris in Antiquitate noſtra fuit *Prædictio Carolo IV. Cæſari Patriæ Patri*, data, quam in vetuſtiſſimis Codicibus non ſemel invêni, & *Georgillus* teſtatur, ſe eam longè ante *Maximiliani II. Imperium* vidiſſe, & Amicis legiſſe; Quam, licèt ætate Patrum finem acceperit, ad oblectandùm Lectorem compendiario ſtylo apponam:

Ex Bohemico verti.

Vaticinium de Bohemiæ Regibus ex M. S. Codice Carolo Cæſari Româ in Bohemiam viâ Noribergenſi redeunti Proceres Aulæ faciunt indicium, eſſe in vico proximo Alterſtadt quendam Tatarzinum (an id nomen ob Tartaricam nationem acceperit, an aliunde, non poſſum dicere) *hunc cæcum à Nativitate, & quaſi omniſcium callere idiomata plurima, futura quæ evenerint prædicere, ſed nonniſi ad unicam quæſtionem eodem die reſpondere. Carolus ſuorum curioſitate & precibus adductus ad hominem venit, & ſalve, inquit, ſi es Vir DEI! nam ſi DEUM non colis, nullam tibi dico ſalutem! reſpondit Tatarinus: nuntius ſum DEI, tu verò ô Rex, es Vir DEI: nam Opera tua bona nota ſunt, & à DEO probantur. Tum Cæſar: dic obſecro, quid habes, de amata mihi Patria Bohemia? quàmdiu ſtabit, & quos habitura eſt Reges? Senex poſtulatâ papyro XII. Elementa literarum formavit: I. K. V. S. A. L. G. V. L. F. M. R. adjecit: quot literæ tot Reges! adjuravit hominem Imperator Carolus: explicaret,*

Digitized by Google

ret, quæ ſcripſiſſet apertiùs explicuit: I. Pater tuus qui nunc regnat Joannes. K. tu ipſe es. V. Wenceslaus filius tuus. S. Sigiſmundus alter filius tuus. A. Albertus Auſtriacus gener Sigiſmundi. L. Ladislaus Alberti filius. G. Georgius Bohemus. V. Wladislaus Polonus. L. Ludovicus Ungarus. F. Ferdinandus Hiſpanus. M. Maximilianus Bohemus. R. Rudolfus Maximiliani filius. Cùm conticuiſſet ſenex: quid poſteà, ait Imperator? reſpondit Tatarinus: Imperium, & Principatus.

Carolus, cùm plura rogantem audire nollet, actis gratijs diſceſſit, & hæc ſcripta latinè poſt ſe *Bohemus* ſuis reliquit. hæc *Thomas Mitis* Vir eruditus in M.S. Aliud vetus M.S. habet: Knjžetſtwj wrtkawé / loco illorum verborum: *Imperium & Principatus.* id eſt dominatio dubia & incerta. Aliud M.S. adjicit: hoc ſuâ manu conſignavit Carolus 17. Auguſti Anno 1358.

CAPUT XX.

De Habitu Veterum Bohemorum, déque Veſtium, & cætero corporis cultu; nonnulla item de lingvæ ſuæ conſervandæ ſtudio, quod adhibuêre Majores.

Veterès Bohemi Polonico habitu induti procedebant.

BOhemi *Veteres* vicinorum populorum exemplo, varios varijs ætatibus corpori cultus circumpoſuêre; antiquiſſimus, & genti ſuppar fuit, quo *Croatæ, Dalmatæ, Poloni*, ac cæteræ *Slavicæ gentes* utuntur, idque imaginibus vetuſtiſſimis adſtrui poteſt, quæ quadringentorum, ac plurium annorum ſuſtinuerunt ætatem, in quibus habitus noſtrorum non multùm à *Polonico* diſcordans ſpectatur; confirmat hæc Adam Bremenſis Canonicus priore libro citatus An. C. 1070. ſcribens: *Bohemi ab ÿs, qui trans Oderam ſunt Polonis, nec habitu, nec lingvâ diſcrepant.*. Sed poſteà, perpetuâ vicinæ *Germaniæ* conſvetudine, cùm & connubia, & ludos cum ijsdem celebrarent, & *Reges ſuos in Imperio Germanico coronari*, & adorari viderent, mixtum aliquid *ex ſuo* veteri, & *Germanico* confecerunt; unde gravior, & aliquantò ditior habitus evadebat: nam & quà humeris *brachia* committuntur, *fungoſum* quiddam, & *fartum* ornatûs gratiâ ſurgebat, cui *aureos, argenteos circulos*, ſeu annulos, imò & *gemmas* inſerere conſveverant, idémque erat ſub thorace, ubi ſimile *fartum* apparet, quod *cingulo aureo, vel gemmeo*, ſeu gemmis & emblematis, & circulis aureis diſtincto, coërcebatur. Hæc de Proceribus, & Aulicis intellige; nam plerique alij (præſertim *Equites & milites*) uſque ad *Wladislai* tempora ad An. 1500. (ut mox dicam) *Polonis* fraternæ genti habitu ſimiles procedebant in publicum. De *Fœminarum veſtitu* hoc loco ſermo mihi non erit: nam illę longè priùs, quàm viri, *Germanicarum Matronarum, & Virginum* cultus, (quòd peregrinitas illa maritis placere videretur) aſſumsêre.

L. 2. C. 6. f. 19. b.

deinde Germanico.

Matronarũ habitus.

§. I.

§. I.

Imagines quædam vetuſtæ, ex quibus habitus, & tota veſtitûs Antiqui ratio cognoſci poſſit. Adversùs eos, qui vetera Monimenta abolent in parietibus, munditiæ inutili prætextu. Belli, & Pacis habitus diverſi apud Bohemos.

Principum omnium Bohemiæ effigies.

ANtiquiſſima Imago Regum duorum *Wenceslai II. & III.* in pelliceis pallijs ſtantium in *Aulæregienſi Eccleſia*, curioſis, & *emiſſitijs*, ut Plautinè dicam, *oculis* ante omnia examinanda eſt; at iſtud exiguum. Majus illud, & mille oculis intuendum, videlicet *Ducum omnium, & Regum Bohemiæ*, imò & *Interregum* ad ungvem exactæ Effigies, quas in *Arce Novodomenſi Procerum Slavatarum* habemus; (ùt jam antè innueram) unicum hoc ex vetere *Bohemia* cimelium remanſit. In *Arce Pragenſi* quondam, Imagines ejusmodi ab omni memoria conſervatæ, à regnantibus ſemper auctiores, in Regijs cubiculis, & præcipuè in *Vetere Palatio* pendebant; eas ſibi per facilitatem Regum, *Novodomenſes Proceres*, ac niſi fallor, *Henricus*, expingi ab optimo artifice curârat, Patriæ totius, & gentis ſuæ ſingulari fælicitate; ſiquidem Anno 1541. 2. Junij, quo *Praga minor* conflagravit incendio, etiam *Arx Sancti Wenceslai* & in ea *Imagines Regum*, de quibus loquimur, conflagrârunt; at iſtæ *Novodomenſes* pereuntibus illis hodiéque ſuperſunt; quas ego malè ordinatas, propter Interreges præcipuè, qui non ſuo loco ponebantur, jubente Excellentiſſimo Comite *Ferdinando Slavatâ* Stirpis ſuæ Novodomenſis *Gubernatore*, non parvo labore diſpoſui, & ad rationem temporum ordinavi, ut quæque in illo elegantiſſimo Palatio, ſuo, ſibíque debito loco, uſquè ad *Auguſtiſſimum Imperatorem, ac Regem noſtrum LEOPOLDUM*, ſpectaretur.

Effigies Procerum.

In eadem Arce *Novodomi* ſunt complures vetuſtiſſimæ *Procerum* Effigies togatorum, & ſagatorum, *Meinhardi de Novadomo* (etſi nomen, ſeu titulus non adſit) perelegans, ad bellum profecturi, & jamjam, ùt manus oſtendit, Enſem ſtricturi; item *Margarita Comitiſſa de Guttenſtein* Sponſæ *Wokonis Roſenſis* in auro; ex qua ſatis divitiæ, & luxus illius ſæculi intelligitur; tanta eſt ubique gemmarum, & auri lux, ut *Reginam* te videre putes, & ex tot margaritis unam conſtare margaritam.

Sponſæ in vetuſta Bohemia.

Ibidem in Eccleſia *Beatiſſimæ Virginis*, Effigies viſitur *Adami de Novadomo Cancellarij* togata cum libellis ſupplicum, viſu digniſſima; contrà verò ad *Crupnam* in Divæ Virginis Eccleſia (quæ plena eſt miraculis) *Albertus de Kolovvrat itidem Cancellarius*, ſed armatus expreſſus eſt; quod antiquitatis monumentum improvido (nè quid dicam magìs) conſilio, dum inalbare Eccleſiam ſtatuiſſet aliquis, aboleviſſet, & calce ſuperinduxiſſet, niſì ego rationibus, & cùm illæ apud hominem inconſultum parùm poſſent, etiam precibus impetrâſſem, ut Picturæ parceretur.

Cancellarij vetus Imago duplex togata & ſagata.

Similem errorem admiſſum ſæpe dolui in vetuſtiſſima *Eccleſia Sancti Wenceslai Vetero-Boleslaviæ*, ubi ſuperfluo munditiæ ſtudio, non modò vetuſtiſſimæ *Procerum* noſtrorum Effigies, & tituli, & ſtemmata, & marmora elata ex *Templo* (quod quo jure fieri poſſit, non video, ementibus eum locum pretio Fundatoribus, & Benefactoribus Eccleſiarum) ſed ipſum etiam ſacrum *Divi Wenceslai Indigetis* noſtri *ſangvinem* in Templi parietibus ab octo propè ſæculis lucentem, calce induci curaverat *Loci Decanus*, pridem fato extinctus; nolo nè ſtomachum mihi, aliisque moveam, plura hujusmodi adferre

Adverſus eos, qui vetuſtas effigies delent.

D. D.

re exempla. Quàm verò ea ſepulchrorum, & lapidum ſepulchralium amotio, & mutatio, ipſis defunctis diſpliceat, & quàm moleſtè accipiant, moveri, & locum amittere (ex quo Fideles, præcipuè ab eadem ſtirpe orti, eorum memoriæ, vel ſaxis admoniti, *DEUM* pro illis orent, ac comprecentur, & *ſacris*, animas Majorum ſuorum proſequantur) illuſtre documentum patrum memoriâ editum, in vita manuſcripta Dominæ *Helenæ Docyanæ* legi poteſt: Fundatum erat Ordini Ciſtercienſi Cœnobium Anno 1264. die octavâ Aſſumtionis *Beatiſſimæ Virginis à Smilone Wizovvicij Domino* in Moravia, gente *Cunſtadæo*, quod *Smilo* à ſe *Smilheim* juſſit appellari; hoc Cœnobium poſtea ab hæreticis vaſtatum, & deſertum, tota Familia Cunſtadæa (priùs à D. *Arklebo de Wiczkovva* redemtum) An. 1494. D. *Boczkoni Kunæ de Kunſtat*, & in *Buchlovv* cum omni jure tradidit; qui *Eccleſiam* reconcinnare aggreſſus, Anno 1497. die *S. Severini* vivis exceſſit, & quia optimè de ſacra illa DEI domo meritus erat, digniſſimo loco ante Altare majus in Monaſterio *Smilheim* eſt tumulatus. Patrum igitur memoriâ *Helena Docyana* nata illuſtriſſimâ Ungariæ ſtirpe Dominorum de *Revvey*, Eccleſiam illam jacentem, & opis egentem An. 1616. inſtaurare cœpit. Studium erat *Dominæ*, poſtquam ſolidâſſet, & inſtruxiſſet omnia, pavimentum *Eccleſiæ* æquare, ideóque omnes ſepulchrorum lapides emovebat, & foras efferri curabat; brevì ad ſepulchrum *Boczkonis* perventuri erant *Murarij*, cùm quadam nocte, cubile Dominæ *Helenæ*, *Heros* armatus cum ſtrepitu, ut commotum appareret, ingreditur; quærit *Helena* Matrona optima, quis eſſet, & quid vellet? *Boczko ſum de Cunſtat* (reſpondit) *hujus quondam loci Dominus. & Eccleſiæ inſtaurator. Quid tibi venit in mentem, ô Domina, Tumulum, & quietem meam ſolicitare? hunc ego mibi locum Eccleſiæ benefaciendo comparavi; cave, ſaxum, multóque etiam minùs oſſa mea moveris, & tractari nè ſinito! alioquin hunc locum quietis meæ, vel infælicitate tuâ, vel tuorum tuebor!* his dictis evanuit. Quæſivit deinde *Helena* in Archivis *Boczkonis de Cunſtat* nomen, & quod de beneficijs ipſe dixerat, notatum invênit, ac Tumulum ejus intactum reliquit, ùt hodiéque videmus. Jam & alterum, cùm ſemel digredi à propoſito cœperim, oſtendam, videlicet: *antiquitates Imaginum, & picturarum in parietibus Eccleſiarum non facilè abolendas (ac multò etiam minùs Martyrum ſanguinem pro Chriſto effuſum) ſed omni potiùs ſtudio conſervandas.* Audivi non ſemel ab ijs, qui *Romam* viderunt, & Chriſtianę Eccleſiæ antiquitates diligenter ſunt perſcrutati, cùm *Vaticana Baſilica* repararetur; primam *Pontificum Romanorum* curam ſemper fuiſſe, nè *Picturæ* in parietibus (quas *S. Gregorium Magnum*, aliósque Romanos Antiſtites curâſſe conſtabat) parietibus dejectis perirent, inventúmque eſſe, & conductum grandi pecuniâ *Artificem*, qui id præſtare promiſerit, ac præſtiterit, ut Imagines in pariete pictæ, ſummo artificio, inſtrumentis acutiſſimis, unà cum calce abraderentur, ac poſtea reparato pariete rurſus agglutinarentur, eaſdémque ipſas Paries exhiberet imagines. Simile quiddam *Juſtus Rycquius* memorat in *Epiſtolis*, cujus hæc ſunt verba: *Heri vidimus factum in prothyreo ædis Vaticanæ, ut Navicula Petri Piſcatoria opere Muſivo à Giotto Florentino elaborata, parietibus ſuis exciſa, ligneiſque tabulatis incluſa, alium in locum deferretur.* Quid igitur, amabò, permovere potuit *Pontifices* ad tantam pecuniam profundendam? nimirum Antiquitaté etiam in Imaginibus, & picturis venerandam cenſuerunt, cujus authoritatem, nulla unquam, licèt formoſiſſima Novitas ſuperabit. Sed redeamus in viam: Ex his ergo vetuſtis Imaginibus, tam illis,

M. S. Vita.

Cura Mortuorum nè moveantur

Picturæ Romanæ ingẽti arte in parietibus novis relictæ.

Juſtus Rycquius in Centuria nova Epiſtol: Epiſt. 52.

Effigies Majorum Bilinæ, Bechinæ, Crumlovij, Trebonæ, Novodomi, Carlſteinæ, &c.

quæ *Bilinæ* in Arce, & Eccleſia, quàm in *Bechinenſi* Arce, & ejus Palatio, in *Crumlovienſi* Arce, & Eccleſia, item in *Trebonenſi*, *Nachodienſi*, ac in cæteris vetuſtis arcibus, & Eccleſijs, ac domibus Procerum, ſed ante omnes in *Arce Carlſteinenſi*, *&* *Novodomenſi* paſſim ſpectantur, habitum Majorum noſtrorum, & corporis cultum licebit pernoſcere; qua in re duo tempora *Belli & Pacis*, tum etiam ſtatus diligenter obſervanda ſunt: *Bohemi* noſtri plerique in militiam *loricis* induti & *ferro* cum ipſo *Equo cataphracto* horrentes proficiſci ſolebant, ac primùm cataphractura veſtibus erat conformis, niſi quòd ferreæ (inſtar parvorum clypeorum) cuſpides in humeris, & cubitis promicabant; ad lumbos deorſum præcinctorium quoddam hamato opere uſquè ad femora dependebat; *gladio* longiſſimo qui & *ſectim & punctim* ferire poſſet, accingebantur; ſed poſtea hæc cataphractura geſtari deſiit, & cataphracturæ hodiernis ſimiles, in quibus etiam non rarò humabantur, in uſu eſſe cœperunt; quo ritu à *Wladislai* temporibus, id eſt, propè ab An. 1470. uſquè ad nos, in marmoribus, & tumulis videmus expreſſam Equeſtrem, & alteram majorem Dominorum Nobilitatem. Porrò de *armatura*, *& armis Bohemorum* alius erit dicendi locus.

Cataphractura Bohemica.

§. II.

Habitus Majorum noſtrorum longè ditior noſtro. Quando in Bohemia, prima habitûs, & veſtium mutatio facta ſit. Effigies Taboritarum Huſſi, Ziſcæ, & de Wladislai Regis temporibus.

Dives habitus Veteris Bohemiæ.

UNiverſim illud affirmari poteſt, magnificentiâ, & ſplendore, atque etiam pretio veſtium, nunquam nos Majoribus noſtris paria facere poſſe; neſcio quomodo & aurum noſtrum pallidius, minúſque fulvum, & argentum quodammodo morboſum, & febricitans, ſi cum veterum metallo comparetur, videtur: materia ipſa veſtium, veſtes ſericæ noſtræ, aliáque hujusmodi, panni, & telæ comicæ mihi videntur, præ antiquis, nec radios illos, & amœnitatem colorum ſpargunt, nec divitias habent, ſed adulterinum aurum, & argentum, velut in Comœdia geſtamus. *Francorum Veterum* ſuperbiſſimum, & ditiſſimum habitum, *Carolo Magno Imperante*, eleganter deſcripſit *author incertus S. Galli Monachus* in fine libri I. de geſtis *Caroli Magni*; (quem poſt hujus *Capitis* finem adferemus) ex quo luculenter agnoſcimus, longè ætatem noſtrâ hoc in genere ſuperari; idem de *Bohemia Vetere*, quod de *Gallia Carolina* dici poteſt; nunc in diem quodammodo veſtes parantur, & nullo propè æſtatis, & hiemis diſcrimine, levitatem maximè, & tenuitatem amamus, & quærimus: Cùm *Carolus IV. Imperator*, *& Bohemiæ Rex*, in Gallia olim puer educatus, in Galliam ſæpius aut ad Reges, aut ad Pontifices tum *Avenione* ſedentes cum *Nobilitate Bohemica* commearet, *Aulici Proceres*, ut cæteris domi manentibus, cultu etiam veſtium oſtenderent, ubi fuiſſent, aliquam ex eo gloriolam ſibi naſcituram exiſtimantes, unà omnes cultum *& veſtitum Gallicum* in Patriam retulêre; deſcribit ridiculè veſtes illas *Hagecius* in hiſtoria, ſed longè diligentiùs, qui tum vivebat, *Beneſſius de Weitmil Pragenſis Canonicus* ad An. 1367. quem omnino ſvadeo in hoc argumento curioſis legendum.

Francorum veterum habitus.

Henricus Caniſius in Antiquis Lect.

Gallicus habitus in Bohemia.

Hagek in An: Boh

Beneſſ in hiſt. ad A. 1367.

Wladislai Regis temporibus poſt A. 1471. jam *Gallico* habitu poſito, *Bohemi Germanis* eſſe ſimiles maluêre, ut vete-

Germanor: habitus in Boh:

Bonfin. in hiſt: Ung. Decade 4. lib. 5.

Veſtitus & elegantia Bohemicorum Procerum ſub Wladislao Rege.

veteres picturæ præbent indicium, quarum paulò antè meminimus. Aliquam de veſtitu gentis *Bohema*, quamvis curſim, mentionem fecit Italus ſcriptor *Bonſinius*, eo loco, quo *Bohemos & Ungaros* inter ſe comparavit: *Præ cæteris*, inquit, *terrarum gentibus, proceritate ſtatura, roboréque corporum, ac pulchritudine, præſtantiâ crinium, & ſuavitate conſuetudinis, Bohemi ſanè præcellunt; Corpora, comâſque plus juſto colunt, in habitu, veſtitúque nitidiſſimi, & perquam molles; ad bella, & voluptates tantùm nati; populares omnes ſunt, & affabiles; ad conciliandas quoque amicitias nimis idonei; contrà ſeveriores Ungari, & magìs agreſtes &c.* Ex his non modò veſtitus, & habitus corporum, ſed etiam animorum, in *Veteribus Bohemis* intelligi poteſt. Omitto reliqua, quòd ad rem noſtram non faciant.

Effigies Taboritarum.

Taboritarum vilem habitum, & uni militiæ accommodatum, *Silvius in hiſtoria Bohemiæ* depingit; qualem videlicet *Taboriy*, dum *Beneſſovio Crumlovium* peteret, viderat.

Huſſi.

Huſſi Hæreſiarchæ Magiſtralem unà cum Philoſophico ſupercilio veſtitum, ad vivum, & verâ omnino effigie ex antiquis monumentis exprimi fecit *Zacharias Theobaldus in Huſſiticis;*

Ziſcæ.

Ziſcæ vera effigies ſpectatur colore ſimplici expreſſa in *Turri Taborienſi*, quæ ab Authore *Ziſkiana* appellatur: ſtat cataphractus, *Polonico veſtitu* perſimili, ſed ſinè cothurnis illorum, ſoleatus, cui *Angelus* supernè calicem ex Cælo porrigit; at *cæcus Imperator Monachi* ante ſe flectentis caput tangit, quærítque manu Sacram Sacerdotum Coronam ſiniſtrâ, dextrâ clavam vibrans, quâ miſerum (ſolâ cauſsâ beatum) improbiſſimus Cyclops feriat; ſed ordinem temporum teneamus.

Luxus Veſtium Comitijs vetitus.

Vide Comitia An: 1546.

Pace longiſſimâ *Wladislao*, quem paulò antè dixi, regnante, perfruentibus noſtris, maxima luxus veſtium accepit incrementa, ut eorum temporum *Comitia* legibus ſumtuarijs inveniendis, & ferendis plurimùm fatigarentur. Sub *Ferdinando I. Maximiliano II.* multis Comitiorum Decretis nimius ille veſtium cultus configebantur; præſcribebantur panni, telæ, ornamenta capitis, & totius corporis veſtitus Civibus, Nobilibus, Equitibus, *Baronibus cum Comitibus* (nam hi duo ordines ab omni memoria communes habent in Bohemia prærogativas, neque ullo honoris diſcrimine ſeparantur) incredibile cuipiam hodiernam rerum faciem apud nos intuenti videatur, ſæpe in Comitijs eorum temporum vetari, nè *Ruſtici filis aureis intextis pelliti* incedant, nè *induſia, & linea amicula* ad corpus ferant *phrygio opere* elaborata, ac nè quidem *Cameracenſem telam* in Induſiis permittunt, *aurum* omne vetant in pileis, thoracibus, ac toto farto veſtium, in curribus, & phaleris Equorum, quę, ùt olim Ruſticis in tantis opibus Patrię gravia fortaſſe, dum vetarentur, fuerunt, ſic hodie *Panem poſcentibus*, ac ſeminudis, ſi audirent, vel in egeſtate riſum moverent.

Ruſticorũ ornatus.

§. III.

De Barba, & Coma Veterum Bohemorum.

Barbæ dignitas.

Jam *Comam & Barbam*, quanquam in poſtremis haberi forſitan poſſint (utpote quas natura quaſi abdicat, & abjicit) tamen maximis etiam viris ſemper curæ fuiſſe innumeris docemur exemplis. Nota eſt *cædes Romanorum*, Patriciæque gentis inchoata per *barbæ cauſſam*, cùm ſcilicet ſenis Romani barbam longiorem *Gallus* miles, captâ Urbe demulſiſſet; *Otto I. Imperator maximus*, & cuique ante ſe Imperatori rebus geſtis par, ſi quid juramento, quod mutari nullo pacto poſſet, firmare vellet, *per ſuam bar-*

Livius Dec. 1. hiſt. Rom.

Henricus Bunting. in Hiſto: Brunſwicenſi in Ottone Magno.

Digitized by Google

barbam jurare ſe dicebat, quam alebat grandem, & decoro artificio compoſitam; hoc erat jusjurandum omnino ſanctum, & verbum ſæpe extremi furoris. *Bohemis Veteribus* hæc etiam cura fuit; at ſæculorum diſcrimen ſervabant: Vetuſtiſſimi *barbam* alebant non maximam, ſed mediocrem, majorem tamen, quàm noſtra ferat ætas, qualem in vetuſtis Imaginibus *Caroli*, *Wenceslai*, & *Sigiſmundi* Cæſarum videmus: hæreſi poſt An. 1400. exortâ *Milites Bohemi* radi, ſed in terrores hoſtium *myſtaces ferre Polono ritu* voluerunt; id in conſvetudinem poſtea vertit, atque ità corroboratum moribus fuit, ut *Bilejovius* narrat: ſi quis olim in Bohemia barbam grandem aluiſſet, ei à Senatu pœnam irrogari ſolitam, ut ei obtusâ falculâ, aut cultro barba ſcinderetur, quo dolore Cives admonebantur officij; at brevi & jam ante Annum 1450. rurſus *barbæ in Bohemia longiſſimæ* alebantur. Vidi Veterem *Georgij Regis* Effigiem, cui Proceres (ac præcipuè *Georgius Hein* homo ex Germania peſtilentiſſimus, & omnium *Georgio præ ipſo Rokiczano* cauſſa malorum) adſtabant omnes, barbis quàm prolixiſſimis reverendi. Sub *Ferdinando I. Cæſare* in Comitijs apparuit inter Equites *Senex centum*, & plurium annorum, cui barba ultra pectus prolixa deſcenderat; ſenis orationem, & honores ei à *Rege habitos*, in ejus ſtirpis memorijs, ſuo loco ac tempore, ſi DEUS vitam dederit, memorabo.

Cultus apud Bohemos pro diverſitate temporum

Bilejov. l. 3. de reſuſcitat. ſectæ Piccardorũ Bohemicè impreſſo Noriberga A. 1537.

Barbati ſub Rege Georgio.

Comam plerumque Majores noſtri nutriebant; neque iſtud in dubium à quoquam poteſt vocari, quando & *Mathias Rex Ungariæ in Oratione* illa ad Proceres ſuos, quâ ſugillat *Bohemos*, nimium alendæ comæ ſtudium objicit, qui, ùt *Seneca* ſcripſit, *mallent Rempublicam turbari, quàm comam*; in hiſtorijs omnibus, præcipuè apud Bonfinium, ſi quando deſcribuntur *Bohemi*, Cæſarie longiſſimâ ſpectabiles, & egregiè comati deſcribuntur. In *Leonis de Rozmital* Baronis noſtri itinere per Europam, & aulas Regum, ac Principum (quod *Stanislaus Pavvlovvsky Epiſcopus Olomucenſis* ex Bohemico in Latinum Idioma tranſtulit, & vulgavit) narratur admirationi fuiſſe in Aula *Philippi Boni Burgundiæ Ducis*, quod *Leo*, & *Joannes de Zbiroh* Patruelis, ac cæteri eorum Comites, homines militares, tam capillati, & cæſariati procederent. Ad finem prioris ſæculi mutata res eſt, mèque puero, in *Bohemia*, inſolitum erat capillum alere; attondebantur penè omnes, relictâ tamen ad auriculam utramque, vel alteram veluti crinium flammulâ (*Sticzkam* appellabamus) quam etiam Magiſtri pueris nobis velut additamentum inutile, & vanum abſcindere ſolebant. Memini me in *Famiano Strada* noſtro legere, *Joannem Auſtriacum* ad lævam temporum partem detorquere ſolitum capillos, & imitatores inveniſſe, ſic ut qui eo ſuggeſtu capitis uterentur, *Auſtriam geſtare* dicerentur; an hæc capillamenti ratio noſtræ ſimilis fuerit, alij judicent; ſed hæc omnia exoleverunt, & jam cæſarie adſcititiâ, quam removemus, & admovemus, cùm lubet, ſenes, juvenes, (penè dixerim viri) fæminas, ſi vellent, mentirentur.

Cæſaries Veterum.

Bonfin hiſt. Ung. Decade 4. l. 2.

Itinerar. D. Leonis à Stanisl: Pawlowsky ed tum. 1

Quid ſit Auſtriam ferre.

Strada hiſt. Belgica Decade 1 lib. 10.

§. IV.

De Lingvæ Bohemicæ, ſeu Slavicæ conſervandæ ſtudio, quod Majores noſtri adhibuêre. Eloquentia quodammodo hæreditaria certis in Bohemia Familijs.

QVanto ſtudio, quantâque curâ conſtiterit Majoribus noſtris *lingvæ veteris Slavicæ* (quæ à *Slavorum* populis in hanc oram ante mille, &

Oppreſſio Slavicæ lingvæ olim cauſſam dedit turbis.

le, & ampliùs annos inducta eſt) ad noſtra uſquè tempora conſervatio, non poſſum explicare ſatis; ejus rei innumera hiſtoriæ noſtræ ſuppeditant exempla, ut etiam ſæpe hâc unâ de cauſſa bella geſta ſint; legantur, quæ *Franciſcus* ſui temporis Scriptor, *de Bellis Bohemorum adversùs Svevos*, cùm *Wenceslaus II. Rex* legitimos annos nondum attigiſſet, commemorat; *Joanne* Rege apud nos regnante, deinde *Carolo*, *Wenceslao*, *& Sigiſmundo*, quidquid in Patria bellorum, turbarum, ſeditionum ortum eſt à *lingvæ Patriæ contemtu* (ſi rectè perpendamus omnia) principium habuit: hâc unâ propè de cauſſa Regina *Eliſabeth Joannis Regis Conjux*, adversùs Maritum pugnavit, & Inclyti Duces ex *Hazemburgicis*, *Wartembergicis*, *Waldſteiniis*, *Zerotiniis*, *Landſteiniis*, *Colovvratæis*, & cæteris, etiam cœleſti auxilio (è cœlo *Divo Martyre Wenceslao* quandoq; deſcendente) adjuti, *Joannis Regis* conſilia armis turbârunt; *Caroli* Imperio innumera *Germanorum* vis in *Bohemiam* quotidie affluens, *Wenceslao filio* civicis eos Magiſtratibus improvidè admovente, cauſſam attulit interitûs, & Hæreſeos, quam *Huſſius* Populo, ob Germanorum odia, gratiſſimus, excitavit; nec acriore telo ad ſeditionem faciendam, & arma corripienda uſus eſt *Ziſka*, quàm odio Bohemici nominis, & lingvæ, militibus explicato, quod inconſultè ſatis *Sigiſmundus Cæſar* prodiderat. In prælijs poſt Annum 1420. in *Bohemis* adversùs *Cruce ſignatos* geſtis, pro omni teſſera, quæ militibus per aciem dividi ſolet, *Bohemorum Duces* nullam aliam dabant, quàm voce ſublatâ, aliquid in procurſu, occurſu, & concurſu præliorum, *Bohemicum* dicere; qui id non poſſent, & ſignificationem hanc non darent, pro hoſtibus habebantur. Nec minùs Togati, quàm ſagati *Proceres* invigilabant, nè alia, quàm hæc lingva publicè reciperetur; & *Carolo IV.* primùm (ùt ex *Conſtitutionibus Carolinis* conſtat) deinde cæteris omnibus Regibus uſquè ad *Ferdinandum II. & III.* ſancientibus, conſtitutum eſt, ut lites in Tribunalibus omnibus, ſupplicum libelli, Emtiones, earúmque inſcriptiones, aliáque hujusmodi, quæ publicâ Authoritate firmanda ſunt, nullâ aliâ lingvâ concipi, ſcribi, & annotari, quàm *Bohemicâ* poſſent, profértque *Codex M. S.* luculentum exemplum de *Sslickijs Comitibus*, qui cùm adversùs *Cubitenſes* accuſationem *Germanico Idiomate* ſcriptam, ad *Proceres* attuliſſent, ſinè reſponſo fuêre dimiſſi, monitique niſi *Bohemicè* cauſſam proſequerentur ſuam, nunquam eſſe audiendos, quod illi alteris Comitijs ſtatim fecerunt. Idem reſponſum tulère *Carolo-Thermitani* An. 1544. cùm *Hieronymum Comitem Sslick* germanicè accuſaſſent. In hanc rem plurimi in Ordinum Comitijs articuli paſſim leguntur, ac primùm quidem *Carolus IV.* ſtatuerat, ut *Latinè*, vel Bohemicè (quod à primis Regni Bohemiæ initijs factum conſtat; unde veteres Regum literas *Latinè* plerumque ſcriptas videmus, & *Cancellarij* plerumque ſacri homines *Epiſcopi*, *Præpoſiti*, *Canonici*, *Decani* ad id lecti) cauſſæ tractarentur; *Georgius Rex* tamen poſtea Latinum propè idioma ſuſtulit (cujus erat ignariſſimus) *& Bohemicum* in uſum induxit; cùm igitur ad omnes lites, actiones, cauſſas, ſcripturas, neceſſariò *Bohemica lingva* adhiberetur, contingebat, ut omnes *Civitates Bohemicè* loquerentur, & pauciſſimæ illæ Urbes Germanis conſtantes, aut immixtæ, & *Cubitenſis Diſtrictûs*, miſſis paſſim in *Bohemiam* interiorem liberis ad addiſcendam lingvam incumberent; quod ſi hodie revocaretur, intra viginti, aut triginta annos *veterem Bohemiæ lingvam* in Civitatibus audiremus. Scio iſtud optatum ſæpius ab ipſis *Germanis* eſſe, at ſemper eorum, qui *Bohemiam*, nullo Patriæ malo merito, oderunt, conſilijs, & conatibus interverſum. Quid

Omnia olim in Tribunalibus Bohemicè peragebantur.

De Carolo IV. Paulus Zidek l. 2. Inſtructionum ad Regem Georgium

M S Wartembergicorum.

M S Willhelmi Slavatæ Cancellarij in Apolog. contra Turn.

Georgius Rex Bohemicâ linguâ publicas literas ſcripſit.

Digitized by Google

Articuli Comit. *Comitia* Anni 1545. 1556. & aliorum plurium *de lingua Bohemica Ferdinando I. Auſtriaco* probante decreverint, quid paulò ante ætatem noſtram (1616.) in Univerſali Regni Panegyri ſubſcribentibus *Wilhelmo Slavatâ, & Jaroſlao Martinicio*, ſtatuerint, *Acta, & articuli Comitiorum* demonſtrant; Nobilitas præcipuè in ſexu imbelliore diu ſuperari non potuit, ut aliâ, quàm *Bohemicâ* loqueretur. Eloquentia veterum Bohemorum. Procerum, & primæ Nobilitatis, maximè ſenum, potiſſima fuit cura, quàm diſertiſſimè loqui, & quàm ornatiſſimè in *Comitijs*, aliisque publicis conventibus explicare ſententiam; celebrantur in Antiquitate noſtra plurimi, qui patritiâ illâ, ut ità dicam, Eloquentiâ ad miraculum excelluêre, ùt Patrum, & propè noſtrâ jam memoriâ Familijs quibusdam hæreditarium elegantiſſimè loqui, ut olim Romę Gracchorum &c *Adamus de Sternberg*, *Adamus de Waldſtein Longus* cognomine, ex Moravis *Carolus Zierotinus*, iterum ex Bohemis *Wenceslaus de Budovva*, ingentis, & flexanimæ cujusdam Facundię viribus pollens, *Bohuslaus Michalovicius*, aliique innumeri. *Lobkovicziorum* hæreditaria quædam gloria habebatur, copioſè, & diſertè *in Comitijs* Bohemicè perorare; quod idem priore ſæculo *Kolovvrataos*, *& Sselembergicos* (quos *Neſtores Bohemicos* appellatos invenio) ad miraculum Eloquentiâ præſtiterunt. Porrò, quid reſpexerint Majores in ea re noſtri prudentiſſimi homines, & quid eos ad hanc cautelam, & lingvæ unius in *Bohemia* Regnum, ut ità dicam, conſervandum perpulerit, vix hodie ſinè invidia poſſum ſcribere; ſi placet, inſpiciatur *Diva noſtra Wartenſis*, Liber ante viginti, & quod excurrit, annos, à nobis editus, ac præcipuè noſtra *de Lingva Slavica Diſſertatio*, 1654. ad quam Lectores meos invito; eſt diligenter elucubrata, continens plurima arcana huc ſpectantia, quæ placitura curioſis, & eruditis Lectoribus, dubitare non poſſum.

❋ ❋ ❋

§. V.

Lingva Slavica in Miſnia, Pomerania, Marchia, Luſatia, Sileſia, Carinthia, Carniolia &c. In Curijs Germanicis omnia olim peragebantur Latinè.

Slavica lingva olim uſquè ad mare protenſa. AD hanc Lingvæ Patriæ cuſtodiam impellebant, ùt reor, & movebant Majores noſtros vicinarum Provinciarum exempla, quę cùm olim *Slavicè* loquerentur, totáque earum Regionū Nobilitas ex *Slavis* ortum duceret, poſtea miris artibus (at quorum? non auſim dicere) aut ad ſervitutem damnata eſt (qua de re eſt inſignis querela de *Wendis, & Wenedis in Saxonia*, aliisque ad *Mare Germanicū* terris pagatim ſervientibus apud *Gallum hominem, Henricum Spondanum*) aut in novum Populum transivit, ut quod, olim de *Synodo*, niſi fallor, *Ariminenſi* dixit *Sanctus Hieronymus*, *ingemiſcens orbis terrarum* (dico ego, *Miſnia*, *Marchia*, *Pomerania*, utraque Luſatia, totúsque ille in Septentrionem terrarum tractus) alium ſe eſſe miratus eſt. Pauca in exemplum ex *Mathia Miechovio*, qui uſquè ad initia ſuperioris, & ſui ſæculi (An. 1500.) *hiſtoriam Polonorum* deduxit, adferemus, nè (quod turpiſſimum in hiſtoria ſemper exiſtimavi) ſinè Authore, & ſolis meis conjecturis innixus ſcribere, & fucum legentibus facere videar; ſic ergo L. I. C. II. Miechovius: Slavorum populi ad mare. *Lubeca in Polonico Bukovvecz dicitur; Slavi circa Roztok* (Roſtochium) *nominaverunt ſe Drzevvane, quaſi Lignoſi, ab abundantia Lignorum alij Travvane, quaſi graminoſi à copia fœni, & abundantia graminis; alij Kaſſubiane (quod nomen hodiéque retinent)*

Spondan. in Annal. Eccleſ. ad An. 1228. X. 12. Epit. hiſt. rer. Boh. l. 2. C. 12. in Notis. Joan. Piſtorius Nidanus Tomo I. rer. Polonic.

Digitized by Google

nent) à plicis veſtium, Kaß enim plicam ſignificat, & Hub rugam. Alij Pomorane, penes mare, quia penes id habitârunt. Idem Miechovius C. 9. ejusdem Libri enumerat Civitates Germaniæ à Filijs *Lechonis & Leskonis III.* conditas: *Viſlaus* condidit *Miecziboc, quod nunc Meidburg dicitur, Sobieſlaus Caſtrum Daley, quod Dalemburg vocatur; Viſſimirus caſtrum Viſſimirium* (hodie Wiſmariam) *in confinijs Weſtfalorum, & Friſonum; Brzemie (Brema hodie) ut ſuſciperet hoſtium Brzemie, id eſt pondus; caſtrum Svverin, Caſtrum Lima (hodie Lim vel Lineburg) in petra lucente (Slavi enim nocturnum ſplendorem Lima vocant) Bukovvecz hodie Lubek, Caſtrum Rathibor; caſtrum Lukovv à quodam Miclone conditum, unde Germani Mickelburg vocant; Caſtrum Gilovv, à craſſitudine terræ; caſtrum Roztoky, à diſſolutione aquarum; Caſtrum Verla à credulitate; caſtrum Zvvanovv à vocando (vocatus enim Zvvanj Slavicè dicitur) item Caſtrum Oſtrovv, ſeu Inſula (Guſtrau) in qua Inſula hodiéque ſtant Teſſin, Marlovv, Bolel, Trebeßovv, Wolgoſt (Wolgaſt) Czaſny, Wolinecz, & cætera plura, quæ natio Teutonica occupavit, paucis populis Slavis in rure hodiéque permanentibus.* Hucuſque *Miechovius.* Innumera ejusmodi nomina poſſent proferri Arcium, Oppidorum, & Urbium à *Slavis* conditarum, quæ nunc à *Saxonibus*, aliiſque Germaniæ populis inſidentur. Ut *Marchia Ucrana, cui,* ùt ait Meibomius (ex Vitichindo) *Ucri Slavorum populus nomen dedêre; hinc eorum Urbes in ripa Ucræ fluminis, Benczlovv, & Paſevvlky* (Bentzlaw, & Palewlky) *quæ nomina ex Slavorum lingva deſcendunt.* Quâ verò ratione, & quibus artibus, *Slavorum* populi in ijs oris degentes oppreſſi ſint, cùm *de Origine Slavorum* diſſererem, explicui in *Epitome hiſtorica.* Quid ego de *Sileſia* loquar, quam univerſam olim *Slavicâ lingvâ* locutâ, & *Poloniæ* nomine cenſam, *Polonis Principibus Piaſtææ gentis* paruiſſe, omnes hiſtoricorum Pueri (ut Græcanicè dicam) ſciunt. *Henelius* pereruditus Scriptor, & Sileſiæ ſuæ nobilis hiſtoricus, ait *gnaviter inſanire illos, qui originem Urbium, & Oppidorum Sileſiticorum, & nomina, aliunde, quàm è Slavica lingva conantur deducere;* aſſignat etiam tempora, quibus in *Sileſiam Germani* aſcendere cœperint, & cùm lingvam veterem, aut nollent, aut non poſſent diſcere, paulatim ſinè ſenſu ſuam induxerint; ſed hæc jam antè probata, & poſtea diligentiùs tractanda, hoc loco inſinuâſſe ſit ſatis. De *Carinthia, Carniolia*, aliiſque ad alterum illud *mare Venetum* Regionibus, nemo dubitare poteſt, qui illarum gentium origines, & hiſtorias examinârit, quin *Slavicâ lingvâ* (licèt corruptâ) ſint uſi; de quo minùs video dubitari, nam *Carniolicè* loquentes, dum illac iter haberem, ruſticos intellexi: de *Carinthia* non minùs certum eſſe debet; audiamus *Annales Ferdinandæos Khevvenhülleri,* qui *Carinthiam* optimè noverat, ad An. C. 1597. cùm enim latiſſimè cerimonias illas propè ridiculas, quâ *Carinthi Principem* ſibi creare ſolebant, deſcripſiſſet, *interrogatur,* inquit, *Princeps futurus, Slavonicâ lingvâ, quâ Carinthi in Regione illa utuntur; hodie omnes actus peraguntur Germanicè,* addit: *neque cerimonias illas ampliùs obſervari;* ultimus qui ſervârit, *Erneſtum* fuiſſe Anno 1414. *ex Domo Auſtriaca,* poſtea nullum. Quod verò paulò ſuperiùs dixeram, *Acta publica* vetuſtiora ante *Caroli IV.* tempora *Latinè* apud nos conſcripta fuiſſe, nullam continere poteſt admirationem, id enim etiam toto Imperio ſervabatur, *Rudolfus I. Imperator,* ait Lehmannus, *germanicam lingvam in Curias, & Judicia induxit, cùm antehac Latinè ſcriberentur, & proponerentur omnia.*

Civitates à Slavis conditæ in Inferiore Saxonia &c.

De Marchia Ucrana.

Henricus Meibomius l. 3. notis ad Vitikindum.

Slavica lingva apud Sileſios.

Epit. hiſt. rer. Boh. l. 1. C. 10 in Notis. & l. 3. C. 10. l. 1. C. 6. fol. 21.

Henelius in Sileſiograph.

Khevenhill. Tomo III Annal. Ferd ad An. 1597.

De Carnis & Carinthis

Olim in Imperio latinè peragebantur Acta publica.

Lehman. in hiſt Spirenſi. l. 5. C. 107.

§ VI.

Digitized by Google

§. VI.

Carolus IV. in Bulla Aurea commendat Principibus Lingvam Slavicam; multi Principes, & præcipuè Otto Magnus Imp. hanc lingvam calluit. Lingva Slavica ad peregrinas lingvas diſcendas perutilis. Quàm multùm proſit Principi, Populi ſui lingvam nôſſe, ex Sententia Pij II. Pontificis.

Aurea Bulla Caroli IV. tit. ultimo.

IN Epitome hiſtorica ex *Bulla Aurea Caroli IV.* aliquot plagulas excerpſi, omnibus Germaniæ Principibus *linguam Slavicam* commendantis; & ſanè ſuperioribus ſæculis quàm plurimi *Europæ Principes* proferri poſſent, qui hoc monito *Caroli* ſanctè ſervato, populorum ſibi amorem, & aliorum admirationem concitârint: *Saxoniæ, & Miſniæ Duces, Bavariæ Duces, Palatinos, Electores, Archiduces Auſtriæ, Reges Ungariæ, Cæſares, ac Imperatores* quàm plurimos offerunt hiſtoriæ, perfectiſſimè *Slavicam lingvam* callentes, ex quibus nonnullos in ipſa *Epitome* noſtra, alios in ea *Tractatione, de Slavicæ lingvæ præſtantia* adduxi; olim in ipſis propè initijs Germanici Imperij *Ottonem I.* cognomento à rebus maximis geſtis *Magnum*, *Slavicè* optimè locutum affirmat *Witikindus*, qui ei à Sacris, & militiæ Comes fuit; univerſim *Saxones Slavis* permixtos, & *Slavicè* locutos quàm plurimos, ex *Helmoldo, Adamo Bremenſi, Ditmaro*, aliiſque vetuſtis Scriptoribus liquet. *Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis* in hiſtoria ſua, præſertim Libro VI. manifeſtis indicijs oſtendit, ſe non perfunctoriè *Slavicam* calluiſſe. Perpendat per otium Lector, quæ dixerit, dum *Slavicam* vocem *Uſtvice* interpretaretur, tum alia ejus loca, quæ ſupervacaneum exiſtimo referre; atque hinc fiebat, ut *Vetus Bohemia* primos *Pragenſes Antiſtites* aliquot, ortu *Saxones* habuerit, quos omnes ad *populum prædicâſſe Slavicè* (verba veterum codicum recito) in hiſtorijs noſtris legimus. De utilitate, quam adferat Principibus,

Principes Imperij Slavicam olim callebant.

Witikind. l. 1. hiſt. Saxon.

Coſmas hiſt. Boh. lib. 1.

Slavicæ lingvæ notitia, videantur *Aureæ Bullæ* Interpretes in Titulum ejus Bullæ ultimum, præcipuè *Freherus*, tum *Conradus Geſnerus* in ſuo Mithridate, *Joannes Mathias à Sudetis* in ſubſecivis de origine Bohemorum. Perelegantem Epiſtolam *Alberti Comitis de Guttenſtein* in manibus habeo, An: 1544. ad *Wilhelmum de Roſis*, qui tum apud cognatum Epiſcopum Paſſavienſem *Wolfgangum* ſtirpe *Comitem de Salmis* educabatur, datam; in qua puerum multis, & ſeverè admonet, ut cum Ephebis, & colluſoribus ſuis *Bohemicè* loquatur; ait *lingvam Bohemicam (mirabili arcano) viam ad omnes alias lingvas, quod exemplo cognitum ſit, præſtruere, & præmunire; at contrà, qui eam in pueritia diſcere neglexerint, nunquam in ea profectum feciſſe;* aliáque in hanc ſententiam, quæ magis Præceptori *Henrico Scribonio* (Viro poſtea magno, Eccleſiǽque Pragenſis Præpoſito) quàm ipſi *Wilhelmo* crediderim ſcripta fuiſſe.

Memorabilis obſervatio Alberti Guttenſteinij.

M.S. hiſt: Roſ. Vita Wilhelmi de Roſis M.S. authore Wenceslao Brzezan

Quæ hoc loco de adminiculo ad cæteras *Europæ* lingvas ex *Bohemicæ* lingvæ notitia attulit *Comes Albertus*, etiam Exterorum, *Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Germanorum* teſtimonio probantur, quos ea de re diſſerentes audivi: teſtabantur illi *Polonos & Bohemos* noſtros eo accentu, tam gniſiâ, & rectâ pronunciatione *Italicas*, aliarúmque gentium difficillimas voces efferre, tam facilè peregrinum Idioma diſcere, tam eleganter loqui, ut *Itali ab Italis, Galli à Gallis, Germani à Germanis* ſæpiſſime habeantur. Nôvi ego plurimos ex Nobilitate *Bohemica*, ab illa facilitate, & fælicitate laudatos,

Unde accidat, ut Bohemi facillimè peregrinas lingvas pronuncient.

datos, nec attinet nominare. Unde verò facilis illa vocum peregrinarum pronunciatio in ijs, qui *Bohemicè educati* ſunt, oriatur, dixi in meo illo, quem antè citavi, tractatu: nulla enim vocalis, aut conſonans in *Europæis* lingvis reperitur, cui ſimilem *Bohemicus ſermo* non habeat, quod ibi diſertè, & enucleatè probavi; cæteras quoque *Slavicæ Lingvæ* laudes ibidem invenies: eſſe eam *matricem*, & in confuſione lingvarum inter primas genitam ex *Theophilo Raynaudo*, ac cæteris oſtendi; multa de ejus amplitudine, & quos populos contineat, dixi, quæ objiciuntur ab ignaris, diſſolvi, aliáq; hujusmodi, ut ſupervacaneum videatur hæc tractare, id enim eſſet actum agere.

Gratiſſimũ eſt populis audire Principem linguâ Populi loquentem

Porrò, quàm neceſſaria *Principi*, lingvarum notitia ſit, quámque ea res ſubjectis populis grata, facilè, ſi id ageretur, exemplis innumeris poſſet oſtendi: *M. Craſſus* quinque Græcorum lingvis, ſeu Dialectis jus reddebat in Aſia; ſubjicit Valerius Maximus: *quod ei maximum Sociorum amorem conciliavit.*

Valer. Max. l. 8. rer. memorab. C. 7.

Inter opera Æneæ Silvij tract. ad Regẽ Boh. Ladislaũ.

Æneas Silvius, poſtea *Pius II. Pontifex Maximus*, qui priùs in *Principum*, *Regum*, *ac Cæſarum Aulis* verſatus maximarum rerum tractationibus, & arcanis interfuit, ſapientiſſimum *tractatum* edidit, in quo *Ladislaum Bohemiæ, & Ungariæ Regem* Juvenem optimis præceptis informat; quo in genere, ingenuè fateor, nihil me unquam abſolutius legiſſe.

Memorabilis ſententia Pij II.

Inter alia, dum agit de ijs, quos *Rex* ſibi Juvenes adſciſcere debeat: *ex his Juvenibus*, inquit, *quidam Ungaricum, quidam Patrium* (Auſtriacum videlicet) *quidam Bohemicum, omnes autem Latinum ſermonem nôrint, viciſſimque obloquantur. Sic absq; labore, & quaſi per ludum hæc omnia perdiſces idiomata, & alloqui tuos ſubditos per teipſum poteris: nihil eſt, quod ſic Principi favorem Populi conciliet, quàm gratia ſermonis; & indignus quodammodo Regno videtur, qui conquerentes, aut aliquid expoſtulantes Regnicolas non intelligit. Avo tuo Materno* (Sigiſmundum Pontifex intelligit) *maximi cordis Regi tantùm profuit lingvas nôſſe complures, quantum Patri tuo* (Alberto Auſtriaco) *nocuit ignoràſſe. Mithridatem, qui regnavit in Ponto, quis non commendat, qui viginti duabus gentibus, quibus imperavit, abſque interprete loquebatur? Nec ego te plus Auſtralibus Populis affectum, quàm Bohemis, Ungarisque voluerim. Tui ſunt omnes, æquali ſtudio diligendi. Indignam rem agit, teſte Platone, qui unam partem Reipublicæ ſic curat, ut alteram deſerat, quæ res maxima ſæpe calamitatis cauſſa Principibus fuit. Atque ratio hæc potiſſima eſt, quæ nobiliſſimam Italiæ Provinciam ſubtraxit Imperio: quia contenti Patrio ſolo Reges Teutonici, nimisque ſuis affecti Laribus, Italiæ Regimen neglexerunt. • Regna non minùs amor, quàm ferrum tuetur, ſed amari eum, qui non amat, impoſſibile fuerit. Amoris autem conciliator lingua commercium; Tibi ergo, cùm per ætatem licet, intentum eſto, ut ſubditos per te audire, intelligere, & affari poſſis. Contingunt ſæpius aliqua, quæ tibi ſoli referre Subditi velint, interpreti non fidunt. • Princeps, qui per alium ſemper loquitur; nihil minùs, quàm Regis nomen meretur. Mulieri, ùt ait Homerus, taciturnitas decus adfert, at non item viro.* Hæc *Æneas Silvius*, quibus tanti Pontificis præceptis à me quidem nihil addi poſſe puto.

Laus Principum polyglottorum.

Aug. l. 19. de Civ. Dei C. 7: Plin. l. 7. hiſt. nat: C. 2 & C. 29. Gelli: l. 17. C: 17. Valer Max. l. 8. C 7. Solin in polyhiſt C. 4 Plutarch in parall in vita Mar. Anton. Caſſiodor l. 10 variar Epiſt. 4 & l. 11. Epiſt. 1. Gellius l. cit.

De amore Populi per Lingvam conciliando vide *Plinium* lib. 7. hiſt. nat. c. 27. quem multis prudentiſſimis in rem eandem ſententijs *Sanctus Auguſtinus* libro 19. *de Civitate Dei* illuſtrat. Reges, ac Principes lingvarum peritos nominant, & commendant, *Plinius*, *Gellius*, *Valerius*, *Solinus*; *Cleopatram* etiam ab hac dote commendat *Plutarchus*, & *Amalaſvintam Gothorum* in Italia Reginam *Rex Theodahadus* apud *Caſſiodorum*. *Ennius* tria ſe habere corda jactabat, quòd *Græcè*, *Oſcè*, & *Latinè* loqueretur; nec inanis hæc

gloriatio apud rerum humanarum prudentes eſſe poteſt, cùm veteri Proverbio dicamus: *Qui multas lingvas callet, cum totidem hominibus adæquari.*

Notatio in §. 2. Capitis XX.

Sangall. l. 1. de geſtis Caroli M. Caniſ. T. 1. antiqv. lect.

PRomiſeram nuper, adducturum me ex anonymo Scriptore *Monacho Sangallenſi* deſcriptionem antiqui habitûs *Francorum.* Res eſt ſcitu digniſſima, neque ab ullo ſcriptore tam diligenter tractata. *Erat,* inquit, *antiquorum ornatus, vel paratura Francorum, calceamenta forinſecùs aurata, corrigiis tricubitalibus inſignita, faſciolæ crurales vermiculatæ, & ſubtus eas tibialia* vel coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen opère pretioſiſſimo variata. Super quæ & faſciolas in crucis modum* intrinſecus, antè & retro longiſſimè illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camiſia* cilicina, poſt hæc balthèus ſpatæ colligatus, quæ ſpata primum* vaginâ, ſecundò corio qualicunque, tertiò linteamine candidiſſimo, cerâ lucidiſſimâ roborato ita cingebatur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium* duraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium cânum, vel ſaphirinum quadrangulum duplex, ſic formatum, ut cùm imponeretur humeris, antè & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua* tangeret. Tunc baculus de arbore Malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuſpide manuali, ex auro vel argento, cum cælaturis inſignibus præfixo portabatur in dextera. Quo habitu lentus ego & teſtudine tardior, cùm in Franciam nunquam venirem, vidi Caput Francorum in Monaſterio S. Galli præfulgens, duóſque flores auricomos ex ejus femoribus progreſſos, quorum qui prior egreſſus eſt, proceritatèm illius adæquabat: poſterior autem paulatim exceſcens verticem ſtipitis ſui ſummâ gloriâ decoravit, & tranſcendendo contexit. Sed, ut ſe mos humani habet ingenii, cùm inter Gallos Franci militantes virgatis eos ſagulis lucere conſpicerent, novitate gaudentes, antiquam conſvetudinem dimiſerunt, & eos imitari cæperunt. Quod interim rigidiſſimus Imperator idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior videretur ille habitus. Sed cùm Freſones hac licentiâ abutentes adverteret, & breviſſima illa palliola, ſicut priùs maxima, vendere comperiſſet; præcepit, ut nullus ab eis, niſi grandia, latiſſimáque illa longiſſima pallia conſvetudinario precio coëmeret, adiciens: Quid proſunt illa putaciola; in lecto non poſſum eis cooperiri,* cavallicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad neceſſaria naturæ ſecedens tibiarum congelatione deficio.* Hæc Sangallenſis de Carolo M.

* ac

* alius cod. intrinſecus & extrinſecus.

* al. glizina.

* al. vaginâ ſageâ.

* al. aurare tur.

* al: contegeret.

* equitant.

❀) ✠ (❀

CAPUT XXI.

Bohemicam Tellurem plurimo hominum ſangvine omni ævo maduiſſe; Index centum & ſeptuaginta ſeptem præliorum in Bohemia geſtorum. Civitates quædam, villæ & pagi, in præliorum area, ſeu campo, aut per occaſionem præliorum excitati. Quæ cauſſæ in Bohemia tot Bellorum.

Bohemiæ tellus ſæculis omnibus cruentata.

AD abſolutam Regionis alicujus notitiam pertinere ſemper ſum arbitratus, curioſo, diligentíque Lectori indicare prælia, conſignare loca, in quibus furore belluino tot inter ſe hominum millia concurrerunt, victoréſque æquè, ac victos nominare; quo quidem in genere infælicitatis (nam quo

quo alio appellem nomine neſcio) tam fœlix, & tam fœcunda, & renovato Cadmi exemplo ferax ſemper *Bohemia* extitit, ut neſciã ullam tam anguſtam *Europæ Regionem*, quam frequentiâ cædium, & præliorum, & profuſione humani ſangvinis provocare non audeamus. Porrò ipſe *Titulus* indicat, ea me tantùm prælia adducturum, quæ in *Patria*, & plerumque pro Patria geſsêre Majores: nam quæ in *Polonia & Pruſſia* ſub Duce *Boleslao*, *Brzetislao*, *Wenceslais*, *Joanne*, & *Carolo Regibus*, & ſub *Sigiſmundo* contra *Crucigeros* pro *Polonis*, & contra *Polonos* pro *Crucigeris*, item ſub *Ottogaro*, & priùs in *Miſnia & Saxonia* ſub *Boleslao*, *Udalrico*, *Georgio*, aliiſque Ducibus, ac Regibus; in *Italia* ſub *Fridericis*, *Henricis*, & *Carolo Cæſaribus*; in *Palæſtina ſub Friderico*, & *Conrado Imperatoribus*, in *Germania*, & *Ungaria* ſub omnibus propè Regibus noſtris geſta ſunt, hoc Indiculo complecti mens non fuit; vide *Epitomen* noſtram, ubi bella ordine temporum proſequimur. Occaſio hujus Capitis hæc fuit: Cùm ante complures Annos *Chorographicam Bohemiæ Tabulam Auguſtæ* excudi feciſſem, *Bohemiam* noſtram *Roſæ* figurâ expreſſi: propterea, quòd eum florem *è ſangvine natum* fabulantur Poëtæ; convenit *Roſæ*, ipſa locorum, & regionis facies, quæ jacentem *Bohemiam* poſſit conſtituere; Titulum adjeci: *Roſa Bohemiæ omnibus ſeculis cruenta, in qua plura, quàm 80. magna prælia commiſſa ſunt, hâc primùm formâ excuſa.* Mirati ſunt plurimi ex Amicis, tot tam anguſto in ſpatio bella confici potuiſſe. Promiſi me ſuo tempore, ac loco enumeraturum, & ſinè ambagibus relaturum; en fidem poſcentibus exſolvo, neque 80. tantùm, ſed 176. alterum tantum, eòque ampliùs pono ſub aſpectum, quanquam ſic adhuc (ſatis ſcio) quædam diligentiam meam effugient, ſed ea, qui obſervârint, mihi donent, & addant, ac viciſſe me expectationem Amicorum fateantur.

Bohemia Roſæ inſtar excuſa.

§. I.

Prima Bella in Bohemia geſta ante Czechi in has oras adventum.

Cùm defectu monimentorum nullum antiquiorem in *Bohemia* Populum, quàm *Boios*, qui ei nomen dederunt, nominare poſſimus, conſequens eſt: ſi quæ *Boÿ in Bohemia* bella geſſerunt, ea demum prima, & antiquiſſima haberi debere. *Credibile non eſt*, ait Adlzreiter, *tam longâ temporis intercapedine, Nationem Boicam armis aſſvetam continuò ferrum condidiſſe, nec à prima ſua immigratione uſquè ad bella, quæ cum Cimbris, Dacisque geſſerunt, egiſſe quidquam; ſed longè veriſimilius eſt, egregÿs factis domi defuiſſe præcones; multo nimirum literarum ſilentio ſepultum eſt, quidquid memoriâ dignum geſſêre per tot ſæcula.* Primum igitur, quod literis conſignatum ſit bellum in *Bohemia* adversùs *Cimbros* habemus, qui ſuis pulſi ſedibus (à *Cimbrica Cherſoneſo* peninſula, ubi nunc *Dania Septentrionalis* viſitur) vel ſoli melioris amœnitate pellecti, vel fato delati, in *Hercyniam Silvam*, à *Boÿs* habitatam regionem invaſerunt, & à *Boÿs* ejecti ſunt. *Cimbrorum* ad trecenta pugnatorum millia fuiſſe, apud Scriptores eſt in confeſſo. Hi poſtea *Italiam*, *Illyricum*, *Galliam*, & *Hiſpaniam* victorijs peragrârunt; quò major *Bojorum* virtus debet cenſeri, qui tam formidabilem, & bellicoſam gentem *Bohemiæ* ſuæ finibus ejecerint. Quâ parte *Cimbri Bohemiam* intrârint, & quo in loco (quod ſinè multo ſangvine fieri non potuit, neque uno fortaſſe prælio in tanta armorum multitudine confe-

In Annal. Boicæ P. 1. lib. 4. init.

I. Prælium adverſus Cimbros.

Strabo l. 7. Geogr.
Lazius l. 7. de migrat. Gentium.

ctum eſt) nullus Scriptorum tradit, adeóque Plautinus ille jocus valeat: *Quod neſcio, id neſcium trado tibi.*

II.
Prælia adverſus Rhætos.
Strabo l. 4. geogr:

Secundum bellum, idque prælijs multiplex, *Boijs in Hercynia* intulêre *Rhæti* vetere odio, eóque internecino furentes, ita ut in *Bojcam*, tum *Bohemiam*, (quod *Strabo* disertè ſcripſit) frequenter involantes, non contenti ſævire in armatos, etiam imbellem turbam, & quidquid erat maſculini ſexûs, cultris immaniter conciderent; repoſuiſſe *Bojos* cladem hoſtibus dubitari non poteſt. *Rhæti* igitur *Bohemiam* inter primos cædibus, & ſangvine complevêre. Poſſem hoc loco augere numerum bellorum, ſi quæ ſub *Critaſiro Bojo* geſta ſunt, *Boijs Hercynijs* imputare vellem; ſed *Critaſirus* non *Boijs* noſtris, ſed ijs *Boijs*, qui ad *Daciam*, *& Pannoniam*, *& in Illyrico* conſederant, imperavit, ùt ex *Lazio*, *& Adelzreittero* cognoſcitur, idque non obſervatum, plurimis cauſſam præbet erroribus; idémque eſt de *Marcommannis*, qui poſtea diverſis locis, *cis*, *& ultra Danubium*, apud nos, & in Romanis Provincijs, translati, vel impetratis ſedibus habitârunt. Delectus igitur rerum habendus eſt, nè omnia, quæ à *Marcomannis* geſta, aut tolerata ſunt, *Marcomannis per Bohemiam*, *& Moraviam*, *& partem Auſtriæ ad Danubium* habitantibus, adſcribamus; *Lazium* Lector (amabò) conſulat, *de quatuor diverſis Marcomannorum ſedibus* ſcribentem; quo ſemel admiſſo, plurima *Moravorum* bella delentur.

Lazius l. cit. Adelzreitter in hiſt. Boior: ſcripta à P. Joan: Fervaux Lotharin: S.I.
Marcomannorum bella non omnia hîc geſta.

III.
Prælia adv. Boios.
Velſerus in Boicis.
Laz: l. c.
Adelzreit: l. c.

Poſtquam *Boij Bojohemum* ſexcentis circiter annis tenuiſſent, gravis adverſarius exortus eſt *Marobodus Rex Marcomannorum*, qui *Bojos* aliquot prælijs fractos domuit, & ſuis (ùt *Velſerus* putat) adjunxit, aut (quod veriſimilius eſt, & ex *Tacito* apertiſſimè oſtendit *Adelzreitter*) in *Noricos* expulit; quam ejectionem ſinè clade *Bojorum* peragi non potuiſſe, quiſque prudens intelligit.

IV.
Prælium Arminij cũ Maroboduo.
Tac. l. 2. Ann: n. 46.

Maroboduum, qui ſibi Regiam *Bubienum* nomine (ùt pridem probavimus) in *Bohemia* ſtruxit (*in Bojohemo*, *id regioni*, *quam incolebat Maroboduus nomen eſt*, verba ſunt *Velleij*) quamvis ſeptuaginta millium peditum, & quatuor millium Equitum, ùt habet idem *Vellejus*, Exercitum, eúmque Romanæ militiæ more inſtructiſſimum duceret, *Arminius* prælio congreſſus ſuperavit; *non aliàs majore mole concurſum*, *neque ambiguo magìs eventu*, ait Tacitus, *fuſis utrinque dextris cornibus*. Videtur poſtea *Maroboduus*, etſi jam fractus ab *Arminio*, aliquid tamen ex Provincijs recepiſſe.

V.
Marobod: & Catvaldę
Tac. l. c. n. 62.

Novum bellum *Maroboduo* movit *Catualda ex Gotonibus Nobilis Juvenis*, qui Regiam Marobodui (in *Bohemia*, ùt omnes conſentiunt, ſitam) occupavit. Etſi verò hæc occupatio, *corruptis Marcomannorum primoribus* contigerit, tamen veriſimillimum eſt cædem aliquam, vel in *Marobodui* caſtello factam; neque enim tantus, & tam potens *Rex* ad primum *Catualdæ* adventum, Regno in perpetuùm cedere, & ad Romanos profugere, deſperatione rerum ſuarum, coactus fuiſſet. *Catavalda* paulò pòſt à ſuis in exilium acto ſucceſſit *Vannius*.

VI.
Tac. l. 12 Ann: n. 29. 30.
Jubillij cũ Vannio.

Vannio Marcomannis, *& Quadis* imperanti, circa An. C. 50. *Jubillius Rex Hermundurorum* bellum indicit, & in *Bohemiam* irrumpit. Confertum eſt prælium oppidò cruentum; victus *Vannius* trajecto Danubio ad Romanos profugit.

VII.
Tac. l. 4. hiſt:
Bellum cũ Romanis.
Laz: l. 9. de Migrat. Gent.

Ad *Bohemiam* noſtram & illud pertinere videtur, quod *Cornelius Tacitus* ſcribit: *L. Domitium* imperante Tiberio cum exercitu Romano flumen Albim tranſiſſe, longiùs penetratâ Germaniâ, quàm quenquam priorum, & ob eam fælicitatem inſignia Triumphi meruiſſe. De *Marcomannorum* ſedibus primis id intelligit *Lazius* pluribus allatis argumentis. cùm autem triumphi inſignia non decernantur, niſi cæſis hoſtibus, conſectarium eſt dicere: *Bohemicam* tellurem

co

eo bello ſangvine humano irrigatam fuiſſe.

VIII. Bellum cũ Trajano. *Volaterr. l. 23. Antropolog: Lazius l. c.*

Optimum Principem *Trajanum Bohemiam* noſtram, aut primas ſaltem in *Bohemia Marcomannorum* ſedes vidiſſe nimis certum puto, conſtructo ſuper *Danubium* firmiſſimo ponte, quem poſtea *M. Antoninus Imperator* dejecit; *Raphaël Volateranus, & Lazius* ex Scriptoribus Romanis diſertè docent: *Trajanum de Marcomannis* triumphum agere potuiſſe, ſed ob innatam animo moderationem, *Romam Equo* tantùm invectum, & laureatum intráſſe; quod cædem in ſedibus *Marçomannorum* factas clariſſimè demonſtrat.

vide ſupra N. 1. & l. 2. Miſcellan. C. 3.

Varia deinde bella à *Marcomannis in Bojohemo*, ſeu *Bohemia* remanentibus geſta ſunt, ſed pleraque extra Patriam; deinde, cùm terris diviſi *Marcomanni* fuerint, & aliqui acceptis agris in *Illyrico*, aliique in locis habitârint, non ſatìs liquidò conſtat, quinam ex *Marcomannis* bellum moverint. Certiora igitur tantùm adferemus, eáque prælia per Indicem recitabimus, quibus hoſtes, *Bohemiæ* tellurem innocentiſſimam cruentârunt.

IX. *Lazius l. 9* Bellum Maximini apud nos.

Julius Maximinus Imperator (ùt apertiſſimè evincit *Wolffgangus Lazius*) *Moraviam, Bohemiámq;* hoſtiliter intravit. per *multa milliaria* (ità ipſe Imperator in Epiſtola ad Senatum Romanum ſcribens, loquitur) *Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus &c. quæ non de alio*, verba ſunt Lazij, *Germaniæ tractu poſſunt intelligi, quàm qui hodie in Bohemiam, Moraviámque eſt ſectus.* Atroci hoc bello multum in *Bohemia* ſangvinis profuſum, Imperator, ùt vidimus, gloriatur. *Poſt hæc tempora arbitror* (addit loco citato *Lazius*) *reliquias Populi Marcomannici partim in Pannonias, Galliásque* (*quibus Romani agros ſub tributo conceſſerant, ùt mox oſtendetur*) *partim verò ad interiora magis, à Czechis, & Slavis pulſos receſſiſſe, ubi ad noſtram memoriam Nova, & Antiqua Marca nomina Provinciarum manent, Brandeburgenſibus Principibus ſubjectarum; quarum Incolæ vulgò, à Marcomannis nimirum,* die Merckher *appellantur.* Hæc Lazius.

Marcomannorum quidam in Brãdeburgiam receſsêre.

§. II.

Bella à Czechi in has oras adventu, uſquè ad Borzivoij (qui primus ex Ducibus noſtris Chriſti fidem amplexus eſt) tempora, in Bohemia geſta. Chronologiæ examen. Animadverſio de gente Thuringorum.

In Rationario Temporum.

Czechum in has oras longè priùs veniſſe, quàm *Hagecius*, atque eum ſecuti ponant, ſatis, ùt arbitror, libro ſuperiore probatum eſt, & alibi vehementiùs, & potentiùs probabitur à nobis; eam nunc *Chronologiam Codicillo & Weleslavino* inſiſtentes, in enumeratione præliorum ſequemur:

Inprimis *Czechi & Croci* utriusque, mitiſſimè regnantium, nulla in Bohemia prælia leguntur; *Przemysli*, qui per *Libuſſæ* conjugium, his ſucceſſit, primum (quod ſciamus) bellum in fœminas fuit: *Amazones Bohemiæ Wlaſtâ Duce*, bellum Viris movêre; in primo, & ſecundo certamine (quorum illud circa An. 494. alterum circa 495. utrumque ad Arcem à fœminis conditam *Drevvin*, cujus rudera hodiéque ſpectantur, commiſſum eſt) in *primo*, inquam, & *ſecundo* certamine Fortuna ſuo ſexui favit, cæſis utroque prælio quadringentis, eóque ampliùs viris. *Tertio* prælio in *Amazones* geſto, non modò cæſæ, ſed etiam prorſus in acie deletæ ſunt, & ſi quæ alibi ſparſæ, redierunt ad ſexum. Hoc unum

Bellum Amazonicũ.

Coſmas Deca. Prag. l. 1. hiſt. Boh. Hag: in Ann: ad An. 749. & 743. Stransky in Rep. Boi. C. 8. Dubrav. Epiſ: Olomuc. in hiſtoria X. XI. XII.

unum, omni ævo cruentatæ, *Bohemiæ* defuit, ut etiam militum *fœminarum ſanguine* redundaret!

Stransky l. cit. §. 2.
XIII. Bellum Civile.
Hagek ad An. C. 748.

Nezamyſl Przemyſli, & Libuſſæ filius, Pragenſis Princeps, circa An. Ch. 504. *Tudricho Duce*, poſt *Bohemiæ* fines in *Bavaria* fœliciter pugnat, ùt *Stransky* ex Scriptoribus Germanis oſtendit; at nihil tum in *Bohemia* fuſum cruoris puto, ſed Anno 504. bellum eidem Principi fuit in campo *Strhovv* ad villam *Rziezanienſem* cum *Rozhonio Duce Caurzimenſi*, in quo prælio ferè quadringenti ex utraq; parte humum planxerunt.

XIV. Aliud Civile,
Hagek ad An. 750.

Civile deinde *bellum Slanenſes* inter, & *Zatecenſes* circa An. Ch. 506. exoritur; quo primùm *Zatecenſes* repulſi, centum quinquaginta amiſerunt ex ſuis; at Anno ſequenti *Slanenſes* internecione deleverunt.

Stransky l. cit.
XV. XVI. XVII. XVIII. Bellum Moravicum.

Mnatæ Nezamyſli filio ab A. C. 538. rès diu cum *Moravis Bohemiam* ingreſſis, & ſodinis argenteis incubantibus, fuit: vario eventu pugnatum: primùm vicêre *Moravi*, tum *Bohemi*; bellum poſt annos ſex renovatum à *Moravis*, fugantur, & cæduntur *Bohemi*; poſtremò concurſum viribus omnibus, & acie fuſi *Moràvi*, & fodinis depulſi, *Kygovium* captum, incenſa *Lipnicenſis Arx*, quam tenebant.

Stransky l. c.
XIX. Bellum adver: Saxon:

Vogen Mnatæ filius, Miſnios, & Saxones Bohemiam ſubeuntes, & auſos concurrere, in ipſis *Bohemiæ* limitibus acie vincit, & profligat.

XX. *Hag: ad A. 809*

Geſtum deinde à *Zatecenſibus* adversùs *Robovvicium Wrſſovicenſem* bellum, in quo *Robovicius* primùm captus, dein à ſuis ereptus centum *Lucenſes* occidit, propè ducentos in captivitatem abſtraxit.

XXI. *Hag: ad A. 810*

Anno ſequenti *Moravi* reparantes bellum à *Vogeni Ducibus* ad arcem *Chlum* magno numero cæduntur.

XXII. Iterū adv: Saxones.
Hag: ad A. 824
Wenc: Ripa in hiſt. Zatecen:

Wnyslaus Vogeni filius (quem malè cum *Crzezomyſlo* confundit *Hagecius*) circa An. Ch. 656. auſpicatur Imperium; quo regnante ad *Zatecium* cruentam illam *Bohemi de Saxonibus*, quorum mille ampliùs cecidêre, obtinuêre victoriam, quam non ſuo tempore *Hagecius* narravit.

XXIII. *Hag: ad A 825*

Anno poſt cæſos Saxones, *Miſniaci* adverſo *Albi* uſquè *Bilinam* penetrantes, excepti *Bohemorum* inſidijs, omnes ad unum (utpote in hoſtili terra) ſunt cæſi.

XXIV. Civile Bellum.
Hag: ad A. 863

Crzezomyslum, poſt Annum Chriſti 710. *Wnyslao* patre mortuo, Principem *Bohemiæ* creatum, *Civilia* bella primùm, deinde *Moravica* exercuerunt: duodecimo Principatûs Anno ad pagum *Tuhonie* à *Wlaſtiſlao* Lucenſi Duce, Pragenſis Exercitus *Koldio* fortiſſimo viro cadente, fugatur.

Nova bella

Fœliciùs adversùs *Moravos* altero abhinc anno pugnatum: concurſum acie, conclamata victoria, *Moravi* repulſi.

XXV.
Silv. in hiſt. Boh. C. 10: Hag. in Ann. Dubr. in hiſt. Boh.

Civile cum *Wlaſtiſlao* Luzicenſi bellum quod ante ſexennium conditionibus quibusdam finierant, redardeſcit; in *Tursko* poſt *Pragam* prælium inivêre, victus, & occiſus *Wlaſtislaus*; & ſi *Dubravio* credimus, *Luzicenſes* propè omnes (cùm maleficio fugere non poſſent) ceciderunt.

Stran: in Rep: Boi. C. 8. Weleſl. in Geneal: Prim: Boh Cuthen. Notis ad Sylvium.

Neklani Principatus (ùt meliores Scriptores conſentiunt) in *Caroli Magni* tempora incidit; unde (ut hoc obiter innuam) Chronologia *Hagecij* prorſus corruit, qui *Neklanum* Anno 829. natum, & An. 852. Principem nominatum affirmat: nam ſi *Neklan*, ùt ex Germanicis etiam Scriptoribus probat *Stransky*, cùm *Carolo Magno* bellum geſſit (quod bellum conſenſu omnium, qui *Caroli Magni* vitam, & geſta ſcripſerunt, circa Annum 789. geſtum eſt) quâ ratione, cùm nondum natus eſſet, bellum gerere potuiſſet? quomodo *Hoſtivitus Neklani* filius cum *Ludovico Pio* An. 843. *Francofurti* pacem facere? (quod ex Scriptoribus ijsdem *Weleslavinus* oſtendit) quomodo *Borzivojus Neklani Nepos* (quem circa Annum 856. in Moravia *SS. Cyrillo, & Methodio* prædicantibus, *Chriſti* fidem amplexum in *Epitome hiſtorica* evidenter oſtenditur) *Hoſtiviti* filius eſſe potuit, cùm *Hoſtivitus Parens* An.

Carolina bella.

Chronologiæ Examen.

An. 853. juxta *Hagecium* ſit natus? ſed inexcuſabilius, aut certè inconvenientius eſt, quod ſequitur, quódque jam in *Epitome* noſtra pridem reprehendimus, ſcilicet: *Borzivoiúm juvenem* ſexto, & trigeſimo ætatis obijſſe, néve deſcriptoris vitium exiſtimes, eundem An. 874. editum ex *Miloslava* affirmat; quod quâ ratione ſuſtineri poſſit, in tanta actionum multitudine, ac varietate, prorſus non video. Nam, ut alia omittamus: *Spitihnæum* tertio decimo ætatis anno, *Wratislaum* verò etiam juniorem gubernaculis *Bohemiæ* admotum à Patre neceſſariò inde conficitur; tum illud (quod propè à ratione, & conſvetudine abhorret, ídque *Hageciani* admittere debent) à *Wratislao* quartodecimo ætatis Anno *S. Wenceslaum* procreatum. non enim ante Annum 893. *Wratiſlaus* naſci potuit, utpote poſt *Spitihnæum* fratrem natus, cujus *Spitihnæi* nativitas ab ipſo Hageko A. 892. collocatur; atqui juxta eundem *Hagekum* (ab alijs etiam priùs) A. 908. ex Patre *Wratislao* naſcitur *Wenceslaus;* ergo quatuordecimo anno à nativitate Parentis naſcitur, & tertiodecimo Parentis concipitur. Sed nos ad bella, à quibus nos *Chronologiæ* ratio paululum abſtraxit, redeamus.

Annales Francorum apud Reuberum. Fabric: in Origin: Saxon: l. 4. init: Reiſn: in Geneal: Baſil: in Witikindo.

Igitur *Neklano* apud Nos regnante 789. bella *Caroli Magni in Saxones* (quos jam pridem *Franci* oppugnârant, ùt ex eorum Annalibus conſtat) vicinam etiam *Bohemiam* perculerunt, maximè quòd *Witikindus Saxoniæ Dux Svatavam Lechi Ducis Bohemiæ* (ùt habet *Fabricius*, *Reuſnerus*, *Czechi Itzi Ceſcorum Ducis*) filiam haberet in conjugio; quod quâ ratione accipiendum ſit, Lib. 2. C. 20. nuper oſtendi: fuit enim hic *Lechus*, *vel Czechus* partis alicujus *Bohemiæ Princeps*, quem falsò *Cromerus Poloniæ Principem*, alij ſinè ulla veterum authoritate *Moraviæ Regem* fecerunt; nos *Bohemum*, & *Bohemiæ* Ducem dicimus, Regia viâ gradientes, quam antiquiſſimi Scriptores, *Eginhardus Caroli M. Gener*, *Annales Fuldenſes*, *Annales Francorum*, à coævis Scriptoribus exarati, tum *Hermannus Contractus*, verbo omnes veteres, qui de *Carolinis* bellis egerunt, & ex recentioribus accuratiſſimi *Fabricius*, *Reuſnerus*, *König*, *Bunding*, *Weleslavinus*, *Brunnerus* oſtendunt, qui nunquam *Lechum* illum, aut *Czechum*, *Poloniæ*, aut *Moraviæ*, aut *Slavorum Ducem*, aut *Regem* ſed diſertè ſemper *Behemannum*, *Boëmannum*, *Bohemannorum Ducem* fuiſſe affirmant. Sed ad rem: Exiſtimo ſæpius *Bohemos bellis Francorum* involutos, quoties ſcilicet *Saxonibus* confœderatis auxilia mittebant, ſed Anno 789. *Carolum Magnum* in ipſos *Bohemos* arma vertiſſe; breviſſimè Hermannus: An. 789. *Carolus M. valido undique collecto exercitu Albim fluvium tranſit, & Slavos prælijs protritos ſubjugavit.*

Lechus partis Bohemiæ Dux.

Eginhardus in Vita Caro: M. apud Reuber: Annal. Fuld. editi à Frehero Annales Fran: editi à Reuber: Herman. in Chron: Fabric. & Reuſner l. c. Bunding: in Inſt: Brunſvicenſi in Witek: Weleslav. in Geneal: Princ: Boh. Brunner: in Annal. Boicis.

XXVI.

Bellum hoc contra *Bohemannos*, *Vilzos*, & *Avares* geſtum eſſe apertè teſtatur *Anonymus Monachus* vitæ Caroli Scriptor, idquè diſertè teſtatur *Aimoinus;* neque uno prælio, ſed prçlijs pluribus opus fuiſſe omnes conſentiunt, ac tum *Bohemiæ* partem aliquam intrâſse *Carolum* veriſimiliter affirmatur. Quies deinde à bellis (quamvìs *Saxonia* & *Hunnia* negotium *Carolo* faceſſere non ceſſarent) in *Bohemia* fuit ad Annum uſquè 805. Audiamus Annales Francorum: *Non multò pòſt* (805.) *Caganus Princeps Hunnorum propter calamitatem Populi ſui, Imperatorem adijt, poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam, & Carnuntum, quia propter infeſtationem Slavorum, qui Behemanni vocantur in priſtinis ſedibus eſſe non poterant; illi enim omnem terram Hunnorum depopulantes Lechonem tunc Ducem habuerunt &c. Miſit igitur Imperator Exercitum ſuum cum filio ſuo Carolo in terram Slavorum, qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum Patriam depopulatus, Ducem eorum nomine Lechonem* (alia lectio habet Bechonem) occi-

Herm. in Chron. Anonym: Monach: S. Galli l. 1. vita Caroli apud H. Caniſium in Antiquis lect. Annal Franc: editi à Reuber: Aimoin l. 4. de geſt. Franc.

Nova cum Carolo filio bella.

XXVII.

Eginhard. in vita Caroli M. Herm. in Chronico. Annal. Fuld. ...ach. S. Galli.

occi-

Digitized by Google

occidit. Meminerunt hujus belli etiam *Eginhardus*, *Hermannus*, aliique.

XXVIII. *Annal: Fuld. edit: à Frehero Hermann: in Chron.*

Anno Chriſti 806. *Carolus Junior Sorabos* (Srbos) vaſtavit, & *Miliduch* (noſtri Mildruhum appellant) Ducem eorum occidit. Item *miſſo Exercitu* (verba ſunt Hermanni) *Bohemia vaſtatur*, quam vaſtationem multis cædibus confertam non vanè ſuſpicamur.

Ex Gallico Bernardi Giraldi Tomo I. hiſt. Francor: l. 4. f. 342.

In hoc tempus referenda videtur Legatio illa Bohemorum ad *Carolum Juniorem*, quâ ſe Pacem ſervaturos promittebant, ejúſque fidei ſe ſubdebant. Exceſſum gentis animum, & *Veterum Bohemorum* in bellis fortitudinem indicat legati *Oratio*, quam ex vetuſtis Francorum Annalibus recitat *Bernardus Giraldus Gallus Eques;* in ea (etſi humilem ipſe exiſtimet) quisquis diligenter verba, ſenſúsque perpenderit, excelſam animi magnitudinem latentem inveniet, ſic igitur *Carolum*, quem *filium Fortunæ* vocabant, alloquitur: *Nos Bohemi ad hanc diem Nominis noſtri exiſtimationem armis egregiè tutati ſumus; id oſtendunt maximæ & bello clariſſimæ Nationes, quas Nos acie fuſas domuimus; ſed illud maximum virtutis noſtræ teſtimonium eſt: quòd nullo bello hactenus victi ſumus. ac ſi Fortuna (quam Tu apud Te habere diceris) Nobis quoque faveret, quot ſub ſignis numeras nationes, tot nos quoque Socios haberemus. Olim Nobis favebant Numina, nunc favent Tibi. Non eſt hæc, ô Franci, Virtus veſtra, ſed fatum quod noſtris obſtat conatibus. Utere igitur fatis, Princeps Inclyte, utere beneficio Temporis, quo nihil eſt inconſtantius, nihil volubilius; ubique viciſſitudo eſt rerum ac temporum; Recipe in amicitiam tuam, & fidem, Princeps feliciſſime, bellicoſam hanc Gentem, quæ ſe tibi ultro committit, idque reputa maximum quod Tibi obtingere potuit bonorum, viris talibus imperare.*

Legati Bohemorum Oratio ad Carolum Juniorem.

His etiam temporibus, aut paulò pòſt, *Neklan Bohemiæ Princeps* moritur, cui *Hoſtivitus*, ſeu *Mileboſt* in Pragenſi Principatu ſucceſſit.

Anno 814. glorioſiſſimus Imperator *Carolus* Aquisgrani evolavit in cœlum, perpetuus & in ſe & in filijs *Slavorum*, qui nondum Chriſto nomen dederant, hoſtis. Animadverſione dignum eſt: nullam magis adverſariam, & magis fatalem *Bohemiæ* Veteri gentem, quàm *Thuringos* illâ tempeſtate fuiſſe. *De Thuringo Zbislai Luzicenſis Ducis Præfecto, de Conrado de Pottenſtein Equite Thuringo, à quo* ultimus ex *Przemislaa* gente Bohemiæ *Rex Wenceslaus* Olomucij indignè confoſſus eſt, legantur Annales; quantum *Erfurdum* proximis bellis *Sveticis*, *Bohemiæ* damnorum attulerit, malo noſtro ſenſimus. Porrò *Carolum M.* nativitate quidem *Ingelheimenſē* (quidquid alij quidam contrà ſentiant) *conceptione tamen Thuringum Gamanſius Soc. Jeſu.* Vir eruditiſſimus, & peramicus, quibusdam ad me datis literis oſtendit, quarum hæc eſt ſumma: *Virgila caſtrum, & Dominium vetus, & excellens in Thuringia habetur, ubi Carolus M. eſt conceptus*, idque ex prædictione *S. Bonifacij Pipino Patri* facta; quod *Carolus* ipſe teſtatur literis publicis, quibus *S. Bonifacio* poſt tot tempora *Fuldæ* donat *Virgila Terram Conceptionis noſtræ*, verba ſunt Caroli. Nos domum revocant tempora.

Thuringi quondam profeſſi Bohemorū hoſtes.

Carolus M. in Thuringia conceptus.

Weleſl: in Geneal. Hag: ad A. 874.

Hoſtivitus Bohemiæ Princeps cum *Ludovico Pio* pacem certis conditionibus *Francofurti* fecit (ùt habet *Weleslavinus* An. 823.) *Annales Fuldenſes* habent An. C. 822. quo munera *Francofurtum à Bohemis* miſſa ſint *Ludovico*.

XXIX. *Hagek in An:* Bellum Civile.

Domi interea poſt Annum 834. novus hoſtis *Hoſtivito*, & quidem, quod mirère, frater *Mſtibojus* exoritur; concurrêre Exercitus ſub urbe *Caſſin* ad pagum *Piſtnicz*, & plurimis utrâque ex parte cadentibus *Pragenſes* hoc uno, quòd campo non ceſſerint, vicêre.

XXX. *Weles: in Hoſtivito. Hagek ad eum An:*

Poſt annos ſeptem inter *Sukoſlaum Bilinenſem Principem*, & *Duces Hoſtiviti*, ad pagum *Trzebuſſice* prælio decertatum; vicit *Hoſtiviti* cauſſa; numerus cæſorum ad trecentos, & ampliùs aſcen-

Digitized by Google

XXXI. *Stranſky C. 8. Reip. Boi.* Adverſus Saxones.

aſcendit, ùt narrat *Hagecius*. Paulò antè *Saxones* (circa An. C. 839.) *Bohemiam* diſcordijs Civilibus ſciſſam invadunt; quos *Stranſky* Exterorum Scriptorum authoritate nixus, egregiè repulſos affirmat, plurimis ex *Saxonica* gente deſideratis.

Ann: Fuldenſ: à Freb. editi. Chriſtiani Bohemi ante Borzivo:

An. C. 845. *Ludovicus Rex quatuordecim ex Ducibus Bohemorum cum hominibus ſuis* (verba recito Annalium Fuldenſium) *Chriſtianam Religionem deſiderantes ſuſcepit, & in octava Theophaniæ baptizari fecit.* Notandum plures tum fuiſſe *Duces Bohemiæ* præter *Pragenſem Hoſtivitum*, deinde illud: *cum hominibus ſuis*, apertè oſtendit, aliquas partes *Bohemiæ* ante *Borzivojum*, & *Pragenſes*, *Chriſtianas* fuiſſe. Hæc omnia ſinè cæde, & ſangvine peracta ex eo patet, quòd *Duces Bohemannos* ultrò, & deſiderantes ad *Ludovicum Regem* veniſſe antiqui Scriptores affirmant.

Her: in Chron. Sigebert. ad A. 846. Brun: in Boicis Epi. l. 1. C. 10.

XXXII. *An. Fuld. editi à Frehero. Herm. in Chronico.*

An. C. 846. *Ludovicus Rex*, ùt habent Annales Fuldenſes, Moravis Raſtice, ſeu Radiſlao Duce impoſito, *per Bohemannos cum magna difficultate, & grandi damno Exercitûs ſui reverſus eſt.* Apparet inſignem cladem à *Bohemis* noſtris accepiſſe *Ludovicum*, ac proinde *Bohemiam* ſangvine irrigatam.

An. C. 848. *Ludovicus Rex Boëmannos eruptionem molientes per Ludovicum filium ſuum miſſâ adversùs eos expeditione, contrivit, Legatóſque Pacis gratiâ mittere, & obſides dare coëgit.* Prælium interceſſiſſe ex verbis *Annalium* cuique datur intelligi.

XXXIII. *Ann: Fuld. à Frehero editi. Herm: in Chr:*

Bellum cū Francis.

Reddidêre vicem *Bohemi* Anno ſequenti 849. cùm univerſus *Francorum Exercitus à Bohemis* cæſus in acie, & qui ſe in caſtra fugientes receperant, obſides *Bohemis* dare coacti ſunt; *impetratum ægre à victoribus* (verba ſunt Annalium) *ut illæſi ab hoſtibus, & viâ tantùm publicâ pergentes in Patriam reverti poſſent.* Hanc cladem Author Annalium Fuldenſium *Rudolfus*, ſeu quisquis alius, diſcordiæ & ſuperbiæ *Francorum*, alij *Cacodæmoni* adſcribunt; ſed *ſuperbia*, & *diſcordia* ſatis mali Dæmones ſunt, ut tertio Dæmone opus non videatur. Pax inde per continuos novem annos in *Bohemia* fuit.

XXXIV.

Ann: Fuld ibi:

Ann: Fuld:

Anno 857. In aliqua parte *Bohemiæ* bellum exarſiſſe *Annales Fuldenſes* oſtendunt, cùm *Schlavitza Weitrachi Bohemiæ Ducis filius* (alij *Sclavitagum*, alij *Scalajugatum* legunt) fratrem *Bohemiâ* expulit, quem *Ludovicus Rex Bojorum* reſtituit in Regnum. Sed hæc incruentè, & magìs imperio, quàm armis, & ſangvine confecta eſſe credimus, ideóque non numeramus.

§. III.

Prælia in Bohemia commiſſa à Borzivoij Ducis temporibus uſquè ad Boleslaum III. ſeu uſquè ad Annum Chriſti milleſimum.

In Epit:

Circa An. C. 856. *Borzivojus Hoſtivitum Bohemiæ Principem* & Patrem amiſit, ùt in *Epitome* diximus, & conſenſu totius *Populi Pragenſis* Principis thronum conſcendit; ſiluêre multis annis bella, cùm *legem Chriſtianam* Princeps, ùt alibi narravimus, ſuſcepiſſet. Veriſimile exiſtimo, illas quoque A. 869. excurſiones in *Bavaros*, & *Thuringos à Bohemis* factas (de quibus agunt *Annales Fuldenſes*, & *Hermannus*) non à *Pragenſi Principe Borzivoio*, ſed ab alijs *Bohemiæ* Principibus, qui poſtea An. 874. cum *Ludovico Rege* pacem fecerunt, inchoatas, ùt, quæ ſequuntur, oſtendunt.

Ann. Fuld. ad A. 869. Herm: in Chr:

XXXV. *Ann. Fuld. cit.* Bellum cū Francis.

An. C. 872. ingentem cladem accepit *Bohemia Luitberto Archiepiſcopo Moguntino* Exercitum ducente: quinque *Bohemorum Duces* cum maxima multitudine devicti: *Svventislaus*, *Witi-*

Digitized by Google

Witiſlaus, *Heriman*, *Spitimir*, *&* *Moyſlaus*; & alios quidem occiderunt, alios in fluvio *Muldava* ſubmerſerunt.

Jacob. Irſing. In hiſt. Oetin: l. 1. C. 6. Regino in Chron. *Ludovico Bojorum Rege Ludovici Pij* Imperatoris filio, *Caroli Magni* Nepote An. 876. extincto, tres ejus filij *Carolomannus*, *Ludovicus*, *&* *Carolus*, ità Regnum paternum inter ſe partiti ſunt, ut *Carolomannus Boicam*, *Pannoniam*, *Carinthiam*, *Bohemiam*, *Moraviam*; *Ludovicus Franconiam*, *Thuringiam*, *Saxoniam*, *Friſiam cum Lotharingiæ* parte; *Carolus Craſſus Alemanniam cum Lotharingia reliqua obtineret.* Sed neque primus (maximè quod attinet *Bohemiam*) neque alter, neque tertius ſectores, Provincias, quas in charta diviſerant, tenuêre, cùm præda, quam ante Venationem præceperant, nunquam compelli poſſet in retia, neque jure ullo ad eos *Principes* pertineret; Nos ad inſtitutam narrationem redeamus.

Partitio Regnorum inutilis.

Bella Moravica.

Dubrav. l. 3. hiſt. Boh. Hagek ad An. 888.

Cùm Borzivojus *Pragenſis Princeps* Religionis Chriſtianæ proferendæ apud ſuos incumbit, vicina interim Provincia *Caurzimenſis* bello acerrimo conflictabatur; deſcripſit id bellum à *Rege Moraviæ Suvatopluco in Mſtibojum* ſenem *Caurzimenſem* Ducem geſtum, *Dubravius*, neque eſt operæ pretium, dum Indicem texo, tam enucleatè omnia memoriæ prodere.
XXXVI. Ter acies concurrere contigit: primo prælio ad *Starkocz* in Bohemia *Mſtibojus*, Moravorum exceptus inſidijs, plurimis deſideratis, ægre ipſe effugit. Reparavit deinde bellum *Mſtibojus*, *&* *Chrudo* viro præſtantiſſimo in ſocietatem armorum adſcito,
XXXVII. *Moravos ad Rudovium* cecîdit. Laborantibus ſuis *Moraviæ Rex Svatoplucus* novas copias ſubmiſit, quæ cùm ſeriùs adveniſſent, & non ſatis explorato itinere ad ſuos (quos cæſos eſſe nondum audierant) properarent, à victore *Mſtibogij* Exercitu ſunt deleti; locus hodiéque ex re ipſa *Bojanovv* appellatur, atque ità tria anno uno prælia (alij annos duos faciunt) *Bohemiam* cruentarunt. Annum, quo geſta res eſt, *Hagecius*, aliique 888. nominant; crediderim longè priùs, ùt etiam illud, quod ſequitur, accidiſſe: XXXVIII. *Hag. ad A. 887.*

Borzivojum Chriſtianam Religionem amplexum, ægerrimè ferebat idolorum cultui inſanè dedita Nobilitas, eóque progreſſi ſunt, ut etiam in exilium *Borzivojus* pelleretur, quem cùm *Slavibor Comes Melnicenſis*, aliique Chriſtiani Dynaſtæ revocare niterentur, Comitijs exinde celebratis, utrâque parte arma clanculum adferente concurſum eſt, & plurimis interfectis, *Borzivoij* pars vicit. XXXIX. *Chriſt. de Scala in vita S. Ludmillæ.*

An 891. bellum *Bohemi* adversùs *Bojos*, *&* *Thuringos* geſsêre, celebri partâ victoriâ, ſed hæc quia extra *Bohemiam* geſta, omittuntur. *Herm. Contr. in Chronico. Ditm. & Fabr.* Longè glorioſiores victorias hęc tempora dederunt, quas *Chriſtiani* ab Ethnicis Pragenſibus reportârunt; ſummatim referam omnia. Sub *Drahomira Jeſabelis* imperio, quæ pro parvis filijs *Wenceslao*, *&* *Boleslao* regebat *Bohemiam*, Chriſtiana Religio ſummo in periculo *Pragæ* fuit, nè omnibus cultoribus neci datis periret. Prælia Chriſtianorum cũ Ethnicis. *Palbogum* quendam *Urbi Pragenſi Judicem* impoſuerat *Drahomira*, qui intra biennium extincturum ſe *Pragæ* omne Chriſtianum nomen juraverat: poſt Annum Chriſti 916. *Palbogus* ſexcentis armatis Ethnicis ſilentio comparatis, & in domo ſua *Judiciali* (quæ *Richta* hodiéque dicitur) occultatis, noctu repentè *Chriſtianos* adoritur; XL. *Hag. in Ann.* ſed jam emanârat indicium, & *Chriſtiani* magno numero armati certo in loco cojerant; pugnatum acerrimè pro aris, & focis: nam tota *Praga* in duas diviſa partes adjunxit ſeſe ſuis; deniq; ex *Ethnicis* facilè quadringenti, neque pauciores ex *Chriſtianis* ceciderunt, *Cadmeâ*, ut ità dicam, victoriâ, cùm nulla domus eſſet ſinè luctu, & neutra pars viciſſet. XLI. Paulò pòſt majore ſilentio *Palbogus* cum ſuis nocte concubiâ ſinè vociferationibus ullis *Chriſtianorum* certas, & priùs conſignatas domos

Digitized by Google

mos invadit; ſerò tandem *Chriſtiani* conſurgunt, ſed perpetrata jam cædes erat, & trecentos ampliùs *Chriſtianos* in domibus ſuis interfectos ſequens dies oſtendit.
XLII. Eodem ipſo anno *Palhogus Judex* gratiâ *Drahomiræ*, & ſuorum viribus, ac numero (quo *Chriſtianos* ſuperabat) elatus, aperto Marte in *Chriſtianos*, in ipſo Urbis veteris foro invectus eſt; fortiter ab his excepta vis, & cùm hęc omnia à *Palhogo* proficiſci non ignorarent, eum unum *Chriſtiani* omnes petebant; quo ille animadverſo Domum ſuam recepit ſe, atque illuc omni Chriſtianorum vi converſâ, trucidatur; quingenti eo prælio ex utraq; parte deſiderati; hinc longa inter Cives pax.

Bellum cũ Henrico Aucupe.

Witikind. l. 1. hiſt. Saxon. Epit. l. 1. C. 6.

Regnante apud nos Sanctiſſimo *Duce Wenceslao Henricus Auceps*, poſtquam *Slavos Hevvellos, & Dalemincios* multis prælijs fatigatos, ſub jugum miſiſſet, in *Bohemiam* aſcendit, & *Pragam* cum ipſo Duce in deditionem accepit; ſed *Sanctimonia Wenceslai* miraculis,
XLIII. ùt *Witikindus* innuit, ſatis perſpectâ, eidem *Moraviam*, *& Regni titulum* contulit, de quo videatur *Epitome*. Porrò antequam *Pragam* adveniret *Henricus*, *Saxonicum Exercitum* odio Slavici nominis in *Bohemia* atrociſſimis cædibus eſſe graſſatum nihil dubitandum eſt, cùm etiam (ùt habet *Witikindus*) *in Dalemincia* ſævierint, & captâ urbe *Gronâ puberes omnes crudeliſſimè interfecerint*, & pueros, ac puellas in captivitatem abduxerint.

XLIV. Bellum Ungaricum.

Jam *Hunni* toti Germaniæ eâ ætate graves, nec *Bohemiam* intactam reliquerunt, ſed cùm adversùs *Saxones in Daleminciam* pergerent, circa An. 934. *Septentrionalem Bohemiam* captivitate, cædibus, & incendijs (quod illis perpetuum fuit) crudelem in modum pervaſtârunt.

XLV. *Witik. l. 1. hiſt. Sax. Hag: in Ann:*

Paulò pòſt *Boleſlaus* ætatis fervore, ſed magìs dominandi cupiditate inſtinctus, *bellum non neceſſarium*, ùt loquitur *Witikindus*, *intulit Dobromiro Luzicenſium Duci*, quem acie victum in exilium egit, *Wlaſtiſlaviam* Urbem ejus primariam cepit, delevit, ac diruit multo facto ſanguine.

Bellum cũ Ottone I. Cæſare. XLVI.

An. C. 938. Occiſo, fratris parricidio, *S. Duce Wenceslao*, *Otto I. Imperator* cognomento *Magnus*, primo Imperij ſui anno *Boleſlaum* adoritur; quatuordecim Annis vario Marte pugnatum. *Æſico Ottonis Dux* primo in *Bohemiam* ingreſſu *Boleslai* copias fudit, & cedere compulit; ſed victoriâ elatus, cùm improvidè, & ſecurè nimium ageret, *Boleslaus* ſubitò aggreſ-
XLVII. *Chro. Manſ. C. 128.* ſus, Exercitum *Æſiconis AſcaniæComitis* internecione delevit.
XLVIII. Eadem alterius *Ottoniani Ducis Eccardi Comitis* (*Ludolfi filij*) fortuna fuit, commiſſo ad ipſam *Boleslaviam* prælio; tantâ in hoſtes cæde graſſatus fertur *Boleslaus*, ut nè unicum mortalem effugiſſe *Weleslavinus ex Chronico Vetere Mansfeldenſi* affirmet.

Welesl. in Cal: hiſt. 28. Sept.

At *Otto* Imperator rem totam reſtituit, & duobus Exercitibus immiſſis *Boleslaum* ad deditionem compulit, ùt alio in loco narravimus. *Boleslaus Ottoni* ſeſe ſubjiciens, novo *Pincernatùs honore* ornatus, & *amicus Imperij* appellatus eſt.

Epit. & in Indice hiſt.

XLIX. *Hagek in An:* Bellũ Chriſtianorum cum Ethnicis.

Inter hæc belli tempora, videlicet An. 941. domeſticum, & Religionis Bellum exarſit: *Ethnici* inobſervati magno numero, nocte *Pragam*, auxilio, & proditione ſuorum ingreſſi, *Domos Chriſtianorum* invadunt, *Cives indefenſos*, & imparatos opprimunt, & occidunt. Excitati hoc tumultu *Chriſtiani Pragenſes* concurrunt, & ſuos defendunt; pugnatur ſtrenuè, *Chriſtiani* novo ſemper ſuorum affluxu confirmati vincunt, & in fugam hoſtes avertunt: periêre ex *Ethnicis* terdeni ſuper trecentos, *Chriſtiani* ſeptem, & triginta.

Bella cum Ungaris.

Jam verò *Ungari* non ampliùs, ùt nuper, per tranſennam invaſêre *Bohemiam*, ſed cùm ex *Bohemia Hungariam* ſibi facere vellent, totámque *Bohemorum Gentem* funditus delere ſtatuiſſent, velut in Patria jam ſua Arces, & Urbes condebant. Datum bello initium

Digitized by Google

L. Hagek in An: Jordan. in L. 5. Dubravij. Bonfin. in hiſt. Ung. Epit. l. 2. C. 5. tium An. 949. quo in *Bohemiam ex Moravia*, quam ſervitio premebant, irruentes, pagos, & villas, quà *Moraviam* contingit *Bohemia*, cęſis crudeliter incolis, more ſuo inflammârunt, *Boleslao* id adhuc temporis *Othoniano bello* implicito, ac proinde ſuis ſuccurrere non valente. Ab eo anno inundata eſt *Hunnorum*, & qui ijs ſerviebant,
LI. LII. LIII. *Moravorum* agminibus *Bohemia*, & miſere vexata: duo *Boleslai Ducis Exercitus* cæſi ad *Pragam* diſſipantur. An.
Dubr. l. 5. hiſt. Boh. 954. *Hunnorum* fortuna in *Bohemia* paulùm inclinari cœpit: ab ipſo *Boleslao Gichan Hunnorum Ductor* acie victus, & *Welvvartum Hunnorum* receptaculum captum eſt.

Hæc omnia longè pòſt geſta quidam arbitrantur, idque fieri potuiſſe fatemur; ſed hîc *Chronologiæ* examinandæ locus non eſt, dum in prælijs numerandis verſamur, *Hagecium*, & *Dubravium* interim ſecuti ſumus.

Poſt victoriam prope *Auguſtam Vindelicorum de Hunnis* An. 953. partam (cui prælio interfuiſſe *Bohemiæ Ducem Boleslaum ex Witikindo* in Epitome probatum eſt) *Hunni*, quamvìs jam debilitati, & animo non parum fracti, tamen in *Bohemia* reſtiterunt,
LIV. Hag. in Ann: auſi etiam circa A. 958. prælium offerre, ſed virtute Ducis non modò in acie ſuperati, verùm etiam circumpoſitis, qui exciperent fugientes, internecione ad *Caurzimium* deleti ſunt. Exactis *Hunnis* reſpirans *Bohemia*, rurſus poſt annos ferè ſexdecim domeſtico ſangvine purpuratur. An. Ch. 973.
Iterũ Chriſtiani cum Ethnicis. Ethnici (quod pridem timebatur) in *Bohemia ſeptentrionali* conſurgunt, & collecto quanto maximo poterant ſuorum Exercitu in Chriſtianos incur-
LV. Hagek. runt. *Boleslaus Pius Bohemiæ Dux Bratrzimilum* ſtirpe Equeſtri *Hruſſaviâ* editum *Chriſtianis* præfecit, qui ad *Stranovium* ſtratagemate turbavit hoſtes, & cæſis plurimis compulit in fugam.

An. 975. cùm Chriſtianæ Religionis hoſtes juratiſſimi, *Lucenſes*, motu- LVI. Hag: ad A. 975
ri aliquid timerentur, *Boleslaus Pius* ſalutari conſilio, nè prçveniretur, hoſtéſque nondum paratos opprimeret, ſubitò *Chriſtianis* ad arma vocatis, *Lucenſes aggreditur*, cogit omnes Chriſtiana ſacra ſuſcipere, recuſantes occidit; redeuntem *Principem* ex inſidijs aggreſſi *Lucenſes* reliqui terrorem primùm intulêre; at, cùm ſe collegiſſent *Chriſtiani*, trecentis, & viginti Ethnicorum peremtis, cæteros fugavêre. Hoc prælium inter *Pragam & Slanam* medio in itinere geſtum.

An. C. 976. *Ottonis II.* Imperatoris Bellum cũ Ottone II. Imp.
Exercitus ad *Plſnam* ſtans, *Boleslao Pio Bohemiæ Duce* ſubitò irruente egregiè accidit; LVII. Fabr. l. 2. Origin: Saxon. Aventin. l. 5. Epit. l. 2. C. 11 Fabr. in Otto.
reliqui in caſtra coguntur, quę vix defenſa ſunt; Pax ſecuta compoſuit omnia. *Otto* quoque III. An. C. 984. hunc *Boleslaum Pium* Bello appetijt; at non videtur ullo prælio, ſed conditionibus bellum eſſe finitum.

An. Ch. 991. Meſico, & Boleslaus LVIII. Fabr. l. 2 Ori: Epi. l. 2. C. 12.
Pius Fratres, bello civili colliduntur, cum multo Populi ſangvine.

Annus 995. ultimos habuit *ſuperſtitionis*, & *Idolomanniæ* jam in *Bohemia* morientis conatus: LIX. Bellum ultimum cũ Ethnicis.
quidquid in *Bohemia Ethnicorum* remanſerat, conjunctis viribus ſupra *Pragam* in monte *Srnobog* è regione *Klukovv* Caſtris poſitis conſtiterunt; tum aggreſſi permunire locum, mœnibus, & vallis altiſſimis cinxêre, totámque circa viciniam latè prædis agendis infeſtare cœperunt. *Boleslaus Dux* diu hoc impune tulit, ut negligentiores hoſtes redderet, ſed hieme ingruente, cùm valla, & mœnia deſeruiſſent, ut excitatis ignibus foverent corpora, repentè, & ſilentio *Chriſtianis* militibus citatis in ſecuros, nihil ſuſpicantes noctè irruit, omnéſq; trucidavit, aut diſſipavit. Ex eo tempore *Ethnici* nunquam juſtum aliquem Exercitum conflare, & in campum educere potuerunt.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Nova Prælia, quibus Bohemiæ Regio ab An 1000. ad An. uſquè 1300. copioſè ſangvinem humanum combibit.

Adelbold. Epi: Traject. in vita S. Henrici. Nonnoſ. in vita S Henrici. Coſm l. 2. hiſt. Boh. Pulkava C. 26 Silv: Dubrav. Fabric. l. 2. Orig.

POſt Annum Chriſti 1002. imperante jam *Henrico II.* (*Sancto Imperatore*) gravia *Bohemiam* afflixerunt bella, & niſi ſuccurriſſet *Henricus*, actum erat de *Patria*: per ſpeciem amicitiæ, in *Poloniam* extractus Bohemiæ Princeps *Boleslaus III.* excæcatus, occiſi Aulici omnes & ſemivivi de muris *Cracoviæ* præcipitati, occupata *Praga* (*Wiſſehrado* excepto) *S. Henricus Imperator* An. 1004. *Bohemis* periclitantibus auxilio fuit, & cum Exercitu veniens An. 1004. cæleſti auxilio, *Polonos* (*Jaromiro* Principe Bohemis impoſito) ejecit. (*Zatecenſes* præſidium *Polonorum* ipſimet occidêre) Rurſus cum *Boleslaus III.* dignitate exutus *Jaromirum* bello peteret, idem *Henricus Imperator* opem tulit, atque iterum An. 1010. *Boleslaum* profligavit. Hæc bella multo ſangvine ſinè dubio conſtiterunt; nos quaſi tantùm ſemel *Bohemia* cruore immaduiſſet, annotamus.

Bella Polonica.

LX.

Herm. in Chr.

Dub. l. 6 fine. Sil. C. 18. hiſt. Boh.

Cum *Polonis* hoc tempore acriter, & ſæpius dimicatum eſt: *Moraviam* illi ſervitio premere non contenti, etiam *Bohemiam* (dum noſtri Principes *Jaromirius*, & *Udalricus de Imperio* concertant) aggredi ſtatuerunt; jámque ultra *Zdiar* proceſſerant, cùm illis *Bohemorum* ex oppidis, & urbibus, quę in limitibus ſunt, collectus exercitus occurrit; ſemel, iterúmque pugnatum: primo prælio attriti *Poloni*, altero prorſus acti in fugam præcipites; gloria hujus duplicis prælij, & victorię penes *Malnenſes* (quæ magna, & memorabilis Urbs eo tempore fuit) & *Czaslavienſes* ſtetit. At *Chrudimenſes*, qui alterum *Polonorum in Bohemiam* Exercitum irruentem prope *Byſtram* obſervare debuerant, in inſidias præcipitati, propè omnes ceciderunt; hoc limite apud *Trpin* (locum ex clade *Chrudimenſium* ſic dictum) *Bohemiam* ingreſſi *Poloni*, magnam in illa parte hominum ſtragem ediderunt, igne & ferro graſſantes; quibus Anno ſequenti *Udalricus Princeps* vicem reddidit, & fugatos *Moraviæ* depulit dominatu.

LXI. LXII.

LXIII.

Hagek ad An. C. 1012.

LXIV.

Ditmar. lib. 7.

An. 1017. *Boleslaus Poloniæ Princeps* lætus diſceſſu *Henrici Imperatoris*, & *Ulrici Bohemiæ Ducis*, Turmam peditum ſexcentorum, & ampliùs, viâ *Glacenſi*, prædatum in *Bohemiam* immiſit; res ex ſententia non ceſſit: quippe prædatores excepti inſidijs *Bohemorum* propè omnes ſunt deleti. Annis exinde duodecim nihil in *Bohemia* ſangvinis profuſum invenio, nam *Cæſaris Conradi* exercitû *Beraunam* uſquè progreſſo, *Juditha Brzetislai Ducis* Conjugis prudentia bellum finivit.

Bella cum Henric: III. Imp.

LXV.

Herm. in Chr: Schaffn: in Chr Urſperg. Naucler. Stransky C. 8. Reip. Boi. Epit. l. 3. C. 5.

An. 1039. *Henricus III.* Imperator animo ad aurum adjecto, quod *Brzetislaus in Polonia* collegiſſet, ſibi mitti quàm primùm poſtulavit, cúmque id præſtare *Dux* meritò recuſaret, An. 1040. bello indicto in ipſo *Bohemiæ* ingreſſu, in loco, qui Piwoňka dicitur, à *Brzetislao* cæſus eſt, *plurimis militum*, & *Procerum* (ait Hermannus) *amiſſis*. Anno ſequenti *Henrico III.* cum majoribus copijs *Bohemiam* ingreſſo, cùm Regio tota uſquè *Pragam* arderet, & ferro hoſtili plurimi mortales caderent, *malis ſubactus Bohemiæ Princeps* (ùt habet Hermannus) dedit ſe, & *Severo Pragenſi Epiſcopo* potiſſimùm agente, in gratiam receptus, eidem *Cæſari* in poſterum chariſſimus, & bellorum omnium, & victoriarum comes fuit. Geſta deinde à *Bohemiæ Ducibus* plurima bella ſunt (putà in *Sileſia à Brzetislao* contra *Polonos* 1042. in *Ungaria* 1047. & ſequentibus, in *Moravia* 1049. iterum in *Ungaria* 1052. à *Wratislao in Miſnia*, alibique)

LXVI.

 ſed

ſed hæc omnia ad propoſitum non faciunt, cùm ea tantùm prælia indicare ſtatuerim, quæ ſanguineis, ut ità loquar, mortibus *Bohemiam* funeſtârunt.

Bellum Civile. LXVII. *Hag. in Ann.*

Satìs longo temporum intervallo nihil biberat ſangvinis infelix *Bohemia*. Annus 1109. & ſequentes multo tellurem noſtram ſangvine (ſi ità fas eſt dicere) fœcundârunt: imperium *Bohemiæ Wladiſlaus Princeps* obtinebat, & cùm adversùs eum pro *Borzivojo II.* ſocero *Vigbertus Comes*, *Luſatiæ Marchio* Exercitum miſiſſet, à *Wladiſlao* ad *Bruſkam* rivum prælio commiſſo actus eſt in fugam.

Iterum bella Civilia. LXVIII. *Dubrav. l. 11. Hagek ad An: 1110. Crom. l. 5. hiſt. Polon:*

Annus 1110. aliud prælium ad *Trutnoviam*, & ad amnem *Cidlinam* habuit: *Sobieſlaus* adversùs fratrem *Wladiſlaum Bohemiæ Ducem*, *Polonorum* adduxit Exercitum: *Bohemi* Scriptores, ſuos, *Poloni* ſuos viciſſe affirmant; mihi perinde eſt, modò præliorum in *Bohemia* geſtorum numerus augeatur.

LXIX. *Fabr: l. 1. in Miſnicis. Epit: rer: Boh: l. 3. C. 10.*

An. Ch. 1126. *Lotharius Imperator Bohemiam* ingreſſus à *Sobieſlao Bohemiæ Duce* magno prælio victus eſt, atque etiam ipſemet *Cæſar* in poteſtatem *Sobieſlai* venit altero die poſt prælium, (locus ad *Chlumecium* in ſilvis hodiéque monſtratur) cæſa in acie, & in fuga tria *Saxonum & Moravorum* millia, & ex Nobilitate Imperij *quingenti quadraginta*, capti *trecenti*. Agnoſcunt hanc victoriam *Germani* Scriptores omnes, quos in *Epitome* noſtra citavimus.

LXX. *Otto Friſing. l. 7. C. 26. Weles: in Gene: Jaroſl. in M S.*

An. Ch. 1141. cruentiſſimo prælio ad *Pragam* commiſſo, *Wladiſlaus Bohemiæ Princeps* ab æmulis, & Regni rivalibus ex *Przemyslæa gente* (*Conrado*, *Ottone*, *Wratiſlao*, *Wladiſlao*, *Spitihnæo*, *Leopoldo &c.*) victus eſt; nullum ejus victoriæ pretium fuit, quòd *Conradus Cæſar* confeſtim affini ſuo *Wladiſlao* ſuppetias cum Exercitu tulerit. *Pragâ* cedentem, pené fugientis ſpecie *Conradum*, cæteróſq; *Przemyslæi* ſangvinis Principes *Wladiſlaus* miſſo fratre ſuo *Henrico*, lectiſſimo cum Equitatu perſecutus, ad *Stok* oppidum propè *Moraviæ* limitem aſſecutus, & terga cædens pugnare coëgit. Jam obtenta erat victoria, niſi, *Henricus* in avijs ſaltibus inconſultè *Conradum* perſequens, & inde rejectus, victoriam certam amiſiſſet è manibus; ſed multi ab utraque parte cæſi tellurem ſuo ſangvine morientes pinxerunt. LXXI.

LXXII. *Pulkawa in hiſt: Boh: Hagek ad An: 1149. Weles: in Gene: Hiſt: Klatow: M. S.*

An. 1149. *Sobieslaus II. Sobieslai I.* filius *in Diſtrictu Pilſnenſi* abſente in terra *Sancta Wladiſlao Duce* acerrimo prælio dimicat adversùs *Theobaldum Sswihoviæ gentis Originarium* (cui *Wladiſlaus Bohemiam* pro ſe gubernandam commiſerat) ſed vincitur à *Theobaldo*, & capitur. Alij captum *Olomucij Sobieſlaum* ab ipſo *Wladiſlao* reduce ſcripſerunt; ego *Pulkavvam*, *Hagecium*, *Weleslavinum*, & vetuſtiſſimam eo tempore ſcriptam *Clatovienſem Hiſtoriam* ſum ſecutus. Conciliari negotium poſſet, ſi bis captum eſſe *Sobieſlaum*, Anno ſcilicet 1149. ac deinde fefelliſſe cuſtodes, tandem à *Wladiſlao* A. 1162. iterum captum eſſe dicamus, ùt narrat *Hagecius*. *Hagek ad An: 1162.*

Sequuntur Bella *Italica*, ex quibus *Regium* nomen, & *Coronam* ſibi paravit *Wladiſlaus*, quæ utpote extra *Bohemiam* patrata, prætereo.

LXXIII. *Hag: in Anna: Pulkawa ad An. 1178.* Bella Civil: LXXIV.

An. Ch. 1178. *Fridericus Wladiſlai Regis Filius Friderici Cæſaris* copijs adjutus, adverſùs *Sobieſlaum Bohemiæ Ducem*, *Pragam* (ſibi fidiſſimam Urbem) magnis itineribus contendit; ad *Beraunam Sobieſlaus* æmulo occurrit, & *Fridericum* profligavit; iterum ad *Horzelicium* pagum pugnatum, & *Fridericus* prælio ſuperatus, etiam caſtris exutus eſt. Fugienti *Friderico* obvius cum Exercitu Moravorum *Conradus Marchio* ſuppetias tulit, cujus adventu recreatus, collectis etiam ex fuga ſuis, *Pragam* (quæ manſit in obſequio) redijt, & pro mœnibus urbis Aciem inſtruxit; nec *Sobieſlaus* recuſavit pugnam: acriter concurſum,

Digitized by Google

LXXV. ſum, *Civibus Pragenſibus* egregiè Victoriam adjuvantibus, *Sobieslaus* fugere compulſus, ipſius etiam *Friderici* enſe in fuga (ſed leviter) perſtrictus, ad Eccleſiam *S. Wenceslai in Proſik*, pernicitate Equi, ægre licèt, evaſit; nunquam poſtea vel ſperare auſus Imperium.

LXXVI. *Hag: A 1183. Dubr. l. 14. Polkava in hiſt. Boh.*

An. 1183. *Udalricus, & Wenceslaus Sobieslai II. fratres Pragam* obſidione cinxerunt, quos ſuperveniens *Fridericus ad Pragam* cecîdit, univerſo eorum Exercitu profligato.

LXXVII. *Jaros: in M.S. Polk: l. c.*

An. 1191. *Conrado Bohemiæ Duce in Italia* extincto, *Wenceslaus Sobieslai I. filius* Bohemiæ Principatum occupavit, quem *Przemyslus*, poſtea dictus

LXXVIII. *Franc in Chr: Prag. Tr. 2. C. 1.*

Ottogarus, ſcripto Exercitu, pugnâ ad *Pragam* commiſsâ, deturbavit è ſolio. Annis poſt hæc quinquaginta nullum in *Bohemia* ſangvinem effuſum publicè, & in acie reperio, quo fœdius illud, plusquam Civile, ſed & ſceleratum bellum An. 1249. *Bohemia* vidit, cum *Ottogarus II.* adversùs *Wenceslaum Regem* Patrem ſurrexit; commiſſo ad *Brixiam* prælio, *Duces Patris* vicerunt, atque ipſis caſtris *Ottogarum* exuerunt, coactúsque eſt non in *amplexus Patris* ruere, ſed ad *genua* provolutus *Regis* implorare clementiam.

Ottogari cædes. LXXIX. *Spond: in Ann: Eccl. A 1278. Num: 12. M.S Teplenſe Hagek, Stransky, Dubraw:*

An: 1278. *Ottogarus Rex* proditione *Milota Roſenſis* (ùt *Speculum Honoris Auguſtæ Domus Auſtriacæ* disertè tradit) occiditur in acie. Res ad Propoſitum meum non ſpectat, ſed illa, quæ ab Exercitu *Cæſaris Rudolfi* ſacrilegè ſunt patrata (*Rudolfo* abſente) qui non modò profanis, ſed nec ſacris in *Bohemia* locis pepercit, & duodecim ditiſſima *Cœnobia* ſpoliavit, & flammis delevit; infandæ ſimul *Religioſorum hominum* cædes perpetratæ; quę longè execrabiliora mihi videntur, quàm ſi multa Militum millia in acie pugnantium cecidiſſent.

§. V.

Bellorum in Bohemia geſtorum cum ſangvine nova ſeries ab An. 1300. uſquè ad 1400.

Bella adv: Albertum Cæſ: LXXX.

NOn poſſum ſatis explicare legentibus, quàm averſo animo hæc tam dira bella, ex quibus plus ſangvinis, quàm juſtæ, & meritæ gloriæ in authores profluxit, commemorem; ſed jam alea jacta eſt, & *cæptum*, ùt ait Poëta *ſurgit opus*, eritque tempus aliquando à cædibus reſpirandi.

Bella adv: Albertum Cæſ: LXXX. *Welesl. in Wenceslao. Raynald: To: XIV. Annal: Eccl. ad An. 1303.* Spiegel der Ehren. *l. 2. C. 8. Hagek ad An: 1304.*

An. 1303. *Wenceslao VI. Regi Bohemiæ Albertus Imperator* bellum indixit, jámque cum Exercitu *Cuttnam* uſquè pervênit, ſed ignominiâ ſæpius acceptâ, ac corruptis veneno fontibus, ſuorum aliquot millibus amiſſis, *Bojemiâ* pulſus eſt, ùt in *Speculo gloriæ Auſtriacæ* latiſſimè narratur. In hac *Alberti* expeditione immanem, & inauditam feritatem *Cumanos* (quos *Albertus* adduxerat) exercuiſſe commemorat *Odoricus*, multóſque infantes (præcipuè in *Moravia*) ad ephippia ùt agnellos alligâſſe, & ſale conditos vorâſſe, ut neque ab *Alberto* ferri ampliùs poſſent.

LXXXI. *Spec Glor: l. c: Franc: in Chr. tr: 2. C. 20. Chro: M.S.C. Hag. ad 1307.*

Mortuo jam *Wenceslao II.* ejus nominis renovâſſe bellum in *Bohemos Albertum Cæſarem* veteres Scriptores, tum recens *Auſtriacæ Gloriæ Speculum* affirmat; nihilque eo bello effectum, cùm *Cæſar* neque *Cuttnam* (cujus argenti fodinæ præcipuam bello cauſſam dederant) neque *Colinum* expugnare ullo modo potuiſſet, cum ignominia ubique rejectus, & cruentis certaminibus debilitatus A. 1307.

LXXXII. Bella adve: Svevos. *Hag. ad 1408. Dreſſ. in Boh: & in Henrico Carintho.*

Reliquerat in dotalibus Reginæ Urbibus *Imperator* plurimam *Svevorum* multitudinem, qui toti viciniæ crudeliter dominabantur, levibus primùm prælijs, à *Bohemis Pardubicenſibus*, & *Litomiſſlenſibus* petiti, tandem An. 1308.

Digitized by Google

1308. inter *Opocznam & Trutnovium* decretoriè decertatum: tria millia *Svevorum* in acie cecidiſſe *Dreſſerus* affirmat, ex *Bohemis* facilè mille ducentos deſideratos ſcribit *Hagecius*.

LXXXIII. *Hagek 1309. M. S Cuten: Epit. l. 3. C. 17* Ut nuper *Svevos Albertus Cæſar in Bohemiam* advocaverat, ſic poſtea *Miſniacos Henricus Dux* Carinthiæ (Bohemiæ Rex electus, non coronatus) magnis præmijs in *Bohemiam* invitavit; utrique odio nationis *Bohemicæ* flagrantes, Agricolas maximè captivitate, & cædibus infeſtabant, ut ſeptennio per *Bohemiam* arationes nullę fieri poſſent (quod manuſcripti Codices narrant) victi neceſſitate *Bohemi*, arma corripiunt, *Joanne de VVartemberg* Duce; bellum totum ad *Pragam* conſtitit; totis viribus concurſum A.

Chr: Aulæ Reg. Bellum adver: Miſn: *Franc. in Chr: tra: 2. C. 21. Pulk. in hiſt.*

1309. ſpectante ex Arce *Henrico Carintho*, cæſique tanto numero *Miſniaci*, ut *Franciſcus Canonicus Pragenſis* oculatus teſtis referat, ad maximum ſpatium, ubi commiſſum erat prælium, Equos militum, uſque ad ventres in ſangvineo luto aut natâſſe, aut ambulâſſe.

LXXXIV. *Hag: ad 1310.* Adverſus Carinthos. An. C. 1310. *Henricus Carinthus* è *Bohemia* fugiens ingentem *Bohemorum* captivorum numerum (pecuniæ cauſsâ) in *Carinthiam* ſuam trahebat; hos omnes captivos ei pugnando extorſit *VVilhelmus Haſenburgius*, & velut in triumpho *Pragam* reduxit.

LXXXV. *Dreſ. in Rege Joanne.* An. 1318. Idem *VVilhelmus Haſenburgius* cum parvis *Bohemorum* copijs, Exercitum *Miſniacorum decies*, ût *Dreſſerus* Germanus homo teſtatur, numeroſiorem ad *Zatecium* cæleſti miraculo vicit; aliquot hoſtium millia deleta.

Hag: l. c. adver: Miſnios. Paulò pòſt, eodémque Anno *Regis Joannis Mareſcallum, & Præfectos*, impunè per *Bohemiam*, prætextu neceſſarij pro *Regijs Equis* pabuli vagantes, & prædantes unà cum Equis intercepit, ſed hoc incruentum fuit; quod ſequitur, venit in numerum:

LXXXVI. *Franc: in Chr:* An. 1319. *Rex Joannes* à Regina, & Proceribus diffidens, commiſſo ad *Pragam* prælio ignobiliter ejuſdem *VVilhelmi ab Haſenburg* (qui *Carolum IV.* educavit) virtute potiſſimùm, campo depellitur.

Autumnus Anni 1342. *Bavarorum* clade apud *Hagecium* conſignatur: irruêre magno numero *Bavari* ſub montibus Bohemiæ habitantes, ad *Occidentalem Bohemiæ* partem, & villis ac pagis plurimis ad *Bielam* vaſtatis, prędâ graves, domuitionem parabant. *Bohemi Chodovve*, redeuntes, in ſilvis aggreſſi, cæſis quinquaginta, & ducentis quinquaginta ſeptem captis, diſſipavêre cæteros; ex captivis, qui ſe pretio redimere nolebant, aut non poterant, *viginti ſeptem* ſunt ſuſpenſi. Ultionem multo pòſt tempore Anno 1373. quæſiêre *Bavari*, & ſilentio *Bohemiam* ingreſſi, ſuburbia *Tuſtenſia*, & facilè villas tredecim ſubjectis facibus incendêre; ſed illis vicem redditam poſt annos decem An. 1383. à *decem millibus Bohemorum*, qui magnam *Bavariæ* partem pervaſtando omnia peragrârunt, *Hagecius* tradit.

Bella adve: Bavaros. *Hag: in Ann:* LXXXVII

Weleſulß. *Hag. in Ann:*

Ceſſatum poſtea à prælijs toto, quo *Joannes*, & ejus filius *Carolus IV.* regnârunt tempore, quippe *Joannis & Caroli* Exercitus in *Italia, Pruſſia, Polonia, Bavaria, Tiroli, Auſtria, Gallia, Brandeburgia, Auſtria* iterum, *Moravia*, ſed non in *Bohemia* conflixêre. *Caroli IV.* in *Potenſteinios*, ſeu *Zampachios* Bohemiæ Dynaſtas expeditio, tum in prædones, & expugnanda eorum, quę occupaverant, caſtra, arma per *Bohemiam* circumlata, *Belli* nomen non merentur. Plus aliquid in *Michalovicios, & Roſembergicos* tentavit *Carolus*, ſed bellum hoc civile *Arneſtus Pragenſis* Archiepiſcopus (ût in ejus vita narravimus) in ipſo ortu eliſit. Sæculum ſequens, quod longa Pax neglexerat, compenſavit, & parſimoniam illam humani, & patrij ſangvinis, nimiâ prodigalitate cruentorum ſcelerum, & ſacrilegiorum (proh dolor!) abundè reſtituit. Sed priùs, quàm *Sacrorum* hominum, & *Catholicorum* indignas cædes ab hæreticis perpetratas

Bellum in quosdam Proceres.

tas

Digitized by Google

tas enumerem (nè ſanctis ſcelerata commiſceam) *Judæos*, quorum noxio ſangvine Tellus *Bohema* contabuit, expediam.

Adverſus Judæos.
LXXXVIII.
Hag: in An. M.S. Budwic: M S Pragenſe Weleſl. in Cal: hiſt. a 18. Apr

An. 1389. (*Hagek* Annum ſequentem poſuit) ipſo primo *Paſchatis* die, *Pragæ*, cùm *Sacerdos Catholicus* ad ægrotum, *Sacrum Eucharistiæ Viaticum* apparatu uſitato deferret, *Judæi*, lapidibus frequenti jactu *ſacram hoſtiam* excuſsêre Sacerdoti è manibus; coorto inde *Christianorum* clamore, cùm factum inſuper, ſéque unà defenderent, nullo ſexûs, ætatíſve diſcrimine, à furente Populo ſunt in Urbe ſua deleti; Infantes tamen *Judæorum* ſervatos quidam Scriptores affirmant.

LXXXIX.
Spond. in Ann: Eccl. A: 1305. Dubr: l. 18. Silv: C. 44. Weleſl: Dulka.

Sed longè in eoſdem *Judæos* ſævitum eſt magìs eodem ſæculo An. Ch. 1305. cùm *Christianum* hominem *Cruci* in loco abdito affixiſſent; re enim patefactâ, *Judæi Pragenſes* omnes, tormentis, quæcunque ira ſuggerebat, à furente populo excarnificati, perierunt; *Judæorum* igitur etiam ſcelerato ſangvine bis irrigata *Bohemia* eſt.

§. VI.

Bellum Religionis in Bohemia cœptum, diu nullo ſangvine reſtingvi potuit; Indiculus præliorum recitatur uſquè ad Ziſcæ mortem deductus.

Ziſka crudeliſſimus Dux.

PRimus *Christiani*, *& Catholici* ſangvinis profundendi ſignû dedit, & vexillum extulit homo ſangvinarius, & barbaricè ferox, immanis, & truculentus *Joannes de Trocznovva Ziſca* cognomine, qui, ut populum, ut ità dicam, initiaret ſangvine, & cædibus paulatim áſſveſaceret, tumultu in *Nova Praga* excitato,

XC.
Hag: in Ann: Theo: in Huſſ.

An. 1419. 30. Julij, *Curiam* cum ſuis ingreſſus, *Senatores Urbis*, *& Judicem* vulneribus confectos, vivos cum mortuis è feneſtris ejecit, & *Parochum ad S. Stephanum* è trabe ſuſpendit; ſed hæc velut minora prætereo: prælusit his malis excidium *Malinæ* Urbis claræ id temporis, & populoſæ (ùt antè monui) ex viliſſima cauſſa, ferro, & flammis à *Foſſoribus* excisâ, nullo, quidquíd erat *Malinæ* hominum, mortem evadente.

Hucuſq; tempora cædium, & præliorum enumerans perveneram, cùm repentè dubitare venit in mentem: utrúmne *Religioſorum* in clauſtris cædes, & cruenta excidia *Cœnobiorum*, *Collegiorum*, *& Domorum* hoc loco perſequi, an omittere omnino, me oporteat? diu dubius hæſi: fæcundum ſinè dubio, & gratum poſteris eorum argumentum tractarem; cùm enim *Collegiata Eccleſia* facilè quatuor ſupra vicenas, & *Cœnobia* plura, quàm centum, ac decem (ùt in *Bohemia* Religioſa probabimus) in ſola *Bohemia* (nam *Moravica*, *& Sileſitica* alijs commemoranda relinquo) numerarentur, eáq; *Cœnobia* omnia exciſa ſint, vix uno, alteróve excepto, & pleraque ſi non omnium, certè aliquorum ex ſuis ſangvine rubuiſſe in *Epitome* indicârim, profectò vel unico hoc argumento prolato, demonſtrarem evidentiſſimè *octingentas*, & ampliùs cædes, eáſque ſatis numeroſas tot Religioſorum & DEO devotorum hominum in *Bohemia* contigiſſe; at ego prælia potiſſimùm, ùt in *titulo Capitis* legi poteſt, numeranda ſuſcepi; deinde alteri tractationi commodiùs hæc *ſancta* reſervo. Si quis tamen hæc impatientiùs ſcire ante tempus cupit, *Epitomes* noſtræ *quartum*, *& quintum Librum* velit inſpicere.

Ingens in Boh: Sangvinis profuſio.

Anno igitur 1419. *Huſſij* veneno jam infectæ Civitates, *Pilſnenſis*, (ſed hi poſtea pulſo *Ziſkâ* nunquam Religionem mutàrunt) *Clatovienſis*, *Tuſten-*

Digitized by Google

ſtenſis, Sufficenſis, Auſtenſis ad Taborium &c. cùm Pragam ad ſuos turmatim ad condictam diem S. Martini properarent armati, à Petro Sternbergico ad Muldavam, quâ in Cnin via ducit, cum Equitibus invaduntur, & Auſtenſes, quorum erant quadringenti proteruntur, & capiuntur. Reliquos Pragam appulſos alia prælia involvêre:

XCI. Prælia Hæreticorum.

XCII. Theob. l. cit. Lauda in M.S.

14. Novembris; Pragenſes (Antiqua, Nova Urbs, & cùm ſuis Ziſka) in minorem Pragam irrumpunt; Regiæ copiæ acerrimè, & bombardis nuper inventis, ad hoſtium terrorem formidabiliter, reſtitêre; dubia victoria fuit; altero die, repetito certamine longè acriùs prælio nocturno pugnatum, incenſa Minor Urbs, & à Pragenſibus occupata, victi Regij, tantâ partis utriusque cæde, ut Plateæ omnes Urbis, ſangvine natarent, & cadaveribus altè exſtructis ſternerentur, horrifico ſpectaculo.

XCIII. Continuator M.S. ad An: 1419. Epiſ. l. 4. C. 6.

XCIV. Hag: in Ann:

Anno 1420. die Cinerum, mane ſummo, cùm ex prioris diei lætitiâ Auſtenſes Cives (Sezimiani in Bechinenſi Provincia) quieſcerent, Latrones publici (qui poſtea ex Urbe nova condita, Taboritæ dicti ſunt) ſubitò ex inſidijs Auſtam occupârunt, & omnibus Catholicis, tum hîc, tum in vicina Arce Hradiſtienſi (quæ ſex diebus vim eorum ſuſtinuit) deletis, ipſam Civitatem incenderunt.

XCV. Hagek 1420 Theob. in Huſ: Prælia Hæreticorum.

Eodem Anno, die Annunciationis S. MARIÆ feſto, circa Sudomirium Catholici quidam Proceres, Taboritas adoriuntur, commiſſo cruento prælio uſquè ad Solis occaſum, dubio Marte pugnatum; hæretici pro victoribus, neque ſecùs Catholici ſe geſsère.

XCVI. Hag. l. c. Theob. l. c.

Paulò pòſt die Mercury poſt Paſcha, Ziſka Dux hæreticorum, Nicolaum poſtea Monetæ Præfectum, ad Wozicium prælio vincit; atque ab hoc initio cùm antè pedites tantùm, & ferè tribulis (accommodatè ad ruſticam gentem) armatos ductaret, ex hac præda, & arma cætera, & Equites in Exercitu ſuo cœpit habere.

Junio Menſe, jubente Cæſare Sigiſmundo, Ulricus de Roſis, unà cum Rogirzio de Landſtein Budvicenſis Urbis Præfecto, & ſuis, ac Bavaricis & Auſtriacis (quas Cæſar miſerat) copijs, Taborium Urbem tum primùm ſurgentem obſidere cœpit: Nicolaus Huſs nocte cum ſuis clàm Taborium ingreſſus, penultimâ Junij repentè in obſidentes irruens, omnes illas copias cum magna clade, majore ignominiâ, Landſteinio in pugna occiſo, in caſtra compulit; ſoluta eſt obſidio, poſtquam in aſſultibus Roſenſis ducentos quadraginta ſex amiſiſſet ex ſuis, & totidem propè vulneratos numeraret in caſtris.

XCVII. M.S. Roſenſe Epi. l. 6. C. 7.

Prælia cum hæreticis.

XCVIII. Hag. l. c.

Poſt hæc tempora Hinek Kruſſina Pragenſibus ad occupandam Arcem S. Wenceslai cum octingentis armatis auxilio venit; arx à Pragenſibus oppugnata ſangvineo, & ad extremum inutili conatu; Kruſſina periculosè ſagittâ ictus eſt, & quos adduxerat octingentos penè omnes in oppugnatione amiſit.

XCIX. Theob: l. cit: Hag: ad 1420.

Julio hujus itidem anni Sigiſmundus Imperator cum centum, & quadraginta millium Exercitu 11. Julij Pragam, & 13. montem Vitkonis aggreditur multis locis; rejectus eſt cum ingenti ſtrage ſuorum, neque incruenta Pragenſibus & Ziſcæ certamina fuère.

C. Hag: l. cit:

Ziſka Auguſto & Septembri menſe Rziczanum oppidum, & Prachaticium Civitatem egregiam, necquicquam Civibus vim vi repellentibus, obtinet; cæſi utrobique Sacerdotes, & Catholici, præſertim Prachaticij die Nativitatis B. Virginis, plures nongentis; capti cæteri, in Eccleſia Urbis incluſi ſubjecto igne conflagrârunt: ingentes eo tempore Catholicorum cædes ubiq; in vicinis pagis, & oppidis, ac potiſſimùm in ditione Roſenſium, perpetratę.

CI. Hag: l. cit. Dubr: l. 26.

14. Septembris, ex unanimi Pragenſium conſilio Wiſſehradenſis Arx (ex qua nuper die S. Laurentij ſacro, Regij Præſidiarij, Pragenſes copias malè multârunt, & 80. à ſe occiſos Cives ex Pragen-

genſibus in Ratibus compoſitos ſecundo *Muldavâ Pragam* miſerant) arctiſſimè cœpta eſt obſideri; venit obſeſſis

Landa M.S. Contin: M.S. Hæreticorum victor: auxilio *Cæſar Sigiſmundus*, 1. Novembris poſt *Wiſſebradum*, ſummâ vi pugnatum; victoria penes *Pragenſes & Taboritas* ſtetit; cæſi *Catholici*, plurimáque Nobilitas *Ungara*, *Morava*, *Bohema*, & in ijs *quatuor, ac viginti Proceres, & Barones*; *Cæſar* fugâ ablatus, *Cuttenbergam* tenuit. Ex gregarijs militibus Catholicorum quadringenti, cæſi vulnerati centenis plures, ex victoribus ſexaginta interfecti ſcribuntur.

CII. *Lup: in Calen: Theob: in Huſ:* 25. Novembris, *Hinko de Podiebrad Cunſtad. eus*, *Sileſios, & Luſatios Bohemiam* juſſu *Cæſaris* ingreſſos, ut popularentur, & prædas agerent, ad *Saczkam* iniquo in loco aſſecutus cecidit; captivis manus, naſos, auriculas crudeliter amputavit, domúmq; remiſit.

CIII. *Hag: in Ann:* Die *SS. Innocentûm*, *Pragenſes* Regiam *Wenceslai Arcem Cunradicæ* quatuor hebdomadis obſeſſam, tandem conditionibus certis obtinent. Multi ex *Pragenſibus* in ea oppugnatione perierunt, ſic ut quodam ad arcem aſſultu 257. & ex *foſſoribus* octodecim ſint deſiderati.

Annus 1421. plurimo ſangvine totam propè *Bohemiam* cruentavit, nos ſolis prælijs, & cædibus armatorum enumerandis imminebimus.

CIV. *Hagek 1421.* Anni initio Monetæ Præfectus *Divoky* cum *Cuttnenſibus Catholicis*, & vicinâ Nobilitate *Przelauczium* oppidum, quod hæretici tenebant, cœpit, & cæſis *Taboritarum* quàm plurimis, alios 125. in foſſas *Cuttnenſes* injecit.

CV. *Id: loc: cit:* Catholicorum victor: Idem factum in oppido *Chotieborz*, die 2. Februarij, ubi capto oppido ampliùs *mille Taboritæ* ab ijſdem *Catholicis* ſunt necati.

Contin: M. S. Parte aliâ in Provincia *Plſnenſi*, *Prachenſi, & Zatecenſi Ziſka* ſummus Taboritarum Imperator *Catholicos* ſibi

Excidia Urbium. delendos ſumſit. Narrat M.S. Codex eorum temporum, cujus Scriptor *Beneſſij de Horzovicz* hiſtoriam continuat, *Plſnenſes Catholicos* initio Anni cum *Germanorum Exercitu Ziſcæ* ad Arcem *Wilſtein* prælium obtuliſſe, atque ab eo *tribus millibus* cæſis repulſos in Urbem. Hujus prælij, cùm nemo ex omnibus Scriptoribus meminerit, oboritur ſuſpicio, confictum eſſe, ac proinde nullo numero conſignandum; certius eſt obſeſſam à *Ziſka*, & *Pragenſibus Plſnam* diebus ſeptemdecim, & magnâ ſuorum clade ſępius rejectos occiſis mille & trecentis, hæreticos abſceſſiſſe. CVI.

CVII. *Hag: Theob:* *Cadanæ, & Commotovij* medio Martio multum Catholici ſangvinis profuſum eſt: *Cadanæ* quidquid erat in armis, & *Germani* omnes occiſi; atrociùs ſævitum *Commotovij*, aliquot ibi *millia* (nam Scriptores in numero variant) occiſi, aut igne (etiam muliebris ſexus) perire coacti. CVIII. *ijdem & Epit:*

CIX. *ijdem.* 1. Aprilis, *Berauna* triduo oppugnata multos *Taboritas* miſit ad Orcum; at ſocij iſtorum viciſſim expugnatâ Civitate maximum *Catholicorum numerum* ferro, & igne miſerunt in cælum.

CX. *ijdem.* *Broda* deinde à *Pragenſibus* capta eſt, Cives omnes *Catholici* ferro peremti; & qui in *Eccleſiam* confugerant *ducenti*, cum *Eccleſia flammis* incenſi; milites præſidiarij extra Urbem in rogos injecti arſerunt.

CXI. *ijdem.* Excidia Cœnobior: *Jaromirium Civitas* (14. & 15. Maij) frequentiſſima id temporis, funditus poſt datam fidem exciſa, atque ut omnibus elementis perirent Catholici, *Senatus*, *Cives* omnes, ipſæ etiam *Virgines* civium filiæ, *nudæ in Albim* vicinum injectæ, & demerſæ.

CXII. *ijdem.* *Pragenſes* deinde extremo Junio in *Litomericenſem Provinciam* abière: CXIII. *ijdem.* *Bilinâ* 7. Julij proditione occupatâ, *Cives*, verbo omnes *Catholici* flammis exuſti. *Epit: l:4. C:7. Fabr: l 7. Ori: Saxon:* Sed brevì ſuo ſangvine has cædes *Pragenſes* hæretici diluêre, acceptâ ad *Brixiam*, quam obſidebant, ab *Electore Saxoniæ* non parvâ clade, amiſſis ſcilicet duobus millibus ſuorum in pervigilio S. Apoſtoli Jacobi. Cædes Hæreticorum. Stratagema *Miſnenſibus* victoriam attulit, cùm plauſtra quædam expoſuiſſent, ut

Digitized by Google

ut *Pragenſes* prædæ intenti Ordines laxarent; id, cùm eſſet factum, tum *Miſnici* ſervatis ordinibus, quàm tumultuoſiſſimè & ferociſſimè invecti in hoſtes, turbatos diſſipârunt, & cladi obnoxios fecêre.

CXIV. *Crantz. in Vandalia l. 11 C. 6. Cochlæus in Huſſ: l. 4.* Rediêre brevì novis aucti viribus *Pragenſes*, & cùm *Miſnenſes* copiam pugnæ non facerent, *Duxovium* verſi, capto oppido, & præſidium *Miſnenſe*, & Cives, & omnem ætatem, & ſexum ferro delevêre, & cùm ſe multi in *Eccleſiam* recepiſſent, ſéque defenderent, injecto igne, omnes incendio ſunt conſumti, adeò, ut nè unus hominum ex omnibus *Duxovienſibus*, ſuperſtes remanſiſſe ſcribatur.

Nullum poſthæc Prælium memorabile Anno præſente commiſſum legimus; ſed cui vel humani ſangvinis effundendi cupidiſſimo, tot cædes, quas memoravimus, ſufficere non poſſint?

Ziſcæ victoriæ. *M.S Reginoh: Contin: M.S. Theob: l. c. Silvius in hiſt: Boh:* Jam ad An. 1422. veniamus: ſuperioris anni fine Novembri exeunte *Cæſaris* Exercitus, & *Cruce ſignati Bohemiam* intrârant. 1. Januarij *Cæſari* in Campo ſeſe *Ziſka ad Cuttnam* objecit. CXV. *Lupac: Calen: 6. Januarij.* Nihil à *Cæſare* ad ſummam rei tantis copijs geſtum, niſi quòd *Cuttnam* incenderit, ubi *Ungaros* nè Infantibus quidem in cunis pepercisse legimus; tandem *Cæſar* aſperitate hiemis victus in *Moraviam* paulatim recedebat, tergis ſemper aſſiliente *Ziſkâ*, donec uliginoſo in loco *Cæſarem* nactus (ad *Teutobrodam*) ejus copias diſſiparet; capta ſeptem vexilla, cum 450. curribus omnis generis prædâ onuſtis, in fuga cæſi plurimi, *Piponis Florentini Equites Ungari* ruptâ glacie in *Sazava* merſi, deniq; in acie, & poſt prælium copioſus ſangvis effuſus.

CXVI. *M.S Reginoh. Raynaldus Tom. XVIII. Annal. Ecc. A. 1421.* 9. Januarij, *Ziſka* inter colloquium *Teutobrodam* Urbem tum egregiam cepit; ſævitum etiam in imbellem ætatulam; *mille quingenti* viri Catholici necati; Civitas annis quatuordecim deſerta ſtetit.

CXVII.

In Septembri Anni hujus *Electores* quidam, & *Principes Imperij* cum Exercitu *Zatecium* claram Urbem in Bohemia obſidere aggreſſi, ſexies aſſiliêre ad mœnia, ſemper cum maxima clade rejecti, urbis machia cruentârunt; ultimò etiam à *Zateczenſibus* campo ipſo 19. Octobris depulſi, cùm 60. obſidentium cæſis, alios ſexaginta in Urbem captos traxiſſent. Hagek *Zatecium* bis eodem anno obſeſſum ponit, quod mihi veriſimile non videtur; ſuſpicor ex obſidione una duas feciſſe. *Hagek 1422. Contin M.S.* Prælia cum Catholicis. Ziſcæ victoriæ.

CXVIII. *M.S.Reginoh. Hag. in Ann. Theob: in Huſ:* Annus Chriſti 1423. *duobus* cruentis prælijs in *Bohemia* conſignatur; in utroque *Ziſka* cæcus vicit, *cæcâ fortunâ* favente; Catholica Nobilitas magno numero (ùt gregarij taceantur) perijt ad *Horzicium* 23. Aprilis.

CXIX. *Ijdem.* *Alterum* prælium cum *Pragenſibus* in ipſis *Reginohradecenſis Civitatis* ſuburbijs initum eſt 6. Auguſti, cæſi *Pragenſes* pauciſſimis elapſis, eorúmque ductor *Dionyſius Borzek* (neque *Cunſtadæus*, ùt alibi ſcripſeram, neque *Dobalskius*, ùt alij dixerunt, ſed illuſtris familiæ de *Miletnika*, *& de Pardubicz* ex Arneſti I. Archiepiſcopi proſapia) ægrè in arcem ſuam *Kunieticenſem* effugit.

CXX. *Theob: in Huſ: P.1.C.55. M.S.Cuttnen. Vide Roſacium in orat: de Academia Prag. reſtaurat:* Anno ſequenti 1424. multo iterum ſangvine *Bohemia* fæcundatur: 3. vel 6. Januarij *Arnoviam* cum Exercitu tendentem *Ziſkam* Catholici Nobiles ex inſidijs adorti turbârunt aliquid primùm; at *veteranus Dux* ordinatâ denuo acie reſtitit, & ingenti Nobilitatis cæde factâ, victoriam eſt adeptus; hoc illud prælium eſt, quod quidam Scriptores *cunicularium* vocaverunt.

CXXI. *Contin: M.S. M S.Cuttne: Hag: Theob:* 8. Junij *Ziſka* hoſtes tum ſuos *Pragenſes* diu fruſtratus, tandem prope *Cuttnam* ad *Maleſſovium* extraxit, & repentè converſus, in temerè inſequentes, tria *Pragenſium* millia (alij mille octingentos numerant) cecîdit, reliquos fugavit.

Auguſto menſe reparato Exercitu

Pra-

CXXII. *Theob: l. cit: Hag: in An. & ijdem qui ſup.* *Pragenſes* ſtantem ad *Köſtelecium Ziſkam*, & fugam ſimulantem aggreſſi, egregio ſtratagemate, 3. Septembris à *Ziſka* vincuntur, & impelluntur in *Albim*. Hæc poſtrema *Ziſcæ Cyclopis* victoria fuit: nam factâ cum *Pragenſibus* pace in *Moravos* ducens 11. Octobris, ad *Przibislaviam* eſt extinctus, cui milites ſui excidio *Przibislaviæ* parentârunt.

§. VII.

Continuatur idem argumentum præliorum, in quibus multo hominum ſangvine immaduit Bohemia, ab An. 1425. uſquè ad A. 1471. quo Wladislaus Princeps Pacis ſtudioſiſſimus coronatur.

CXXIII. *Drah. in M.S. Contin: M. S. M.S. Reginob. Ep. l. 4. C. 10.* Ziſkâ mortuo non continuò bella ceſſarunt, *Procopiorum*, *& Orphanorum* in campis adhuc ſtabant Exercitus, *& Cruce ſignati*, tum *Germaniæ Principes* omnes ab imo commoti, nîl niſi *Bohemiæ*, & unà hęreſeos excidium animo verſabant. A. 1425. *Orphani Litomiſſlium* Civitatem deditione, arcem, in qua ſe plurimi *Catholici* clauſerant, ſcalis capiunt, tantâ ex utraque parte rabie, ut etiam morientes pugnarent; hoſtes non ſinè ſuorum clade maximâ, omnem ætatem, & ſexum in arce peremêre, ut hæc una Arcis occupatio cruentiſſimo prælio ęquiparari meritò poſſit; quam oppugnationem tam diram *Hagecium* omiſiſſe miror.

Litomiſſliũ exciſum.

CXXIV. *ijdem.* Totidem, ac fortè etiam plures cędes factæ ſunt, *Slanâ* hoc ipſo anno ab *Orphanis* proditione captâ: *Cives*, *& Nobiles* ferro, *Senatum* Urbis flammis delevêre.

CXXV. *ijdem. M.S. Drahow:* Eodem An: cum *Taboritis*, *& Orphanis Kamenicium* non procul *Novadomo* obſidentibus, prope adſitam piſcinam, quæ ob id etiamnum Kalich dicitur, *Meinhardus de Novadomo*, *Joannes de Guttenſtein*, *& Jacobus de Bozeiovv* conflixerunt ardore ingenti, ſed infælici ad extremum; cæſi enim *Catholici* milites quàm plurimi, & acti in fugam perierunt.

CXXVI. *Cochl. in Huſſ:* Auſtenſe prælium. Anno C. 1426. unica, ſed ea cruentiſſima, & pluribus æquanda, 16. Junij ad *Auſtam Bohemiæ* Urbem pugna conſeritur: quinquaginta millia ex *Saxonibus*, *Miſnijs*, *Voitlandis*, *Thuringis*, *Franconibus* cecidiſſe ſcribit *Theobaldus*, quod veriſimile non puto; *Hagek* in acie ſola, *Germanorum* duodecim millia cæſa; *Silvius*, *& Cochlæus* novem millia, *Bohemorum* tria millia (toto enim propè die pugnatũ eſt) ſed longè plures ex *Germanis* in fuga cecidiſſe commemorant. Omnes illos campos uſquè ad montes ſupra *Crupnam*, & *Hroby* cadaveribus ſtratos vidiſſes. *Theob: l. cit: Fab: l. 7 Or. Sa: Silv: hiſt: Boh. C. 48. Ep. l. 4. C. 10.*

Excidia Urbium.

Ante hoc prælium *Lippa* Civitas 1. Maij à *Taboritis* capta, & Civibus occiſis incenſa. *Bielam Rohacius* occupavit, omnéſque adultos interfecit. *Procopius Raſus Teplicium*, *Crupnam*, *&* vicina oppida cœpit; hę Civitates omnes Catholicorum ſangvinem rivis fluentem ſtupuerunt. CXXVII. *M. S. Contin. Theob. in Huſ. Drahon. M.S.*

Auſta frequens tum Civitas peculiarem ſibi vendicat locum, ante prælium 6. Junij oppugnata furioſos *Taboritas*, *& Pragenſes* cùm aſſilirent, fortiter & cum ſangvine multo hoſtium rejecit; at poſt prælium nocte captâ, omnibus etiam infantibus trucidatis incenſa triennio deſerta ſtetit. CXXVIII. *ijdem. Zalensky in vita Huſſi. Epitome ibid.*

Annus Chriſti 1427. non tam pugnâ, quàm *clade Catholicorum* inſignis fuit: tres in *Bohemiam* exercitus à *Sigiſmundo Cæſare* immiſſi ex tribus Imperij circulis *Saxonico*, *Bavarico*, *Franconico*, oblato à *Bohemis ad Miſam* pręlio, panico timore correpti (hæreticis *Bohemis* fugam ſentientibus) dum ad ſilvas *Tachovienſes* properant, à ſequentibus *Bohemis* occiſi; Scriptores, qui minimum numerum occiſorum CXXIX. *Spond. in An. Eccl. A. 1427. n. 4. M S. Reginob. Miech. in hiſt. Polon.*

Prælia cum Cruce ſignatis.

Digitized by Google

ſorum ponunt, *decem millia* numerant; ea clades in fine *Julij* menſis accepta.

CXXX. *iidem.* *Tachovia* deinde obſeſſa 11. Auguſti ſcalis capitur; omnes, quicunque arma tractare poterant, necati.

CXXXI. *Epit. l. 4. C. 10 Theob. in Huſ. l. 1. C. 63. & ſeq:* Secuta eſt *Colini* munitiſſimæ id temporis Civitatis obſidio; obſedêre *Taboritæ*, *Orphani*, *& Pragenſes*, *at Dionyſio Borzek* gente de *Pardubitz*, *& de Miletnik* (ùt indicat Hodiegovinus) fortiter propugnante, multis ſuorum millibus amiſſis, vix tandem per conditiones obtinuerunt, quam cruentiſſimam obſidionem ab initio *Septembris* uſquè ad 20. *Decembris* protractam diligenter deſcripſit *Theobaldus*.

CXXXII. *Hagek 1424.* Interim menſe *Septembri* die ſextâ, plateæ *Pragenſes* ſangvine natârunt: nam, cùm ad liberandum *Coributum*, qui cuſtodiâ attinebatur, quidam *Proceres* animum adjeciſſent, ſexcentis armatis *Pragam* occultè jam ingreſſis, patefactâ conjuratione, omnes penè (vicenis forſan exceptis) perierunt.

CXXXIII. *Hagek ibid.* Paulò ante hoc tempus *Sileſij* clades ſuas ulturi, in *Bohemiam* ſilentio ſubeuntes, repentè ad *Nachodium* ferro, & igne graſſati, plurimos mortales necaverunt; quos *Nachodium* obſidentes *Reginohradecenſes*, aliique plures repulſuri venerunt, ſed *Sileſiorum* inſidijs excepti plus dimidiâ ſuorum parte amiſsâ, domum ſe recipere ſunt coacti.

CXXXIV. *Hag: ad eũ An: D. Warten: P. 1 C. 4. & 5. Epit: l. 4. C 11. M. S. Reginolr.* Annnus 1428. ſangvine, & prælio non caruit: etſi *Taboritæ*, *& Orphani* extra *Bohemiam* majori anni parte latrocinarentur. Extremo anno *Orphanis in Sileſiam* ad prædas, & cædes faciendas profectis, occurrit cum Exercitu *Joannes Münſterberga Dux*; in ipſo Pago *Willemsdorff Glacium* versùs, in conſpectu Civitatis concurrêre acies, ùt pridem deſcripſi, eámque pugnam etiam æri inciſam in *Diva Wartenſi* obtuli ſpectandam. Cæſi *Sileſij & Dux* ipſemet (ex *Piaſtæa* gente *Münſterbergicorum Principum* ultimus) in acie interfectus cum maximo Nobilitatis numero.

Bellum cũ Duce Mûnſterbergico

CXXXV. *Theob. in Huſ. P. 1. C. 67.* Eodem Anno ad *Budinam in Bohemia* pugnatum annotat *Theobaldus*; hinc *Pragenſium* copiæ, illinc *Joannis Smirzicij* ex potentioribus *Bohemiæ Proceribus* ſtetêre; fugati *Pragenſes*, & cæſi quàm plurimi, captus ipſe *Pragenſium* Ductor *Czarda de Petrovvicz* Auſchæ Dominus.

Anni duo ſequentes 1429. & 1430. non parum cruoris in *Bohemia* profuſum viderunt, ſed quia externis bellis in *Miſnia*, alibíque gentium occupabantur hæretici, & pace inter ſe factâ adversùs *Germanos* (quibus *Bullam cruciatam* dederat Pontifex) vires comparabant, domi nimirum Pax fuit, prælium commiſſum nullum.

Obſidio Pilſnæ. CXXXVI. *M. S. Drabon: Ep: l. 5. C. 11.* Annus 1431. cædes habuit multas tam *hæreticorum*, quàm *Catholicorum*: obſideri primùm cœpit *Pilſna à Pragenſibus*, *& Taboritis*, aſſiliêre ſæpius ad mœnia, ſemel etiam in periculo gravi Urbs fuit; ſemper tamen ad extremum *hæretici* cruentis Capitibus, multis ſuorum cæſis, refugêre in caſtra, ut denique obſidionem relinquere cogerentur. *Procopius Raſus Tinam* deinde oppugnatum venit, neq; hîc fælicior: nam & ſæpe cum ignominia rejectus, aliquando *Zdenkone Drſſtkâ* loci Domino cum oppidanis excurrente, parum abfuit, quin ipſemet *Procopius* caperetur.

CXXXVII *Miechov. l. 4. hiſt. Pol. C. 52. Silv in hiſt. Boh. C. 48. Roo: in hiſt: Auſtr. l. 4. Cochl. in Huſſ. Fabric: l. 7. Orid: Sax. M. S. Drabon:* Jam ad atrociſſimum prælium venio: *Crucigerorum* Exercitus toto *Imperio* collectus cum *Juliano Cardinale Bohemiam* 1. Auguſti ingreſſus eſt, tanto armatorum numero, ut *Bohemiam* ab imo evertere, & inter manus lacerare poſſet: nonaginta *peditum millia*, quadraginta millia *Equitum*, & quadringentos fuiſſe conſentiunt omnes *Germani* perinde ac noſtri Scriptores, ut calonum numerus non ineatur; *curruum* novem millia trahebant; ampliùs, quàm ducentas villas in *Bohemia* incendêre. *Bohemi* contrà (quot nunquam antè) quinquaginta millia *peditum*, *& quinque millia Equitum*, *& tria curruum millia* produxerunt

Digitized by Google

Crucigerorum clades.

runt in acie. Ad Arcem *Riſenberg* 14. Auguſti concurſum eſt: difficile opus *Bohemis* fuit, caſtra *Cruce ſignatorum* in monte poſita oppugnare; at ubi evaſêre in montem, terrore perculſi hoſtes, fugam ſpectabant, diſſipatique ſunt. Qui minimum cæſorum numerum ponunt, *duo millia* numerant, alij *undecim*, captos *ſeptingentos*, quos vinctos *Pragenſes* in triumpho duxerunt, amiſſa caſtra, curruum duo millia, machinæ centum quinquaginta.

CXXXVIII *MS. Bartoſsk: Contin: M.S. Epit: l.4.C:12* Annus 1432. & tertius in *Bohemia* prælium, aut cædes cruentas non habuit; extra *Bohemiam*, ùt in *Epitome* legere eſt, pugnabatur; deinde *Compactata* inſtituta, & à *Concilio Baſileenſi* confirmata, maximam *Bohemiæ* partem optatâ compoſuerunt pace; prçterire tamen ſilentio non poſſum Urbis *Plſnenſis* obſidionem in paucis memorabilem à 15. Julij An. 1433. in decem menſes protractam: obſedêre *Taboritæ*, *Pragenſes*, & *Orphani* triginta ſex millibus armatorum; oppugnavêre ſæpius ſcalis mœnia hæretici, ſemper eorum ſangvine mœnia rubuerunt, & valla, & foſſæ cadaveribus putruerunt; quæ diligentiſſimè *Drahonicius* meus (*Exemplar* ſcilicet in *Bohemia* quod ſciam unicum) deſcripſit; adeò, ut uni, ac fortaſſe pluribus prælijs hæc obſidio poſſit çquari. Diſceſſêre infecto negotio hæretici A. 1434. 13. Maij.

Cædes hæreticorum.

CXXXIX. *Miech: L.4.C. 12. Hag: A.1434. Theob. p.1.C. 82. Epit l. cit. Silv. in hiſt. Boh. MS. Bartoſsk.* Hoc eodem Anno *Civile* bellum in *Bohemia* exoritur: cùm enim neque *Concilio*, neque *Comitijs Orphani*, & *Taboritæ* acquieſcere, neque authoritatem univerſi Regni ſequi vellent, decretum in eos bellum, & geſtum eſt: inter *Caurzim*, & *Brodam Bohemicam* 30. Maij concurrêre acies; *Taboritarum* peditatꝰ omnis propè perijt, *Equitatus* fugâ *Colini* ſervatus eſt; mille ex captivis, à *Plſnenſibus* ſuccenſis horreis, igne perierunt.

CXL. Huic magno prælio, velut *magnus ignis* (ùt ait *Ariſtoteles*) *trahit minorem*, addi poteſt victoria, quam de *Taboritis* menſe Auguſto die Veneris poſt Aſſumtionem B. MARIÆ Virginis ad Pagum *Krzecz Udalricus de Roſenberg* reportavit: obſidebat *Lomnicium Ulricus*; miſêre *Taboritæ* ſuppetias ſuis Milites lectiſſimos mille, paulò pòſt trecentos; hos inſidijs, alteros, non incruento Catholicis quoque prælio, occidit. Quies deinde, & otium à bellis diu fuit, ſublatis inquietis, & turbulentis *Taboritarum*, & *Orebitarum* Ducibus. *M. S. Roſenſe in Ulrico. Epit. l.4.C.12* Clades Taboritarum.

CXLI. *Theob: in Huſ: P.2 C.5. Epit. l.5.C.2.* Bella cum Alberto Rege.

An. 1438. Electo *Rege Bohemiæ Alberto*, atque etiam *Pragæ* coronato, *Proceres* nonnulli Regem agnoſcere recuſarunt, ùt alibi narravi; inter eos *Georgius Podiebradius* (poſtea *Bohemiæ Rex*) quinque millia *Polonorum* duxit, & cùm ad *Mielnicium in Ungaros* incidiſſet, commiſſo prælio vicit, & *Ungaros* egit in fugam. Prima hæc fuit *Georgij Podiebradij* laurea militaris, & gloria, quam pluribus novis victorijs poſtea cumulavit.

CXLII. *Theob. l.c. Epit: l.c.*

Secuta eſt ab *Alberto Rege*, qui propè triginta millia armatorum numerabat, *Taborienſis Civitatis* obſidio; *Bohemi & Poloni* non ultra quatuordecim militum millia cenſebant; multæ ab utraque parte cædes factæ. 14. Auguſti obſeſſi currus amiſêre, & poſt paucos dies *Albertus* aſſilijt ad mœnia, & mille promtiſſimis ſuorum amiſſis rejectus, obſidionem non neceſſitate, ſed conſilio deſeruit. Remittebat domum ab obſidione *Saxones Albertus*, juſſitque *Jacobum Wrzeſovecium* eos per *Bohemiam* cum armatis comitari, cùm ecce quidam ex *Proceribus* hæreticis, & *Launenſes*, *Zatecenſes*, *Clatovienſes*, pluréſque alij juſto Exercitu, *Germanos*, & cum ſuis *Wrzeſovecium* comitantem ad *Pagum Zelenice* non procul *Brixâ* adoriuntur; poſt acre prælium victi hæretici, & magnâ clade proſtrati; captivorum hæreticorum præter cæſos numerus ad 924. aſcendit.

CXLIII. *Hag. A.1438: Fab: l.6. Orig.*

Ab An. 1438. uſquè ad *Ladislai Regis*

Digitized by Google

CXLIV. *Hag. l cit. M.S.Reginob:* *gis* coronationem 1457. omnia plena in *Bohemia* prædationibus, latrocinijs, & cædibus fuerunt; ſibi quisque (videlicet in *Interregno*) *Rex* erat. Iſtud peculiare aliquid continet, quòd cùm *Georgius Podiebradius* Gubernator Bohemiæ adversùs *Coldam de Nachod* copias ter miſiſſet, *Kolda* ter An. 1449. eas copias profligârit; idem factum cùm idem *Georgius* ad debellandum *Bedrzichum* Orphanorum Ducem ad *Colinium* miſſis Ducibus exercitum adduxiſſet; *Bedrzich* enim cum *Colinenſibus* in eos invectus multos occidit, omnes diſſipavit, quindecim currus, & centum quinquaginta ex hoſtibus ſuis cepit. Attrivit etiam *Taboritarum* jam inclinantem fortunam An. 1450. in Julio *Zdenko Sternbergius*, qui commiſſo cum ijs prælio vicit, & pręter pauciſſimos (quatuor, aut quinque elapſos) omnes ad Orcum transmiſit, quadraginta quinque militares currus, & quinque machinas, quę tormenta vocant (pretioſam, & opimam eâ tempeſtate prædam) reportavit.

Adverſus impacatos bellum.

CXLV: *M.S.Reginob.*

CXLVI. *Hag. & in An: M.S.Reginob.* Anno 1457. in *Koldam de Nachod* à *Georgio Podiebradio* geſtum eſt bellum, *Czernikovium*, *Rychmburg*, *Nachodium* ſummâ vi oppugnatum, ſummâ vi defenſum, plurimis ab utraque parte cadentibus.

Theob in Huſ: ad A 1469. CXLVII. *Fab. in Or: Sa: Theob in Huſ: Lupac: in Cal: ad 22. Sept.* *Georgio* apud nos regnante, multa & cruenta in *Coronæ Bohemiæ Provinciis* commiſſa ſunt prælia; adeò, ut *Theobaldus* ſcribere non dubitârit: *Ziſkiana*, *Taboritarum*, *Orebitarum*, *ſeu Orphanorum* bella ab iſtis ſub *Georgio* geſtis longiſſimè ſuperata fuiſſe. Nos majora, & quæ in *Bohemia* ſolùm facta ſunt, proſequimur, idque per indicem: Anno Chriſti 1466. *Cruceſignatorum* Exercitus duo ingrediuntur *Bohemiam*, occidentes, & incendentes omnia; tandem ad Arcem *Riſenberg* infauſto pridem *Germanis* loco, in altiſſimis jugis montium conſedêre; 22. Septembris in altum eluctatæ *Bohemorum* copiæ poſt prælium acerrimum toto illo die continuatum, obtinuêre victoriam, quòd peſſimo conſilio recipere ſe *Tinam Cruceſignati* cœpiſſent, inde auctus hæreticis animus, & cędes inchoata, quæ tanta fuit, ut rivi ſubterlabentes nihil niſi ſangvinem veherent, & campus à *Cruce ſignatis*, Krzizovvy dictus, totus manaret ſanguine.

Prælium cũ Cruce ſignatis.

An. 1467. *Rex Georgius* non parum in *Regno* ſuo *Catholici* ſangvinis effudit, arces oppugnavit, & cepit *Raudnicium*, *Chvvatierub*, *Koſtelecz ad Sazavam*, *Leſtno*, *Sternbergam*, *Mieſſicium*, *Frimburgum*, *Wrzeſſtiovv*, *Zibobicze*, *Mladiegovvice*; (anno ſequenti *Troſky*, *Skaly*, *Tauzim*, *Angelicum montem*, *Woſtrovv*, *Buchovv &c.*) cecîdit ad *Teplam hoſtes*; *Launenſes Joannem Haſenburgium* aliquoties fugaverunt; in quibus geſtis ſangvineis, totus propè conſumtus eſt annus. CXVIII. *iidem.* Civilia bella.

An. 1468. 2. Julij *Cruceſignati*, qui plusquam Scythicâ barbarie in omnem ætatem, & ſexum graſſabantur, apud *Neirsko* deprehenſi, gravi clade à Regijs fuſi, ac profligati ſunt. At illi *Cruceſignati*, qui ad *Kadanam*, & *Przíſeznicium*, latronum, non militum vitam agebant, promiſcuè plebem miſeram, inermem, ac innoxiam trucidantes ab *Haſſenſteinio*, & *Weitmilio*, qui ſe cum *Zatecenſibus*, & *Launenſibus* junxerant, *Bohemiâ* ejecti ſunt: de quibus hæc ſcribit Fabricius: *Militum volonum ingens multitudo* (A. 1468.) *vel religione, vel ſpe prædæ Norībergâ*, *Erfurdiâ*, *Magdeburgo*, *Wratiſlaviâ coiverat*, *& in Bohemiæ finibus non ſinè maleficio graſſabantur; ſed quia Duce illuſtri carebant, nec tormenta habebant bellica, prædam non retinent, & paſſim in itineribus, & ſilvis opprimuntur. Nec evaſiſſet ex ijs quisquam, niſi Fridericus Schonburgius Miſnenſis, ſtirpe ingenuâ ortus, aliquot ſigna collecta reduxiſſet in Patriam.* Hæc Fabricius. Utramque hanc cladem fiduciæ cauſâ uno numero comprehendo.

CXLIX. *Stransky in Rep Boi: C.16 §. 5.* adv: Cruce ſignatos.

Fabr: l. 7. Or: Saxon.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Nova cruentorum præliorum in Bohemia ſeries à Wladiſlai Regis Imperio ad prælium uſquè Albomontanum ad Pragam deducitur.

REx *Wladiſlaus* Pacis alioquin amantiſſimus Princeps, fato quodam *Bohemiæ*, periculoſis, & ſat cruentis, præſertim Regni initio, involutus eſt bellis, ſed pleraq; extra *Patriam* geſta, ad propoſitum noſtrum nihil faciunt. Nos in *Bohemia* geſta prælia numeramus.

CL. *Cromer. l. 29. hiſt. Pol. init.* Bella Regis pacifici Wladiſlai.

An. 1478. *Burianus Comes de Gutenſtein Wladiſlai Regis* copiarum ductor, *Plſnam*, quæ *Mathiæ Regis Ungariæ* partes ſequebatur, & *Wladiſlaum Regem* recuſabat agnoſcere, eminus obſidebat, eique tum cætera vitæ præſidia, tum annonam potiſſimùm reddebat difficilem. *Plſnenſes* ſingulari virtute, & fœlicitate *Burianum* obſidentem ſemel atque iterum aggreſſi ad extremum *ſexcentis Regijs* partim occiſis, partim demerſis in flumine, partim captis, obſidionem ſolvere coëgerunt.

Slava. in M. S:

Annus 1547. nullum quidem juſtum prælium (quod videlicet prælium appellari poſſet) ſed tumultum, & ſeditiones *Pragenſium* multas adverſùs *Ferdinandum I.* habuit, quæ (ùt in hiſtorijs eorum temporum legimus) eorum, qui concitârant, ſangvine, ſunt dilutæ, & deletæ.

CLI. Præliū ſub Ferdinan: I.

5. Julij tumultuaria quædam inter *Pragenſes*, & Regios milites commiſſa eſt pugna, in qua non pauci utrinque vulnerati. 6. Julij, *Legionarij Germani* Inſulam majorem in *Muldava* occupare coacti repelluntur; contrà verò *Pragenſes*, cùm adversùs *Huſſaros* in campum, quem *Hoſpitalenſem* appellant, exiſſent, pluribus quàm ſeptuagenis ſuorum amiſſis recedere in urbem ſunt coacti, atque in reditu Equitem *Kruppam*, qui ſe *Ducem* illis præbuerat, tanquam proditorem in fruſta ſecuerunt. Similis poſt annos decem Tumultus excitatus eſt *Pragæ* A. 1557. nam cùm in *Ungariam* ex Imperio plurimæ copiæ adversùs *Turcas* mitterentur, quingenti Equites (5. Junij) *Pragam Antiquam, & Novam* tranſeuntes, in foro nugari cum fœminis cœperunt, quam petulantiam militarem non ferendam eſſe *Cives* rati, ſigno dato, clauſisque ſtatim portis, omnes eos *Equites*, pauciſſimis evadentibus, trucidârunt.

Slawata in Apol. M. S. M. S. Dobrzenſky.

Jam ad Tumultum *Paſſavienſem* & cædes in eo factas veniamus:

CLII. *Hiſt Sedl: Slavata l. c.* De Tumultu Paſſaviē:

An. 1611. Januarij menſis fine, *Paſſavienſis* Exercitus (ſex millia Peditum, & duo millia Equitum) ſubitò *Bohemiam* ingreſſi *Budvicio*, *Piſekâ*, *Muldavo-Tinâ*, *Taborio*, & *Berauna* occupatis, 15. Februarij *Minorem Urbem Pragenſem* adoriuntur: occurrit cum pauco Equitatu *Comes Mathias Turn*, ſed cæſis quibusdam ex ſuis, ipſe vulneratus, imparem ſeſe intelligens receſſit; ſunt tamen à Civibus nonnulli *Paſſavienſium* occiſi in *Praga minore*; qui longiùs per *Pragenſem Pontem ex Paſſavienſibus* pertendere volebant, poſtea demiſſis in *Ponte* cratibus, in *Veteri Urbe* partim cæſi, partim capti ſunt; in diſceſſu quoq; *Pragâ Budvicium* in ſilvis hinc inde cùm apertâ vi non daretur, in anguſtijs locorum complures interfecti.

Bellum Ordinum hæreticorum. CLIII. *Jul: Bellus in Lauro Auſtriaca lib. 2.*

Annus 1618. & conſequentes quatuor, aut quinque, multo ſangvine, & cędibus *Bohemiam* inundârunt: Initium belli *Cæſarem* inter, & *hæreticos* ad *Czaſlaviam* 14. Septembris eſt factum; concurrêre acriter, multis utrinque deſideratis, & unâ parte alteram tormentis infeſtante. Tandem *Dampier* in ſilvam cum ſuis receſſit; ibi fame preſſi *Cæſarei*, & qui ad quærendam annonam excurrerant, à ru-

Hiſt: Sedl: fol. 115.

ſticis obtruncati. Hæc *Julius Bellus*. Iterum Septembris 30. trecenti Equites *Cæſariani* ſunt oppreſſi. Ad *Taborium* 1. Novembris turma Equitum *Cæſarianorum* perſequentibus *Bohemis* cæſa, 40. ex ijs capti, cæteri aut occiſi, aut diſſipati ſunt. Eodem die *Cæſariani* caſtra Bohemorum ſummo mane invadere decreverant, ſed vigilijs paſſim diſpoſitis, & diligenter excubantibus, cùm quoſdam ex ſuis amiſiſſent, re infectâ diſceſſerunt.

CLIV. *Bell. f. 122.* 9. Novembris acriter ad *Camenicium* cum *Bucquoio Bohemi* dimicârunt: quadringenti ex *Cæſareis* deſiderati, & capti ducenti; ac fortè non pauciores ex *Bohemis* ceciderunt. 14. Novembris 800. Milites *Fürſtenbergici* Viennâ venientes, quibusdam cæſis, reliqui aguntur in fugam. Obſidio, & occupatio *Urbis Plſnenſis à Mansfeldio* hoc Anno Menſe Novembri peracta, plurimos & ex obſeſſis, & ex obſidentibus abſumſit, quam latiſſimè *Julius Bellus* deſcripſit. Palantes in bonis *Sſvvambergicorum Cæſarei* milites à *Bohemis* intercepti, & cæſi fuerunt extremo Novembri.

CLV. *Jul. Bell. l. 4. init.* Januario Anni 1619. *Comes Buquojus* cum mille circiter militibus *Budvicio* eruptionem fecit, ut caſtra *Bohemorum* ſpoliaret, cui *Bohemi Crumloviâ* redeuntes occurrerunt, & aliquot horis conſeruêre manus, ut utrinque quingenti circiter ſint deſiderati; *Bucquojus* ſenſim *Budvicium* retroceſſit.

Id. Bellus. Eadem Bella. Die 4. Martij, *Comes Dampirius* de intercipiendo oppidulo *Bohemiæ Gratzio* conſilium inivit, quod etiam factum; ſed cùm illud ſinè arce, unde crebræ jaculationes in eum fiebant, tenere non poſſet, direpto oppido, & incenſo diſceſſit. Inſidias etiam *Bohemis* ſtruxit, quod ipſi malè ceſſit, non exiguo militum numero amiſſo.

CLVI. *Bell. l. cit.* Die 6. Aprilis, cùm *Budvicio Cæſarei* ad prædas agendas exiſſent, *Bohemi* cum quinque Equitum alis eos perſecuti ſunt. In itinere primum agmen offendêre, ex quo viginti interfecti, & quidam capti ſunt; in reliquos, qui quadringenti numerabantur, partim Equites, partim pedites, impetus factus, ſed ij aliquoties Equites à ſe repulerunt, donec vexillum peditum adveniret, quorum auxilio *Cæſarei* ſuperati ſunt, centum quadraginta *Equites & pedites* cum Centurione capti, reliqui occiſi; ex parte *Bohemorum* non tam multi deſiderati, ſed multi Equi ſauciati fuerunt. *Bell. ibid.* Hoc tempore uſquè ad *Majum* milites *Bucquoij*, *& Bohemorum* ante *Budvvicium* mutuò ſeſe vehementer infeſtabant, productis aggeribus eò uſquè, ut alter alterum ſclopo ipſo verberare poſſent, quo fiebat, ut multi quotidie necarentur.

18. Maij. *Bohemi* obſeſſos *Cæſarianos* ex munimento, quod erat ad auream ſemitam ad *ſilvas Bohemicas* ſitum, vi expulerunt, multis viris fortibus ab utraque parte deſideratis.

CLVII. *Bell. ibid.* Prælium cũ Mansfeldio. Poſtquam Exercitus *Bucquoij* mille cataphractis *Alberti Waldſteinij* Equitibus, & alijs copijs, quæ duodecim hominum millibus conſtabant, auctus eſſet; 8. Junij *Netolicium*, quod *Erneſtus Comes Mansfeldius* 60. peditum præſidio firmaverat, *Ungaris* invadendum commiſit, qui non cunctati irruptionem fecerunt, in qua non pauci ex ipſis ceciderunt. Poſtridie cum *Muldavo-Tinam Bucquoius* tenderet, in Exercitum *Mansfeldicum* incidit; pugna cruenta exorta eſt, in qua *Mansfeldius*, qui viribus longè inferior erat, victus, poſtquam ſex horas fortiter pugnâſſet, & aciem hoſtilem aliquoties perrupiſſet, loco cedere coactus eſt. *Jul. Bell. l. 3. f. 161. & 162.* Quot ab utraque patre ceciderint, non conſtat; multa à victoribus ſigna capta, & mille ducenti ex *Mansfeldicis* magnam partem pedites cum Duce ſuo *Reingravio*, aliiſque Præfectis militaribus in *Bucquoij* poteſtatem venerunt. Cepit deinde *Bucquojus Fraunbergam*, *Roſenbergam*, aliáque

que loca, ubi ad terrorem major aliquantò ſævitia exercita, & omnes, qui illic reperti, trucidati fuerunt.

Sileſij victores. CLVIII. In fine Julij mille quingenti Ungari palantes, *Equitatum Sileſiorum* obvium habuerunt, cum quibus prælio commiſſo *trecenti Ungari*, & 140. *Sileſij* occubuerunt. *Exercitum Cæſareum* poſthæc *Bucquojus* ad oppidum *Gratzen* addduxit, ubi *Wallones* impetu facto in *Arcem* inſilire conati ſunt, ſed à præſidiarijs repulſi octoginta ceciderunt, ducentis vulneratis.

Id. ibid. Ibid. f. 163.

Die 8. Julij *Comes Solmenſis* ex parte *Bohemorum* militans, cum 500. Equitibus; & ducentis legionarijs in 800. *Huſſaros* incidit, ex quibus 450. interfecit, 50. cepit, reliquis diſſipatis magnâ prædâ ipſis ereptâ.

CLIX. *Jul. Bell. l. 3 f. 186.* In fine Julij *Comes Turn* expugnatâ *Tinâ Wltavienſi* præſidiarios omnes *Cæſarianos*, & quos circumquaque nactus eſt, concîdit, Duo millia *Ungarorum* caſtra *Bucquoij* deſeruerunt, & prædam in *Bohemia* partam domum ſecum avexerunt. Hos alius quidam *Dux* cum *quingentis Ungaris* ſequi voluit, ſed à *Bucquoij*, & *Waldſteinij militibus* interceptus, multos ex ſuis amiſit, & omnis prædæ, quam habebat, jacturam fecit.

Piſecæ Calamitas. *Id. f. 224.* 24. Auguſti *Comes Bucquoj Piſecam* vi cepit, quamvìs præſidiarij (duo erant peditum vexilla) ſtrenuè ſe defenderent, multóſque ex hoſtibus ſternerent, tandem tamen victi, capta Civitas, & direpta, incenſa, multique in ea cæſi, *Centurio* actus in furcam, & *Primas* capite truncatus. Eandem Urbem, uti & *Tinam* paulò pòſt recepit *Manſfeldius*.

Id. l. 4. CLX. Anni 1620. principio, cùm in *Auſtria*, & *Cæſareus*, & *Bohemorum Exercitus* verſaretur, aliqua in *Bohemia* quies fuit: *Budvvicenſes Cæſarei*, qui in præſidio erant, *Muldavotinam* aggreſſi dedentibus ſe *Manſfeldicis*, Cives ſpoliarunt, & complures interemerunt; ſed à *Trebona* ſunt repulſi, quam paulò pòſt, æſtatis fine, totus *Cæſareorum Exercitus* obſedit. Habebant *Bohemi Caſtra* ſua nonniſi dimidio milliari ab his *Cæſarianorum copijs* apud *Weſelium*; unde fieri non potuit in tanta propinquitate, quin quotidianæ inter utroſque committerentur velitationes, cum multorum militum cæde.

Id l. 4. f. 364. Expugnat: Urbium.

Ad finem Septembris *Bavariæ Dux Budinam* (ùt habet *Bellus*, quanquam nè ſit error in nomine, & nè *Wodnianum*, aliúdque ejuſmodi ſupponendum ſit, ſubvereor) cum multo *Civium ſangvine* vi cepit, eodémque menſe *Bucqvojus Prachaticium* oppugnavit; cùm autem præſidiarij memores officij validè reſiſterent, & circiter 60. *Bucquojanos* interfeciſſent, obruti multitudine oppugnantium, ſtationes deſerere ſunt coacti; ingreſſi *Cæſariani* omnes puberes ferro trucidârunt. Hæc laniena prudentioribus, imò neque ipſi *Bucquojo* placuit, itaque in *Libello de Bohemico Bello* à quodam *Conſtantio Peregrino* in *Bucquoij favorem* poſtea edito, multis excuſatur. *Julius Bellus* audiatur compendio: atrociùs in miſeros *Piſecenſes* die 30. Septembris ſævitum, qui cùm ad colloquium de deditione deſcendiſſent, parte alterâ *Cæſariani* Civitatem ingreſſi barbarico furore omnes interfecerunt, non milites modò, & cives, ſed & mulieres, puelláſque, & ipſos infantes. Fuerunt in præſidio quingenti pedites, Equites quadraginta, ex quibus nè unus quidem ſuperſtes cladi fuit.

Id: f. 372. Prachaticium expugnatur. CLXI. *Id. f. 373.*

Ultimo die Octobris ad *Rakonicium* conflictus Equeſtris acerrimus eſt habitus, in quo deterior fuit *Exercitûs Bohemici* fortuna, multiq; Equites utrinque periêre.

Secutum eſt 8. Novembris celebre illud, & fatale prælium in *Albo monte* quod plurimi hiſtoriarùm authores deſcribunt: interijſſe dicuntur ex *Palatini* exercitu ſex circiter millia tam in Albomontanum prælium. CLXII.

in pugnæ ardore, quàm in fuga, capti quingenti; ex *Cæſarianis* perijſſe putantur trecenti; *Ungari*, ût habet *Bellus*, *primi ſinè neceſſitate fugientes victoriam Cæſareis dederunt in manum.*

§. IX.

Enumeratio præliorum, & effuſi in Bohemia ſangvinis poſt partam in Albo monte victoriam uſquè ad Pacem An. 1650. concluſam.

Jul. Bell. l. 5. f. 495. CLXIII. Cùm jam tota ferè *Bohemia* ad obſequium *Cæſaris* redijſſet, *Taborium* tamen anno integro uſquè ad 18. Novembris Anni 1621. ſeſe adversùs *Balthaſarem de Maradas* defendit, adeò, ut in quodam aſſultu plurimi ex *Cæſarianis* ab ijs cæſi, & ducenti ſauciati ſint; ſed cùm nullum ſperarent auxilium, eo, quo dixi die, Civitatem conditionibus *Balthaſari* dediderunt.

Res cruentæ geſtæ ad Glacium. *Jul. Bell. f. 5. 495. 553.* An. 1622. in Junio quinque *Coſaccorum millia Cæſari* militantium, qui *Sileſijs* non parum detrimenti attulerant, in *Bohemia* aliquot Ruſticos Rebelles ad *Glacium*, qui illos tranſitu prohibere conabantur, in fugam egerunt, quingentis ex ipſis cæſis, atque ità perruperunt. CLXIV. *Id: f. 571.* Hoc Anno *Urbs Glacenſis* totâ æſtate obſidionem *Cæſareorum* ſuſtinuit, quibus obſeſſi aſſiduis eruptionibns incredibile damnû attulerunt. *Junior Comes Turn Glacio* egreſſus, *Neutram*, in qua firmum *Cæſaris* præſidium erat, ſcalis cepit, & præſidiarios obtruncavit; in hac expugnatione Magiſter Equitum & centum Equites perierunt. Paulò pôſt ijdem *Glacenſes Winſchelburgum* Oppidum interceperunt, & quinque ſigna militum *Cæſareorum* partim conciderunt, partim captivârunt; tandem 26. Octobris *Glacium* honeſtis conditionibus eſt deditum.

CLXV. Prælium adverſus Ruſticos. *Klingenberga* arx in *Bohemia* adhuc ſeſe tenebat, quam, cùm *Cæſarei* dedi ſibi poſtularent, obſeſſi eruptione factâ loco deditionis, illos non exiguo damno affecerunt. Nullum deinde ad Annum uſquè 1628. prælium, nulla publica clades accepta, nihil profuſum eſt ſangvinis. Anno, quem dixi 1628. in *Reginohradecenſi Provincia* circa *Opocžnam*, *Neoſtadium*, *Smirzicium* Ruſtici opprimi ſe à *Præfectis* ditionum cauſſantes, conſurrectionem fecerunt, armis, ût cuique ſuggerebat ira, correptis: vaſtabant, diripiebant, & auferebant omnia, præſertim in ditionibus *Catholicorum*, quorum aliquos peremerunt; ſpectavi *Puer* inconditam illam multitudinem aliquôt millium, armatam, ex alta turri *Urbis Reginohradecenſis*, cui imminebant; ſed carpebantur paulatim, ût aves autumnales in aucupijs; ac primùm *Koſtelecenſes*, & *Czaſtolovicenſes Catholici* ad pagum *Libitz* (hæreticis jam ſæpius fatalem) aggreſſi, aliquam eorum partem occiderunt, captivârunt, fugârunt; deinde *Legionarij Milites Pragâ* miſſi diſſipârunt omnes, & captos in rotas, & furcas egerunt.

An: 1631. *Praga*, *Litomericium*, *Egra*, *Melnikum*, *Brunduſium*, *Podiebradium*, *Colinum*, *Reginohradecium*, ab omni Cæſareo milite deſertæ priùs, Civitates, & oppida, capiuntur à *Saxone in Cæſarem* tum pugnante. *Brach. l. 4.* Hæc omnia Anno ſequenti, *Albertus Waldſteinius* recuperavit; quæ, utpote ſinè ſangvine geſta, mittamus. Nimburgéſium cædes. Atrociſſima, & nimiùm cruenta *Nymburgi* occupatio à *Saxonibus* An 1634. fuit: nam oppugnante *Saxone*, indignâ fraude, Præſidij militaris Præfectus, ignorantibus *Civibus*, pactus deditionem Urbis, eoſdem *Cives* excluſit; unde factum, ut præſidio abeunte *Urbem* ingreſſi *Saxones*, puberes omnes, & non parvam etiam imbellis ætatis turbam

bam interfecerint, ſic ut per plateas rivi humani ſangvinis decurrerent *in Albim*.

CLXVI. *Brach. l: 6. Theatr. Euro: Merian: 1639*

An: 1639. cæſo *Marazinio* ad *Chemnicium*, *Bannerius Svecicæ militiæ Dux* viam ſibi in *Bohemiam* patefecit: *Auſtam*, *Litomericium*, *Tecznam* Arcem munitiſſimam occupavit; 29. Maij ad *Albim* prope *Brunduſium* octo *Galaſſij* legiones *Pragâ* ad ripam *Albis* tuendam miſſæ à *Panirto* cæduntur, & profligantur. Eodem tempore quatuor *Svecorum* Regimina, ùt vocant, cùm ſeſe ad currus *Cæſareorum* militum ſpoliandos ſinè ordine militiæ immerſiſſent, ab *Ungaris* maximam cladem acceperunt, deletique omnino fuiſſent, nisì reliqvus *Svecorum* Exercitus ſuppetias attuliſſet.

Bellorum Svecicorũ calamitates

CLXVII. *Theatr: Euro: f. 112.*

14. Junij. *Schlangius ad Wiſſebradum Croatarum* caſtra repentè invadit, quindecim vexilla obtinet, multiſque cæſis *Croatas* per *Muldavam* cogit in adverſam ripam cum Equis enatare. Hoc anno, & conſequentibus, militibus utriuſque partis *quilibet audendi fuit æqua poteſtas;* ſpoliabantur ſinè delectu omnes, tormentis, & laniënis extorquebantur pecuniæ, occidebantur viatores, tertia pars *Bohemiæ* arſit, adeò, ùt ſexdecim milliaribus *Pragâ* omnia vaſta, & ſinè ullo homine cultore jacerent. 10. Julij *Hatzfeldius* Cæſareus Dux duo *Svecorum* regimina cecîdit, atque ex ijsdem 150. captos reduxit; paulò pòſt ad *Lauham* trecentos *Svecorum* cepit. Iterum *Hatzfeldius* duo regimina *Svecorum* ad *Colinium* offendit, ſex vexilla eripuit, reliquos diſſipavit, ex quibus multi, dum fugiunt, *Ponte* fracto *in Albi* perierunt. *Gallas* cum ſex millibus ad *Brunduſium*, propugnaculum quoddam *Svecorum* vi occupavit. *Glacenſis Præfectus* militaris ad *Reginobradecium* progreſſus 50. *Svecos* captivos abduxit, ſed plures interfecit.

Bohemia exuritur.

Theat: Europ: f. 117. 118. & ſeq 124. & 385.

CLXVIII.

Theat. Europ: f. eod.

CLXIX. Menſis Auguſti fine ad *Pragam* centuriæ aliquot *Cæſareorum* gravis armaturæ Equitum, & 80. *Equites Ungari* cæduntur; quam jacturam cùm poſt aliquot dies *Stephanus Balſi* reſarcire cuperet cum 500. Ungaris, & ipſe, & facilè centum *Ungari* (cum Ducis occiſi corpus hoſtibus eripere volunt; quod etiam magnanima Gens præſtitit) ceciderunt. 30. Septembris, quinque *Regimina Saxonum Traudiſchy* ad *Rakonicium* cæſa à *Schlangio Sveco* captis quinque Equitum vexillis. 24. Octobris *Comes Hoditz* 400. *Ungaros ad Albim*, non procul *Brunduſio* deprehenſos cecîdit, & 50. cepit. Per id tempus *Panirius in Albo Monte* Cæſareum propugnaculum ad *Stellam* ſummâ vi ter aggreſſus, multis ſuorum amiſſis, rejectus eſt, tandémque quarto aſſultu cæſis utrinque non paucis, eo potitus.

Præl: plura.

Theat: f. 124.

CLXX. *Theat: Europ. P. 4. f. 279.*

An: 1640. Generalis Cæſareus *Götz Colinium in Bohemia* medio Februario, vi cepit, totúmque *Svecorum* præſidium occidit. Velitationes acerrimæ fiebant, quibus *Panirio* maximum illatum eſt damnum. Inter alia Comitis ab *Hoditz* Regimen 10. vexillis conſtans propè univerſis Militibus occiſis, deletum. Poſt *Reginohradecium* (20. Februarij) recuperatum, in velitaribus prælijs ſex *Svecorum Regimina*, præſertim *Eberſteinenſe à Cæſareis* non parvam accepêre in *Bohemia* cladem. In fine Februarij in Diſtrictu *Boleslavienſi Cæſarei* mille Equites ſexcentos *Svecos* malè accepêre, ut vix ducenti effugerint.

CLXXI. Anno 1641. *Bohemia* vix ullo publicè ſangvine immaduit, alibi terrarum pugnantibus *Svecis*, niſi quòd in Martio fugiens *Panirius* in *Breſnitz in Bohemia* penè concluſus, tamen evaſerit; clades *Svecis* illata non poteſt inter prælia numerari, nec velitationis menſuram multùm excedit.

Theatr: P. 4. f. 927.

Annus 1642. bellum in *Bohemia* non habuit, ſed contagione, ut ità dicam *Moraviæ*, in qua *Sveci* dominabantur, miſera fuit & noſtra conditio, uſquè *Gitzinium ab Olomucio* tributa exigentibus *Svecis*, & pagis, oppidis,

Digitized by Google

Rurſus noſtræ & Svecicæ clades pidis, ac Civitatibus, velut ab hoſte (quoties *Svecis* luberet) incendia redimentibus pretio; ſed multo illis ſangvine prædatio conſtitit: quingenti Equites *Sveci à Rublando*, qui *Urbi Glacenſi* præerat, cęſi 186. capti 120 reliqui diſſipati. Paulò pòſt *Croatarum Ductor Rakeẇicz, Reichvvaldium Svecorũm Ducem in Bohemia* nactus, ducentos *Svecos* captivos reduxit, & tantò plures occidit. hæc in fine Julij geſta. Initio Octobris ad *Schlukenaviam Cæſarei* ductoris *Mattlohe* in ſilva latentis ſtratagemate, malè acceptus eſt *Svecorum Ductor Schlangius;* ex duobus Regiminibus, quæ ducebat, plurimi cæſi, 150. capti, reliqui diſſipati. *Ibid.*

CLXXII. In fine Novembris *Rokyczana Civitas*, totáque illa vicinia *Plſnam* versùs, plurimas mortes vidit, cùm ex *Madloviano Regimine*, quod turpi in prælio *Lipſenſi* fugâ ſacrilegium militare admiſerat, Præfecti penè omnes, ex militibus verò decimusquisque carnificis manu perierunt. Extremo ànno *Sveci*, qui in *Jupiore Boleslavia* nidificare cæperant, à Comite *Ladislao de Waldſtein* fugantur. *Ibid:*

An. 1643. *Dorſtenſonius* repentè raptis quibusdam copijs à *Freiburgo in Bohemiam* excurrit in Januarij fine, & *Cadanæ 60. Croatas* occidit, reliquos fugavit. *Ibid:* In Majo uterque & *Cæſaris, & Svecorum Exercitus in Bohemia* conſedit, nihil actum memorabile. *Bohemia* tum temporis, totóque illo anno *via Regia fuit*, quâ iſti, & illi, quoties luberet, commearent innoxiè. In Aprili à Svecis ad *Monachogrecium* ad Iſeram in *Diſtrictu Boleslavienſi Croatæ* oppreſſi non paucos amiſerunt ex ſuis. 24. Maij Exercitus *Svecorum Albim* facto Ponte tranſivit, multis hinc inde, ſed velitando *Cæſareis* militibus occiſis, & ante *Pragam* totus conſtitit, quem tunc è mœnibus ſtantem ſpectavimus, qui mox in *Moraviam* ſeſe convertit. Novæ clades. *Ib: P. 5. f. 217.*

CLXXIII. Annus ſequens 1644. innoxius fuit *Bohemia*, neque ullo prælio apud nos, & ſangvine infamis; reliqua in eorum temporum Scriptoribus leguntur. Annus alter Sangvine plurimo Patriam rubefecit: ipſo ejus Anni 1645. principio, Januario, *Svecorum Exercitus Bohemiam* ingreſſus, necquicquam tentatâ Arce *Tetznenſi*, & pluribus ſuorum amiſſis, caſtra ad *Zatecium, & Cadanam* fixit; 24. Januarij *Reichvald Svecus* in pago *Beſſin Croatarum Regimen* oppreſſit, capto ipſo *Duce Palſi* cum trecentis Equitibus; Sed quid iſta ad pugnam *Jankovienſem Cæſari*, & omnibus noſtris *Provincijs* infœlicem? in qua, qui minimùm dixère, tria millia ab utraque parte in acie cecidiſſe (ut ſauciorum, & captivorum numerum ſileamus) qui plurimùm, ſex millia poſuerunt. Eam cruentam pugnam 6. Martij initam deſcripsère plurimi, & tribus tabulis expreſſit *Merianus*; noſtrum non eſt hæc perſequi. *f. 817.* *Theat. Europ. Tomo V.*

CLXXIV. *Dorſtenſohnius à Brunâ* repulſus Auguſto menſe in *Bohemiam* rediens, *Pardybicium, & Reginohradecium* fruſtra tentavit; *Pardubicij* non paucos ex ſuis amiſit. Anno 1646. inchoato 150. *Polones Cæſarei à Svecis ad Zatecium* cæduntur, ſex & triginta, non ampliùs, effugerunt. Reddidit hoſtibus vicem *Devverthius* cæſis in pluribus velitationibus aliquot centurijs *Svecorum*. Plures ejuſmodi cruentas Velitationes in *Bohemia* deſcribit Author *Theatri Europæi*, quas, cùm nihil memorabile contineant, prætérimus. *fol: 923.* *fol: 1016.* *fol: 1017.* *fol. 1031.*

Anno 1647. inſignem cladem in Februario *Cæſarei à Wittembergio* ad *Policzkam* ante *Braumoviam* acceperunt, cæſis aliquot *Montecucolianorum* centurijs, alijs captis, alijs uſquè *Reginohradecium* fugientibus & diſſipatis. *fol: 1834.* Cæſi Cæſarei quidam

CLXXV. In *Julio* hujus Anni obſeſſa à *Svecis Egra*, poſtquam egregiè reſtitiſſet, & quater omni vi aſſilientes *Svecos* repuliſſet, deditione in hoſtium poteſtatem venit, ſtante non procul inde *Exercitu* *Theat. Europ. f. 1396. & ſeq.* Egrenſis obſidio.

Digitized by Google

xercitu Cæſareo, atque ipſo Auguſtiſſimo *Cæſare Ferdinando III.* Periêre ex obſeſſis toto eo tempore milites trecenti, quadraginta ſex è Civibus, ex *Svecis* occiſi mille quingenti. 28. Julij cruentæ Velitationes commiſſæ, non parvâ cæde militum, præcipuè *Svecorum*. 30. Julij *Svecorum* furioſus ductor *Helm Wrangel* caſtra Cæſarea, vel ipſum *Cæſaris* cubile inopinatè invaſit, & *Cæſarem* in aliquod conjecit periculum, ſed virtute Vigilum cum ignominia repulſus eſt, occiſi è *Svecis* quingenti, plurimi vulnerati, ex *Cæſareis* triginta non ampliùs deſiderati.

CLXXVI. Paulò pòſt *Cæſarei* in conſpectu *Svecorum* arcem *Tribel* aſſultu capiunt, & omnes præſidiarios *Svecicos* interficiunt; cùmque *Sveci* ex ſuis, ſexdecim agmina ſuorum in auxilium obſeſſis miſiſſent, hos *Devverdius* inſidijs prælocatis exceptos, fugavit; numerati præter ſaucios mille quingenti *Svecorum* in campo occiſi, vexilla viginti aliquot hoſti erepta, & *Cæſari* in caſtris præſenti ſunt oblata.

fol: 1394.

CLXXVII. Praga capta.

Annus 1648. *Bohemiæ* cruentiſſimum bellum, & optatiſſimam attulit *Pacem;* nunquam ullum *Bohemiæ* inflictum altius vulnus eſt hâc ætate, quàm dum *Arx Regia Pragenſis, & Praga minor* cum tota Nobilitate, & Regni *Senatu* univerſo à *Königsmarkio* caperetur. Capta eſt viceſimâ ſextâ Julij ſceleratâ proditione *Franconici Equitis ab Ottovvald*, quem *Poloni*, dum apud eos militaret, *Ottovvaldsky* dixêre; (at is ſeipſum *Oſvvaldum de Streitenberg*, ùt audio, appellabat) ſed hæc omnia, id eſt rapinas, cædes Civium, ſævitiam hoſtium, inurbanitatem, & inhumanitatem, ut mitiſſimè dicam, *Sveci Ducis* in ſedem, thronum, & cubile *Cæſaris* admiſſam, jam ante me complures, & poſt ætatem meam cæteri, lætiùs, & ſecuriùs proſequentur; mihi ad propoſitum meum ſatis eſt dicere: & in occupatione *Parvæ Urbis*, & deinde in acerrima Reliquarum duarum *Urbium* oppugnatione, *Pragam, & Pragæ* tellurem ac mœnia tam Civium ſuorum, quàm hoſtium ſangvine liberaliter (quod ipſi vidimus) maduiſſe. Qui parciſſimi in numerando ſunt, quatuor hoſtium millia *Pragenſe* ſolum, occiſos, momordiſſe dicunt, ut vulneratos taceamus; alij alterum tantum numerant; ex militibus, Civibus, juventute Academicâ, atque etiam Religioſis, qui ſtabant armati, quot ceciderint, non memini uſquam me legiſſe; crediderim, ſi omnium à *Svecis* ferro tam in *Urbe minore*, quàm poſtea in *Majore, & Nova*, tormentis, & machinis, globis ſcloporum, & cuniculis, granatis, & ſaxis in altum libratis, & in caput ruentibus, haſtis, & enſibus, aliiſque præliorum artificijs cæſorum numerus ineatur, facilè ad *octingentos*, vel mille omnis generis homines interfectos numerari poſſe. *Pax optima rerum, quas homini vidiſſe datum eſt* (ùt canit Poëta) *Monaſterij Weſtfalorum*, candore ſuo cruorem hunc omnem paulò pòſt diluit, aut prorſus abſterſit. Faxint ſuperi, ut nunquam hic Præliorum numerus, quem ad ætatem noſtram perduximus, augeatur, ſed translato in Barbaros, & fidei Chriſtianæ hoſtes bello, in Patria

Brachel. l. 7. hiſt. ſui temp:

Lucan:

- - *ferro, & compagibus arctis*
Claudantur Belli Portæ, Furor impius intus,
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremat horridus ore cruento!

Virgil:

§. X.

§. X. & Ultimus.

Cauſſæ Bellorum Bohemicorum præcipuæ; adijciuntur quædam Civitates, villæ, & Pagi, qui in campis præliorum, aut per occaſionem pugnæ ſunt excitati.

Brachel. ad A. 1648. Gold in Libris de Boh.

IN primis agnoſcendum eſt quoddam Patriæ noſtræ fatum (ut quondam *de Roma* neſcio quis Romanus dixit) bella cruentiſſima ex ſeſe gignentis, & ſæpe alijs etiam gentibus gerenda, velut per manus tradentis, ac tandem (cùm DEO *Pacem* terris dare placuerit) fæliciter finientis; revocent ad animum *Lectores*, vel hoc, in quo nunc degimus, decimum ſeptimum ſæculum, & vera, quæ dico, comperient; tractavit hoc argumentum peraccuratè *Goldaſtus*, & *Bohemorum* cum *Germanis* bella percenſuit; at, quòd ex omnibus bellis *Rebellionem* conficere velit, non parum ſe præſtat injurium, ſuóque ſe confodit gladio, ut luculentè alio in loco probavi.

Cauſſæ bellorum in Bohemia.

At unde ea bellorum in *Bohemia* tam fæcunda ſeges, & tam læta fæcunditas? an id gentis Martiale ingenium facit? ferè enim Imperia, quę armis condita ſunt, armis propagantur, & ſervantur; conſtat verò *Czechum*, & *Lechum* gentis authores cæde *Romanorum* patratâ, adhuc ab ea cæde recentes, & cruentos, ſocios, & militares viros ſecum in has oras rapuiſſe, & duo Regna *Bohemicum*, & *Polonicum* fundâſſe; *fortes* itaque *creantur fortibus*, & cùm aliæ gentes ingenium habere, & ferre in digitis dicantur, alij callidi ad mercimonia, & quæſtus, alij ad nauticas artes, ut pendeant per maria, alij ad regendos imperio populos, ut de *Romanis* ſuis cecinit *Poëta*, alij ad peregrinandum, & patriam alibi quærendam, alij ad alia naſcantur, *Bohemos Veteres*, ac magnanimas *Polonorum*, & *Slavorum* gentes, ad arma gerenda natos fuiſſe. An id opportunitas locorum fecit? nam, cùm *Bohemi*, natio linguâ, & moribus à *Germanis* olim diverſa in medio jaceret, cingentibus eam undique *Germaniæ* populis, fortè vel ideo opportunior injuriæ vicinis videbatur? an fortè ipſa inquieto ingenio cauſſam præbuit bellorum? an quòd *Imperio Germanico* ſubjici non pateretur, ſéque liberam in has oras veniſſe recordabatur, ultróque laceſſeret, aut laceſſita bellum defenderet? an, quòd ubertate, & fæcunditate optimis quibusq; *Germaniæ* terris certaret, plus etiam *Invidiæ* colligebat? certè Poëta ingenioſus cecinit:

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinúmq; pecus grandius uber habet. Ovid.

Appian. in Parthicis. Mariana in Hiſpan.

An aurum, argentum, gemmæ, aliáque vitæ humanæ bona, quibus olim ad invidiam plurimarum terrarum abundabat, aut etiamnum abundat *Bohemia*, cupiditatem habendi, & ex ea ferrum vicinorum acuebat? compertum enim eſt, & experimentis cognitum: terras propè omnes, quę aurum, gemmas, argentum, & rerum pretia gignant, *Bellis* maximis oppugnari, & *Magnetem* quidem *acus ferreas*, aurum verò tela *ferrea* invitare, & ad ſeſe trahere? hinc *Carthaginenſium*, & *Romanorum de aureis Hiſpaniæ Puteis* cruenta, internecina, & ſæculis protracta certamina, ſolo alterutrius Urbis excidio reſtincta.

Omnes terræ, quæ divites metallis, bello petuntur.

Quàm multi dati ſunt inauri caſus, ait Salomon! quod ad aurum, & opes, quæ hominibus omnium ſunt cauſſa malorum, ſacri Interpretes retulerunt.

Conſilia Politica.

Non poſtrema bellorum noſtrorum cauſſa fuit forſitan Imperij cupiditas: nam cùm *Imperium Germanicum* electione Imperij Principum acquireretur, non ſorte naſcendi, cúmque *Bohemiæ Reges* potentiâ, & viribus & populo, cuique

que

Digitized by Google

que in *Imperio Principi* aut pares, aut etiam ſuperiores haberentur, atque ex ea cauſſa ad *Imperium* ſæpius, multis jam inde ſæculis vocarentur, nimirum operam conferebant æmuli, ut vel *Bohemiæ Regnum* penes unam *Principum familiam* non eſſet, aut ad alios reſpiceret, aut cùm id aliquando præſtare non poſſent, ut ſaltem enervaretur, rueret ſuper regnantes, & velut ſceletum, ac *alienis viribus mobile lignum* ſuis non conſtaret nervis, & ad ſummam, ſeu Imperium nihil proficeret. Quæ maleſana conſilia mirum eſt, olim placuiſſe hominibus Patrijs, qui ſe omnia pro ſecuritate regnantium velle, & nullam dimicationem recuſaturos inaniter gloriabantur! atqui perforabant eam navim, in qua ipſimet navigabant. Sed ego me tantis rebus imparem ſentio, ideóque alijs poſt me hanc diſputationem integram relinquo; de *Bellis* unicum iſtud adjicio: non mirum cuiquam videri poſſe *Veterem Bohemiam à Pio II.* cæteriſque Scriptoribus (ùt ſuo loco dicemus) bellicoſam, & armorum ſtudioſam appellatam fuiſſe: *Optimus miles ex confragoſo venit*, verba ſunt *Vegetij* de militum conſcriptione, & delectu loquentis, probátque ibidem (cui *Plinius* ſubſcribit) *fortiſſimos viros, & ſtrenuiſſimos Milites ex Agricolis*, qui opere durati ſint, exiſtere. Utramque hanc notam *Bohemiæ* Incolas habuiſſe, nemo dubitare poteſt; nam & montoſa omnis ferè *Bohemia* eſt, & ſi ullo hominum genere, tum potiſſimùm *Agricolis* conſtat.

Horat.

Populus Bohemiæ bellicoſus.

Silv. in hiſt. Boh.
Bonſin. paſſim in hiſt. Ung.

Vegetius l. 1. de re militari. Ib. Veget. & Plin. l. 18. hiſt. Nat. C. 5. in edit. Dalecam:

Stransky Reip. Boi. C. 2. § 3.

Loca præliorum in Bohemia enumerantur.

Pertinere ad hoc *Caput* videntur eæ Urbes, aut pagi, qui aut in præliorum loco conditi, aut à prælijs appellationem ſunt ſortiti: *Brodam*, (quam *Bohemicam* dicimus) inde dictam inter Authores convenit, quòd cùm *Wiſſehradenſes*, & *Kaurzimenſes* vetuſti *Bohemiæ Principes*, eo in loco terminali ſępe infeſtis armis concurrerent, fuſóq; ſangvine, equi pariter, & homines pedes merſarent (quod **brodit** dicimus) ab illa cruenta vadatione vicum *Brodam* vocârint; ſita eſt inter tres alios pagos, qui intra primam fortunam (*Brodâ* in Civitatem evectâ) manſerunt: primus eſt *Przistaupina*, quaſi dicas, primus in hoſtem acceſſus, & pedatus; alter *Tuhoraza*, id eſt acris percuſſio, & conflictus; tertius *Tuclaca*, vel *Tucleca*, à genuflexione, quod victi faciunt, vitæ gratiam, projectis armis, poſtulantes. Ad *Przedlicen* vicum in *Auſtæ* vicinia acerrimè A. 1426. pugnatum eſt, cadentibus multis millibus *Miſnicorum*, ùt habet *hiſtoria Thuringiæ* C. 162. Locus pugnæ hodiéque **na Běhánj** vocatur (*campus* vel *area procurrentium*) columnâ, geſtæ rei teſte, inſignis. Non procul inde **Žroby** (id eſt *Sepulchra*) quòd cæſis in loco terra conceſſa ſit. Poſt *Bilinam* item ad *Mireſſovicium Hrobczice* pagus ſurrexit, quòd ibi, qui ad vicinum pagum *Zelenice* in prælio ceciderant, ad tumulos ſint deportati. *Taborium* quoque Civitas à militaribus *Tabernaculis* appellata eſt, ùt *Lauda*, & *Stransky* docuerunt, quæ ſententia ex *Polonica* lingvâ firmatur: *Tabor*, ait Piaſecius Polonus Scriptor, *Noſtri vocant Caſtellum ex curribus junctis arte militari conſtructum*; ad hanc formam Civitas illa *Taborienſis* exſtructa fuit, ùt alio in loco narravi. *Kyge* pagus hodiéque in *Caurzimenſi Diſtrictu* notiſſimus, in prælij loco conditus eſt, illúdque ei nomen impoſitum, quòd octingentos fuſtes repererint *Bohemi*, quibus *Czechos* ſe è *Bohemia* expulſuros *Moravi* jactaverant, ùt eſt apud *Hagecium*, *Kyge* enim baculos ſignificat. *Tuhonie* itidem pagus in area pręlij ſtat etiamnum; eadem eſt origo villæ *Boganovv*, & plurium ejuſdemmodi pagorum, quos omnes enumerare velle, cùm id magnopere ad *Notitiam Veteris Bohemiæ* non pertineat, hominis foret diligenter, & laborioſè otioſi.

Fab. in Miſn: in Frider: l. & lib. 7.

Piaſ: in Chron. ad A. 1620.

Hag. A. 794.

Id. 863. 888.

Sed me quoque jam tot prælijs enumeratis ſatietas quædam, faſtidium, & odium humani ſangvinis effuſi te-

Mm nec

Digitized by Google

net. *Sævit amor ferri, & ſcelerata inſania belli*, quo vel ipſum chartæ candidum, & innocuum æquor cruentari, & eorum ſcelere, qui bella volunt, & provocant, conſcelerari videtur; jam cú *Goldaſto* obtrectatore *Bohemiæ* mihi res erit, quem breviſſimè pro tam fœcunda ejus maledicentia refellam, nè ſilentium ad tot maledicta *Bohemæ gentis* univerſæ, pro confeſſione ab ignaris accipi poſſit.

CAPUT XXII.

De malignitate Goldaſti in Bohemiam, cujus errores, & mendacia quàm plurima proferuntur, & apertiſſimè ſummâ brevitate refelluntur.

Goldaſtus propè in omni argumento virulentus.

Plutarch. Tom. III. Moral. ex editione Sylburgij.

P*Lutarchus* ſapientiſſimus ætate ſuâ Scriptor, idémq; optimo *Imperatori Trajano* chariſſimus, Librum vulgavit peregregium (qui inter ejus immortalia opera hodiéque legitur) cui titulum fecit, *de Herodoti Malignitate;* hoc certè exemplo Nos quoque quicunq; in *Bohemia* nati ſumus, jure meritiſſimo conari oporteret, ut malignitatem *Goldaſti* demonſtremus Orbi; tantis enim, & tam varijs maledictis *Bohemiam Goldaſtus* affecit, ut à *Bohemia* condita neminem extitiſſe putem, qui majore odio gentis noſtræ occupatus ſcripſerit, quàm obtrectator *Bohemici nominis Goldaſtus;* neque illud odium innatum fuiſſe viro, & inuſtum quodammodo exiſtimo, (quamvìs ejus pennam, ſemper maledicam, ſemper virulentam fuiſſe Clariſſimi Scriptores *Gretſerus*, *Theophilus Raynaudus*, aliique demonſtrent, ut defenſioni locus eſſe non poſſit) ſed à viro dignitate, & munere magno, emtus, & ad *Bohemorum* odium, pretio inductus, (ùt perhibent) animum induxit non ſegniter mentiri, & gnaviter impudentiam oſtendere, ut abſque omni controverſia mercedem promiſſam operi mereretur. Exiſtimo exorituros aliquando ex *Bohemorum* albis oſſibus eruditiores aliquôs, & majore otio abundantes Scriptores, qui ejus fallacias, & aperta mendacia non modio, ùt *Plautus* dixit, ſed ipſo horreo admetiantur, útque Servi canibus obſcœnis, & nauſeabundis in cautelam, & pœnam faciunt, vomitum ipſum maledicentiæ in os regerant, cogántque vorare. Illud generatim non modò ſolatij, ſed etiam defenſionis loco, *Bohemia* noſtræ ſubſervire poteſt apud cordatos, & rerum humanarum prudentes, quòd eum *Bohemia* habeat obtrectatorem, quem *boni mores*, quem *Ordo Societatis JESU*, quem denique *Romana Eccleſia* capitalem habuit hoſtem, virulentiſſimis ab eo voluminibus editis, & revocatis è tumulo putreſcente omnium hæreſiarcharum Erroribus. Scripſit Librum *de Lectione Veterum*, in quo (adversùs omnes probatos conſenſu nationum mores, ſenſúmque omnium bonorum, adversùs ipſam prudentiam, conſcientiam, humanas, divináſque leges) *ſtultiſſimè*, ùt ait *Raynaudus*, contendit: *Pueris, & adoleſcentibus* malè prohiberi Librorum, & Poëtarum obſcœnorum lectionem; immeritò arceri eos à ſpectaculis; legendas ab ijs eſſe Comœdias argumentis ipſis fœdiſſimas; malè libros excuti è manibus adoleſcentûm de amore meretricio, de furtis amorum, Elegias criminoſas, ſatyras Petronianas, Priapeja, Epigrammata fœdiſſima; ac primùm credebam

Gretſer. in Apologia pro Baronio. Th. Rayn. To. X tr: de bicipiti Eccleſia. Item To. X. in Erotematicis. item To. XVI. in Heteroclit:

Goldaſtus hæreticus & hoſtis bonorum.

Tomo X tr: de bicipiti Eccl. Punct 9 N 4.

Magiſter juventutis peſſimus.

Goldaſt in Proleg. ad Petron. Arbitrum.

bam *Goldaſtum* Ironem eſſe, ùt olim *Socratem*, qui *Iron* dictus eſt, & ironicè ſcripſiſſe; at ubi eam rem vero vultu, & ſententiâ confirmari perſpexi, ſtultitiam, & imprudentiam impurati hominis ſatìs admirari nunquam potui; ſed eum egregiè in hoc argumento retudit *Theophilus Raynaudus*. Porrò *Societatem JESU* adversùs ejus calumnias defendêre permulti; *Eccleſiæ Romanæ, & Sanctæ Sedis* authoritatem, & cauſſam egêre, omnes, qui poſt *Goldaſtum, Controverſias* religionis tractavêre CatholiciScriptores. Sed directâ fronte, & explicatâ acie *Jacobus Gretſerus Soc: JESU* toto *Apologiæ Baronianæ* grandi volumine, *Goldaſti Calviniſtæ commenta* (ùt *Spondanus* loquitur) *refellit*, eúmque ipſis caſtris exuit. Mirabile in *Goldaſto* odium in *Romanos Pontifices* eſſe oportuit, qui aliquot *Baſilicis Voluminibus* (ità enim vocat) omnia hæreſiarcharum opera, quotquot ab *Eccleſiæ Catholicæ* primis ætatibus nanciſci potuit, evulgavit, & Tomis aliquot diviſit: *Quidam infectionem* (ait *Raynaudus*) *puritati ſanæ doctrinæ moliuntur inferre, ùt Bertrami, Abelardi, Guilielmi de Sancto Amore, Wicleffi, & aliorum impiorum Scriptorum è tumulo (in quo fatebant) Editores; quod nuper indigniſſimè factum à Goldaſto, qui & librum Occami inter Collectanea ſua vulgavit.* Credibilé-ne eſt *Goldaſtum* omnia illa hæreſiarcharum dogmata tenuiſſe? minimè gentium, nam ſibi ipſi falſitas adverſatur, ſed odio *Catholicæ Religionis* præceps, & cæcus, quidquid adversùs eam doceretur, ſuum eſſe, & in ſuis partibus ſtare putavit. Hæc alijs tractanda relinquimus, nos paucula, quæ libris ſex *de Regni Bohemiæ Juribus* adduxit, breviſſimè perſequemur; qua in re *Goldaſtum* ſæpenumero *Goldaſto* opponemus; ità enim ipſe ſibi veritatis vi ictus, & victus adverſatur, ut nemo magìs *Goldaſtum*, quàm ipſe *Goldaſtus* oppugnârit. Simul hæc, quæ adferemus, neceſſariæ defenſionis obtinebunt locum: jam enim audivi quoſdam obtrectatores (qui nunquam inſpexêre *Goldaſtum*) reprehendere *Epitomen rerum Bohemicarum* meam, & in deterius accipere, quòd ſæpius invehar in *Goldaſtum*. An oro tot calumnijs in *Nationem noſtram* conjectis, ſatis erit reſponſi, ſi uno in loco, aut in margine nominetur? cum calumniatore totâ fronte pugnandum, & *Mentiris*, ut ait ille, dicendum; Terentianum eſt: *Si mihi pergit ea, quæ vult dicere, ea quæ non vult, audiet.*

Rayn: To: XI. in Erotem: 7. — Hoſtis capitalis Eccleſ: Romanæ. — *Jacob Gretſe: in Apolog. pro Card. Baron:* — *Spond: in Not: ad A. 895. editis Francof. A. 1627.* — *Gold. in Tom: Baſilicis.* — *Rayn. Tr. X. ſup. cit. & To. XVI. in Heteroclitis.* — Videtur nō hæreticus, ſed atheus. — *And. A. 4. ſc. 4.*

§. I.

Errores, & Malignitas Goldaſti exemplis aliquot prolatis oſtenduntur.

Libri I. Capite primo conatur oſtendere *Bohemiam Germaniæ eſſe Provinciam*, ex eo, quòd antè *Boy Germaniæ populus in Bohemia* habitârit. An *Bohemia Germaniæ* pars ſit, non diſputo (nuper hoc argumentum tractavi) at antiquioribus Cultoribus, Provincias adſcribere, & donare, tam ridiculum eſt, quàm ſi *Romanis* hodiernis, & *Hiſpanias, & Gallias, & Germaniam* uſquè ad *Albim* adjudices. Sed neque ipſi *Romani* rerum *Domini*, Dominis carebunt, cùm *Italiam* ante *Romanos Græcj* tenuerint, atque ipſum *Romæ* locum priùs quàm à *Romulo* condita Urbs eſſet, Græcos inſediſſe, *Dionyſius Halicarnaſſæus hiſtoriæ* ſuæ principio, probabili ſatìs narratione confirmet. Deinde *Goldaſtus* ipſemet, Slavos ab *Albis fontibus* uſquè ad *Mare Oceanum* primitus habitâſſe narrat; cur igitur

Antiqui tituli nihil conficiunt. — *C. 1. huj: Lib:* — *Dion: Halicar. l. 1. antiq. Rom.*

tur *Slavis* ſuas regiones non reſtituit, cur *Germaniam Septentrionalem* Regionibus *Slavorum* non adſcribit?

Error Goldaſti.

C. 2. *Coſmam Pragenſem Epiſcopum* cum *Decano Pragenſi* ejusdem nominis confudit, quod per *Chronologiam*, *& rationem* ſubſiſtere non poſſe, alibi jam dictum eſt.

In Ep. hiſt. l. 2. C. 8. in Not.

Falſa vocis detortio.

C. 3. Injurium ſe genti ſuæ *Goldaſtus* præbuit, cùm quosdam Germaniæ populos à Nemen, id eſt rapere, & prædari, *Nemetes* appellatos putat. Grandior error ſequitur: *inde*, inquit *Sarmatæ*, *& Scythæ Germanos Nemetzky vocant*, *à rapiendo*, *& prædando*; cùm in *Slavorum lingva* nulla omnino vox ſit, quæ Némec prædonem, aut raptorem ſignificet, unde autem vox Némec nata ſit, oſtendit *Hagecius*.

Hag. in Ann.

C. 6. ejuſdem libri, hæc habet *Goldaſtus*: *Marobodus deſertus à ſuis ob ſævitiam*, *vincitur ab Arminio Cheruſcorum Principe*, *qui etiam ipſe à ſuis ob Tyrannidem affectatam eſt occiſus.* hæc certa, & proba; addit de ſuo *Goldaſtus* ſtultam, & ridiculam concluſionem: *hoc tempore ab Arminio ſub ditionem Populi Romani*, *& quod ſequitur*, *in ditionem Germanici Imperij Bohemia eſt redacta.* Non video, quid ſtultiùs poſſit inferri: nam etſi *Bohemiam Germaniæ Provinciam* eſſe dicamus, tamen id eo tempore factum ab *Arminio*, quomodo dici poteſt? *ô Goldaſte*, nónne jam antè C. 2. *Bohemiam Germaniæ Provinciam* fuiſſe dixeras vel ex eo, quòd in ea *Boij Germaniæ populus* (veriùs Galliæ) habitârint? deinde, quâ authoritate *Arminius* alienum Regnum adjunxit *Romanis*? an arma *Arminij* arma erant *Romanorum*? ut quidquid *Arminius* obtineret, continuò obtinerent *Romani*? imò & *Germani*? qui poſt tot ſæcula in Titulum *Imperij Romani* ſucceſſerunt? nullus certè capitalior hoſtis Romanorum, quàm *Arminius* fuit, qui *Quintilium Varum* cùm Legionibus delevit; videantur ejus adversùs *Romanos* conſilia, & bella apud *Vellejum*, *& Tacitum.* Denique tota *Goldaſti* probatio caduco innititur fundamento *Marcomannos eſſe Bojos*, quod omnes Scriptores negant, pernegántque. Si neges, cadet *Goldaſti* aſſertum: *Bohemiam eo tempore Germanici Imperij Provinciam eſſe cæpiſſe.* An exiſtimavit *Goldaſtus* nullum è *Bohemis* (quos alibi ab ingenio commendat) unquam futurum, qui pſephiſmata hæc intelligat? vel auſit refellere?

Goldaſtus ſibi ipſi cõtradicit.

In Notis ad C. 7. ait *Goldaſtus*: *Rebelles Bohemiæ Proceres*, *Ruperto Cæſari Regnum Bohemiæ unà cum ipſo Excæſare Wenceslao obtuliſſe*, *ſed Rupertum recuſâſſe*, *idque Theodoricum à Nihem ſocordiæ Ruperti adſcribere.* Hæc *Goldaſti* narratio tam incredibilis eſt, ut de ea, nè verbo quidem, coævi Scriptores meminerint; *Theodorus Nihem*, quod à pluribus obſervatum eſt, *Lucemburgicis Regibus* infeſtiſſimus *Scriptor*, hoc loco audiri unus non debuit; at quos mihi *Goldaſte Rebelles Bohemiæ Proceres*, niſi *Catholicos* nominabis? nam hæretici, & novarum rerum cupidi (ùt ex *Æneа Silvio*, & Oratione *Wenceslai Coranda* conſtat) nullum Regem unquam præ *Wenceslao* mallebant, qui ſaginæ ſuæ deditus, nullum illis negotiũ faceſſeret, & permitteret omnia; quæ ipſa cauſſa fuit, cur *Sigiſmundi* fratris operâ ſemel, iterùmq; Regibus, & Principibus Imperij, ac propè universâ Europâ probante, in cuſtodiam *Archiducibus Auſtriæ* ſit datus; quod, ſi, *Goldaſte* reprehendere pergis, eâdèm operâ reprehendere, & Rebellionis arguere eos omnes *Imperij Principes*, ac Ordines debebis, qui *Wenceslaum*, cui *Electo Imperatori* antè juraverant, contra datam fidem abdicârunt. At quem Imperium abdicavit, *Bohemi* non deſeruêre, ſed ad mortem uſquè manſerunt in fide, nè ijs quidem exceptis, quibus alioqui fidem frangere eſt in proclivi.

Maledictũ novum.

Spond. in Ann. Eccleſ.

Silv. in hiſt. Boh.

C. 8. Perſtringit *Goldaſtus Marcomannorum* bella cum Romanis, tum addit de ſuo: *ſemper hæc Regio prætextu libertatis Populos tulit in ſupremam poteſtatem*, *malè morigeratos*, *& rebellatores.*

Adverſantia ſibi ſcribit Goldaſ.

Digitized by Google

latores. Vide, ô *Goldaſte*, quid ſcripſeris! *Marcomannos Germaniæ* fuiſſe populos tute probâſti, quis igitur adversùs *Romanos* arma corripit? cur *Regioni* crimen imputas, quod *populo* imputare debuiſti? tota accuſatio in te, ac tuos redit, quid peccavit regio, quam nondum *Czechius* cum *Slavorum* populis intraverat? quod ſi regioni vitium hoc, & crimen ineſſe dicas, excuſatiùs peccat Populus; quo nihil dici poteſt abſurdius. Quid *Bohemis Slavicæ genti*, cum *Marcomannis Germaniæ populis* commune? ſed valeat hîc, quod C. 7. paulò antè pronunciâras: *Romani, non erant legitimi Germaniæ* (dic etiam Marcomanniæ, dic Bohemiæ) *Domini, ſed hoſtes, & uſurpatores Dominium quærentes, non habentes.* Vide cæcitatem tuam, ſi potes, *Goldaſte*; quod in alijs legitimam defenſionem ſtatuis, hoc in gente, quam calumniaris, *Rebellionis crimen* appellas.

Eodem C. 8.

Error Goldaſti de Diœceſi Mediolanenſi, ad quam exiſtimat pertinuiſſe Bohemiam

Ibidem, quàm in ſacris Canonibus parum operæ poſuerit, ſatis oſtendit; nam, cùm narrâſſet *Fritigilem Marcomannorum Reginam à S. Ambroſio Fidei* formulam petijſſe, ſubjecit *Goldaſtus*: *hinc colligitur, Regna Bohemiæ, & Moraviæ ad curam Archiepiſcopi Mediolanenſis pertinuiſſe.* Dormitas, ô *Goldaſte!* quid enim? an peti non poſſunt documenta fidei, præſertim à *gente* nondum Chriſtianis ſacris initiata, ac proinde nulli adhuc Antiſtiti ſubjecta, ab eo Epiſcopo, ad quem *Diœceſis* ipſa non pertineat? videlicet ob gloriam docentis? ſic ad *Hieronymum*, ſic ad *Auguſtinum* (ùt ex eorum *Epiſtolis* conſtat) ex orbe toto quæſtiones dubiæ deferebantur, non continuò tamen ſubjectos fuiſſe, qui detulêre, probatur; ipſum hunc *S. Ambroſium*, ajunt *Paulinus, & Baronius*, non tantùm vicini *Italiæ Epiſcopi*, tanquam oraculum quoddam, & ſynceræ doctrinæ magiſtrum venerabantur cum *S. Auguſtino, S. Paulino, S. Baſilio, S. Hieronymo*, ſed etiam præter *S. Baſilium*, alij Orientis Epiſcopi. Vide item; quæ ſuprà de *Marcomannis* dixi ex *Welſero*, videlicet non eos fuiſſe, qui *Moraviam, & Bohemiam*, ſed qui *Romanam Danubij ripam* incolerent, quarum *Regina Fritigil* nominabatur.

Paulinus & Baronius in Vita S Ambr: præfixa ejus operibus. Nicol. Lancic: To: 1. Opuſc. 5. C. 8. N: 103:

Velſ. in Boicis. Adelzr: in hiſt. Boj. Vid. lib. 2.

C. 9.

Error de ſedibus Wandalorum.

Caput nonum hujus primi libri ſui aliquot erroribus, velut gemmis diſtinxit *Goldaſtus*: *Wandali*, inquit, *fuêre Germani* (hoc probum) *& habitârunt in inferiore Saxonia, & Polonia. Ita Welſerus, Cromerus, Theobaldus, Meibomius, & Sudetis.* Quidquid ſit de *Wandalorum* ſedibus (quod cùm de *Wandalis* egimus, examinavimus) certiſſimum eſt: *Cromerum* falsò adduci, qui nunquam in *Polonia* habitâſſe *Wandalos* lib. 1. C. 5. hiſtoriæ (alijs ſedibus aſſignatis) oſtendit: cæteri, quos adducit Authores, in tertia eorum migratione, non in *Polonia*, ſed à *fonte Viſtulæ* (qui in *Teſſinenſi Sileſiæ Principatu* oritur) ad *Hermunduros*, & ultrà porrectas fuiſſe *Wandalorum* gentes demonſtrant.

Error in tempore & perſona.

Pergit *Goldaſtus*: *Hoc*, inquit, *pudibundo errore deceptus S. Wenceslaus Dux Bohemiæ ab Ottone I. Imperatore petijt corpus S. Sigiſmundi Burgundionum, Vandalicæ Gentis, Regis, tanquam unius ex Majoribus ſuis.* Quàm impudenter in *SS. Principem Wenceslaum* invehitur, quem *pudibundi erroris* conatur arguere! tuus pudibundus eſt error, ô *Goldaſte!* non enim unquam *Sancti Sigiſmundi corpus* ab *Ottone I.* ſed *Sancti Martyris Viti brachium* petijt *Wenceslaus*, quod cùm accepiſſet, fundatâ *Sancti Viti Eccleſiâ* honoravit; quatuor pòſt ſæculis *Carolus IV. Imperator Lucemburgicæ, Burgundiæ Regibus* cognatæ ſtirpis cauſsâ, *S. Sigiſmundi corpus* attulit *Pragam*.

Sed *Goldaſto* ignoſcendum videtur, in *Divorum* actis hallucinanti, vitas enim Sanctorum hæretici legere non ſolent, præcipuè in *Calvini Schola* educati, cùm tamen frequentiſſima hæreſiarcharum à *Goldaſto* citationes (ùt *Lutheri*, quem à ſubtilitate ingenij mirè

Gold. var: loc: vide ejus Not: ad C. 5. lib. 1.

mirè commendat &c.) & aliorum hæreticorum ùt *Petri Martyris, Melànthonis, Brentÿ, &c.* cuique fidem faciant, quàm diligenter in eorum Libris ſit verſatus.

Bohemis falſa imponit nomina

Calumniæ, & maledicentiæ plenum eſt illud, quod eodem Capite ſcripſit: *Bohemos olim appellatos Gazaros, & Patarenos à Patara Civitate Dalmatiæ, & Bozinenſes, & Bulgaros.* Cedò mihi *Goldaſte*, vel unici Scriptoris authoritatem! quam ſi proferre non poteris, triſtem illam literam *Kalumniatoris* merebere. Hæc certè poſtrema nomina nata ſunt à Provincijs, quas *Bohemi* nunquam incoluêre. Ego verò longè potiori jure *Goldaſtum* fuiſſe *Gazarum* evincam, & telum in eum qui primus conjecit, retorquebo: *Gazari* nomen à *Leone III.* Orientis Imperatore (qui *Gazarus* appellabatur, & multorum ſacrilegiorum, & pravæ doctrinæ ab Eccleſia Catholica damnatus eſt) ortum habet; ob eam cauſſam hodiéque (verba ſunt Abrahami Bzovij) *omnes hæretici per Germaniam, Bohemiam, Poloniam, & Septentrionales regiones Gazari*, ſeu deflexâ paululum ex Græco voce (Kåtzer/ Katcÿri) *dicuntur.* Cùm igitur conſtet *Goldaſtum* omnes hæreticorum errores *Tomis ſuis Baſilicis* ab inferis revocaſſe, ut initio hujus *Capitis* oſtendi, & hæreticorum anteſignanum fuiſſe, ac denique *Calvini calvam fidem* propugnaſſe, conſectarium eſt: ut *Gazarus*, ſeu Kåtzer / Kacÿr poſſit appellari. Præſertim cùm *Gazari*, ſeu *Leonis III.* hæreſes, & adversùs *Catholicam fidem* errores, tam ſollicitè, nè perirent, evulgârit. Judicet benignus *Lector*, amabò, an non in caſtris ſuis cædatur *Goldaſtus*? & quàm aptè *Calviniano* virulentiſſimo *Gazari* nomen conveniat?

Bzovius T. 20. in Ann. Eccl. n. 16.

Pergit *Goldaſtus*: *Judæi Bohemos Cananæos vocant, putántque à Joſue ejectos in has oras veniſſe;* quid tibi venit in mentem *Goldaſte* hæc falſa, & nunquam ab ullo *Judæorum* audita ſcribere? ſi non ſatis errorum vobis eſt, ô *Judæi*, *Goldaſto Thalmud* committite, prolixè illud vobis augebit! Irridet deinde *Originem Bohemorum à Turri Babel*, quam pridem refelli, quod neceſſe eſt omnes dicere, quicunque inter primigenias lingvas generis humani (quas inter & *Slavita* ab eruditiſſimis hominibus computatur) aliquam referendam eſſe ſtatuerint.

Bibliotheca Vaticana liber Romanus.
Theoph: Reyn: & alij citati in Epit.

Goldaſtus Provinciã integram accipit pro Urbe.

Capite decimo, graviùs etiam hallucinatur *Goldaſtus*, dum *Pragam Bojohemum* eſſe contendit, ſimili prorſus errore, quo quidam *Italus*, rerum noſtrarum ignarus, literis, quas ex *Italia* mittebat, *Bohemiam in Praga* adſcripſit; at *Goldaſtus* excuſari non poteſt, tantus, ùt ipſe ſibi videbatur, hiſtoricus, qui ex *Tacito*, & *Ptolemao*, & Scriptoribus omnibus diſcere potuit: *Bojohemum Regionem* fuiſſe *Veterum Bojorum*, in qua *Marobotuum Regiam* ſibi ædificâſſe (*Bubienum*, vel *Boviaſmum*, vel *Maroboduum* dictam) pridem probavimus. Quod etiam ipſemet *Goldaſtus*, ſui oblitus, poſtea docuit hujus Libri Cap. 5. cujus hæc ſunt verba: *Marcomanni Bojos bello aggreſſi Bojohemi principia occupârunt &c.* quæſo, *Goldaſte*, an tu hoc loco *Bojohemi* nomine *Pragam* Urbem, an potiùs *Provinciam*, intelligis, & jubes intelligi? Eodem Capite, cùm *Pragam in Germania* ſitam eſſe nervis omnibus probare contendit, illum Achillem adducit: An. 1377. *mediam partem Senatûs in Urbe Pragenſi Germanicam fuiſſe.* Riſi, cùm hæc legerem: quid enim iſtud ad rem facit? an ſi tu *Goldaſte in Alſaticis Urbibus*, æquè in *Belgicis*, *Senatum Gallicè* loquentem audieris, *Galliam* ibi eſſe exiſtimabis? quid an in *Polonia*, *Ungaria*, *Germanicas Urbes* eſſe neſciebas? quas tamen ad *Germaniam* pertinere nemo ſanus unquam ſomniavit. Alij ſunt Provinciarum limites, ac termini, alij lingvarum.

l. 2. Miſcell.

Futilis ratiocinatio.

Cauſſæ nõ cauſſæ.

Æquè imbelle eſt argumentum de *Clypeo Veteris, & Novæ Civitatum Pragenſium*, quem *Fridericus III.* multis ima-

Hag. in An. ad A. 1447.

imaginibus exornavit, ùt in *Praga* dicemus; quod ſi tu omnes *Hiſpanos*, *Gallos*, *Polonos*, *Italos*, *Imperatorum* gratiâ Nobilitatem adeptos, continuò *Germanos*, & Imperio ſubjici putas, onerosum profectò beneficium facis, quod emitur ſervitute.

C. XI. Marcomannos nimis univerſaliter ſumit Goldaſtus.

Poſt hæc *Goldaſtus in Moraviam è Bohemia* tranſit, quam non à *Marcomannis*, ſed à *Quadis* habitatam (ùt nuper *Bohemiam* fuiſſe *Marcomanniam*) conatur oſtendere. Idem repetit Capite ſequenti, tum refellit communem illam propè omnium Scriptorum ſententiam: qui *Marckmänner* quaſi *limitaneos homines* dictos exiſtimârunt: *Si*, inquit, *iſtud admittimus, tum omnes collimitaneæ Auſtriorum*, *Styriorum*, *& Venedorum Marchiæ, tum Luſatia*, *& Miſnia ab eiſdem Marcomannis eſſent deducendæ.* Fallit hæc argumentatio *Goldaſte!* non enim dicimus vocem *Marck* (quæ *limitem* ſignificat) à *Marcomannis*, ſed contrà *Marcomannos* à vocabulo *Marck* nomen accepiſſe; quod quia plures habuêre populi, ùt *Marchiones Luſatiæ*, *Auſtriæ*, *Brandeburgi &c.* eoſdem limitibus defendendis aliquando præfuiſſe, nihil dubitamus, eorúmque regiones *Marchiæ* dicebantur.

C. XIV. Sileſia quondam non Germaniæ, ſed Polon: provincia.

Sileſiam olim *Poloniæ* Provinciam, & *Poloniæ* nomine comprehenſam pridem oſtendi, at eam *Goldaſtus Germaniæ Provinciam* eſſe affirmat; nolo de re ipſa hoc loco quidquam ſcribere, argumenta *Goldaſti* tam futilia ſunt, ut nihil viderim magìs: *Olim*, inquit, An. C. 15. *fuit ſubjecta Arminio.* Unde id oro *Goldaſte*, niſì conjecturâ probabis? deinde etſi fuiſſet, alij ſunt, alij olim fuêre *termini Regnorum;* an *Arminius Germaniæ Imperator?* eâdem operâ reſtitue *Venedis Slavorum* populis *Pomeraniam*, *Mechlburgum*, ac maximas à *Balthico* mari ad nos uſquè regiones; reſtitue *Italis Orbem*, quem olim *Romani* ditione tenuerunt. At *Sileſia* loquitur *Germanicè*, *& Borek Wratislaviam Cæſaream Urbem* vocavit, eſt igitur *Sileſia in Imperio.* Nihil hoc loco repugno. Argumentum infringo: An igitur *Burgundia*, *an Lotharingia*, an *Provinciæ* quædam *Belgicæ*, quæ *Gallicè* loquuntur, te authore in *Regno Galliæ*, *& Gallia* cenſentur? quid *Borek Wratiſlavienſibus* ſuis adulando ſcripſerit, nihil refert; nihil hac de re habet *Henelius*, nihil cæteri *Sileſiæ Scriptores;* non magìs in *Imperio Wratislaviam*, *quàm Pragam*, aut quamcunque *Urbem Bohemiæ*, *Moraviæ*, *Sileſiæ* collocâris, quæ *Bohemiæ Regibus* immediatè ſubjectæ, *Imperatoris Majeſtatem* reſpiciunt, & comiter obſervant.

Glacium non eſt arx Kozlenſis.

In Capite XV. hujus Libri inſignis eſt *Goldaſti* noſtri hallucinatio, qui *Glacenſem Comitatum*, quem *Bohemis* accenſeri bene probat, ait à *Bohemis Cozlium* appellari! nunquam iſtud in animum induxeris *Goldaſte!* Kladoſko dicimus, at *Cozlium*, ſeu *Kozla*, arx naturâ loci munitiſſima, procul Glacio, in *Oppolienſi*, aut *Ratiborienſi Sileſiæ Principatu* cenſetur.

Maledicta in gentem Slavicam à Goldaſto.

Liber ſecundus. Totum hujus libri principium, & *primum Caput* in maledictis adverſùs univerſam *Slavorum* nationem conſumitur: ait *Slavicam fidem* proverbio dici ſubleſtam. Non credo, *Goldaſte*, niſì fidem authoritate alicujus boni Scriptoris feceris, quod te nunquam facturum ſatìs ſcio. Quis igitur *Slavorum triginta Duces* in convivio fide datâ occidit? lege *Fabricium*, *Dreſſerum*, alióſque *Saxonicæ* hiſtoriæ Scriptores. Non te pudet ea ſcribere, quæ in te facillimè retorquentur? Nolo invidioſa commemorare, quæ *Cromerus in hiſtoria Polonorum* exemplis frequentibus ſtabilivit. *Semper fuiſſe Bohemos*, *ac Moravos ingratos Imperatoribus, quibus omnem libertatem, honorem, dignitatem, uno verbo ſalutem deberent.* Quam tu mihi libertatem, quam ſalutem narras? num amiſsâ libertate, à *Septentrionibus in Illyricum*, & ex eo in noſtras haſce oras veniebant, ut libertate

Digitized by Google

tate donarentur? atqui nondum *Germanicum Imperium* erat conſtitutum; ipſa hæc profectò nihil aliud erat, niſi mera libertas, quam aliquando violari vicinorum artibus contigit, tu defenſionem libertatis *rebellionem* vocâſti: Quòd majores noſtri duci, & abduci nollent, quòd occidi ſe non paterentur, nec ferrum reciperent, qui liberi advenerant, quòd ſervitutem ultro imponi pronis cervicibus nollent, ijs tu *rebellionis crimen* impingis; ſed maledicta ejusmodi in *Epitome hiſtorica* pridem refellimus. Conſule hiſtorias *Helvetiorum* tuorum, *Saxonum*, *Bavarorum*, ac cæterarum *Germanicarum gentium* cum *Francis Imperatoribus*, ipſorum denique *Francorum*, & *Italorum* cum *Germanis Imperatoribus*, bella pro libertate, pro patria, pro aris, & focis geſta, an omnia hæc *Rebelliones* vocabis? In Bohemorum bellis id facit *Goldaſtus*, & *Catalogum Rebellionum Bohemicarum* texit, (ità enim loquitur) quoties *Bohemi*, neque dum Chriſtianis ſacris initiati, manum capulis admoverunt, & pro libertate ſua, utpote bene nati, pugnantes, *Francorum* armis oppoſuerunt arma. Sanè nemo tam amens reperietur, qui quoties *Hiſpani*, *aut Angli*, *Luſitani*, *aut Batavi Barbarorum terras* invadunt, Populos illos *rebellare* dixerit, hîc enim illud valet, *armis parari Regna*, *non legibus*. Pari exemplo *Germania*, & *Bohemia* noſtra *Francis Imperatoribus* reſiſtens, *rebellâſſe* dici non poteſt, niſi *Imperium Germanicum* jure naturæ, aut gentium conſtitutum eſſe dicamus, quo nihil dici poteſt abſurdius. Hâc unâ defenſione, ô *Goldaſte*, facilè tibi *octoginta Bohemiæ Rebelliones* deleantur.

Bella inter gentes ante conſtitutũ Imperium geſta, non poſſunt Rebelliones dici.

Silv. C. ult. hiſt. Boh.

§. II.

Idem Argumentum pertractatur, & natio Bohema adversùs Goldaſti calumnias breviſſimè defenditur, refutatis etiam nonnullis ejus erroribus.

L. 1. C. 2.

NUllum propè ex L. 1. & 2. in *Goldaſto*, Caput inveneris, quod reprehendi meritò non poſſit: alibi error, alibi calumniandi, & mentiendi libido, alibi audacia, & impudentia ſpectatur. In *Notis* ad Caput 2. cùm in *Polonia* nomen incidiſſet, affirmat (nullo in re tanta allato argumento) *Poloniæ Regnum ad Imperatores Germaniæ*, & Germanicum Imperium ſinè dubio pertinere; nihil ego definio, ſed litem totam judicandam prudentiſſimi Lectoris arbitrio committo.

N. 13.

Polonia utrum Imperio germanico ſubſit.

Hoc Capite 3. ſpecimen edidit *Goldaſtus* apertiſſimum mali animi, malæque, & odio *Bohemorum* occupatæ mentis (quod ab eo ſæpius factum videbimus poſtea) nam cùm laudabili diligentiâ, *Bohemorum cum Francis Cæſaribus* bella (quæ ille, ùt antè dixi, *Rebellionum* flagitioſiſſimo nomine indigitat) collegiſſet, quæ in laudem *gentis Bohemæ* cedere poterant, quæq; apud eoſdem Scriptores legebat, tranſilijt ſilentio; exempli grâtiâ ad An. C. 848. ex Rudolfo Fuldenſi: *Boëmannos per expeditionem compeſcuit Rex Ludovicus, Legatósque pacis gratiâ mittere, & obſides dare coegit.* At quid in Fuldenſi ſequitur, *Goldaſte?* An. 849. *Exercitus à Ludovico Rege contra Bohemannos miſſus, cùm pactum & obſides hoſtium petentium pacem contemſiſſet, turpiter ab ipſis caſus, & ſpoliatus, obſides dedit, & cum dedecore redijt.* Hæc omnia, quia laudem fortitudinis *Bohemæ* continere videbantur, velut cantherius foſſam, *Goldaſtus* tranſilijt, contentus duobus verbis dicere: *adhuc bellum*: inde mox ad An. C. 852. transgreſſus; cùm tamen hanc *Ludovici*

Flagitioſũ in hiſtoria Goldaſti ſilentium.

In Ann. Fulg.

vici cladem, & *Bohemorum victoriam* in alijs quoq; Scriptoribus legere potuerit, quos citat in margine, *Sigebertum, Reüſnerum, Fabricium.* O Scriptorem germani pectoris ſcilicet! veritatis ſtudio, ùt jactat, ſcribentem! atqui inter primas hiſtoriæ leges à *Tullio* ponitur, non modò *nè quid falſi ſcribat*, *ſed nè quid veri ſcribere non audeat.* Credebat forenſis hic rabula, neminem fore, qui ſcripta ſua, cum Scriptoribus, quos citabat, conferret.

In lib. de Orat.

Eadem *Goldaſti* malitia in *Narratione Belli quatuordecennalis* (quod *Otto I. Imperator* adversùs *Boleslaum* geſſit) apparet: legebat *Goldaſtus in Witikindo*, legebat in *Vita S. Udalrici*, legebat *in Fabricio*, legebat præcipuè in *Chronico Mansfeldenſi, Calviſio, Spangenbergio &c.* (quos omnes hoc loco citavit) duplicem *Ottoniani exercitûs cladem à Boleslao*, cùm in primo prælio pauci occiſo *Duce Eſichone*, in altero nè unus quidem evaſit; hæc nimiùm glorioſa *genti Bohemæ* putavit *Goldaſtus*, itaque ùt vulpes retia tranſilijt; at ubi ad *Boleslai* deditionem ventum eſt, velut liberum campum nactus, omnes in eam rem, quos potuit, laudavit Authores, & cladem *Boleslai* magno ore narravit.

Plura ejusmodi infidelitatis in hiſtoria à Goldaſto admiſſa Exempla.

Flagitioſum rurſus eodem Capite ſilentium *Goldaſti* deprehendi poteſt: *Boleslaus Pius Bohemiæ Princeps Ottonianum Exercitum* pervaſtatâ *Bohemiæ* parte ad *Luticium*, *& Lunam* ſecurè agentem, natantem, ludibundum, palantem, inobſervatus oppreſſit, & compulit in caſtra, ùt Germani Authores *Fabricius*, aliique fatentur; vaſtationem, & incendium *Bohemiæ ex Fabricio*, quem citat, narravit *Goldaſtus*; victoriam *Boleslai* ex eodem *Fabricio*, velut angvem calcâſſet, prætcrijt. *Hoccine eſt officium viri*, ut Terentianè dicam? *heu pietas, heu priſca fides!* qualem ubique de ſe jactitavit *Goldaſtus.*

Fabr. l. 2. Ori: Sax. Calviſ. apud Volburg. Avent. l. 5. Vide Ep: noſt: C. IV.

Eodem genio (Capite ſequenti) *Goldaſtus* clariſſimam *Udalrici Bohemiæ Ducis* An. 1015. victoriam prætermiſit, neque id tantùm, ſed prorſus contrarium ſenſum ex eodem authore *Fabricio* malignâ mente elicuit; ut id Lectores clarè intelligant, verba primùm *Fabricij*, deinde *Goldaſti* recitabo. Fabricius: An. C. 1015. *primo prælio* (Udalrici Bohemiæ Ducis cum Henrico) *800. è Bohemis deſiderati ſunt, ſed brevì reportata eſt de Saxonibus ingens victoria, Udalrico Duce Bohemorum primo aciem ducente, ceciderunt è Saxonibus clariſſimi quinque Viri.* Hæc Fabricius. Quid *Goldaſtus? A. 1015. Ulricus Dux Bohemiæ Pacem ab Imperatore, & gratiam impetrat. Ità Fabricius.* Ubi iſtud dixit Fabricius, *Goldaſte?* aut ſi dixit, cur *Victoriam* omittis, quam nunquam omitteres profectò, ſi de *Bohemis* parta fuiſſet?

Fab l. 1. Ann: Urbis Miſnæ & l. 2. Or: Sa:

Gold. l. 2. C. 4.

Neque tantùm *Goldaſtus* flagitioſo ſilentio, ſed etiam narrationibus ipſis impoſſibilibus (ùt in loco monebimus) peccat: nam eodem Capite 4. Libri 2. numero 5. docuit: *Jaromirum à fratre ſuo Boleslao immani crudelitate excæcatum*, cùm tamen poſtea N. 13. ſui immemor eundem *Jaromirum ab Udalrico Bohemiæ Duce aſſerat, Ducatu pariter, & oculis eſſe privatum.* Fortè *Boleslaus* unum tantùm *Jaromiro* oculum, & *Udalricus* eruit alterum: certè enim bis excæcari non potuit.

falſæ & ſibi adverſantes narrationes

Paulò antè ſuperiori Capite grave eſt *Goldaſti in Chronologiam* peccatum, qui *Juditham*, quæ in *Cœnobio Ratisbonenſi* educabatur, Regiam Virginem ab *Udalrico Bohemiæ Duce* raptam ſcripſit, cùm id non ſub *Ottonibus*, ſed ſub *Conrado II.* factum facilè tricenis annis ſeriùs, quàm ponat *Goldaſtus*, coævi, aut vicini eorum temporum Scriptores affirment, neque ab *Udalrico*, ſed à filio *Brzetislao* Virginem raptam in *Epitome hiſtorica* probamus. Addidit *Goldaſtus* epiphonema ſtultiſſimum: *Hæc*, inquit, *Cæſaris noſtri Juriſdictionem in Regem Bohemiæ fundant!* nihil vidi magìs! quid ſi *Juditha*, ùt probabile eſt, non *Imperatoris*,

In Chronologiam peccatum Goldaſti.

Ex bello illato nulla probatur Juriſdictio.

ſed *Comitis Filia* fuit? quæ inde *Juriſdictio* inferetur? at bello Imperator *Bohemiam* petijt. Quid poſtea? an hac una de cauſſa? deinde, an ex bello ſuſceptò *Juriſdictio* poteſt probari? certè bellum inferri potuiſſet à quocunque vicino Principe, cujus filia rapta fuiſſet, neque tamen ullâ ratione conficere poſſemus, bello petitam Regionem continuò eſſe *Jure ſubjectam.*

Gold. l. 2. C. 5.

Rurſus mala mens Goldaſti proditur.

Libro eodem alia ſeſe prodit *Goldaſti* malignitas: nam non contentus, ut haberet auctiorem Catalogum rebellionum (quas immeritò ſic appellat) ex *uno bello plurima* feciſſe (quod ei perpetuum, & ſolenne fuit) ab *Henrico III. Imperatore Brzetislaum* bello petitum referens, atque in eam rem plurimos authores citans, *cladem Henrici*, & quidquid erat *genti Bohemicæ* honorificum, additâ voce: *& cætera*, tranſilit; alibi initium, aliàs media, aliàs finem, omiſit, nè quid, quod nollet referre, cogeretur; tanto videlicet odio in *Bohemiam* flagravit, ut mallet verum omittere, & imperfectam hiſtoriam tradere Lectori, quàm abſolutam, & perfectam hiſtoriam cum laude eorum, quos oderat, recitare.

Vide Epi: hiſt. Boh. l. 3. C. 5.

Gretſerus noſter adverſarius Goldaſti.

Quam rurſus malignitatem admiſerit in *Gregorium VII.* Sanctiſſimum Pontificem *Goldaſtus* ad A. 1076. *Gretſerus in Apologia pro Baronio* demonſtrat, qui eum toto illo opere, atque etiam poſtea, alio contra ejusdem *Goldaſti Replicationes libro*, prout merebatur, accepit.

Duo Imperatores in Germania.

Caput 6. ejusdem libri ſecundi *Goldaſtus* totum ejuſmodi doloſis, & fallacibus narratiunculis, velut centonem conſarcinavit, & conferſit: nam cùm duo Imperatores *Philippus Suevus, & Otto Saxo* in Germania circa An. C. 1200. regnarent, & modò hunc, modò illum vincere, aut vinci contingeret, multæ tranſitiones *Principum* neceſſariò fiebant, cúmque ad extremum *Innocentius III. Romanus Pontifex* neutri titulum *Imperatoris* concedere vellet, *& Cenſuris ad officium revocarentur*, ùt ait *Spondanus*; *Przemyslaus Rex Bohemiæ* exemplo omnium tum viventium *Germaniæ Principum*, jam *Philippo* jam *Ottoni* adhærebat, ut quæque pars melior, & fortior videbatur; poſtea cogente Pontifice deſeruit, utrumque; igitur *Goldaſtus* ſvavis homo, ut *Bohemorum* gentem odioſam legentibus redderet, quando *Przemyslaus Rex Philippo* adhæſiſſe narratur, ait eum *rebellâſſe Ottoni Imperatori*; quando rurſus *Ottoni Rex* adhæſit (unde *Ottogar* eſt appellatus) ait *Bohemiæ Regem Philippo Imperatori Rebellâſſe*; quando verò cum ſaniori Germaniæ Principum numero, *neutrum pro Imperatore* agnovit, ait *Bohemiæ Regem Imperio rebellâſſe*, ut *Goldaſto* Judice æquiſſimo, quidquid *Przemyslus Bohemiæ Rex* egiſſet, neceſſariò in *Rebellionis* crimen incurreret.

Spond. in Ann. Eccl. ad Annũ 1200. & ſeq.

Quàm iniquus in Reges Bohemiæ Goldaſtus.

Quid igitur *Goldaſte* reſpondebis? aut tu *Philippum Imperatorem* verum, & legitimum agnoſcis; ergo delendi tibi ſunt omnes *Przemysli* conatus (quos tu invidioſè, & falsè *Rebelliones* vocas) adverſùs *Ottonem*; aut *Ottonem Imperatorem* agnoſcis, delenda tibi ſunt *Przemysli* prælia, & conatus adverſùs *Philippum*, aut ſi deniq; *utrumque Imperatorem* agnoſcere recuſas, eâdem operâ *Przemyslum Regem* ab omni *Rebellionis crimine* cogêris abſolvere. Itaque ridiculè ex hoc capite *Goldaſtus* ab his Imperatoribus ab univerſa propè *Europa* deſertis, & *Imperio* dejectis, minas, proſcriptiones, & adverſùs *Przemyſlum Ottogarum Bohemiæ Regem* decreta exaggerat, cùm conſtet omnibus, nihil illos ampliùs in *Bohemiam*, multo etiam minùs, quàm in *Imperium Juris* habuiſſe.

Plura ejus malignitatis Exempla in Goldaſt:

Eodem Capite unius Scriptoris mendaciſſimi, quem *Fabullum, & Fabellinum* appellat *Raynaudus* (*Aventinum* intelligo) authoritate nixus ſcribit: *Wenceslaum Regem adverſùs Fridericum II. Imperatorem Budvicij in Bohemia An. 1216. cum cæteris Imperij Principibus Comitia celebraſſe;* Anno verò 1217. *reconciliatum Friderico;* at rur-

Digitized by Google

rurſus agente *Gregorio IX. Pontifice* adverſus *Imperatorem* conſurrexiſſe cum alijs Principibus, iterúmque An. 1233. *Friderico Imperatori* fuiſſe conciliatum. Quæ omnia ſuſpecta eſſe poſſunt eorum temporum hiſtoriam legenti: nam ut taceam Comitia illa *Imperij Budvicenſia* novo exemplo, & in Veterum Scriptorum ſilentio, extra Imperium celebrata, tot mutuæ amicitiæ exempla, tot favores, & honores in *Wenceslaum* congeſtos à *Friderico* ijs temporibus, quibus bellum inter eos fuiſſe ſcribit *Goldaſtus*; habemus, (quos poſtea in *Indiculo Chronologicis* adferam) ut nullâ ratione bellum inter eos admitti poſſit: adde quòd An. 1216. *Wenceslaus* nondum *Bohemiæ Rex* fuerit, poſt Annos duodecim primùm creatus, & ab ipſo *Friderico Imperatore* confirmatus, ùt in *Bulla aurea* (quam in Epitome recitavi) *Carolus IV. Imperator* teſtatur; cadit pariter reconciliatio Anno 1227. quibus Annis adhùc *Wenceslaus* ſui juris non erat; Anno 1227. *Gregorius IX. Pontificatum* auſpicatur (ùt habet *Spondanus*) *Fridericus II.* Anno ſequenti 1228. confirmat *Coronationem Wenceslai*, ùt ex actis publicis conſtat, cúmque Anno 1230. Pater *Wenceslai Przemyslaus* obijſſet, iterum *Fridericus II. Wenceslai* coronationem approbat An. 1231. quas literas *Friderici* per longum refert *Pulkawva*, quo ipſo anno, & ſequentibus uſquè ad Annum 1235. (quo facta Pax eſt) bellum pro *Friderico Cæſare Wenceslaus* gerit in *Auſtria*, ùt habet idem vetus *Scriptor Pulkawva*; quomodo igitur adverſùs *Imperatorem* arma gerit? quomodo An. 1233. ei conciliatur? Porrò An. 1234. *Wenceslaum Regem* fuiſſe, & apud *Fridericum in Comitijs Wormatienſibus*, & An. 1235. in *Comitijs Auguſtanis*, & decem millia marcarum argenti pro conjugis ſuæ dote accepiſſe, & ſummâ gratulatione, imò etiam veneratione *Cæſaris* exceptum eſſe, *Trithemius*, *Crantzius*, *Lupacius*, ac *Weleslavinus* commemorant; ubi igitur eorum temporum iræ, ubi arma adversùs *Cæſarem Fridericum*? nimirum non modò, qui amant, ſed etiam, qui oderunt, ipſi ſibi ſomnia fingunt, ùt hîc fecit *Goldaſtus*.

Anhiſtoriſia Goldaſti

Pulkawa in hiſt. Boh.

Trith. in Chr. Hirſaugienſi. Crantzius & Crentzheim apud Weleslai in Calen: hiſt: ad 1. Novem:

Eodem Capite aliud eſt in *Chronologiam* peccatum; affirmat enim *Goldaſtus*: *Ottogarum I. Regem Bohemiæ* An. 1147. à *Friderico II. Imperatore*, quòd excommunicatus eſſet, defeciſſe, citátque *Trithemium*, & *Bzovium*; at iſti de *Wenceslao* intelligendi ſunt: nam *Ottokarus I.* An. 1130. deceſſit, *Wenceslao* (quem nonnulli Germani Scriptores æquè *Ottogarum* appellant) filio ſuccedente, eóque Anno 1253. mortuo, *Ottogarus II.* vel juxta quosdam tertius, auſpicatus eſt Regnum, ùt omnium Scriptorum veterum, ac novorum teſtimonijs conſtat, igitur *Ottogarus I. à Friderico II.* deficere non potuit.

Lupac. in Calen hiſt. Hag. 1234.
Exemplum Anhiſtoriſiæ novum.
Trith. in Chr: Hirſaug: Bzov in Ann. Eccl.

Caput VII. non errorem (qui etiam viris bonis obrepit aliquando) ſed *mendacium* (quod in virum bonum, & hiſtoricum non cadit) continet: cùm nullâ cujuſpiam Scriptoris authoritate, nullo teſtimonio literarum, nullâ causâ, ſolùm ut haberet, quod *Bohemis* objiceret, & quo fallerentur Lectores, *Goldaſtus Bohemos* contra *Cæſarem Adolphum* conſpirâſſe mentitur; atqui, ô *Goldaſte*, ſi veteres Scriptores conſulas, neque ullus Principum eâ ætate *Adolpho Bohemis* amicior, & neque præ *Bohemis*, eorumq; Rege obſequentior populus *Adolpho Romanorum Regi* fuit; legenda ſunt, quæ in *Epitome hiſtorica* attulimus L. 3. C. 16. ex ejus ævi Scriptoribus: *Adolphum Wenceslaus Rex* Anno 1292. potiſſimùm ad *Imperatoris* dignitatem evexit, & prærogativam hujus ſortis *Electores* cæteri ſunt ſecuti; *Adolphi filio Ruperto* idem *Rex filiolam* ſuam penè infantem, infanti deſponſavit, & quamquam poſtea ablatum ab *Electoribus Adolpho* ſit Imperium, tamen *Wenceslaus Rex* non niſi auditâ *Adolfi* cæde

Gold. l.2.C.7.
Iterum aliud de Adolfo Cæſare.
Chron: Aulæ Regiæ C. 47.

Gold l. 2. C. 7.

Specul. honor. Auſtr. de Birg:

cæde adduci potuit, ut *Alberto* ad imperium ſuffragaretur. Atque, ut magìs palpari poſſet mendacium, paulò pòſt ſibi contrarius invenitur *Goldaſtus*, qui ad An. C. 1297. poſuit: *Wenceslaum Regem Bohemiæ adversùs Albertum Cæſarem cum tribus Electoribus Eccleſiaſticis conſpirâſſe;* vivebat tum adhuc *Adolſus* (nam primùm A. 1298. occiſum, optimi Scriptores, & coævi tradiderunt) doce, quæſo, *Goldaſte!* quâ ratione eodem anno, & tempore *Alberto* adverſari potuerit *Wenceslaus* contra *Adolfum*, & *Adolfo contra Albertum?* aut fatère, te à ſacra Veritatis linea ſtudioſo mendacio diſceſſiſſe.

Silentium malignum Goldaſti.

Eodem Capite, cùm ad A. C. 1304. bellum *Alberti I. in Bohemia* geſtum commemorat, flagitioſo ſilentio prçterit, quidquid in *Wenceslai Regis* gloriam dici potuiſſet, contentus ſcribere: *Albertus cum Exercitu Bohemiam invadit.* Quis igitur belli finis *Goldaſte?* quis vicit? quis repulſus eſt? taces. Atqui tacere non ſoles, cùm votis tuis exitus reſpondet! tum Authorum nomina accumulas, tùm ſententias excerpis, tum argutaris, tum ampullas projicis, ut in tam optato argumento diſertus videâre.

Jam & illud odium *Goldaſti* in gentem noſtram ſatìs indicat, quòd, nullo Authore, imò adverſùs omnium Scriptorum ſententiam *Conradum de Badenſtein*, quem omnes *Thuringum*, ille natione *Bohemum* eſſe affirmat, qui ſcilicet *Olomucy Wenceslaum Regem* ultimum *Przemyslææ ſtirpis* occiderit. De hac malignitate *Goldaſti* jam pridem egi in *Epitome*.

Ep. l. 3. C. 16.

Novum & ſtudioſum Goldaſti mendaciū.

Alia mendax calumnia in *Goldaſto* ſequitur: *Henricus VII. Cæſar rebelles Bohemos domuit, ut filium ſuum Joannem Regem conſtitueret.* Non facilè pingvius, ut ſic dicam, mendacium legi: conſtat inter omnes Legatione ab omnibus *Bohemiæ Ordinibus* miſsâ, petitum ab *Henrico VII.* filium ejus *Joannem*, & ægre impetratum; vide, quæ omnes Scriptores, & Nos diximus in *Epitome;* quomodo igitur *Bohemos* domuit *Henricus?* & quâ ratione *Rebelles?* cùm neque *Henricus*, neque Filius *Joannes*, eo tempore ullum in *Bohemia* paſſum, neque ullum *Jus* haberent? ſi mentiri placuit, delicatè mentiendum fuit, non adversùs omnes hiſtoricos tendendum, & authores ſaltèm aliqui in ſpeciem citandi, nè primus mendacij author videreris; àt *Goldaſtus* ſeſe pro hiſtorico *Poëtam*, & *fabellæ patrem*, *& Æſopum* quendam conſtituit; atque ut magìs ſtudioſum *Goldaſti mendacium* Lector intelligat, ipſe adeò *Goldaſtus* alio in loco recitavit literas, quæ *Pragenſibus* datæ ſunt ab *Henrico VII.* An. 1310. 29. Julij, quibus eis facultas *eligendi & procurandi Regis* conceditur.

Ep. l. 3. C. 17. Dubr: Hag. Silvius, Cuſpini: Roo. Spec. hon: à Bircken &c.

Philoſtr. Sen: in Imagin: tit. Fabula.

Gold. in Bohemia N. 22.

Calumnia falſa.

Capite VII. ejuſdem Libri II. non tam *mendacium*, quàm *calumniam* evomit, cùm ſuſpicatur *Maximiliano II.* venenum à *Bohemis* propinatum, ideòque ante tempus, videlicet ætatis 49. eſſe defunctum. Tam atrox facinus non ſuſpicione, ſed argumento invicto, *Goldaſtus* probare debuerat; refutavi hanc calumniam in *Epitome;* certè non invenies, neque ante id tempus, neq; diu pòſt ex *Auſtriaca* ſtirpe *Regem*, quem *Bohemi* magìs, quàm *Maximilianum II.* amârint; tantis eum laudibus etiam hæretici Scriptores noſtri efferunt, ut dici ſatìs non poſſit, conſtâtque neminem unum è *Scriptoribus* dicere, eum *Cæſarem veneno eſſe ſublatum*, ſed maximis, & diuturnis morbis, quibus conflictari ſolebat, demum *Francofurti* ſuccubuiſſe. Quæ in *Goldaſto* ſequuntur de *Rudolfi*, *Mathiæ*, *& Ferdinandi II. Imperatorum* temporibus, turbiſq; in eorum Regno exortis, hæc omnia in *Goldaſti* recidunt *caput*, ab hçreticis nimirum orta, à nullo Procerū Catholicorum; defendat igitur hçreticos ſuos, ùt aliàs tot libris editis fecit *Goldaſtus*, & ſi poteſt diluat, quod magni Authores Exemplis pridem docuerunt: *hæreſin ſemper infidam Regibus* ſuis fuiſſe.

Fiorim: Remõdus in lib: de Orig: hæreſ.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Hallucinationes aliæ Goldaſti in rebus Moravicis, & Sileſiticis, & quantùm, & quàm ſæpe ſibi ipſe adverſetur, & ſecum pugnet.

Moraviæ & Sileſiæ aliqua defenſio.

CApite 8. & 9. recenſet *Rebelliones*, ùt vocat, *Moravicas Goldaſtus* magno numero, quas jam ab ingreſſu eorum in *Moraviam* coacervat, ut ſcilicet neque *Bohemi*, neque *Moravi* commovere ſe unquam potuerint, neque ullum bellum gerere, quin illud à *Goldaſto Rebellio* appellaretur: hoc unicum ſupereſt, ut quæ in *Turcam* Majores noſtri bella geſſerunt, ea *Rebelliones* nuncupentur. Videat infælix *Goldaſtus*, quis cauſſam nuperis bellis dederit, quis exteras, & barbaras gentes in *Imperium*, in *Bohemiam* advocârit, quis ſigna adversùs *Cæſarem* extulerit, & poſthac non miretur, *Slavos* veteres, advenam, & liberùm ad eam diem populum, regiones deſertas occupantem, neque dum *Imperio Romanogermanico* conſtituto, moribus, & lingvâ differentem, pro libertate pugnâſſe, cùm ij, ex quibus orti ſunt *Cæſares*, cognati, & ejuſdem lingvæ, & Jurium communione ſocij, *Cæſares* legitimos abs ſe, & ex ſe creatos oppugnârint.

Pſeudopolitia evocare Barbaros

Eodem Capite 9. cùm narrâſſet, ob nimiam potentiam *Regum Moravicorum*, *Arnulphum Cæſarem* An. 892. ad eorum vires refringendas, *Ungros*, ſeu *Hunnos*, ſeu *Avares* Ethnicos evocâſſe, qui mediam propè *Regni Moravici* partem, ſcilicet utramque *Daciam*, aliásque Regiones occupârint, ſibique uſurpârint, vehementer *Arnulphi* conſilium aſtutum probat *Goldaſtus*, ſed quàm Chriſtianè, examinent Chriſtiani, & boni Politici. Nam ut alia taceam, certiſſimum eſt per eam evocationem in ſummum diſcrimen adductam eſſe *Europam* univerſam, *Hunnorum* barbarie extremâ, & armis, *Boicam*, *Germaniam*, *Italiam*, *Galliam*, ſangvine inundantibus. Simile, & noxium conſilium fuit *Imperatorum Conſtantinopolitanorum*, *Saracenos*, & *Turcas* in auxilium vocantium, & olim *Gallorum in Ungaria*, *Turcarum* arma, aut ementium, aut excitantium, ut habet Gallus Scriptor *Spondanus*.

Spon. in ſuppl. ad Baron.

N. X.

De Sileſia in eadem periodo ſibi adverſatur Goldaſt.

Caput X. *Goldaſti* riſum mihi clarum excuſſit, ſimúlque illud ex ſacris literis venit in mentem: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Eâdem enim periodo duo prorſus adverſantia, & repugnantia junxit *Goldaſtus*, & ſeipſum mentientem mendacio refutavit; de *Sileſia* igitur hæc ſcribit Cap. 10. *De Sigiſmundo, Alberto II. & Ferdinando I.* (imò & II.) *Imperatoribus, Sileſiam ſibi reluctantem perdomantibus, in promtu ſunt varia variorum Scriptorum monimenta; quæ nihil attinet hoc loco refricare, nè videar velle Sileſiis Germanico Imperio, & Romanis Cæſaribus ſemper fidis, & conjunctiſſimis invidiam conflare.* Quid ais, *Goldaſte! ſi reluctantes, ſi perdomari* debuerunt, quomodo *ſemper fidi?* ſi conjunctiſſimi, quo jure armis petiti? an *Sigiſmundus, Albertus, & Ferdinandi, Cæſares* non erant? ſi *Goldaſtus* aliâ paginâ *fidos* dixiſſet, aut voce *ſemper* abſtinere voluiſſet, aliâ paginâ *reluctantes, & ad obſequium armis adductos* ſcripſiſſet, ferendum eſſet; nunc pauculis lineis, eodem ore mendaci & calidum & frigidum *Goldaſtus* exſpirat, ut nullus *Goldaſto* magis, quàm *Goldaſtus* ipſe contrarius fuiſſe videatur. Atqui *mendacem* (ùt proverbio dicimus) *memorem eſſe oportebat!* nimirum exercitati, & aſſveti mendacijs, etiam cùm verum dicere volunt, mentiuntur, & cujuſdam elegantiæ loco, velut tropum, aut figuram, narrationes mendacijs aſpergunt. Cuperem ex *Goldaſto* ſcire, quid illa verba C. 12. ſignificent: *An. 874. Sileſij rebellantes à Ludovico II. Caroli Magni nepote compreſſi.* Stra-

Maledictū grave Goldaſti jactū in Imperij Principes.

Digitized by Google

Strabus, *&* *Adam Bremenſis*. Locus hic admonet me alterius Sententiæ in *Goldaſto*, quam maledicendi ſtudio, in ſumma Imperij capita vibravit: en verba ipſa annumero octavi capitis fine: *Eſt hoc proprium quodam modo, ac perpetuum Germanorum Principibus, ut ſuis Rebellionibus, diſcordijs Civilibus, & bellis inteſtinis occaſionem præbeant Exteris ad Imperium eorum invadendum, dilacerandum, & diſtrahendum.* O *Goldaſte*, quid acerbius, & injurioſius in *Principes*, & præcipua *S. R. Imperij membra* ſcribere potuiſti? ſi nec parcis tuis, quomodo parces alienis, quos proſcindendos, & lacerandos omnibus convitijs ſuſcepiſti?

Nota.

Iterum ſibi adverſantia

Cùm tot inter ſe adverſantia *Goldaſtus* aggeſſerit (ùt modò vidimus) minùs jam mirum eſt, *Titulos capitum* rebus tractatis aliquando non congruere, v. g. Capitis XII. titulus: *Moravia, & Sileſia Bohemo conceſſa reſervato Tributo Imperatoribus præſtando.* Atqui aliud tute in contextu, & ſerie Capitis probas, & ſuperioris Capitis XI. fine ſcribebas: *Philippus Imperator A: 1200. Tributum omne Bohemis remiſit, quam Patrui ſui ordinationem confirmavit Fridericus II. Imperator A. 1212. Baſilea; diploma illud producunt Scriptores.* Quâ ratione igitur nunc *tributum* exigis, quod *remiſſum* eſſe dixiſti?

Joan. Bapt ab Eiſen deduct. Boh parte 1. Beatus in hiſt. Boh. Hag in Ann: Boh. ad 1212.

Diviſio Imperij in duas Francias prorſus nõ ſubſiſtit.

Illud magnam continet difficultatem, quod Capite XIII. conatur oſtendere, ſed aſſerendo, non probando: *Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam in partitione Imperij Franciæ Orientali aſſignari.* Cujus authoritate, rogo, hæc partitio primùm facta, & quo tempore inchoata fuit? an eam *Romani rerum Domini*, an poſtea *Carolus M.* nondum *Imperio Germanico* conſtituto, an *Ottones*, an *Henrici*, an *Friderici Cæſares* ſtatuerunt? ubi illa *Sanctio* legitur? an voluntate tantùm, an etiam ſcripto comprehenſam tradiderunt? ut cùm nos in *Francia Orientali* cenſeamur, ſocios ſaltèm, qui in *Francia Occidentali* cenſentur, ſcire poſſimus?

An Regnũ Boh: extra ordinem ad bellũ gerendũ ab Imperio cogi poſſit.

Quod ſequitur Capite XIV. non minùs controverſum eſt; quod ego quidem in dubium non revoco, ſed alijs Juris noſtri peritis ad expendendum relinquo: *Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam* ad expeditionem hoſtilem ab *Imperio* indictam teneri, imò & extra ordinem evocari poſſe non obſtante *Bohemorum, & Sileſiorum Privilegio*, quo aſſerunt, ſe extra Regnum, & Ducatum militare non teneri. Vide, quæ *Ferdinandus I.* An. 1548. in *Comitijs Auguſtanis* publicè prolocutus eſt, quæ alio in loco retuli; tum etiam *Archivum Carlſteinenſe in Privilegijs*, quibus *Goldaſti* opiniones jugulantur. Probat autem *Theſin* ſuam *Goldaſtus* generali principio, *quòd Vaſallus, & ſubditus teneatur Dominum ſuum ſequi, licet procul à Patria ſit belligerandum.* Non excutio hunc *Vaſallatum*, *Davus ſum non OEdipus*, hiſtoricus, non Juriſconſultus. Sed, ô *Goldaſte!* quid ſi *Vaſallatus* ille ſit *Privilegiatus?* quid ſi *Exemtus?* ad extremum ajo: ſi omnes *Imperij Principes*, atque etiam *Reges* (quos tu in *Imperio* collocas) ſequantur Imperatorem, fortaſſe *Bohemiæ Reges* non erunt poſtremi.

Vide C. 2. hujus Lib:

De Poloniæ & Ungariæ Regnis.

Cap. VI.

Probat poſtea Capite ſequenti *Hungariam* ſub *natione Germanica* comprehendi, multò etiam id eſſe certius de *Polonia;* nihil definio, judicent prudentes. Illud argumentum *de Corona Regno Poloniæ* ab *Ottone II.* data pridem decuſſi: non enim ex honore collato infertur ſubjectio, ut, ſi quem ex *Nobilitate Polona, aut Hiſpana &c. Imperij Principem* creet *Imperator*, non continuò *Vaſallus* ejus eſſe cogatur. Adde quòd *Ottonem II. Imperatorem* honores *Regios Polonis* non contuliſſe, ſed *Sedem Apoſtolicam* clariſſimis documentis oſtenderit *Cæſar Baronius*, quod idem de *Ungaris*, idque certiùs, conſtat.

Baron. in An. Eccl.

Poſtquam *Goldaſtus* toto Libro I. & II.

Contradictiones Goldaſti de gẽte noſtra.

II. Capitibus omnibus, maledicta in gentem noſtram unde unde corraſa, incerta, dubia, falſa congeſſiſſet, tandem ultimo Capite magnam ſe gratiam initurum ſperavit, ſi hæc omnia quodammodo retractaret! (at, ô *Goldaſte*, faciliùs eſt morbum facere, quàm curare! Itaque Caput 18. & ultimum, hunc *Titulum* præfert: *De fide, & obſervantia Regum, atque Ordinum Bohemiæ erga Imperatorem, & Sacrum Imperium, ob quam non immeritò ſuas laudes, & præconia digna merentur.* Coacervat deinde ex *Diplomatis Imperatorum* prorſus admirandas gentis *Bohemæ* laudes, quæ tantæ ſunt, & à tantis *Imperatoribus* ſcriptæ, ut non modò omnia, quæ *Goldaſtus* malè dixit, deleant, ſed ipſum *Goldaſtum* obruant, & calumniatorem, & obtrectatorem mendaciſſimum oſtendant.

Hoc unicum nunc premo: quid *Goldaſto* inciderit, hæc adjicere, quibus prorſus ipſe jugularetur? ut, quod Rhetorum pueri diſcunt ex *Tullio*, id ei aptiſſimè poſſint occinere: *qua in re ridiculè mihi es viſus eſſe inconſtans* (Goldaſte) *qui eundem* (nationem Bohemam) *& læderes, & laudares: & virum optimum, & hominem improbiſſimum* (nationem *fidam, & Imperij obſervantiſſimam, & infidam, & ſemper rebellem &c.*) *eſſe diceres, eundem* (eandem) *tu & honoris cauſsâ appellabas, & virum primarium eſſe dicebas* (gentem laudibus & præconijs dignam) *& ſocium* (Imperium) *fraudâſſe arguebas.* Magna ſcilicet *Veritatis* vis eſt, ut etiam ex ore eorum, qui ſibi mentiendi, & maledicendi audaciam ſumsêre, excidat vel invitis; itaque etſi *Goldaſtus* titulis omnibus *ſemper* (notam vocem) *Rebelles Bohemos* præſcripſerit, tamen veritate victus ſcripſit, quod nolebat, & quod titulo planè non congrueret: *Henricus IV.* inquit *Capite V.* (cujus titulus: *Bohemi ſemper rebelles) fidos ſemper, morigeróſque habuit Bohemos, Ducisque Wratislai operâ in ſummis, graviſſimisque Imperij negotijs utebatur.* Et C. 6. *Fridericus I. Imperator & Henricus VI.* ejus filius *Bohemos ſemper habuit obſequentes.* Quomodo hæc componi poſſunt, ô *Goldaſte, ſemper obſequentes, ſemper rebelles?* adferamus Imperatoris alicujus teſtimonium: *In Privilegio Circuli geſtandi*, quod *Fridericus Imperator* contulit An. 1159. 15. Cal. Febr. *Wladislao Illuſtriſſimo, & ſtrenuiſſimo Duci Bohemiæ* (hic eum mirificè laudat) *ob inſignia ſervitij, & devotionis tam ejus, quàm omnium Bohemorum merita &c. Attendentes* (ait Fridericus II. Imperator) *præclara devotionis obſequia, quæ Bohemorum univerſa gens ab antiquo tempore Romano exhibuit Imperio, tam fideliter, quàm devotè &c.* ſubſcripti plurimi Epiſcopi, & Imperij Proceres. *Baſileæ* An. C. 1212. cui quæſo credendum eſt magìs, *Goldaſto*, an *Imperatori?*

Tull. orat. pro Roſcio Amer.

Bohemi apud Goldaſtum ſemper obſequentes, & ſemper rebelles.

Notabile.

Libro 3. C. 5. *Goldaſtus Barones Bohemos* oriundos à *Germanis* affirmat; ſed iſtud pridem in *Epitome* tractatum, non vacat hoc loco refellere; vide, quæ in hoc ipſo *Miſcellaneorrum* opere aliquando adferemus, cùm de *Nobilitate Bohema* differendi locus erit.

Ep. rer Boh. L. 3. C. 5. in Not.

Etſi verò *Goldaſtus* in præſenti opere (ut *Ferdinando II. Imperatori* Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo placeret) ſummâ arte *hæreſin* ſuam obtegeret, efficere tamen non potuit ullâ ſimulatione, quin aliquando ulcus odore proderet, quod latebat in pectore; ut paſſim animadverſiones haſce meas legentes intelligent. Hoc capite graviſſimè *Sigiſmundum Cæſarem* accuſat *Goldaſtus*, quòd *Huſſio* fidem datam violaverit. Vide, quæ *Cochlæus* in hanc rem pro Sigiſmundo attulit, eáque non ignorâſſe *Goldaſtum* certum eſt, ſed animi pervicaciâ neglexiſſe.

Goldaſtus virulentus hæreticus.

Cochl. in Huſſ.

Capite VII. ridicula eſt *Goldaſti* opinio, aſſerentis *Bohemiæ Regem in Jus Electionis Imperatoriæ* veniſſe, propter veterem *Bojorum gentem*, quæ in *Bohemia* habitârit. *Riſi*, ut ait ille, dentibus albis, dum hæc legerem; cur *octavus*, cur *nonus, decimus Elector* non

Rex Boh: non eſt Elector propter Bojos.

Plaut. in Epid.

addi-

Digitized by Google

additur ob *Bavaros*, qui veri germanique *Boij* ſunt? cur non ob Marcomannos, cur non ob *Quados?* cur non ob *Longobardos*, *Wandalos*, *Suevos*, *Auſtrios*, *Haſſos*, alióſque plurimos? at longè aliud *Diplomata Imperatorum* loquuntur, qui hoc decus ſe *Bohemiæ Regibus* (ex gente Slavica & Przemyslæa) addere ob *fidem Imperio præſtitam*, ob virtutes togatas, & ſagatas, atque ob cætera merita, non ob *Bojorum* nomen, qui in *Bavariam* immigrârunt, ultrò fatentur.

Sacerdotes hiſtorias Populum ſcripſêre.

Capite VIII. *Goldaſtus* quendam *Hagecij* errorem referens, ſatyricè prorſus excuſat: *condonandus*, inquit, *homini Presbytero, & in rebus Imperij imperito eſt error.* Quaſi propria *Sacerdotibus* ignorantia foret. Miſerum te *Goldaſte*, qui neſcias omnium propè gentium hiſtorias à *Sacerdotibus* ſcriptas eſſe, ùt pridem in *Epitome* probavi.

Ep. rer. Boh. l. 2. C. 3.

De Electorum convẽtu Pragæ.

Tranſilio hoc loco quàm plurima *Goldaſti* errata: piget enim, tædétque tot erroribus immorari; ad *Caput XIV.* venio, quod plurimis ſcatet erroribus; unum in exemplum adferam: allegat *Goldaſtus Acta Electorum* in Conventu *Pragæ* An. 1610. habito inter *Rudolfum Cæſarem*, & ejus fratrem *Mathiam;* ex ijs Actis probare contendit, certum eſſe *Bohemiæ ab Imperio* dependentiam. Ridiculum conſectarium hoc eſt, & prorſus à terra ad cælum petitum: non ſecus, ac ſi quis medium ſe paci, vel bello offerat (unde *mediatoris nomen*) ex eo ſibi dominationem obventuram ſtultiſſimè putet; dum hæc ſcribo, *mediatoris* partes inter *Gallos*, & *Hollandos* agit *Angliæ Rex;* ergóne ab *Anglia aut Gallus*, aut *Hollandi* pendebunt? adde, quòd *Rudolfi*, & *Mathiæ* diſcordiæ non velut inter *Reges*, ſed ùt *inter fratres* componi debuerint, quos *Electores* conciliare ſtudebant, ùt ex ipſis actis, & cauſſa, quam *Slavata Cancellarius* tum *Rudolfo* à conſilijs, & *Khevvenhiller in Annalibus Ferdinandæis* diligenter explicant, intelligi datur.

Slav. in M. S. hiſt. ſuor. tem:

§. IV.

Errata, & obtrectationes Goldaſti in quatuor poſtremis libris; hæreſis de Inveſtituris Antiſtitum.

De fraudibus Slavorũ Goldaſti maledictũ.

Libro 3. & 4. ſequenti *Goldaſtus* viſus eſt cum gente noſtra redire in gratiam velle; tam diligenter, & amicè *Privilegia Regum Bohemiæ* percenſet, ut maledicendi artem oblitus exiſtimari poſſit; at erumpunt aliquando tamen vel invito malè tectæ veteris odij ſcintillæ: quale iſtud eſt Capite 3. Libri IV. inter alia: *Simplex ille Germanorum candor ſæpe fuit ab aſtu Slavorum* (vide maledictum in univerſam nationem *Bohemicam*, *Polonicam*, *Croaticam*, *Illyricam &c.*) *circumventus, & fruſtratus.* De *candore Germanorum* admitto, quod dicitur, neque hîc locus eſt odioſa tractandi; at illud de *aſtu Slavorum* nego, pernegóque, & res ipſa ſatìs ſeſe prodit, ac lucet: an enim *Slavi* non circumventi ſunt? lege obſecro, quæ *Spondanus* homo *Gallus* in Annalibus ſuis de Vendis ſcripſit juſto dolore commotus, quæ in *Epitome noſtra* (ſunt enim digniſſima lectu) retulimus; nónne depulſi terris ſuis à *Mari Balthico*, & *ſinu Venedico* uſquè ad nos, æternâ quodammodo, in terris majorum ſuorum, ſervitute damnati ſic ſunt, ut velut *illegitimi*, nec ad artes, & opificia diſcenda admittatur? quis *Slavorum Duces* omnino 30. ad convivium aſtu invitatos (quod toties repetere cogimur) occidit? quis eos inter ſe commiſit ſuis viribus perituros? quis diviſos aggreſſus eſt? quis prætextu honoris alios, alijs artibus aut ſubjecit, aut ſibi obnoxios reddidit? accumulare nihil attinet.

Spon. in Ann: Eccl. ad 1228. X. 12. Cran. l. 2. Vandaliæ & in Metrog. Ep. hiſt. l. 3. C. 2. ad fin.

Capi-

Digitized by Google

Defenſio quædam liberrimæ Poloniæ.

Capite V. in *Polonos* gentem liberrimam calamum ſtringit *Goldaſtus*, affirmans eos jam pridem non modò à *Societate*, *& obſequio Imperij defeciſſe*, ſed latiſſimas quoque Imperij Provincias, *Samogitiam*, *Maſoviam*, *Cujaviam*, *Pomerelliam*, *Boruſſiam*, denique *Livoniam per vim abſtraxiſſe*, ideóque *pro Exteris in Imperio Romano* haberi. Mihi hanc *Goldaſti* accuſationem neque probare, neque refellere eſt animus; vereor tamen, ut *Goldaſtus* hæc omnia, & ſingula, quæ attulit, probare poſſit.

Adverſatur ſibi eodem capite Goldaſtus.

Capite XII. rurſus *crimen Rebellionis Bohemis* imponit, quòd *Joannem Regem ad Ludovicum Imperatorem Bavarum* detulerint. Quâ fronte, ſcire velim, *Goldaſtus* accuſare in hoc *Bohemos* poſſit, cùm huic ipſi Capiti XII. titulum præfixerit: *Rex Bohemiæ à ſubditis conveniri poteſt apud Imperatorem, & in diſſidio Regis cum ſubditis, & contrà, ſolus Imperator legitimus eſt Judex.* Nihil diſputo de titulo, ſed hominem ipſum arguo, qui eodem Capite idem factum laudavit, & damnavit. Adijce, nullo modo accuſationem illam *Rebellionem*, vel ob id poſſe vocari, quòd & ipſa *Regina*, quæ *Regnum Joanni* attulerat pro dote, in *partibus Bohemorum* ſteterit, & ipſi à *Cæſare* miſſi *Legati* (*Moguntinus*, *& Trevirenſis*) in favorem *Bohemorum* cauſſam definierint. Vide *Petrum Abbatem* Aulæ Regiæ ad Ann: 1318. Conſideret quæſo Lector *Goldaſti* malignitatem, & odium in univerſam nationem.

Bohemos domi Judicia habuiſſe

Capite XIII. ut quacunque viâ poſſet, *Libertatem Regni Bohemiæ* convelleret, conatur probare *Bohemos* veteres, *Sileſios*, *Luſatios* nulla domi habuiſſe, & non ſponte, ſed coactos, *Magdeburgo* judicia petere debuiſſe. Quis coëgit, quæſo, *Goldaſte*! nomina vel unicam legem! nomina Authorem, refutabo palmare hoc *Goldaſti* (nè dicam magìs) commentum, & ratione optimorúmque authoritate Scriptorum, cùm *de Judicijs Regni Bohemiæ* diſſeram in ſequentibus, non fuit Magdeburgenſe judicium, ſed arbitrium.

Obſervaveram paulò antè in *eadem ſententia*, atque, ut Grammaticè dicam, *conſtructione*, ipſum ſibi adverſari *Goldaſtum*; aliud geminum, & ſimile prorſus ſpecimen edidit Cap. 15. ubi incuſat *Bohemiæ Proceres*, quòd *Carolinarum Conſtitutionum* Codicem acceptare noluerint, deprecatique ſint (ex qua deprecatione *Goldaſtus* pro more ſuo *Rebellionem Bohemicam* conficere cupit) cùm tamen ultro fateatur *Codicem illum quædam præjudicioſa Regni ſtatibus* continuiſſe. Cui ergo genti non liceat, quod *præjudicium* tutè fateris, *deprecari?* pro *Bohemis* facit illa *Joannis Marchionis Moraviæ de abrogatione Novi Codicis Carolini* atteſtatio Pragæ An. 1355. quam ipſemet alio loco *Goldaſtus* recitavit. *Gold. in Beyl. Num. 41.*

Ignorantia Goldaſti in rebus Bohemicis.

Libri V. Caput I. in ipſa fronte maculoſum eſt, cùm *Goldaſtus* tres olim in *Bohemia Ordines*, ſeu *Status* fuiſſe affirmet: *Prælatorum*, *Nobilium*, *Plebejorum*. Atqui certum eſt ex omnibus hiſtorijs, *Regni* Legibus, conſvetudinibus, aliisque ſcriptis, & traditis documentis. Alium fuiſſe *Dominorum Ordinem*, alium *militum*, *ſeu Equitum*, ſic ut graviſſimè aliquando diſſiderent (ùt in *Regalibus ferendis &c.*) ſúntque etiamnum ab antiquitate nobis relicta munia, quorum alia *Dominis*, alia ſolis *Equitibus* conferantur; verbo: omnes in *Bohemia* nati ſciunt, ab omni memoriâ hominum, & literarum, (ſi Regnum hæreticorum ab A. 1420. ad A. 1621. excipias) *quatuor ordines in Bohemia* cenſos, atque etiam hodie cenſeri.

Bohemi Chriſti fidē non recepēre à Pannonibus.

Capite II. ejuſdem libri, memoriâ labitur *Goldaſtus* (non enim aliud dici poteſt) qui *Moravos* Chriſti fidem ſuſcepiſſe à *vicinis Pannonibus Chriſtianis* ad eam inductos affirmat. Ubi igitur *Cyrillus*, *& Methodius?* & ſi antiquiora præplacent, ubi *Ludovici Pij*

Digitized by Google

Epit. l. 1. C. 3. in Notis. Gold. in Bryl.

Imperatoris temporibus *Urolfus Paſſavienſis Antiſtes?* ubi *Luitpramus Saluburgenſis?* de quibus videatur *Epitome*, & ipſemet *Goldaſtus*.

Hęreſis Goldaſti de Inveſtituris Epiſcoporũ

Capite III. hæreſis oculos *Goldaſti* lippos reddidit; cùm *Inveſtituras Epiſcoporum, ac Præſulum à Regibus & Cæſaribus* factas probavit, & laudavit: etſi enim id aliquando permiſſum *Cæſaribus* fateremur, tamen id *Jure ad eos pertinuiſſe, & fieri debere, ac debuiſſe, indubitatam hæreſim continet*, ait apud *Spondanum Baronius.* Aliud eſt *Inveſtitura*, aliud *Regalium receptio*, quæ qui non diſtingvunt, & *Epiſcopos, & Prælatos Eccleſiarum per virgam, vel baculum, vel ſceptrum*, poſt annum C. 1122. inveſtitos eſſe, aut hodie per ſæcularem poteſtatem inveſtiri ſcripſerunt, ne illi ad *Henricianam hæreſin* (quam ità vocabant) accedunt proximè, & niſi bona mens excuſet, Anathemate in *Bulla Cœnæ* contorto feriuntur. Cautiùs in rebus tam periculoſis, quæ nonniſi à *Summis Juris Canonici, & Pontificÿ* conſultis tractari debent, eſt loquendum: nam *Sigeberti, & Urſpergenſis Abbatis* (quos citant) & cæterorum ejuſdem farinæ Scriptorum authoritas, *utpote Schiſmaticorum*, nihil evincit. Quàm verò libera ſit, ac ſemper ſinè ſervitute fuerit *Eccleſia Pragenſis*, clara *Juris ſanctio* docet, quę diligenter eſt notanda; conſulantur igitur *Juris-Conſulti à Sede Apoſtolica* probati; hiſtoricum enim eſſe, aut fuiſſe, nulla eſt *Juris Canonici profeſſio.* Audiamus in hoc argumento plagulam *Spondanianam*, quæ huc facit: *poſt obitum*, inquit, *Illuſtriſſimi Cardinalis Baronÿ Melchior Goldaſtus Calviniſta edidit Rationale, ùt vocat, Conſtitutionum Imperialium: ubi profeſſus ſe Romani Imperÿ Jura adversùs Baronÿ Annales elenchos præſcribere, Calviniſticè (ut nihil aliud dicam) rem agens, modeſtiſſimum, atque ſinceriſſimum hiſtoriæ tractatorem miſere proſcindit. Sed mox prodÿt ex adverſo fortiſſimus veritatis defenſor Jacobus Gretſerus Societatis JESU Theologus, qui Apologiam pro Baronio ſuſcipiens, cunctas Goldaſti argumentationes diſſipavit; cùmque nihilominus ille irrationabiliorem Replicationem edidiſſet, eidē rurſus aliâ editâ defenſione os Gretſerus obturavit. Quare quæ pro Schiſmatico Sigeberto hæreticus Calviniſta de hac Quæſtione* (Inveſtiturarum) *procaciter effutÿt, tu ſi libet, vide ab eodem clariſſimo Societatis nobili Profeſſore egregiè diſcuſſa, atque disjecta Apolog: Baron: C. 1. & contra Replicat. L. 2. C. 1. & 2. ſicut & de aliÿs præcipuis ejusmodi Goldaſti criminationibus, adnotabitur inferiùs ſuis locis.* Hæc Spondanus.

Baron. in An: Ec. A. C. 1111. n. 6.

Error quorundam recentiũ Scriptorũ, cùm agunt de Inveſtituris Prælatorũ, etiam Regularium.

Liber. Decret. Cap. Venienſ. 15. de Accuſat. l. 6

Juret in Obſ: ad Yvonis Epi. 60 & 190. Sirmond. Not. ad Godfr. l. 1. Epiſt: 7. Spond. in Ann. Eccl. a d A. 774. poſt. num. 10.

Pragenſis Eccleſia libera.

Goldaſti hęreſis & error egregiè refutatus.

Eodem Capite 3. *Goldaſti* malus in *Sedem Apoſtolicam* animus nonnihil apparet, cùm *Jaromiri Pragenſis Epiſcopi* cauſſam, ad Pontificem Romanum, præterito *Archi-Epiſcopo Moguntino, per ſaltum*, ùt vocant, delatam reprehendit, citans in eam rem *Gregorÿ VII. Papæ Apoſtolicas literas.* Miſeret me tui, *Goldaſte!* nam in ijs literis apertiſſimè *Moguntinus Præſul* arguitur, quòd eam cauſſam ad ſuum judicium, poſtquam *Romam* delata fuiſſet, revocare ſtuduiſſet.

Gregor. VII. l. 2. Epiſt. 44. & 45. 60 & 61. Baron. ad A. C. 1073. nũ: 53.

Caput IV. inſignem *Goldaſti* errorem continet, qui *S. Gaudentium* non fuiſſe *S. Adalberti germanum fratrem*, ſed *ſpiritualem* tantùm affirmat; at *Goldaſtum* omnes ſacræ, & profanæ omnium Scriptorum hiſtorię convincunt. Idem peccatum eſt *Goldaſti* in *Archiepiſcopo Pragenſi Joanne Lobelio*, quem fuiſſe *Cardinalem S. R. Eccleſiæ* aſſerit, & tum *tres* tantùm in Germania fuiſſe *Cardinales. Lobelium*, certiſſimum eſt, nunquam *Purpuræ* dignitatem conſecutum.

Bolland. in vita S. Adalbert.

Errata hiſtorica Goldaſti.

Caput VI. *Goldaſti* hoc eodem libro V. de *Wratislavienſi Epiſcopatu* multa continet, ſed in eo Author maximas nugas agit, & quæ hodiernis moribus maximè repugnant: nolo ijs refellendis immorari, imò nec referendis, cùm odium timeam: ait inter cætera, *Bohemos, & Moravos* admitti ad

Wra-

Digitized by Google

Wratislavienſes Inſulas non poſſe, nec tamen inſolitum eſſe, ut *Teutonici* promoveantur. Ubi id à te *Goldaſte* lectum dicere potes? iniqvum certè foret in *Provincia Coronæ Bohemiæ* annexa ſolos Extraneos admittere, domeſticos excludere; exempla certè *Bohemorum* aliquot, qui *Wratislaviæ Epiſcopatum* geſſerunt, ùt *Jodocus de Roſis*, aliiq; contrarium prorſus loquuntur, citàtque *Schickfuſius Poſtulatum* ab ordinibus omnibus, & *Sileſiæ Principibus*, nè illa dignitas ulli, niſi in *Corona Bohemiæ* genitis, id eſt, *Sileſijs*, *Bohemis*, *ac Moravis* conferatur.

Schikfuſ in Ann. Sileſ. Tranſactio Colowratiana apud Nicolaum Henel. &c.

Optarem errorum ſemel eſſe finem; at, cùm *Goldaſtus* maledicentiæ nullum ſibi præfixerit finem, par eſt, eos, qui famam bonorum illæſam præſtare cupiunt, defenſione non fatigari, & ſemel ſuſceptam ad extremum uſquè pertendere; *benedictus ſi certâſſet, audîſſet bene. Quod ab ipſo allatum eſt, ſibi id eſſe relatum putet*, ait in *Phormione* ſuo *Terentius*. Audiamus igitur Dictatorem: *Saniores Politici ſtatuunt: Gentes Slavicas ſervili ingenio naſci, ad ſerviendum magis, quàm ad imperandum.* Quinam igitur iſti ſunt ſaniores Politici *Goldaſte;* profert unicum *Ditmarſum*, qui *ater*, *an albus* fuerit, ego neſcio. An tu ſervili ingenio cenſes, qui ad libertatem ſe genitos, & bene natos ſemper meminêre? ipſa, ſi dicere verum volumus, malè ominata hæreticorum A. 1618. *Rebellio*, pro læſa libertate, etſi falſo titulo, ijs impoſuit, qui eam ſuo ſibi ſangvine diluêre. Quæ gens libertatis ſervantior, quàm gens *Slavorum?* certè *Poloni*, præcipuâ in *Electione Regum* ſuorum libertate gaudent, & quod nulla propè in *Europa* gens habet, *Reges* pro arbitrio eligunt. *Procopius Cæſarienſis à Goldaſto* citatus Author, contra eum facit, cùm aſſerit *Slavinorum gentes non ab uno aliquo homine regi, ſed ab antiquo, communi, plebeâque libertate vivere;* igitur nemo tum ſervivit *Slavorum*, niſi qui voluit; *Spartanorum*, *& Athenienſium* veniat in mentem. Quod ſi *Goldaſtus* ingenia ad imperandum deeſſe, & defuiſſe *Slavis* velit dicere, innumeris Regum, & Principum, & Procerum noſtrorum in *Bohemia*, ac nè res nimiùm glorioſa videatur, aliarum ex *Slavis* gentium (ùt generoſiſſimæ Gentis *Polonicæ*, ac cæterarum) exemplis demonſtrare poſſemus, plurimos *Gubernatores* domi, ac togâ ſapientiſſimos, tum *Belli Duces* clariſſimos protuliſſe. Vide quæſo Lector, quæ in *Icone Animorum Barclayus* ſcripſerit, de moribus, & ingenijs *Bohemorum;* quis item hodiéque ſenſus ſit *Gallorum*, *Italorum*, *& Hiſpanorum;* nam *Ditmarſum* illum *Goldaſti Politicum* ſaniorem, fortaſſe etiam natione *Ditmarſum*, in rebus *Europæ* à patria ſua remotis hoſpitem, & vix ulli vel de nomine notum, Judicem recuſamus.

Terent. in Prologo Phormio.

Slavi minimè omniũ ſerviles.

Optimi Duces ex Slavis plurimi.

Jam verò cùm *Goldaſtus* videret *Slavos* ultra omnium gentium cæterarum morem libertatem ſemper amâſſe, nè illud obſtaret, decutere conatus eſt: *Quin*, inquit, *Sarmatæ Reges ſuos, ac Principes habuerint, etiam illi antiquiſſimi, non ſinit nos ratio ipſa dubitare.* Si agendum ſuſpicionibus eſt, nullam *Goldaſtus* Rempublicam admittet: non *Romanam*, non ante illam *Athenienſem*, non *Spartanam &c.* quia *ratio non ſinit dubitare; at hiſtoria lux temporum*, magiſtra veritatis aliud docet, & de *Slavorum* antiquorum republica *Sudetis*, *& Eiſen*, plurimiq; alij tradidêre, & paulò antè ex *Procopio* dixi.

Sudetis in ſubſeciv. de Orig. Boh. Joannes Eyſen in Deduct. Boh. init.

Pergit gnaviter, cùm ſemel cœpit, exerrare *Goldaſtus*, & probare mirabili prorſus, & ſe digno ſophiſmate: *Rex, ſeu Princeps ſubditis eſt antiquior, & prior; igitur veteres Slavi, & Bohemi Regem habuerint eſt neceſſe.* Exangvis, informis, clauda, & male fulta probatio! *Libertas non hominum ſolùm, ſed ferarum, volucrúmque ſenſibus fixa, ait ille, & ingenita, primum ſpolium fuit.* Et alius: *Liberos natu-*

Futilitas rationationis Goldaſti.

Anonym. Declam. 6. Corporis projecti, quæ male Quintiliano adſcribitur.

Quintil. Inſti: l. 3. C 10. S. Syneſ. l. de regno ad Arca. ex editione Dionyſ. Petav. S. I. Scipio Ammirat. in Tacit. G. ab Ens in Theſau: Polit:

ra omnes genuit: quomodo igitur antiquior Principatus? *Monarchia,* fateor, *Democratiâ melior*, ſed non prior. Reſpublica non eſt propter Principem, ſed Princeps propter Rempublicam. Vide, quæ *de regno ad Arcadium* ſcripſit Sanctus æquè ac doctus Antiſtes *Syneſius*, quæque alij *Magiſtri Politicorum* docuerunt.

Errores hiſtorici novi

Eodem Libri VI. Capite 2. & 3. aliquot ſunt in hiſtoriam *Goldaſti* peccata: *Czechum, & Lechum in Bohemia, & Polonia reliquiſſe ſuos poſteros hæreditario jure ſuccedentes*: nec *Czechus*, nec *Lechus* reliqvêre; in Polonia *Crocus*, vel *Cracus*, in *Bohemia Crocus* ſenior, poſt hos *Przemyslai* nova linea, apud *Polonos Principes, & Piaſti &c.*

Paulò antè Capite 2. alium errorem legimus: *Regia*, inquit, *familia Marcomannorum in Bohemia fuit Marobodua, Quadorum autem in Moravia Tudria dicta.* Unde quæſo iſtud de *Marobodua?* nam primus *Maroboduus ex Svevica* gente (ùt habet *Tacitus*, & alio loco probatum eſt) *ſeſe, gentémque ſuam in Bojohemum tranſtulit*, poſtea ab *Arminio* cæſus, ac deinde à *Catvalda* pulſus ad *Romanos* confugit, & *Ravennæ* conſenuit; nullus ex ejus filijs regnavit unquam, ùt patet eorum temporum geſta legentibus; neque ante *Maroboduum* ullus alius *Maroboduus* reperietur; quomodo igitur nata eſt *Goldaſto* familia *Marobodua*, cùm nec duos *Maroboduos* unquam ſit allaturus? denique quid ad novam *Czechorum* gentem facit, quibus moribus & legibus *Quadi*, aut *Marcomanni Germaniæ* (ùt ipſe fatetur) populus, vixiſſe legantur?

lib. 2. Miſcell.

Anhiſtoriſia.

Capite 5. ejuſdem libri citans *Goldaſtus* librum de *Tumultu Pragenſium ſub Ludovico Rege*, ait: *ejus libri authorem fuiſſe Monachum quendam Brzevniovienſem.* Res eſt ridicula, cùm omnibus propè lineis authorem illum *hæreſi* corruptum conſtet, *Piccardorum* ſuorum innocentiam ubiq; prædicare, eorúmque ſacrilega pſephiſmata, velut *Evangelium Chriſti* jactare; fuit verò Author Libri *Burianus* quidam *Antiquæ Urbis Scriba*, & ipſe poſtea ob eam hæreſin loco motus; eſt ejus libri autographum cum nomine Authoris in *Archivo Slavatino Novodomi.* Sed ignoſcendum eſt *Goldaſto*, ſi in aliena Republica hoſpes, & peregrinus fuiſſe deprehendatur, & *Piccardorum* dogmata (homo ipſe atheus) *Catholicis* adſcribat.

Iterum ſibi adverſatur Goldaſtus.

Gerard. de Roo in hiſt. Auſtr. l. 4. ad 1421.

Caput VI. quod ſequitur, errorem habet, qui excuſari difficiliùs poſſit: agens enim de *Alberto Auſtriaco Sigiſmundi Cæſaris* in Regnis ſucceſſore, ex *Gerardo de Roo* aſſerit: *Sigiſmundum cum Alberto* pactum inijſſe: ut ſi unam, vel alteram filiam ipſe (*Sigiſmundus*) ſuſcepiſſet, ijs *Albertus* Regna ſervaret. Quomodo hæc probare poteſt *Goldaſtus*, qui toto V. Capite proximè antecedente demonſtrare conatus eſt: in *Bohemiæ Regno* maribus non extantibus, ſuccedere filias? quomodo igitur *Sigiſmundus* filias ſuas, durus pater, *Regni jure* privabat?

Hiſtorici non habent totius Regni & Provinciæ authoritatem

Eodem Capite VI. cùm pro ſe *Hagecum* attuliſſet, conatur homo ſvavis perſvadere legentibus, quæ *Hagecius* ſcripſit, ea univerſum *Regnum Bohemiæ* ſenſiſſe, & ſentire. Quæ conditio iniquior eſſe poteſt, quàm cùm *de jure* diſceptatur, unius Scriptoris, & hiſtorici (non Legiſlatoris) authoritate, omnia velle finire? profectò, ſi id ſemel admittimus, nunquam tuta ſatis erit innocentia.

De Polonia Goldaſti errores.

Capite X. probare contendit *Regnum Poloniæ* fuiſſe ſucceſſivum, & *hæreditarium* in Regijs familijs *Lechia, Piaſtaa, & Jagellonia* uſquè ad *Sigiſmundum Auguſtum* poſtremum ex ſtirpe *Jagellonica* Regem.. Item *Regnum Ungariæ* ſimiliter *Jure hæreditario* deferri. Nihil ego iſtorum oppugno, neque mihi incumbit, imò periculo non vacat iſta tractare; referre tamen volui, quòd & in his *Goldaſtus* errârit: nam quæ unquam fuit *familia Lechaa*, cùm unicum *Lechum*, & nul-

Digitized by Google

& nullam ejus prolem, quæ regnârit, adferre poſſimus? vide Scriptores *Polonos.* Et an quæſo ij, quos ipſe nominavit, ante *Piaſtum Principes, Lechi* fuerunt? quid de *Wenceslao II. Bohemia Rege VI.* dicet, quem omnes *Poloni Scriptores Polonia Regem* appellant? ex qua gente is fuit? an *Lechæus*, an *Piaſtæus*, an *Jagellonides?* idem *Goldaſto* de *Sigiſmundo Sveco Wladislai* Patre objici poteſt, qui dum hæc *Goldaſtus* ſcriberet, in *Polonia* regnabat.

Differunt hæredes & ſucceſſores

Capite XII. in omnem ſe partem, velut angvis pede preſſus, convertit, ut oſtendat: *in Imperatorum Reſcriptis, aliiſque publicis Inſtrumentis hæredes, & ſucceſſores accipi pro eodem, & converti*, ut philoſophicè loquar; omnis quidem hæres ſucceſſor eſt, at non omnis hæres eſt, quicunque ſucceſſit; ægrè iſtud *Goldaſto Juriſperiti* conceſſerint: cùm videamus *Succeſſores Pontificibus, & Imperatoribus*, & (extinctâ Regiâ familiâ) etiam *Regibus* dari, non tamen omnes *hæredes* eſſe.

Hæc pauca ex innumeris *Goldaſti* erroribus, & maledictis adduxi: nam nè Lector erret, plurima omiſi, cùm juſtum tractatum *de malignitate Goldaſti* pridem confecerim, quem non ſemel amicis, atq; in primis *Reverendiſſimo D. Epiſcopo Samandrienſi Thomæ Joanni Peſſina* legendum exhibui; ſufficient hæc pauca ijs, qui me tam infeſtum ſemper in *Goldaſtum* ire mirantur; non poteſt ejus improbitas, & mala mens, malus animus in nos ſatis explicari.

§. V.

De Petro Ribaldo Peruano.

Petri Ribaldi maledicentia.

OPtimè velut *Mantiſſa Goldaſto* miſobohemo ſubjicietur alter in eodem maledicentiæ ludo egregiè verſatus *Petrus Ribaldus Peruänus: neque aqua aquæ, neque lacte eſt lacti uſquam ſimilius*, ait Plautus, quàm *Ribaldus Goldaſto.* Prodijt poſt Annum 1621. Liber linguâ Latinâ nomen authoris præferens illud, quod modò dixi, pleniſſimus maledictis, & Satyris in omne *Bohemorum* nomen, nullo diſcrimine, an Catholici, an hæretici, an Nobiles, an Cives, an ſervi, an Regis Locumtenentes, denique omnes *Bohemi* petulantiſſimè convicijs omnibus, & probris proſcinduntur, neque credo ullum ampliùs Epithetum, quod ad ignorantiam valeret, *Poëta* in verſu hærenti occurrere poſſe, quod *Ribaldus* ille (ità enim ſe appellat) in *Bohemam* gentem non conjecerit; inſuper, ut acumen oſtenderet, integram quandam, & ſatis rabioſam declamatiunculam in laudem noſtræ gentis contexit, per ironiam, ut ipſe monet, & ordine inverſo à fine ad principium legendam, ut appareret eum ſtudioſè, & cum ingenio maledicere voluiſſe. Diu fuit cùm in *Authorem* inquirerem, nam fictum eſſe *Ribaldi* nomen conſtabat, neque ullo veſtigio ad cubilia hujus feræ licuit pervenire; tandem ſæpe exquirenti *Doctor Juris* præſtans, eóque nomine ad Regiæ *Appellationis* ſummum Tribunal à Cæſare circa Annum 1642. promotus *Paulus Wencelius* gente *Luſatius* fecit indicium, & Authorem libri hujus ſub illo *Ribaldi* nomine *Michaëlem Pieczek* latentem mihi aperuit; fuiſſe hominem mediocris fortunæ *Civem Novæ Pragæ* Satyricum, & rixoſum in primis, atque, ut Terencianis verbis dicam, *purum putum Gnathonem*, qui ut offam ſorberet, & quibusdam placeret, adversùs Patriam, & ſuam gentem, ſéque ipſum ſcripſerit; nam *ante victoriam Pragenſem* (ùt ejus Libri oſtendunt) non modò *Bohemos Proceres* multos, & *Barones, & Equites*, ſed etiam *Cives* multis laudibus, & encomijs celebraverat;

quis ſub eo nomine latuerit.

 at

at poſt *Ferdinandi II. Cæſaris Auguſtiſſimæ memoriæ Victoriam Albomontanam*, folium, & ſtylum mutavit, totúmque ſe ad vituperia ſcribenda convertit; de eo carmen illud in *Meliſſis* noſtris legitur:

In eum, qui Bohemus in Bohemos ſcripſit ſub nomine Petri Ribaldi Peruäni.

Omnes dilaceras cùm *Petre Boheme Bohemos*,
In caput Authoris tot maledicta cadunt;
Ribaldi nomen tibi convenit, & *Peruäni*,
Barbara mens quovis cernitur in *folio.*

Jam cùm obtrectatores *Bohemiæ* duos, pro eo, ac meriti ſunt, acceperim, nè quis Lectori ſcrupulus adhuc reſideat, *Elogia* quædam, & *Encomia Bohemæ* gentis magnorum, & illuſtrium Scriptorum verbis adferam; tum *Librum* hunc, qui nihil niſi in *univerſis*, & in *generalibus*, ut cum Philoſophis loquar, verſatur, concludam.

CAPUT XXIII.

Quædam Eruditorum, & clarorum Virorum de Vetere Bohemia teſtimonia adſeruntur.

Nimis profectò vilem *Bohemiam* Lectoribus facerem, ſi encomia ejus omnia crederem *uno Capite* comprehendi poſſe; quædam pauciſſima, eáque in vulgus Eruditorum forſitan ignota, ùt in *Adverſarijs* invenero, temerè, ſinè lege, ſinè ordine proferam, ùt hactenus feci. Laudavi pridem *Georgij Fabricij Chemnicenſis* de Bohemia diſtichon, non tam argutum, quàm prudens, & prudentibus ſcriptum:

In Vita Bohuslai de Lobkovicz à Thoma Mitte edita. In Programmat.

Georgij Fabric: carmẽ

Teutoniæ in medio, generoſa Bohemia, Regnum
Conſtituit, Populi fortis, & acris opus.

Duobus hiſce verſiculis *fortitudinem* Majorum noſtrorum, magìs etiam *Nobilitatem*, *militarem virtutem*, *heroicam*, & *Leoni* ſuo ſimillimam indolem, verbo: *bella* omnia noſtra, & ſubjectam invidiæ, & armis vicinorum, *Fortunam*, ſub unum aſpectum, & nictum oculorum *Fabricius* poſuit.

Marquardi Freheri Germani hominis, cùm *Bohemiæ Scriptores Hanoviæ* ederet patrum ætate, verba recitabo, non procul à *Fabricij* ſenſu abludentia: *Si qua eſt ullius gentis*, ait, *hiſtoria, quæ cum admiratiòne obſervari, & ad poſteritatem cum cura conſervari debeat, ea eſt gentis illius Slavicæ, quæ à Bojorum ſede antiquâ, Bojohemo, occupatâ, nomen ſumſit.* Subdit paulò poſt: *Gentem hanc exilibus principijs ortam, invalidiſſimam nationem excreviſſe, & latè circumquaque vicinos populos ſub ſuum Jus Marte compuliſſe, &c.*

Marquard. Freher. præf: ad Scriptores Bohem. abs ſe editos.

Teſtimon: Frecheri.

Quantum *Joannes Cochlæus* Vir eruditiſſimus, & hiſtoriæ Huſſiticæ diligentiſſimus Scriptor, *Canonicus Wratiſlavienſis*, qui rem catholicam labantem cum *Eckio* ſolus in *Germania* ſuſtinuit, genti *Bohemæ* tribuit, quantique ipſam *Bohemorum* indolem, naturam, & inſtitutionem fecerit, luculentè in eo, quem modò laudavi, libro, declaravit: nam, cùm de *Hieronymi Pragenſis* morte, quam ille fortiſſimè, & lætiſſimè ad ſtuporem præſentium omnium, ad flammas, & rogum damnatus, pertulit (homo aliàs Diris omnibus ob hæreſin devovendus) mentionem feciſſet, hæc ipſa verba ſubjicit: *Cæterùm, quòd animi ejus fortitu-*

Joannis Cochlæi.

Cochl: in Huſſ: mihi fol. 146.

titudinem, quâ mortem jucundâ fronte, & alacri vultu, ùt ait Poggius Florentinus, non ſolùm perpeti, ſed etiam appetiviſſe viſus eſt, plerique admirantur, & laudant, nihil miror: erat enim Bohemus natione, ex fortiſſima ſanè gente, quæ & animi vigore, & corporis robore nulli facilè cedit. hæc Cochlæus germanus eâ ætate inter doctiſſimos numeratus.

Gaſparis Dornavij.

G. Dorn. lib. de Princ: Iuvent.

Caſpar Dornavius Sileſius Vir pereruditus, & libris doctiſſimis editis percelebris, magnis & ipſe laudibus *Bohemiam, & Bohemorum* veterum genium proſequitur elegantiſſimâ oratione, quâ *Albertum Joannem Smirzicium* Baronem Bohemum *Juventutis Principem* celebravit: appellat Bohemiam *Germaniæ delicium, & Coronam*, alio in loco *Germaniæ viridarium: Bohemia* inquit ibidem, *cùm nullum externum flumen recipiat, de ſe tamen nobiliſſimum flumen Albim progignit, qui Moldavam excipiens, Egram Sazavam, Giſeram, Miſam, tum fluvios alios, rivóſque piſce plurimo juxta, & ſuaviſſimo refertos in mare Occidentale immittit &c.* Et poſt: *Neque verò extima tantùm Bohemorum ſuperficies telluris tam eſt fœcundè hilaris, ſed ipſius quoque viſcera ſalutares profundunt Thermas: inter cavernas autem ſuas fovent venas; quarum haud paucæ præter cuncta alia metallorum genera argentum mittunt; aurum quoq; ubertate usq; eò luxuriante* (hæc Dornavius ex Petro Bertio Hollando totidem verbis deſcripſit) *ut fruſta auri X. pondo Regi aliquando oblata literis ſit proditum &c.*

Coſm. l. 1. hiſt: Boh. Init.

Mercat: in Atlante.

Bertius in Tabul: Geogr:

Ejuſdem majus teſtimonium.

Auban: lib. de Morib. Gent:

Gold. in 6. lib. de Jur. Boh.

Quæ in *Dornavio* ſequentur, an adſcriberem, diu multúmq; dubitavi: invidiæ plenum videbatur apponere, & vetabat quædam occurſans imago modeſtiæ; at cùm conſiderarem, quibus maledictis indigniſſimè Gentem noſtram *Joannes Bohemus Aubanus Teutonicus*, alijſq; ejus deſcriptores tum *Goldaſtus*, & noſtrâ memoriâ *Michaël Pieczek* proſciderit, venit rurſus in mentem, hæc ad illa delenda valere poſſe: neq; ego omnes promiſcuè *Bohemos*, niſi qui ſe majoribus ſuis dignos præſtant, hâc laude comprehendam: *Hominum iſtorum* (de Bohemis loquitur) *penè proprium eſt, Leonis animalium generoſiſſimi (cujus ſideri Bohemi ſubjacent, & quem bellicoſiſſimi Imperatoris Friderici Barbaroſæ beneficio, ob militares virtutes, inſertum geſtant in clypeo) quandam quaſi imaginem exprimere: ſive enim requiras celſam proceritatem corporum, ſive latum, validúmq; pectus, ſive rectam, fulviſq; comis decoratam cervicem, ſive vultûs quandam majeſtatem, deductam frontem, oculos micantes, vocis ſonum arduum; omnia in illis Leonina æſtimamus. Animus proinde Leoninus ipſis eſt hoc nomine; quòd fiduciâ quâdam virium res fortes ſuſcipiunt; exanimari ſe, aut exarmari haud facilè patiuntur; juris ſui, libertatiſq; tenaciſſimi, in ſuos fidi, cum primis in Deum, Religionem, & Magiſtratum, in exteros à doctrina potiſſimùm commendatos mites, atque hoſpitales; illuſtres Septemviratu Romani Imperij, & Feudis, quæ conferre Potentiſſimis Germaniæ Principibus ſolent &c.* Sequuntur Elogia doctæ in *Bohemia Nobilitatis*, quæ alteri loco ſervantur. Eandem Leonis, & Genij Bohemici collationem, & parallela habet *Dubravius* Olomucenſis Epiſcopus, quæ quia à Patrio homine ſcribuntur, libenter omitto; ſed illud de *docta nobilitate Bohemorum* encomiũ ad noſtram uſq; ætatem perduximus. Certè Vir eruditione, & Sapientiâ clarus *Nicolaus Avancinus è Societate JESU*, juſtam gloriationem *Bohemæ* gentis agnoſcit, quòd *doctam ſemper habeat Nobilitatem.* Hoſpitalem eſſe *Bohemiam, &* doctorum virorum præcipuè, unde unde illi adveniant, amatricem, & admiratricem, Exteræ Gentes ultro fatentur, & quanquam tacerent, *honores Exterorum in Patria*, Magiſtratus, opes, & gloria loquerentur, ut verendum magis ſit, nè (qui multorum

Dorn. l. cit.

Dubr. l. 1. hiſt. Boh.

R. P. Avancini.

Avanc. in Elo: Cæſ. in Carolo IV.

Bohemicæ gentis Hoſpitalitas.

torum ſenſus eſt) in charitatem Patriæ peccemus, nè hoſpitalitati deeſſe videamur. In hanc rem quàm plurima coacervat *Adamus Weleslavinus*, aitq; ſuo tempore *Pragam Hoſpitale Imperij* ab *Advenis* appellatam fuiſſe; humaniter excipi nationes omnes, audactérque affirmat, nullam facilè ejuſmodi in Exteros humanitatem reperiri, & ſi fides ſibi non habeatur, provocat ad experiendum.

Welesl. præf. in Æn. Silv. à Catheno edit:

Dec: l. 2. de Vetuſtat. Polon:

Teſtimonium Decij.

Jodoci Ludovici Decij, Viri magnis in rebus verſati *Sigiſmundo Poloniæ Regi à Secretis*, de veterum Bohemorum felicitate, ac virtute teſtimonium adjicere ſupervacaneū non erit; is, cùm Procerum quorundam *Bohemiæ* conſilia ante Annum 1500. ſuſcepta, ut ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis poſtliminio Regnum rediret, diligenter commemoráſſet, adjecit ſinè omni malevolentia: *Sed Bohemia inclytum Regnum, quod hominum proceritate, ac numero, armorum uſu, divitiarum copiâ, & ſplendore, rerúmq; omnium abundantiâ, nulli unquam ceſſit Regno, quondam &c.* (hîc eos nominat, quorum negligentiâ, ambitione, & ſuperbiâ in hæreſin ſit prolapſum, quæ libens omitto) *ſi receptum ab Apoſtolica Sede fuiſſet, in hanc ætatem multò plura pietate, & obſervantiâ Religionis, Eccleſijs contuliſſet. Ea enim gens in Deum, Sacra Templa, & Patriæ ornamenta ſemper fuit intenta; quanquam nunc quoq; futurum ſpero* (loquitur de bello à Chriſtianis adverſùs Turcas gerendo) *Bohemos in tutanda Republica Chriſtiana, cùm neceſſitas adegerit, non poſtremos fore qui multis antè ætatibus pro Fide Catholica intrepidè militarunt.*

Nota.

Hæc *Decius* non unus de trivio, ſed ùt dixi, magnus, & qui, ùt conſtat, omnia propè Chriſtiani nominis Regna pervagatus, intimam Reipublicæ Chriſtianæ ſibi comparârat notitiam.

Antonij Bonfinij.

Antonius Bonfinius homo Italus Scriptor egregius, & barbari illius ſæculi, quo pura, & illimis Latinitas jacebat, miraculum, Annales ſuos *Mathiæ Corvino Regi*, cui ſcribebat, nimiùm fecit obnoxios; cujus cùm bella adverſùs *Bohemos* geſta celebranda, oratoriè magis, quàm hiſtoricè ſuſcepiſſet, conſectarium erat, ut *Bohemos* deprimeret; vidêre iſtud ipſimet *Ungari*, adeóque *Sambucus* Scriptor apud Ungaros inſignis, & à *Lipſio* alijſq; ſæpe laudatus, pretio *Bonſinium*, judicium ſuum, & calamum vendidiſſe, *Mathia* ſuſpicatur. Ut ut ſit, vi veritatis victus *Bonſinius*, non ſemel *Bohemicæ* gentis fortitudinem commendare literis coactus eſt. Decade II. Rerum Ungaricarum: *Boëmi* inquit, *repentino Ducis edicto, arma capiunt; quod eò libentiùs faciunt, quando genus eſt hominum ultro ad bellum natum.* Fateor Decade 3. lib: 2. in Oratione *Regis Mathiæ ad Comitia Procerum* ſuorum, poſtquam *Bohemos* Martiales, formoſiſſimum genus hominum, cupidiſſimum belli, & ad pericula promtiſſimum, quibus procera corpora, & ſpecioſa, contemtus mortis magnus inſit, & perſvavis conſvetudo, dixiſſet, elevare poſtea, & contemnere gentem, quaſi nimiùm cultui corporis, præcipuè capillorum deditam, voluptatibus obnoxiam, inediæ, & laboris impatientem; at meminiſſe oportet, hæc à *Rege* dici in conſilio, câque in oratione, quâ *Mathias Rex Proceres* à bello Bohemico alienos, & averſos, ad bellum adverſùs *Georgium Regem* gerendum, juvenili ſtudio, & gloriæ amore inſtinctus, ipſe, incendere cupiebat, ideóq; neceſſitate, & utilitate *Belli Bohemici* demonſtratâ, facilitatem quoque adduxit, & *Bohemos* docuit vinci poſſe, ex Oratorum legibus oratione compoſitâ; at ubi ſecum ipſe *Corvinus de bello Bohemico* diſputat, alia prorſus in Bonfinio leguntur: *Duæ res*, ait, *hoc tempore Corvini mentem acerrimè vexabant: bellum Turcicum, & Bohemicum, Bohemi bello acerrimi, metûs expertes, & quàm maximè mortis, adjectis Polonorum viribus, potentiſſimi habebantur &c.* Pulcerrimus in eodem

Samb. præf. in Ann. Bonf.

Bonf. Decade 2. lib. 6.

Bonf. Dec 4. l. 2. in fine.

Bon-

Parallelæ Ungarorũ & Bohemorum apud Bonſinium

Bonſinio locus eſt Decadis IV. libro V. *Conventum Olomucenſem Wladiſlai Regis Bohemiæ, & Mathiæ Regis Ungariæ* deſcribentis, quo eâ ætate nihil magnificentius viſum à ſe Majores noſtri credebant; qui derogat fidem, ipſum adeat *Bonſinium*, ſatis ſcio dabit manus, tantus fuit Aulæ utriuſque ſplendor, tanta Majeſtas, tantus luxus, ut ſe incredibilia commemorare *Bonſinius* fateatur, quæ tamen veriſſima ſunt, neq; omnia narratione poſſe complecti quæ viderit: comparat initio utráque *Ungarorum*, & *Bohemorum* gentem, Regésq; ipſos *Mathiam*, & *Wladislaum* componit; ſupervacaneum eſt deſcribere, cùm *Bonſiny Annales* paſſim in Bibliothecis occurrant; pauca, quæ ad rem noſtram faciunt, recitabo: *Inſolentes utrinque fiunt apparatus, & à Mathia præſertim, qui plus æquo ambitioſus eſt habitus &c. Wladislaus ad ſtatum tempus cum ornatiſſimo Procerum ordine aliquot diebus prior adfuit, ſecúmque florentiſſimum duxit Exercitum.* Item præter Bohemos Duces duo illuſtriſſimi, & affines, quorum alter Bavariæ, Saxoniæ alter Princeps erat. *Præ ceteris autem terrarum gentibus, proceritate ſtaturæ, roboréque corporum, ac pulchritudine, præſtantiâ crinium, & ſuavitate conſvetudinis, Bohemi ſanè præcellunt; corpora, comáſque plus juſto colunt, in habitu, veſtitúque nitidiſſimi, & perquam molles, ad bellum, & voluptates tantùm nati, populares omnes ſunt, & affabiles, ad conciliandas quoque amicitias nimìs idonei. Contrà ſeveriores Ungari, & magis agreſtes, bello duriſſimi, auſteræ conſvetudinis, & quàm maximè peregrinæ &c.* nolo, ùt dixi, nec vacat plura deſcribere; hęc ſufficiant.

ad A. 1479.

Teſtimonium Bartolini.

Riccardus Bartolinus Peruſinus ab Italia, Vir judicij, & eloquentiæ magnæ, in *Oratione*, quam in conventu maximorum *Europæ Principum, Maximiliani I. Cæſaris, Wladiſlai Bohemiæ, & Ungariæ Regis, ac filij ejus Ludovici, tum Sigiſmundi Regis Poloniæ* An: 1515 Viennæ ad Sanctum Stephanum habuit, poſtquam ad *Bohemorum* cladem, qui ab ijs, pro quibus pugnabant deſerti, & hoſtium multitudine oppreſſi Anno 1504. ceciderant, & *Maximiliano I.* victoriam, ſed non incruentam reliquerant, deſcribendam acceſſit: *Nollem*, inquit, *Bohemicam pugnam recenſere, ſed cùm à tanto Principe vinci etiam glorioſum ſit, audeo dicere: nullibi unquam, neque fortiùs, neque periculoſiùs pugnatum eſſe, adeóque feroces illos Bohemorum animos & admiratus es* (Maximilianum I. Imperatorem alloquitur) *& tibi placuiſſe præ te tuliſti, ut non ſolùm ijs, qui ſupererant, clementiſſimè peperceris, ſed in poſterum quoque bellicoſiſſimum Populum tantâ benevolentiâ proſecutus fueris, ut ſtipendiarios, & præſidiarios eos* (Nota) *ſemper habueris; contrà ij, quantæ erga te fidei exſtiterint, teſtatur illa ad Muranum obſidio, in qua, ut tuæ Celſitudini fidem ſervarent, ad turpium quoque animalium eſum deſcenderunt.* hæc Bartolinus.

Bartol. in Hodæporico Cardinal: Gurcenſis To: II rer: German: inter Scriptores editos à Marquardo Frehero.

Joannis Fabri Epiſc:

At *Joannes Faber* Ordinis Prædicatorum Theologus primùm, poſtmodum ad ſummas evectus dignitates de eadem clade verba faciens in *Oratione funebri*, quam *Maximiliano primo* Anno Chriſti 1519, dixit, hæc habet: *Bohemi quoque viri omnium bellicoſiſſimi, qui plures ſolâ nominis ſui famâ Exercitus fugârunt, cùm neſcio quid ſiniſtri adversùs Cæſarem hunc molirentur, eſſéntque auxilio his, qui non ſatìs obedire viderentur, parvâ militum manu acceptâ (neque enim Exercitum ſuum, qui magnus eſſet, expectare voluit) apud Ratisbonam ab hoc Cæſare noſtro proſtrati ſunt, atque profligati. Nemo eorum ſalvus remanſit, niſì quem innata clementia Cæſaris conſervavit, quos & in verba ſua jurare coëgit. Nemo poſthac Cæſarem magìs dilexit, & admiratus eſt, quàm Viri Bohemi, quos & ob eximias ſuas virtutes, ac integritatem animi,*

Digitized by Google

Cæſar ſummo in pretio deinceps habuit, ipſisque in bellis uſus, magnam eorum expertus eſt fidem.

[Hieronymi Balbi V. Cl. teſtimoniũ] *Hieronymi Balbi* itidem Itali Elegia, pro tempore quo vixit, pereleganſ inter opera *Bohuslai Lobkovicij à Thoma Mite* edita reperitur; eam, cùm & brevis, & nervoſa ſit, bonâ lectoris mei gratiâ recitabo:

Panditur in latas celebris *Germania* terras,
Nunquam *Romulea* tota ſubacta manu;
Illius in gremio, ſylvis vallata jugoſis,
[*Bohemia.*] Erigit excelſum *Martia Bœma* caput.
Sintq; ſoluta licèt veteris commercia linguæ
[*Slavo: lingua.*] Diſcat & *Illyricos Bœmica* turba ſonos,
[*Fines & limites Bohem:*] *Teutonicas* tangit ſpatijs propioribus Urbes,
Nec niſi *Germanis* jungitur illa ſuis.
[*Moravia.*] Terminus huîc roſeo *Moravia* ſurgit ab ortu,
(Vocibus en cogor nectere verba novis)
[*Cuttenbergenſes fodinæ.*] Dives inexhauſtis reſonat quà *Cuthna* metallis,
Argentóq; fluens tota liqueſcit humus;
[*ad Septentriones.*] At quâ parte regit vultu *Cynoſura* gelato,
[*Sileſia.*] Flectitur obliquo *Sleſia* ducta ſinu,
[*Saxonia.*] Et levib⁹ duri verſant ſe *Saxones* armis,
[*Miſnia.*] *Miſnáq;* jugeribus non operoſa ſuis.
[*Zatecium. Launa.*] Proxima *Zatecenſésq;* tenent & mœnia *Lunæ*,
[*Cadana.*] Inde *Cadana*, tuę conſcia terra lyrę.
[ſcribit ad Bohuſlaum Lobkovic:] *Occiduos* claudit populoſa *Bavaria* fines,
[*Bavaria ad Occid.*] Quà patet æſtivo fertilis *Egra* vado.
[*Egra fl.*] Blandáque laſcivos *Glatovia* jungit amores,
[*Clatovia. Pilſna.*] *Pilſna* ſacris gaudet relligioſa viris.
Sed quâ *Zona rubens* medio curvatur ab axe,
[*Auſtria ad Merid.*] *Auſtria* Bacchiferis explicat arva jugis.
Caſius hîc viridi ſurgit veſtitus *Jäccho*,
Collectúsq; fluit plenior *Iſter aquis.*

[*Budvicium. Taborium.*] Hinc *Budvvis* fœcundat agros, animoſáque *Thabor*,
Nuper ab exorta ſeditione potens &c. Pòſt:
[*Laus Bohemiæ*] Non Bœmos rapit *atra lues*, nec torrida *febris*,
Pallentem miſero ducit in ore notam.
Hîc bona temperies, & ſidere miſſa ſalubri
[*Salubritas cœli*] *Aura* jubet fato proſperiore frui.
Brachia nîl metuit *Cancri*, nîl ora *Leonis*,
Nec gemit *Icario* terra peruſta *Cane.*
Prodigus everſâ non ſævit *Aquarius* urnâ,
Nec riget immodico *Parrhaſis* urſa gelu.
Sed *Caper* irradians *Phryxæi* velleris auro
Intepet, & ſpicis *Virgo* adoperta manus.
[*Fructus & flores.*] Ridet humus, varijs intexta coloribus, arbos
Ridet, adoptivis conſpicienda comis,
[*Pecudes & Armenta.*] Pingviáque ingentes tondent dumeta *juvenci*,
Et niveas paſcit fertile gramen *oves.*
Vidimus hîc ſpreto modulantem *Pana* Lycæo,
Vidimus hîc multo *lacte* madere *Palin.*
Hîc habitant *Charites*, & junctis *Gratia* dextris,
Et jocus, & riſus, & bene gratus amor.
Non agitant triſtes curæ, nec luctus inanis
Sollicitat lacero pectora tunſa ſinu.
[*Securitas Pacis ſub R. Wladisl.*] Quisque epulis, genióque vacat, paſſimque per herbas
Exercet faciles blanda *Juventa* chorós.
Non pudor eſt largo mentem vincire (*Lyæo*,
Nec pudor eſt *Veneris* concaluiſſe face.
[*Synceritas gentis.*] Hîc homines nullo nôrunt liveſcere fuco,
Utq; quis ore refert, ſic quoq; corde gerit.

Nulla

Digitized by Google

Hoſpitalitas Bohemor.

Nulla magis gaudet gens hoſpite, nulla profectus
Orbe peregrino mitior eſſe ſolet.

Henricus de Novadomo Patronus Hieronymi.

Ut ſileam reliquos, quis non *Gindriche* probabit,
Exhibet externo quę tua cura Viro?
Tu mihi certa fides, requies tu certa laborum,
Tu mihi funeſtos non ſinis ire dies;
Tu facis, ut doctis juvet inſudare Camœnis,
Subdis & admiſſo non leve calcar equo;
Sæpe ais, ô tantum foveas mea *Bœma Poëtam:*
Tam bene qui cantat, concinat ille tibi.

Viri militares ſimulq́ docti.

Arma placent, fateor, mentem motura virilem,
Non tamen hîc deerit, quod vel inermis agas.
Sæpe etenim Geticum permutat *Apolline Martem*,
Bœma potens armis, carmine *Bœma* potens.

Aurum & argentum.

Hæc vehit *argenti* rivos, *ariſq́* fluenta,
Aureáq́ effoſſâ maſſa cavatur humo.

Frumentum & vinum.

Terra ferax *Cereris*, nec faſtidita *Lyæo:*
Namq; ſuum ſpirat munus uterque Deus.
Fruge patent ſulci, veſtit *vindemia* colles,
Perſtrepit *Hyblæâ* gemmeus hortus Ape.

Apes & mella.

Sæpe levi certant examina blanda ſuſurro,
Sæpe ſonat placidum garrula carmen avis.

Avium copia.

Multitudo ferarum in ſilv:

Hæc loca frondoſis *Hercinia* ſylva capillis
Claudit, ab innumeris nobilitata feris.
Hîc pharetrata ſuas ſpargit *Dictynna* ſagittas,
Et victrix multâ cæde cruentat humum,
Mixtáque formoſis *Satyrorum* turba *Napæis*,
Captat in obſcuro dulcia furta ſolo.

Labitur in medio vitreis argenteus undis
Albis, & errantes devehit amne Deas *Albis fluv:*
Colludunt virides ſinuoſo gurgite *Nymphæ*,
Forſitan & raptus fœdera jungit *Hylas*, &c. Itâ Balbus.

Huic noſtræ Telluris encomio ab *Italo homine*, ſubjiciam aliud à Viro doctiſſimo *Bartholomæo Anglico Ordin: Fratrum Minorum*, qui lib. XV. de Proprietatibus rerum Noribergæ A. 1492. Typis edito, hæc de Bohemia ſcripſit: *Cap: 30.* *Bohemia ad plagam Orientalem juxta Germaniam poſita in Europa, quæ à montibus maximis, & ſylvis denſiſſimis, & altis undique circumſepta, à Germania, & Pannonia & nationibus alijs per montes, ſylvas, & flumina eſt diviſa. Eſt autem regio montium altitudine in pluribus ſui partibus valde firma, camporum, & pratorum planitie conſpicua, facie cœli ſaluberrima, glebâ fertiliſſima, in vineis abundans, & annona; in auro, argento, ſtanno, & cæteris metallis ditiſſima, fontibus, & fluvijs irrigua; nam terram irrigat Albia fluvius nobiliſſimus, qui in montibus oritur Bohemorum; ſimiliter & Mulda, qui præterfluit Pragam Regiam Civitatem*; (Albiam vocat Albim, & Muldam appellat Muldavam vel Wltavam) *in ejus montibus abundant pini, & abietes, & herbæ innumerabiles, non ſolummodo paſcuales, verùm etiam aromaticæ, & medicinales; ibi diverſorum generum abundant feræ innumerabiles: ſunt apri, cervi, capreolæ, tragelaphi, bubali, ſeu biſontes, & inter has feras eſt quædam habens magnitudinem bovis: hæc beſtia ferox eſt, & ſæva, & habet magna cornua, & ampla, cum quibus ſe defendit, ſed habens ſub mento amplum folliculum, in ipſo aquas recolligit, & currendo aquam miro modo in illo folliculo calefacit, quam ſuper venatores, ſeu canes ſibi nimis appropinquantes projicit, & quidquid tetigerit depilat horribiliter, & exurit;*

Teſtimonium Anglici

De hac fera egim⁹ L. I.

Bonaſus.

urit; & hoc animal linguâ Bohemicâ bovi nuncupatur. Hæc terra circuitur ex parte orientis Moraviâ, & Pannoniâ; ex parte Euri aquilonaris Poloniâ, ex parte verò meridiei Auſtriâ, ex parte occidentis Bavariâ Germanicâ, & Miſſenenſi Marchiâ circumdatur, & ambitur.

Nemo mirabitur, qui quid *Adverſaria* ſint, norit, me non habitâ temporum ratione (quod facillimum erat, ſi ordinare, quæ nunc temere ſcribo, voluiſſem) multa congerere: in primis id hoc loco nihil attinet; deinde, ùt dixi, *Adverſaria* deſcribo: jam rurſus in antiquitatem relabor: *Sigiſmundi Cæſaris* Sapientiſſimi Principis dictum circumfertur, quod in *Speculo Gloriæ Auſtriacæ* noviſſimo libro & non ità pridem edito legimus: *ſolitum ſæpe dicere Sigiſmundum: Bohemos niſi à Bohemis vinci non poſſe.* Quid ſibi voluerit *Cæſar*, explicare meum non eſt, ſed quantam hoc dictum gentis laudem contineat, ſapientes intelligunt: reflectant animum legentes ad bella *cruceſignatorum*, & omniũ vicinarum Gentium adversùs *Bohemiam Exercitus*, qui in anguſta licet *Bohemia* tumulum invenêre; clariùs etiam locuta eſt *Synodus Baſileenſis: Bohemos ex inſcrutabili DEI conſilio armis vinci non poſſe:* verba ipſa Concilij recitavi.

Sigiſmundi Cæſ. de fortitudine Gentis Teſtimonium.

Spec: Glor: Auſtri: de Bircken

Dubr. l. 26. hiſt. Boh. Cochlæus l. 8. in Huſſit:

Vide C. 20. hujus libri. Epit. hiſt. rer. Boh.

Teſtimon: Synodi Baſileenſis.

Tot igitur *Bohemiæ laudibus*, quas attuli, aut adferam, à Viris integerrimis profectas, obſtrepere auſus eſt ętate noſtrâ *Calvinianus* homo *Melchior Goldaſtus*, cujus maledicta in gentem noſtram ſuperiore Capite diluimus; expreſſit tamen illi veritas vocem: nam cùm toto libro primo & ſecundo, quidquid in *Bohemos* dicere poterat, aggeſſiſſet, ultimo, ſeu 18. Capite Libri ſecundi, hunc Titulum præfixit: *De Fide, & obſervantia Regum, atque Ordinum Bohemiæ erga Imperatorem, & ſacrum Imperium, ob quam non immeritò ſuas laudes, & præconia digna merentur.* hæc titulus. In contextu poſtea multa inſignia ex *Diplomatis Imperatorum* fragmenta recenſet in laudem *Regum noſtrorum*, & totius *Gentis Bohemiæ*, quæ ſupervacaneum foret hoc loco deſcribere, cùm Liber paſſim verſetur in manibus; illud vel obiter notandum, deleri hoc Capite, quidquid antè falſis, & detortis narrationibus *Goldaſtus* odio nationis attulerat: plus enim *Regibus, & Imperatoribus*, quàm *Goldaſto* credendum: *Goldaſtus Bohemos ſemper Rebelles;* Imperatores, *Bohemos ſibi, & Imperio fidiſſimos;* ille Slavorum univerſam gentem *fraudulentam, & vilem*, iſti *ſimplicem, & candidam, & glorioſam;* ille *imbellem*, iſti *fortiſſimam*, & ad bella natam teſtantur. Sed aliorum quoque teſtimonia audiamus.

Teſtimon: Goldaſti Bohemaſpidis, & hoſtis jurati.

Petrus Schottus Argentinenſis (cui intima cum *Bohuslao Lobkovicio* familiaritas interceſſit, ùt Epiſtolæ utriusque ſatis indicant) quantum *Bohemicæ* telluri, quantum etiam ingenijs, & humanitati tribuerit, ex ejus *Hodaporico Bohemico*, quod vulgavit, quisque capiat conjecturam.

Petri Schotti V. Cl.

Inter opera Bohusl. de Lobko:

Albertus Crantzius Vir erudititiſſimus in ſua *Vandalia: miramur*, inquit *olim Vandalos per Germaniam, Gallias, Hiſpanias tanta patrâſſe, Africam imperio terruiſſe, quando ejus gentis una portio Bohemi* (error hic eſt Crantzij, Vandalos cum Venedis aut Wendis malè confundentis, ùt ſæpius demonſtravi) *tantum valeant in florentes juxta ſe Provincias, ut ijs nemo bello par eſſe poſſit.* Et capite 23. *pervaſit metus Bohemorum Germaniæ Provincias, cùm nihil eſſet invium feritati.* Poſtea libro eodem Cap. 33. confirmat *Sigiſmundi* Cæſaris dictum: *Monſtravêre* inquit, *Orthodoxi, Bohemos niſi à Bohemis vinci non poſſe.*

Alberti Crantzij.

Crantz. l. 11. Vandal. C. 20

Vide L. II.

Hæc, quæ modò attuli, ferè ad gloriam armorum, & militares Virtutes *Veterum Bohemorum* pertinere videntur; adferamus etiam encomium in perpeſſione dolorum; nam fortitudinis virtutem majorem eſſe in tolerando, quàm in aggrediendo præſtantiſſimi

Codex liter: publîc. fol. 306. mi *Ethices*, ſeu *morum Magiſtri* docuerunt. *Pius II.* doctiſſimus, idémque prudentiſſimus Pontifex in literis Apoſtolicis 17. Calendas Julij An. 1463. datis, hæc ſcribit: *In illo Inclyto Bohemiæ Regno, hæretici magnos motus excitârunt &c. Proceres tamen & Nobiles in ipſo Regno, & Marchionatu* (Moraviæ) *& Civitates pleræque ſanctiſſimè in fide permanſerunt, ità, ut quamvis armata hæreſis Fidelibus vim facere ſtatuiſſet, atque adversùs eos arma moviſſet, nunquam tamen ab Evangelij veritate, Sanctorúmque Patrum doctrina, & Romanæ Eccleſiæ obedientia divelli potuerint, potiùs occumbere, ac omnibus tormentorum generibus affici, quàm illorum inſaniæ conſentire voluiſſent, ità, ut multos Martyres noſtra ætas in Bohemia viderit &c.* Vide, quæ idem Pontifex in eandem ſententiam ſcripſit in *hiſtoria Bohemiæ*, præfatione ad *Alfonſum Magnum Arragoniæ Regem*.

Pontificis Pij II. teſtimonium.

Nota.

Ad arma rurſus redeamus: Eſt apud me M. S. Codex publicarum literarum in negotio *Georgij Podiebradij Bohemiæ Regis* (cujus Codicis Exemplaria plura in vetuſtis *Bibliothecis* Bohemiæ reperiuntur) ubi *Oratio Legati ad Paulum II. Pontificem Maximum Romæ* habita legitur; Legatus hic omnium Electorum, & Imperij Principum nomine miſſus diſertiſſimè probat: imminente *Turcico* bello malè, & inconſultè *Bohemos* irritari; oſtendit: *Bohemiâ turbatâ vicina Regna omnia, ac Provincias turbari; Regem Bohemiæ* primum eſſe Imperij membrum ſæculare; in bello Turcico gerendo maximam Imperij ſpem ſitam eſſe in *Armis Bohemorum*, quorum ibi Militia, modúſque pugnandi, tum militares animi ſummis laudibus efferuntur; quod verò ſequitur memorabile: *univerſum vulgus Bohemorum ex innata quadam feritate ſævis rebus permiſceri gaudet, & arma ſemel apprehenſa non facilè reponit: quò fit, ut per Ungariam, Poloniam, Pruſſiam, Auſtriam, ac finitimas Provincias, pacatâ Bohemiâ, reliquiæ bellatorum extractorum quaſi quoddam ſeminarium militiæ diſſeminatæ, vel diſperſæ conſpiciantur &c.*

Legatus Imperij quæ pro Bohemis in Conſiſtorio Papæ dixerit.

Ib. f. 198.

f. 3. & 4.

Moraviæ quoque Civitates in eodem Codice ad eundem *Paulum II. Sereniſſimi Regis Ungariæ Mathiæ*, inquiunt, *potiſſima ſpes in opibus, & ſuffragijs Bohemicæ Militiæ verſatur &c.* Idem de Turcis ingenuè confeſſi ſæpius ſunt *Ungari, Dalmatæ. Croatæ: nihil ſatius eſt* (verba ſunt *Franconis Bani* Dalmatię in Comitijs Ungaricis An: 1443.) *in adeò ingenti non hujus tantùm Regni, ſed totius quoque Chriſtiani nominis diſcrimine, quàm uti operâ quorumcunque* (adversùs Turcas) *& imprimis Bohemorum, qui ad manum eſſent, & in priori Expeditione (quoad tuendam Religionem pertineret) non ſolùm pij, ſed etiam conſtantes cogniti eſſent.* Paulò poſt: *nec totidem Volones Cruce ſignatos, ex reliquis omnibus Chriſtianis nationibus accurrerunt, quot ex unica, & haud ſanè numeroſâ Gente Bohemorum.* hæc Banus Dalmatiæ, in Regni totius, Procerum, Regis, & *Joannis Corvini Hunniadæ* præſentia locutus; quę vera fuiſſe factis illuſtribus adversùs *Turcas Bohemi* ſæpius oſtenderunt, & Nos alio in libro, cùm de *Militia Veterum Bohemorum* agemus, luce clariùs demonſtrabimus.

Callimach. in hiſt. Ung. l. 3. Bonfin. in hiſt. Ung. Decade 3. lib. 6.

Bani Dalmatiæ in Comitijs Ungaricis oratio.

Hæc pauca *Encomia Bohemæ* Gentis adversùs *Goldaſti*, & qui ejus Optio, & ſuccenturiator eſſe voluit, *Petri Ribaldi* calumnias dicta ſunto; plura ſuis locis dabuntur. Intemperantię quędam, & profuſæ garrulitatis ſpecies mihi eſſe videtur, etiam dum lucubramus, quæcunque ſcimus, ſimul omnia proferre velle, & *cum pulviſculo*, ut Plautinè dicam, *detergere*, cùm in omni meſſe *ſpicilegio* ſit locus.

A. M. D. G.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quæ in hoc III.
MISCELLANEORUM
HISTORICORUM LIBRO
leguntur.

A.

Academia. ſub quibus nationibus Bohemi in Academijs cenſi, paginâ 5.
Ædificia Cœnobiorum in Boh. p. 143. V. *Templa.*
Altaria & miri operis Tabulæ, p. 137.
de *Alba Domina* tractatio, à p. 184. an ſit anima damnata, 185. in quibus locis appareat, 191.
Amazones Bohemiæ 243.
Ambitus ſubterraneus Jaromirij, & Raudnicij, p. 154. 155.
Antiquitates non ſunt abolendæ, 230. 231.
Appellare ex Regno Boh. Spiram non licet. 59.
Arces in Boh: plurimæ, & cur 81. enumerantur, Ibid: & à p. 82. earum multitudo, 117. cur condantur, 152. 117. in quibus Arcibus Theſauri lateant, 177.
Arcium Bohemiæ memorabilia à p. 87. *Arces* quæ alienari non poſſint, 112. de *Arcibus* judicium noſtrum, à p. 117. Arces dejectæ ſine diſcrimine, 117. *Arces* an ſint utiles diſputatur, à p. 118
Arcis Prag: laudatio & deſcriptio, 120. & 125.
Arneſti I. Archiepiſcopi Prag: ſepulchrum, ex quo oleum emanat, 211.
Arnau Arx 90.
Archivum Carlſteinenſe, 106.
Armamentaria 143.
Artes commendantur 165.
Artuß Rex Stadicij 197.
Aſellorum eſus apud Veteres, à p. 205.
Aulæ Regiæ ambitus, 147.
Auri glebæ in Boh. 293.
Auro abundantes Provinciæ bellis impetuntur, 270.
Auſtriam ferre quid ſit, 234.
Automata, & artificia Fodinarum, 165.

B.

Barba cædis Romanorum cauſſa, 233. juramentum per barbam ib. *Barba* Majorum quales, 234.
Bavariæ pars Bohemiæ adjuncta, 10. & ſeq. quomodo amiſſa, ib.
Bechinenſis Diſtrictus, p. 20. figura ib: Urbes, ib: & 21. dotes, 22. arx Bechinenſis, 87.
Benatky, 88.
Bella Religionis in Boh. à 255.
Berna Regalis Wenceslai Regis ac Cæſaris tempore, à p. 69.
Bezdiezy Arx, 87.
Bibliothecæ, 143.
Bila, 108.
Bilina Civitas, 87.
Blatna Arx, 87.
Bohemia, an ſit pars Imperii Germanici à p. 1. quomodo ſubjecta Imperio. 2. perorat pro ea Ferdinandus I. Cæſar, 2. an teneatur ad Collectas Imperij, 2. 3. Circulis Imperij non annumeratur. 3. Bohemiæ multum debet Imperium. 3. 4. nihil debet Bohemia alimentorum Imperatori, ib. an ſedeat Bohemia in ſolo Germanico 4.
Bohemia quomodo facta ſit Feudum Imperiale 5. conatus Imperatorum ad Bohemiam Imperio conjungendam, p. 8.
Bohemiæ termini olim latiores à p. 8. unde in Bohemia Vetere tantæ divitiæ, 36. 37. Bohemiæ divitiæ Caroli IV. tempore 124. Bohemiæ laudes à Viris doctiſſimis, 292.
Bohemia nunquam pendebat S. Petri denarium, niſi ratione Sileſiæ, 60. in Bohemia menſa ferrea, 201
Bohemiæ fælix ſidus, Stella intra Lunam, 220.
Bohemiæ Regibus an numerus ſextus fatalis, 223.
Bohemorum Veterum habitus, à p. 229. 232.
Bohemiæ calamitates, 63. paupertas 31. 232. dies nefaſti, 222. in Bohemia quot pagi ſub Rudolfo II. 64. ditiones Camerales Regis à p. 64. ditiones Dominorum & Equitum. 65.
Bohemiæ Circuitus, &c. 65. numerus pagorum, & oppidorum ib: *Bojorum* vetuſtæ Urbes apud Ptolemæum, 66. à Czechis conditæ 66. 67. olim in Bohemia populi multitudo. 71. 72. Civitatum Bohemiæ indices, à 73. v. *Urbes.* in Bohemia vetere Arces plurimæ, 81. *Bohe-*

Digitized by Google

Bohemorum bella cum Carolo Magno & ejus filijs à p. 244. Bohemorum oratio ad Carolum juniorem. 246. veterum Bohemorum in bellis fælicitas, ib. Bohemi ante Borzivojum Chriſtiani, 247. Bohemia à pluribus Ducibus regebatur. 247. cur tot bella in Bohemia, à 270. auri feracitas in Boh. 293.
Bohemia ſangvine ſemper redundans, 72. 73. quot in ea ſint prælia commiſſa à p. 240.
Bohemiæ Regnum cum Polonico ſedet in Libra, 224. Boh. Regibus fatalis numerus ſextus 223.
Bohemorum pecuniâ emta eſt Marchia Brandeburgica 13.
Bohemi Ethnici ſtudijs Magicis deditiſſimi, 199.
Bohemi præcipua Romani Imperij membra. 6. ſunt veri Cives Imperij, ib: poſſunt in Imperio poſſidere ditiones, 7. 8. in quoſdam circulos in Torneamentis admiſſi. 5. Bohemorum veterum veſtitus, à 232. de eorum Barba & Coma, 233. Bohemi cur facilè Peregrinas lingvas addiſcant, 238.
Boleslavienſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, arces, oppida, dotes &c. 32. 33.
Boleslai I. Ducis Boh. bella à p. 249.
Borzivojus an primus Chriſtianus, 247.
Botzani Canis pro Urſo habitus, 206.
Boves Magici volantes, 200.
Brandeis Arx 88. 118.
Brigenſes Principes Privilegiati, 61. 62. 63. 64.
Brixenſis Arx, 93.
Brunæ Veneris Partheniæ Templum mirabile, 163.
Budecij prima Academia Bohemiæ, 199.
Budvicij origo, 21.

C.

Cæſaries Majorum noſtrorum prolixa, 234.
Calcei fortunæ prioris admonentes, diù ſervati, 201. 202.
Campanæ celebriores per Bohemiam 139. Pragenſes, 123. 124.
Canis comeſus, 206.
Carolus M. conceptus in Thuringia, 246. ejus mors ib.
Carolus IV. Bulla aurea 6. ejus defenſio de Bohemis in Imperij officia à ſe promotis, 7.
Caroli IV. in latrocinantes ſeveritas laudanda, 81. v. *Latrones.*
Carolus IV. vexatur à Spectro Pragæ, 198.
Carlſteinenſis Arcis deſcriptio à p. 100. ſtratagema depulſi hoſtis, 116.
Cauſſa belli nimis antiqua, non facit bellum juſtû 2.
Cellaria quædam profunda, 150.
Chanovskij Equites mortis admonentur, 221.
Chrudimenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, oppida, piſcinæ &c. à p. 18.
Cibi nationum diverſi, 206.
Cimbri Bohemiæ primi hoſtes, 241.
Circulatoriæ artes, 217.
Civitates Bohemiæ, à p. 73. *Civitates* in quibus Theſauri latent. 177.
Conventus Imperij in Boh. celebrati, 6.
Cœnobia magnificè exædificata, à p. 143.
Coma Majorum noſtrorum, 234.
Comœdi à Zitone devorati, 207.
Corona Wiſſehradenſis, 140.
Cœnobij Opatovicenſis excidium propter Theſaurum, 172.
Corylus fatalis, 200. 201.
Cubitenſis Diſtrictûs deſcriptio, 33. oppida 34. de eo, ib. dotes ib: quando Bohemiæ adjunctus, ib:
Cubitenſis Arx, 92. 118.
Culter demiſſus in ſtomachum extrahitur, 217.
Cuniculus Pragâ in Bubenecz, 150. Cuniculus Novodomenſis, 153.
Curationes miræ, à p. 215.
Cuttnenſe Templum S. Barbaræ. 131. deſcriptio Indulgentiarum & ritus 132.
Cuttenbergæ Dæmonum volatus, 197.
Czaslavienſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, oppida, dotes &c. 19. 20.
Czerninij mortis admonentur, 221.

D.

Dæmones Cuttnæ volitantes, 197. concionabundi, 198. inſtar Draconum, 183.
Decapitati viventis exemplum, 215.
Diſtrictus Bohemiæ ſub Carolo IV. duodecim 13. an ſit Diſtrictus Pragenſis, 14.
Dievvin arx, 89.
Domus Archiepiſcopalis Pragæ, 142. Waldſteiniana, Lichtenſteiniana, Czerniniana &c. ibid: Noſticiana, Chinskiana vetus, Slavatiana, ib:
Donin arx, 89.
Dubenſis arx, 88.
Dubravska hora, ſeu arx Teplicenſis 88.
Dulcis puls fundatur ab Alba Domina, 189.

E.

Eccleſia Pragenſis, Metropolitanæ deſcriptio, 121.
Eccleſiæ meliores in Boh. enumerantur à p. 132. v. *Templa.*
Equus magicus Libuſſæ 200. & Horomiri, 203.
Egrenſis Regionis deſcriptio, figura, an Urbs Imperialis. Egræ Domini. Privilegia, à p. 36.

F.

Fabulæ impediunt Veritatem, 201.
Fabrelli domorum, 196.
Fames in Bohemia propter auri & argenti fodinas, 203.

Digitized by Google

203. in fame coctio Cerevifiæ vetita, 219.
Feudum Bohemicum explicatur, 5.
Franci Veteres à Bohemis cæſi, 247.
Fraunberg, 89. & 93.
Frimburg 99.

G.

Geniſkiorum familia mortis admonetur, 221.
Georgij Plachij S. J. magnanimitas, 145.
Georgij Podiebradij bella à p. 261.
Gentium variæ migrationes, 4.
Glacenſis Comitatus Bohemiæ, 9. deſcriptio à p. 38. Privilegium ſuſpectæ fidei ib. in qua ſit diœceſi, 40. Domini Glacenſes, ibi: quando cœperit Comitatus appellari, 42. Glacenſis Comitatus Clypeus, Termini, figura &c. 42. 43. Nobilitatis fidelitas, 44. religio ib. Capitanei Comitatûs 45. Glacenſes Canonici Regulares. 46.
Glacenſis arx. 17.
Goldaſti Objectiones adverſus Regni Boh. libertatē p. 3. Goldaſti mendacia diluuntur, toto Cap. XXII.
Grabſtein arx, 89. 118.
Grinberga, 99.

H.

Habitus Bohemorum veterum qualis à 232. veterum Bohemorum armatura, 232.
Hagecij anhiſtoriſia, 244. 245.
Haſenburg 90.
Haſſenſtein 89.
Hauska 90.
Henricus Auceps Pragam capit 249.
Helffenburg 90.
Helffenſtein 89. 95.
Herſtein 89.
Hermunduri olim in Bohemia, 66.
S. Henricus Imp. Bohemiam aſſerit in libertatem, 251.
Hluboka 89. 118.
Horologium Arcis Pragenſis, 124. *Horologium* Curiæ Pragenſis Antiquæ Urbis, ejúsque hiſtoria, 155.
Horomiri Magicæ artes, 202. & ſeq. ejus Equus magicus ib.
Hortus Regius in Arce Pragenſi, 126.
Huſſij vera effigies, 233.
Hunnorum in Boh. incurſiones à p. 249.

I.

Janovice Arx, 90.
Icarus magicè exhibitus, 203.
Imperij Romani pars Bohemia, 2. V. *Bohemia*.
Incorruptio Cadaverum an ſit ſemper miraculoſa, 210. exempla 213.
Imagines Veterum Principum Bohemiæ Novædomi. 230. Imagines antiquæ omni ſtudio conſervandæ, 231.
Inveſtituræ Antiſtitum ſunt Juris Eccleſiaſt. 288.
S. Joannes Baptiſta religioſiſſimè olim in Sileſia cultus, 54.
Judicia Magdeburgenſia, veriùs arbitria, 287.
Juſtitiarij in Boh. qui fuerint, 13.

K.

Kaurzimenſis Diſtrictus, figura, fines, forma, loca memorabilia, à p. 15. dos regionis, 16.
Klimba Libuſſæ Dea, 200.
Kolin, 91.
Kolovratiana in Sileſia Transactio fundamentalis, 54. recitatur compendio, 60. & ſeq.
Kolovratei Mortis admonentur, 221.
Koſtialov, 90.
Koſtelecz, 91.
Koſtomlaty, 90.
Krzivoklady Captivi Principes, 90. arx 118.
Kuklveit, 109.
Kunieticzka hora, 91. vel Konieticzka.
Kunradice, 109.
Kvietnice, 91.

L.

Larunculi, 156.
Latinè olim in Imperij Curijs peragebatur omnia, 237.
Latronum ſpecus, 151.
Leſſno arx, 92.
Lezaci quod genus hominum, 72. Regum adverſùs eos decreta, Ib.
Libuſſæ politicæ artes, 200. ejus vaticinia, 223.
Lichtemburg Arx, 92.
Linguæ Bohemicæ conſervandæ ſtudium in Majoribus noſtris, à 234. Linguæ Slavicæ amplitudo quondam, à 236. Slavicè olim locuti plurimi populi, 237. 234. commendatur in Aurea Bulla, 238. Electores & Principes Slavicè locuti, ib: qui multas lingvas callet, pluribus æquivalet, 240.
Linguæ Slavicæ inimici, 224. olim in Germania, & in Comitatu Glacenſi, 10. 11.
Litice, 92.
Litomyſſl 92.
Litomericenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, dotes, &c. 30. 31.
Lnarz, ſeu Schlüſſelburg, 92.
Lobkovicij Mortis admonentur, 221.
in *Luna* incluſa ſtella fælix Bohemiæ, 220.
Luſatia quando Bohemiæ adjuncta, 7.
Luxus in calceis cælitus punitus, 90. Luxus veſtium olim in Boh. 233.

M.

Digitized by Google

M.

Magiæ potentia, 203.
Magicæ Scholæ apud Ethnicos, 199.
Magicum prælium, 204. Magi etiam poſt mortẽ flammis exuruntur, 209.
Magicæ artes in Theſauris quærendis, 174.
Malovecij mortis admonentur, 221.
Marchia Brandeburgica emta pecuniâ RegniBoh: pro ſtirpe Lucemburgica, 12.13. ejus fundatores Marcomanni 243.
Martinicij mortis admonentur, 221.
Mathematica Domus Pragæ, 127.
Merovius Moraviæ Rex, 163.
S. Methodius Budecenſem Academiam reformat, 199.
Milites ſtipendarij ex Bohemia, 71.
Militia bohemicæ numerus olim, ib.
Miſniæ pars olim ad Boh. ſpectans 9.
Mitra Przemyslai, 202.
Moneta deterior vetatur, 225.
Monarchia an antiquior libertate, 289.
Moraviæ defenſio contra Goldaſtum, à p. 283.
Mortes præſignificatæ à p. 220. quædam familiæ illuſtres mortis admonentur, ib.
à *Morte* ſurgentium exempla, 214. & ſeq.
Mortui incorrupti, à p. 212. mortui exiſtimati reviviſcunt, à 213. inviti in Tumulis moventur, 231.
Mummia in Bohemia, 210.
in *Munitione* quid ſpectandum, 118.
Mures auri fures, 182.
Muſivum opus in arce Pragenſi, 125.

N.

Nachod arx, 93.
Neklani Ducis Magica victoria, 205.
Nobilitas Bohemiæ docta, 293.
Nobilitas Bohema in Imperio, 6. an ſit Germanicæ, an Slavicæ origi: ib: 285. eſt Status Imperij adhibiti officijs Imperij. poſſident in Imperio, ditiones, ib: Nomina Nobilium Bohemorum, qui dignitates, & munia in Imperio geſſêre, 7.
Novædomi Ducum & Regum omnium Bohemiæ imagines, 230. ibidem dulcis puls, & de ea 189.

O.

Oivinenſis Arcis deſcriptio, 113.
Omina, & præſagia, à p. 217.
Opatovicenſe Cœnobium, theſaurus, & excidium. à p. 170.
Oppida Bohemiæ enumerantur, à p. 77.
Orlik arx, 118.
Oſſecenſe Cœnobium, 143.
Oſſuaria Sedlecij, 148.
Ottogari Regis ſomnia & cladis præſagia, à p. 219.
Otto M. annis quatuordecim oppugnat Bohemiam 242.

P.

Palatium Regium Pragæ, 127. & ſeq.
Pardubicenſis Arx, 118.
Paſtor magus à morte circumiens, 208.
Perchta de Roſis Alba Domina, 187.
Pernſteinenſis Virgo poſt mortem circumiens, 192
Petra Amantium in Boh: 152.
Petrus de Roſis malè ominatur de Bohemia, in morte, 222.
Petri Ribaldi in ſuos maledicentia, 291.
Pictoria Ars Majorum noſtrorum, 138.
Pietas Nobilitatis Bohemiæ in antiquitate, 166. & ſeq.
Plavenij Principes Bohemiæ fevdatarij, 12. in Bohemiam immigrant, ib:
Plſnenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, oppida &c. 26. dotes, 27.
Plſnenſes adversùs Ziſkam conſurgunt 257. obſeſſi 260. hæreticos exuruut, 261.
Plſna à Catholicis obſeſſa, 263.
Podbrdenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, oppida, dotes, loca memorabilia &c. 23.
Pollex Ven. P. Nicolai Lancicij, 214.
Polonia adversùs Goldaſtum defenditur, 287.
Pons Pragenſis, 93. 129. & ſeq. Raudnicenſis 131
Potenſtein arx. 94.
Prachenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, oppida 24. dotes 25.
Praga ab Henrico Aucupe capta, 249.
Pragæ olim quanta hominum multitudo, 71. potentia 72. fidelitas ib.
Pragenſis Arcis deſcriptio à p. 120. in ea terra Palæſtinæ, 122. Domus Mathematica, 127. Palatium ib: pons 129.
Pragenſium prælia cum Ethnicis à 248.
Pragenſis Curia, 141. in ea tractati Reges, ib. & alia ad Pragam ſpectantia, ib. Pragæ cloacæ pretioſæ, 176.
Principibus maximè neceſſaria lingvarum peritia, à p. 239.
Principes Sileſiæ, v. *Sileſia*. Privilegia Principum Brigenſium, 61.
Procerum Bohemorum eloquentia, 236.
Prophetiæ de Bohemia, à p. 222.
Provinciæ pleræque locum habent, qui rideatur, 206.
Przemysl ad Regnum magicè evocatus, 200. ejus calcei & mitra diu ſervati, 202.
Przibenicenſes Arces deſcriptæ, 114. captæ ib:
Przichovskij mortis admonentur, 221.
Przimda arx, 93.

Digitized by Google

R.

Rabi Arx, 94.
Rakovnicenſis Diſtrictûs deſcriptio, 28. figura, & (dotes 29.
Ralsko arx, 96.
Rana aurea Libuſſæ, 200.
Raudnicenſis arx, 95. pons 131.
Raupov arx, 94.
Reliquiæ Sanctorum in Boh. 121.
Rex non eſt homo privatus, 125. ex eodem luto ex quo ſubditi reges componuntur, 201. Regib⁹ Bohemiæ numerus ſextus fatalis eſſe dicitur 223. Regium opus eſt ædificare, 129. Regia Boh: familia olim perijt, 219.
Reges maximè quærant ut amentur, 239.
Regiæ Aulæ Pragæ deſcriptio, 126.
Regnum Bohemiæ, v. *Bohemia.*
Reginohradecenſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, termini, à p. 16. Urbes, & dotes, 17.
Rhæti Bojorum antiquiſſimi hoſtes, 242.
Riſenburg, & *Riſemberg* Arces, 95.
Rudolfus II. Cæſar amator hortorum, 127. ejus mors præſignificata, 222.

S.

Sacraria quædam in Boh. pretioſa, à p. 166.
Salmunculi ad Piſecam, 22.
Schatzler arx, 96.
Scherffenſtein arx 97.
Schlakevalda, 34.
Schlüßelburg arx, 92.
Scribendi eleganter ars apud antiquos, 138.
Sculteti in Boh. qui fuerint, eorúmque munus, 66.
Sedlecenſis Cœnobij oſſuaria, 148, 149.
Sepulti reſuſcitati, à 214.
Sileſia, de ea tractatio à p. 48. olim ad Poloniam ſpectabat, ib: de hiſtoricis Sileſiæ, ib: Populus 49. fines Sileſiæ, 50. Principatus, Baronatus, opes telluris, 51. civitates, lingva, 52. 53. Germani in eam immigrant, 53. Chriſtiani quando facti, aureus Epiſcopatus, 54. de Cœnobijs & Eccleſijs Sileſiæ, 55.
Sileſia quomodo ſit adjunctaBohemiæ à 56. an ſit Vicariatus Imperij, 59. de Comitijs & Judicijs Sileſiæ, 59. an ſint exemti ab Appellarione aliqui Principatus, ib: an conveniri poſſit Rex in Judicio, ib: de ſupremis Capitaneis Sileſiæ ib:& 60. Sileſij olim Slavicè locuti, 237.
Sileſia pendebat S. Petri denarium, 60. Privilegia quædam Sileſiæ 60. de Transactione Kolovratiana ib: & 61. Privilegia Principum Brigenſi- (um, 61.
Skaly arces, 97. 118.
Slanenſis Diſtrictûs deſcrip: 29. figura & dotes 30.
Slavicæ lingvæ quondam amplitudo, 11. ejus inimici, 224. Slavica lingva viam præſtruit ad multas lingvas diſcendas, 238. v. *Lingva*, ejus laudes compendio 239. Slavi natio ad libertatem genita, 289. (ib: & 220.
Somnium Regis Ottogari, 219. ominoſa ſomnia,
de *Spectris* narrationes à p. 184. v. *Alba Domina.* Spectrum Stadieij, 197. in Arce S. Viti 198. Spectra equitantia 209. exercitus 218. homines in duobus locis viſi, 209. Spectrum Perenſteinenſe, 192. Trebonæ, Crumlovij, Giczinij, 193. Milovicenſe, 194. Spectra chartis ludentia 195 Eques cataphractus Novodomenſis ib:
Specus latronum, 151.
Sperlingſtein arx, 97. (pellatio, 59.
ad *Spirenſem* Cameram ex Bohemia non datur ap-
Svambergica Alba Domina, 191.
Svihov arx 96. Spectrum Monachi, 191.
Sternbergici mortis admonentur, 221. de bono Puero Sternbergico, 212. eorum nobilitas, 92.
Strogeticzkij mortis admonentur, 221.
Stultitia ad breve tempus procurata, 217.
Subditorum amor ingens theſaurus, exemplū, 168.
Subterraneæ quædam opera, à p. 150. (169.

T.

Taborij origo, 22. Taboritarum Pracata/ 91.
Taboritarum habitus, 233.
Tetzen arx, 98. 118.
Templum S. Barbaræ Cuttnæ, 131. Templa quædam ſumtuoſa à p. 132. Templum Venetis Brunæ 163.
de *Theſauris* in Bohemia latentibus à p. 168.
Theſaurus Roſenbergicus, 168. Opatovicenſis, 170. in Diſtrictu Zatecenſi 174. Trebonenſis ib. & 178. Beraunenſis, 178. Theſauri Arcis (177.
Theſaurorum cauſtæ, 176.
Theſaurus Altomitenſis 179. in arce G. 180. Reginohradecij 181. Columna Theſauraria, 182.
Theſauri quidam à Dæmone infeſſi, 183.
Thuringi Veterum Bohemorum hoſtes, 240.
Toczník arx, 97.
Tolenſteinenſis Alba Domina, 191.
Trebona 97. 118. ſubterranei cuniculi, 152. mu- (nitio Trebonenſis, 153.
Trosky, 97.
Turres in Arce Prag: 124. quædam auro illitæ ib:
Turres & turritæ moles Bohemiæ, 144. Turrem in Haſenburg afforis aſcendunt pueri, 146.

V.

Vaticinia de Bohem: à p. 223. Vaticinia Przemyslai acuta, 201. v. *Libuſſa.*
Veneris Templum Brunæ, 163.
Veſtitus Veterum Bohemorum, 229. & ſeq.
Veſtes hodiernæ Comicæ, 232. v. *Habitus.*
Veſtes Gallicæ ſub Carolo IV. in Boh: illatæ ib. veſtium luxus ſub R. Wladislao, 233.
Via literata Reginohradecij, 146.
Virgineus morbus, 214. 215.

Uni-

Digitized by Google

Univerſitas Carolina Pragæ, 141.
Urbium Bohemiæ ſtrages, 63. vetuſtæ Urbes Bohemiæ, 66. quando ſint fundatæ, à 67. earum proœdria, 70. Urbes Reginarum, 70. opes Urbium inter ſe comparatæ. 71. Index Civitatum Boh: à p. 73.

W.

Waldſtein arx, 98.
Wanczuræ Equites mortis admonentur, 221.
Watava fluvius redit in caput, 219.
Welbarticium arx, 98.
Welis arx, 98.
S. Wenceslaus prædictus à Libuſſa, 223. ſtuduit in Academia Budecenſi, 199. ejus Sacrarium, & (Tumulus ſacer, 121. 140.
Wildſtein arx 99.
Wiſſehradum 112. de eo 117. origo fabellæ de columna dæmonis 100. Wiſſehradenſis pretioſa Corona, 141.
Wltavienſis Diſtrictûs deſcriptio, figura, dotes, 22. (23.
Worlik arx 98.
Wratislaviana virguncula incorrupta, 211.
Wratislavienſis Epiſcopatus 53. 54. & ſeq. cur geſtet lilia, 54. ritus Eccleſiæ illius unde petiti, ib: Epiſcopus eſt Princeps Ligius Regni Boh: ib: præſagia mortis Canonicorum & habitus, 55.
Wratislaviæ ſeditiones, 61.
Wrbnæi Comites fundatores, 55.
Wrſſoveciorum pietas, 224. adversùs eos prædictio S. Adalberti, ib:

Z.

Zatecenſis Diſtrictûs deſcriptio, 26. figura, urbes, (dotes, 28.
Ziebrak arx 99.
Zelena Hora, 99. (mors 259.
Ziſſka cocles, 94. ejus effigies 233. bella à p. 255
Zitonis præſtigiæ, vita & mors à p. 207.
Zvikov, 99. 118.

Errores nonnulli irrepſerunt, quibus ignoſci petunt Typographi.

Folium.	*Columna.*	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
15.	2.	30.	1644.	1645.
16.	2.	44.	munificentiſſima.	munitiſſima.
19.	1.	34.	ab occaſum.	ad occaſum.
22.	1.	2.	Malovecium.	Maloveciorum.
38.	2.	22.	appellent.	appellant.
41.	1.	13.	1222.	1322.
44.	2.	16.	ad enthuſiaſmum:	*dele* ad
102.	1.	32.	ſolidas.	ſolidus.
126.	1.	27.	pulvere	pulverei.
156.	1.	penult.	mereantur	merebantur.
157.	2.	39.	Joannes.	Joannis.
167.	2.	10.	1621.	1421.
178.	2.	44.	tu.	ut.
197.	2.	31.	vindicabat.	vindicabit.
202.	1.	41.	argenti.	argentei.
204.	1.	7.	decretorum.	decretorſum.
207.	2.	15.	recitato.	recitabo.
209.	2.	35.	deprehendiſſet.	deprehendiſſe.
210.	2.	ult.	Wlaſtimius.	Wlaſſimius.
211.	2.	28.	ſcelera.	ſcelere.
216.	1.	ult.	intellectu.	intellecto
218.	2.	36.	concitato.	*adde*: curſu concitato.
219.	1.	25.	Cereviſiæ.	*adde*: officinæ.
221.	1.	41.	quod.	qui.
Ibid:	2.	penult.	narrat.	narrant.
222.	1.	13.	quo.	pro.
Ibid:	2.	34.	impendere.	impenderet.
237.	2.	30.	quâ	queis. *vel* quibus.
241.	2.	ult.	armorum.	armatorum.
270.	2.	6.	Patria.	Patriæ.
281.	2.	17.	1253.	1153.
286.	1.	5.	Svecos.	Svevos.
Ibid.	2.	7.	certum.	certam.
287.	1.	44.	domi.	*adde*: judicia.

Errata reliqua pro ſua prudentia, & facilitate *benevoli Lectores* excuſabunt; ut partam pro partem; quæritur pro queritur; Mecœnatæ; effoſum; Cæreviſia; Aquilla; præcabatur; hinc pro hanc; quodam pro quondam; Benotky pro Benatky; de Lugdano pro Lugduno; Nævercæ pro Novercæ; Cili mi, pro Fili mi; &c.

Digitized by Google

ADDITAMENTA
QVÆDAM AD
LIBRUM I. MISCELLANEORUM,
SEU
HISTORIAM NATURALEM BOHEMIÆ:
Amicis, & Viris doctis ſuggerentibus.

CUm multis in locis *Miſcella* hujus hiſtoriæ optaverim Auxilijs *Lectorum* adjuvari, ut ſi quæ *ad hanc rem, quam paro*, haberent, ea communicarent mecum, invêni duo genera hominum: alios, qui promitterent, alios qui præſentem operam conferrent. Illos nihil moror (*pollicitis dives quilibet eſſe poteſt*) at iſtorum ſolertiam, & mihi, meæque hiſtoriæ gratificandi ſtudium lubens amplector, his adjiciam nonnulla, quæ me fugerat antea ſcribere, & nunc primùm cogitanti venerunt in mentem.

Ad Libri I. Caput V.

Pragenſia capita venuſtiſſima.

DOcueram illo Capite, ex *Tychonis Brachai* incomparabilis Aſtronomi teſtimonio: ſummam eſſe in *Bohemia*, ac *Pragæ* præcipuè (niſi aliunde contagio invehatur, ut nuper proh dolor! fieri contigit) ſummam, inquam, eſſe in *Bohemia* cœli ſalubritatem, huc referebam exporrectos, & vivaces adoleſcentûm, omniſque ætatis vultus, lætam indolem, ac plerumque ut vocant, *complexionem ſanguineam*, altitudinem corporum, ac proportionem debitam, aliáque hujusmodi; poſthęc omnia ſuggerit Vir Cl. & nunquam à me ſine præconio nominandus *Chriſtophorus Arnoldus* homo limatiſſimi judicij & excellentis doctrinæ: apud ſtatuarios, ejúsque nobiliſſimæ artis Magiſtros, Belgas potiſſimùm, *Pragenſe Caput* appellari, quod in conformatione & cælatura Capitum, perfectiſſimum ſit, & pro præcipuo & palmari habeatur. Referam ipſa *Arnoldi* mei verba ex Epiſtola ad me Noribergâ hoc ipſo anno 5. Septembris data: *Ex arte Statuaria nuper*, inquit, *obſervavi, CAPITA PRAGENSIUM haberi pro formoſiſſimis! id enim Belga aliquis in libro ſuo teſtatur; quæ obſervatio digna prorſus videbatur, ut in Tua Naturali Hiſtoria caput extolleret*. Hæc ille.

Ad C: 68. L. I. De albis Monedulis, & Perdicibus.

Albæ monedulæ & Perdices.

NArraveram pro miraculo, *Hirundines, Monedulas & Paſſeres albos*, non ſemel à me viſos; admonuit Vir doctus, & peramicus *Fabianus Blovsky* paſſim ad Pragam, *albas Monedulas*, dum gregatim volitant, & in agris vermiculis exſcalpendis occupantur, inveniri. Item in *Rozdialovicz* in Hradecenſi Provincia *Perdices albas* tam frequenter, lucidiſſimo nivium colore perfuſas, apparere, ut nemo ſit ampliùs qui miretur.

Vivaria quædam.

Eodem Libro I. C. 57. *de Vivarÿs ferarum*, & C. 70. *de Phaſianis*, multa nomina diligentiam meam fateor effugiſſe: *Rozdialovicÿ* vivarium eſt amplitudine vix alteri in Bohemia conceſſurum; *Duxovÿ* in ditione Celſiſſimi *Archi-Epiſcopi Pragenſis*, & *Principis* duo Vivaria opportunis locis conſtituta ſpectantur, quorum alterum nemoroſum & opaciſſimum *phaſianarum*

rum gallinarum educationi ceſſit. *Crumlovij* amœniſſimum Crumlovienſis Ducis *Vivarium*, rurſusque aliud ad *Novamdomum*, duo alia (majus & minus) ad *Teltzium*, proximè intravi & ſpectavi. *majus* illud *Cervis & apris* (quorum habitatio ſepibus diſtingvitur) refertum, Arcem vetuſtam & egregiam, *Roſtein* dictam, includit. Qui plura ejuſmodi Theriotrophia per Bohemiam viderint, adjiciant de ſuo: fieri enim non poteſt, ut à me ob multitudinem, omnia nominentur.

Ad Cap. 61. Libri I. De Equis, eorúmq; Vivarijs in Bohemia.

De Equis Bohemicis.

PRomiſeram Libro I. dicturum me ſuo tempore ac loco, *de Vivarijs Equorum*, ſed fefellit me ſenilis memoriæ mala fides; itaque monuêre Amici, ac præſertim Ad: R. D. *Wenceslaus Czèrvenka* Giczinenſium Decanus promiſſum non præſtitum. Habet Bohemia *Propagines Equorum* multas, habet quàm plurimas pulcherrimi & generoſi hujus Animalis varietates: laudantur in Equis hominum vitia, laudantur & virtutes: ſi altos ſpiritus gerant, ſi verberibus irritentur, ſi contemtum ſui impatientiùs ferant, ſi ad nutum obediant, ſi honore, & hortatibus, bonis verbis, & poppyſmatis excitentur, ſi verſatiles ſint, ſi dociles ad ſaltus, aliáſque artes, ſi verbo moniti in veſtigio conſiſtant; ſi memorioſi, & ad lubricas, & periculoſas vias attenti; ſi noſcant Dominos; ſi eorum quæ pręterpropter geruntur incurioſi, terrores & oculorum ludibria, tum ſubitos ſtrepitus & occurſus parvi pendant; ſi malorum tolerantes, & ad incommoda durati. Hæc, ut ita dicam, ad animum, cætera quæ ad corpus ſpectant, frontis altitudo & venuſtas, maculæ certis in locis nullæ, pedes velut torno expreſſi, aliáque hujuſmodi *Virgilius* divinè proſequitur; denique finis nullus eſſet Virtutes Equorum, & heroicam indolem commendandi; ad inſtitutum ſatis eſt dicere: omnia hæc bona, quæ alibi natis inſunt, quáque aut generoſâ nativitate, & virtute parentûm aut educatione & inſtitutione Magiſtrorum aut Cœli influxibus, aut. aſſiduâ exercitatione comparantur in *Noſtris* inveniri.

Equorum Virtutes.

Virgil. in Georgicis l. 3.

Olim in antiquitate *grandes Equos* ad belli Machinas devehendas mittebat *Bohemia*, ut dixi libro I. iique in Comitijs, *Imperij Circulis* imperabantur, & ex *Bohemia* petebantur; noſtrâ & patrum memoriâ compertum eſt: *Equos Bohemicos* in militia Cæſarea, maximam præ Equis cæteris reportaſſe gloriam, tolerantiſſimos eſſe laborum, obedientiſſimos eoſdem, patientes pulveris atque Solis; id ſe comperiſſe Milites quidam Cæſarei ſanctè affirmant, recitántque magnorum in bello Ducum nomina, qui *Bohemicos Equos* multum cæteris præferant, iiſque in prælio & in caſtris ſint uſi, non parvo pretio coëmtos: narrabant exempla famis, & aliorum malorum, quæ nuper in *Germaniam* delati, *Equorum Bohemicorum* ope, & jejunio ſuperaſſent, cùm aliarum nationum Equi malis fracti jacerent.

Equi Bohemici patientiſſimi laborum.

Porrò gemina apud nos *Equilia Regis* à præſtantium Equorum fœtura celebrantur: prius (*Smrkovicenſe* dictum) *Albertus Fridlandiæ Dux* inſtituit, quod ab ejus morte curare Regij Miniſtri cœperunt, uno & medio milliari *Giczinio* ſitum. Aliud quoque idem Dux *Equile* habuit infra Caſtrum *Waldſtein* familiæ ſuæ originarium, quod hodie deſertum ſtat nullo ſumtum præſtante. Alterum *Equile* regium inter Chlumecium & Pardubicium à pago vicino Kladruby / *Cladrubienſe* appellant, utrumque etiamnum ex legibus Hippocomiæ, & Hipponomiæ, ut ita dicam, regitur, & plurimis Equorum & Equarum centurijs animatur; ſed *Cladrubienſe* præ *Smrkovicenſi* principatum obtinet, & majoris dignitatis, ac pretij Equos includit: nam *Smrkovicenſe* magis ferè ad paſcendos Equellos, & armenta gregatim æſtate viventia

Vivaria Equorum Regiorū duo præcipua.

Digitized by Google

tia accommodatum videtur, *Cladrubienſe* admiſſioni, educationi, & inſtitutioni ſervit, & in hoc, ſi quid rarum eſt in equis, immittit Aula, & hinc (ſi quid elegans amicis Principibus donatur) petit. Dies me deficeret, ſi quæ ibi *Equorum* miracula viderim, percenſere vellem, ſed neque tractatio talis in hac *Appendice* locum habet, neque ego tantum mihi ſumo, ut me putem cum dignitate tam difficile argumentum tractare poſſe, cæcum ſcilicet de coloribus; *Equilia* nominando, meo muneri jam feci ſatis; pauca tamen, nè quis ſe à me deſtitutum queratur, hiſtoricè adducam: *Equorum & Canum* amores, educationem, & inſtitutionem omni ætate, pro honeſtiſſimis Viri *Principes ac Reges* habuêre, exempla, ſi id ageretur, eſſent in promtu; de *Equis* dicimus, de *Canibus* egimus lib. I. *Proceres Bohemi* commoditate Telluris ipſius invitante (quamvis *Equilia* regijs opibus fundata & exſtructa non habeant) aliquem tamen pratorum & nemorum incingunt locum, in quibus libera *Equorum* armenta & *ſecla*, ut *Lucretius* ſolet dicere, paſcantur, ubi admittantur anni ſolito tempore, & denique propagentur, maximo Oeconomiæ commodo, emolumento, & lucro, ſi modus ſervetur. Neminem nominare opus eſt, ſed omnes propè Proceres noſtri, in hoc Equario ſtudio (licet alij alijs diligentiùs, ut facultas & opportunitas locorum, aut propria cujùsque animi propenſio ſuadet) verſantur. Si mihi extra *Bohemiam* peregrinari liceret, haberem profectò dives argumentum ſcribendi, neque modò Equos de Schola, ſaltatores, & qui choreas ſcitè peragunt, ſed etiam monſtroſos, manos, pumilos, gibboſos, raritate colorum ſpectabiles citarem ad nomen; idem de Contubernijs Canum rariſſimorum, eorúmq; agminibus, ac penè dixerim, Exercitu (nam mille ſuperant) intelligi volo. Apud nos *Alberto Duce Waldſteinio* (quem antè nominaveram) in Equorum generoſa progenie, & nitore, & raritate, ſuperiorem invêni neminem; ſum ejus gloriæ oculatus teſtis à puero.

Vivaria Procerum pro Equis paſſim.

Dux Fridlãdiæ amator Equorum maximus.

Laudat Equile *Ducis Fridlandiæ in Itinerario ſuo Thomas Carve Hibernus*, & cum admiratione commemorat *duodecim Equos*, qui Currus duos *Ducis* traherent à ſe An. 1632. viſos, qui *tam uniformes* (verba ſunt ſcriptoris) *erant, ut nè minimâ pilorum labe à ſe mutuò diſtingverentur, potiſſimâ parte candidi, niſi quòd candorem nigræ hinc inde maculæ venuſtiſſimè confunderent.* Hos *Equos duodecim in Smrkovvicenſi Vivario* natos, & educatos ſenes *Giczinenſes* affirmant. Eodem *Itinerarij* Libro Author (quamvis in cæteris *Waldſteinio* iniquior videatur) Aulæ ejus ſplendorem, *Ducis* magnificentiam, altiſſima conſilia multis deſcribit, quæ omnia alibi exactiùs, atque etiam minutiùs legentur.

Itin. C. 3. & C. 10.

C. 10.

Hactenus de *Equis*, quos noſtro etiam ſub aëre in *Bohemia*, optimos, venuſtiſſimos, & patientiſſimos naſci poſſe docuimus.

Ad C. 52. Libri I. de Piſcibus.

SUb Caſtro *Tetzen* Comitum *de Thuen* in Albi multi generis piſces numero innumero càpi docet experientia, & confirmat ratio: quòd piſcib⁹ in *Bohemiam* aſcendentibus per *Albim* hoc iter omnino neceſſarium ſit: *Siluri, Mulli, Salmones*, etiam *paſſeres marini* (ſed rariùs) aſcendunt à mari; *Salmones* ad ultimas cataractas *Pulſnicenſes* tridentibus configuntur; ibidem more ſuo ad palos digladiantur *Xyphiæ*, ſed in altiore *Pulſnicia* (à *Benzen* ſub Beneſſow uſquè *Lippam*) frequentiùs; *Caſtores & Lutræ* ripas cuniculatim effodiunt, & triſtem illis in locis edunt piſcium ſtragem; ob eam maximè cauſſam prudentiores *Piſcium, crudeles illas ripas & littus avarum* properanter tranſeunt (ut *Salmones, Muſtelæ, &c.*) atq; ut periculum ſuperent, omni

Piſces ſub Arce Tetznenſi.

Digitized by Google

ni avium volatu ocyus, in tutum conantur evadere.

Ad C. 25. Libri I.

Acidulæ Senozatenſes

IN Tractatione de *Aquis Acidulis* omiſſæ ſunt *Acidulæ Senozatenſes* (admonuit Vir Cl. *Fabianus Blovvsky* Cameratici Judicij Secretarius) Oppidum eſt *Senozaty* in Czaslavienſi Provincia in ditione *Cœnobij Siloënſis*, dici non poteſt, quantâ celebritate, & frequentiâ fons adeatur, & bibatur: vehit enim præſentem ſanitatem, & potatur innoxiè! Hunc ego fontem eſſe arbitror, quem *B. Caſtulus Siloënſis Præpoſitus* Meſſoribus ſuis igneâ quadá ſiti pereuntibus, fuſis ad DEUM precibus elicuiſſe narratur in Vita, eámq; medicam vim etiamnum retinet.

Vita B. Caſtuli lib. 4. Miſcellaneor.

Ad C. 49. Libri. I.

Peregrinæ belluæ dentes.

MOnocerotum Cornua, quæ paſſim ad oſtentationem, & rudis vulgi ſtuporem ad Pharmacopolarum officinas pendent eadem eſſe *foſſilia*, aut in mari *ex certo belluarum genere*, defracta, pridem docuimus: quippe nihil viventium in terra reperitur, quod non imitetur fæcundiſſimum Mare. Narrat igitur Vir Religioſus (literis hoc Anno datis) in arce notiſſima *Sſvvamberg* ante annos undecim effoſſos eſſe dentes corniculatos, ſeu creſcentis lunæ in modum formatos (ipſe *Monocerotum Cornua* exiſtimat) eos dentes à ſe viſos, & diu ac ſæpe manibus tractatos, néve Aprorú dentes falcatos quiſpiam ſuſpicetur, non angulatos, aut ſtriatos, ſed teretes, ac rotundos omnes affirmat fuiſſe, neq; ſe dubitare, quin hodieq; apud eos, qui illi ditioni præſunt, in miraculum aſſerventur. *Monocerote* Europam carere, neq; unquam apud nos viſum eſſe pro comperto habetur; reliqvum eſt, ut vél ignotæ belluæ dentes illi ſint, vel aliunde ad nos allati vel foſſiles ſint, Naturâ ubique ludente, atque etiam in telluris utero figuras viventium ſtudioſè aſſimulante; quod plurimis exemplis eodem in libro adſtruimus.

R. P. E. W.

Monocerote caret Europa.

Ad C. 50. Libri I. de Lapidibus.

Lapides cũ radicibus in terram infixis.

QUod ſequitur authoritate *R. P. Edmundi Wannerer* Ord: S. Benedicti Viri doctiſſimi, & mihi religioſâ familiaritate conjunctiſſimi (qui complura in hac Appendice ad hiſtoriam naturæ ſpectantia communicavit) exſcribam: Silva Monaſterio Cladrubienſi vicina lapides habet cum primis memorabiles (Senotitz ea ſilva vocatur) ab ea parte qua lapides terrâ extant, glabri ſunt, parte quà in terrâ merguntur, cum ſingulari gratia aſperantur, velut ſi ſaxum ipſum radices ageret: nam cuſpides quatuor, quinque, ſex, ſeptem vel octo etiam angulorum, aliam aliâ longiorem, miro naturæ opere, ſi lapidem invertas, oſtendunt, eǽque Soli obverſæ, licet candorem cryſtalli imitentur, in extremis tamen Iridem gratiſſimâ colorum varietate lucentem mentiuntur. Hujuſcemodi lapides ante complures annos ſibi mitti expetijt Mathæus Abbas ad S. Joannem ſub Rupe (poſtea Archi-Epiſcopus Pragenſis) quibus Eremum ſuam, & ſpeluncam, quam tum exſtruebat, ornavit.

Ad C. 11. Libri I. De Antro Sancti Ivani.

Culter in media rupe repertus

ANtrum S. Ivani ex lapide ſtillatitio, ut vocant, conſtare Libro I. narraveram; id verò manifeſto indicio probatum eſt: nam ſub *Abbate Mathæo* dum cęduntur lapides, ex medijs rupibus ferreus culter exciſus eſt: videlicet humore ſaxifico affluente, & in ſaxum durato obvolutus, qui, cùm lapideſcere ferrum non poſſit, ſicut erat, remanſit.

Ad C. VI. De Montibus Cerconoſſiis, ſeu Giganteis.

QVanto in pretio ſemper fuerint *Cerconoſſij Montes*, qui *Bohemiam*

Digitized by Google

am & Sileſiam dividunt, ſatis oſtendunt decora ingenia eorum, qui de montibus illis ſcripſerunt. *Chriſtophorus Arnoldus* Vir Cl. Poëticæ, & Oratoriç Facultatis publicus in Imperiali Urbe Noribergâ Profeſſor, quem ob linguarum peritiam, hiſtoriæ & omnis ævi notitiam, interiores literas & eruditionem reconditam, *Cornu Amalthea*, uſitato jam Eruditis Titulo, compellare poſſis, nuper ad me miſit *Nympham Hercyniam* tam ſolutâ, quàm ligatâ & vorsâ oratione germanicâ lingvâ deſcriptam. Author eſt, *Princeps Germani Carminis Opitius* (ut eum *Jacobus Balde S. J.* appellat) quàm delicatè & blandè Scriptor ille ſuccedit in montes! quàm eleganter, & venuſtè, & quàm *amuſſitato* (ut Plautinè loquar) ſtyli cultu, prata, antra, & crateras fluviorum præcipitantium deſcribit! quàm lepidè in opibus, gemmis & Cimelijs Naturæ delineandis verſatur! in miraculis gemmarum aliqua cenſeri poſſunt, quas in *Cerconoſſijs* creſcentes nominat: *nigram Cryſtallum, album chalcedonium*, violaceum amethyſtum, cæruleum Sapphirum, Jaſpidem coloribus variantem, *Granatum nube purpureâ involutum*, Carneolum crudæ carnis ſpeciem præferentem, *ex cæruleo rubentem Amethyſtum*, flaveſcentem Beryllum, Achatem varia repræſentantem, *flavum Topazium*, Adamantem lucidè ſcintillantem, &c. Quæ omnia nunc eò libentiùs adduco, quòd in illa tractatione mea, quoſdam ex his pretioſis lapidibus in *Cerconoſſijs* inveniri, priùs neſcierim.

Raritas & varietas mira coloratorum lapidũ in Cerconoſſijs Montibus.

Lib. I.

Ad Cap. 58. L. I. de Monſtroſis partubus.

EC quis erit, qui hominum vitam tot erroribus obnoxiam miretur, cùm ipſa etiam Natura rerum, cui affectus, & mali mores obrepere non poſſunt, ſæpiſſime aberret? ex quo *monſtra* (quæ expiare & procurare ſolebant Veteres) naſcuntur. In pratis *Tauſſkovienſibus Cænobij Cladrubienſis* ſub *Romano Abbate* Lepuſculus captus eſt, monſtrum Leporis: octonis pedibus currebat, capite ultra ſolitum magno, & auriculis tribus deformato. Hunc ad *Abbatem Romanum* in Carolinis Thermis lavantem *Venator* attulit, cujus imperio eviſceratus, plurimæ, quæ tum in Thermas affluxerat, Nobilitati diu ſpectaculo fuit. Videtur Natura animal timidiſſimum & ad fugam natum pluribus pedibus inſtruere voluiſſe.

Monſtra animantiũ.

Lepus.

Ad idem Cap. Hinnulus Heidenſis.

HEidæ, ſeu in *Bor* Hinnulum Equinum naſci contigit unoculum, ſed is oculus unicus in fronte velut gemma lucebat. Civis, Equuli Dominus, territus prodigio, ſtultiſſimo conſilio, à Matre ſtatim depulit, & fame mori coëgit, cùm ex eo apud *Divites* lucrum maximum facere potuiſſet.

Monſtroſus Equell⁹.

Vitulus monſtroſus.

IN *Elſch* (Wolſſe quondam Bohemis) meminêre Incolæ natum *Vitulum*, qui in capite ſuo ſuggeſtum illum (qualem mulieres ornando capiti in occipitio gerunt, Auffſatʒ illæ vocitant) gerebat; res eſt certiſſima, *Joannes Lazarus Pictor* Pragæ natus (quem *R. P. Edmundus* antè laudatus *Cladrubij* narrantem audivit) vituli hujus caput ob rei novitatẽ depinxit.

Vituli duo monſtroſi.

Nimis mirum eſt, quod eodem Religioſo Viro perſcribente didici: *Vitulum* ante pauculos annos apud *fabrum Cænobij Cladrubienſis* in ſtabulo vicino in lucem editum, qui anteriore parte Vitulum quidem referret, ſed poſteriore *Damula* vel *capreolus Silveſtris* eſſet, pilo, colore & ipsâ denique cute cum brevi caudula, ſuper quam ad fimum naturę excernendum, locus patebat, cùm alioqui in animantibus cæteris portam illam ſtudioſè abſcondat Natura, contegátque caudis.

Ad monſtroſos partus *Heidenſis anſer* pertinet, quẽ pro vexillifero cæteri

Anſeris mõſtrum.

per

Digitized by Google

per eam viciniam Anſerum greges habuêre: nihil differebat à reliquis, niſi quòd *tertium pedem Anſerinum* in dorſo rigidè extantem circumferret. Forſitan in eorum gratiam, qui pedes & callum anſerinum inter exquiſitas cupedias,& menſarum delicias numerare ſunt ſoliti.

Ciconiæ decolores. Jam & *Ciconias* duas, quę nihil candidum deferrent, viderunt Amici: utraque nigro ſed dilutiore colore omnibus plumis veſtiebatur: alteram volantem *Venator* dejecerat globo, quæ in porta *Elſcbenſi* diu expanſa pependit; altera *Schlackevverdæ* apud *Ducem Saxoniæ* educata pluribus annis tenuit hoſpites admiratione defixos.

Ad C. 68. Lib. I. de Avibus.

Furacitas etiam in animantibus ingenioſa. Cùm de Avibus agerem Libro I. de *Corvorum*, *Monedularum*, *Sturnorum*, *&c.* ingenijs verbum nullum feci: nimirum (ut me Lectoribus excuſem) ijs propè ſolis imminebam, quæ *Bohemiæ* peculiaria forent, quæ verò terris omnibus ac nobis communia, in propatulo haberentur, neglexi; pauçula tamen hoc loco, ut Amicis mos geratur, adducam: Pridem obſervatum eſt: Fures, omnéſque eos, qui fortunam ubicunque inveniunt, amant, ingenioſos eſſe, & cùm *in ſubitis caſibus* maximè ſeſe prodant ingenia, verſatiles, & armatos ingenio ad furandum accedere: id quod vel animantium exemplo pateat: nam ùt quæque furaciſſimæ ſunt, ità maximè abundant ingenijs; *Corvorum, picarum, monedularum, vulpium, martalorum, canum &c.* furacitas omnibus nota eſt, æquè ingenium: *Corvi* quàm lepidè *Canibus* illudant, quàm ſagaciter furentur, & furta abſcondant, quàm citò ſi deprehendi timent, aliò transferant, quàm fœliciter voces imitentur, ignorat nemo. *Corvum* in Collegio Noſtro *Pragenſi* vidimus & audivimus, qui *Janitoris* vocem ad Januam Patres vocantis tam genuinè, eodem vocis tenore & flexu, eodem accentu & conatu exprimeret, ut *Patres* ſe ab *Janitore* vocari nihil dubitarent. Memini *Janitores* à Majoribus noſtris monitos, nè quem manè Orationis tempore vocarent ad portam, cùm id *Corvus* inſcijs Janitoribus præſtaret; *Galli indicij* cucuritionem (aut quo alio nomine appellem neſcio) riſus hominum, & cachinnos, puerorum in Scholis vapulantium ejulatus, nolæ tinnientis pulſus, aliáque plura ad vivum aſſimulabat; diſcebat hæc ipſe ante horam quartam in matutino ſilentio, ac primùm (quod egomet obſervavi) primus ille conatus ſæpe fælix non erat, ſed corrigebat ipſe ſe in melius, ac repetebat, donec ad perfectum adduceret, quod imitari & exprimere ſtatuiſſet. Narrabo rem ridiculam: *In Contubernio S. Wenceſlai Pragæ*, dum *P. Euſtachius Remigij* Regentis nomine præeſſet, Canes duo fratres gemellì (*Caſtor & Pollux* nomen erat) *Corvi* item duo alebantur; perpetuum inter hæc paria intercedebat bellum, quod quidquid reliquiarum ex cibis aut ex penu alteris obveniſſet, alteri ſibi crederent detractum & ereptum; *Canes* cum *Corvis*, *Corvi* cum *Canibus* hoſtilitatem exercebant, æquo tamen Marte ferè ſemper diſcedebant ex prælio. Contigit aliquando, me, pluribúſque alijs pręſentibus, altero *Corvorum* neſcio ubi abſente, alterum ſolum à *Canibus* in areæ medio deprehendi, ſtatim in hunc *Corvum* auxilio ſui comparis deſtitutum *Canes* impetum faciunt; alter *Canum* à fronte, alter à tergo mordere & deſpoliare plumis conantur; quid *Corvus* faceret? vociferatione ſummâ ſocium in auxilium vocat, nec minùs acriter ſeſe defendit, & in omnem partem minas intentat; jam alter *Corvus* in ſocij auxilium properabat, cùm *Caſtor* prioris *Corvi* uripydium, & pennas in cauda jam jam ore apprehenſurus eſſet, *Corvus* momento in tergum verſus Corneo illo ſuo roſtro *Caſtorem* ferit; ſed ecce quod minimè timeri poterat

Corvus ingenioſus & fælix imitator.

Corvus manè ſtudens.

Ridiculus caſus Canis Corvum nare portâtis.

terat, in *Caſtoris* nares tam altè roſtrum infigit, ut extrahendi moram non haberet. Canis *Caſtor* tam inopinato malo territus, amens dolore, pendentem è nare ſua *Corvum* tenens, dat ſe in fugam, tum ligneas Contubernij pergulas percurrit; expectantibus nobis in area, quem res eſſet exitum habitura, ubi ad deſcenſum, & ſcalas *Canis* devenit, turbato capite, præceps per gradus devolvitur cum *Corvo*; modò *Canis*, modò *Corvus* ſuprà infrà & in orbem ruebant; donec illo motu roſtrum *Corvus* extraheret, & *Canis* narem liberaret, ſed copioſo ſangvine profluente. *Canis* cruentatus ſtatim ſe in angulum conjecit, & inter trabes diu latuit, neque unquam poſteà, licèt incitaretur, in *Corvum*, pugnare voluit; at *Corvus* ubi ſe liberum vidit, & defunctum periculo, ſtetit in gradu, quámque maximè inflato collo, *Crax*, *Crax* ſæpius iterando, Victoriam cecinit. Hæc Anno 1643. geſta.

Corvus virgâ elatâ, hoſtes exterret

In Collegio S. J. *Novadomi Corvum* habebamus, qui ex *Gallinarum* ſimplicitate miros ſibi faciebat ludos, *Gallo gallinaceo* indignante, nec tamen auſo concurrere priùs, quàm *Galli & Gallinæ Indicæ*, ſeu *Meleagrides* aliquot acceſsère Collegio. Has etiam poſtquam non ſemel *Corvus* irritaſſet, *Gallúmque Gallinaceum* provocaſſet, certatim *Galli Indici & Gallinæ* quaſi dato ſigno incurrunt in *Corvum;* diu animosè pugnavit in medio, at cùm circumſiſterent, & velut obſeſſum tenerent, ut vix ſine damno, & ſalvis rebus poſſet erumpere, mirabiliter uſus ingenio, *Virgam* quandam longam, quę jacebat humi, roſtro corripit, & hoſtibus attonitis, nec ſcientibus quid ageretur, viam ſibi per medios hoſtes facit & effugit, *Virgam* illam, quam tenebat, oſtentans, quam velut aliquod ferale ſignum *Gallus & Gallinæ* cæteræ intuentes percellebantur tanto metu, ut etiam vociferarentur. Ejuſdem prorſus ingenij & nequitiæ *Corvum* habebat *Collegium Glacenſe* An. 1639. qui cum Promo Condo noſtro inimicitias irreconciliabiles exercebat; nunc proprio nomine *Habel Habel* appelans ſubſannabat, nunc quæ ille in horto Collegij plantârat, cum ira evellens; denique quidquid ei moleſtum & odioſum eſſe ſciebat, aggrediens.

Monedula docilis.

Ibidem *Glacij Monedulam* habebamus ex vicina Templi Turre delatam, cùm adhuc flaveret roſtro & croceis ab ovo plumulis ſparſa eſſet; educata eſt familiariſſimè, & ſat diu in *Collegio* habitavit, cui nolulam injecimus; poſteà cœpit gregales ſuas amare, eiſque adhærere Socialiter, nullum tamen pręterire diem paſſa eſt, quin ad *Collegium* revolaret, & demenſum penè cum jurgio flagitaret; tractari tum ſeſe, & mulceri familiariter ſinebat, & humanam paſſa manum deferebat ad pullos, quæ dono accepiſſet à nobis. Jucundum erat videre, cùm *Magiſtri* noſtri (ex quorum ipſe numero fui) ab Urbe procul, certo die ſpatiarentur in campis, & *Monedula* noſtra, in grege cæterarum, in altiſſimo aëre volaret; ex nola agnitam & vocatam, protinus reſpondere ad nomen, & demittere ſeſe, atque in caput noſtrum vel in humeros devolare, grege *Monedularum* reliquo plerumque in gyrum volante, ut quid cum illa fieret, cognoſcere poſſent, *Nos* amicè, & bene lautéque & per iter, & domi habitam remittebamus ad *Turrim*.

Corvus & Monedula Cladrubienſes.

DE *Corvo & Monedula* mira nuper ad me *R.P. Vanner* è *Cœnobio Cladrubienſi* perſcripſit: *Corvum*, inquit, ante undeviginti annos educavimus, qui citatus ad nomen veniret; nihil ei pręter ſermonem humanum defuit, ſed plurima tamen Latina, Germanica, bohemica loquebatur: ad miraculum exprimebat canum minorum quæſtus & ejulatus; cùm minimè obſervaretur, terga hominum *morden-*

Corvi pugnæ cum Gallis & gallinis Indicis.

tes

Digitized by Google

tes *Canes* aſſimilabat tam vivaciter, ut homines exſilirent, & velut morſi palleſcerent; quotidiana illa pugna cum *Gallis Indicis* fuit (graves erant adverſarij, & nonnunquam ſeptemdecim numero) fortiter primùm repugnabat, aliquando pugnam declinabat, donec in truncum vel lapidem altiorem inſiliret, ibi velut jam par hoſtibus & ſtaturâ æqualis, nulli cedebat, & hoſtes, ſi propiùs accederent, tundendo multabat egregiè, præcipuè carneam illam *Gallorum Indicorum*, quæ roſtro ſuperimpendet proboſcidem capere conabatur; tum deprehenſum mordicus *Gallum* deducebat in terram, volvebat in luto & pulvere, attonitis audaciâ cæteris, cùm unus ille omnibus omnia minaretur, donec victoriam hoſtes *Corvo* relinquerent, ſeſéq; reciperent. At *Corvus* dimiſſo hoſte in altiorem locum inſiliens, quidquid loqui ſciebat, geſtiens repetebat, & pœana citabat. Quod ſi tum illi *Cerevifia* potus porrigeretur, id fieri victoriæ cauſsâ exiſtimans, animo exſoluto potabat hilariter, ſic ut temulentus titubaret, caderet, volveretur, & omnibus ſe ridendum propinaret.

Monedulæ mirabile ingenium.

Monedulæ cujuſdam *Kladrubienſe Cænobium* hodiéque meminit: in Teplenſi Turre (ſi quid hoc ad rem facit) nata, *Cladrubium* allata, poſt data ingenij documenta maxima relicta ſibi eſt, circumvolabat liberè; cùm ad *Refectorium* ſignum dabatur, devolabat protinus, & per feneſtram in *Refectorium* intrabat; ſi clauſam inveniſſet, & aditus non pateret, conferebat ſe ad januam, ibi inconditè vociferans, roſtro & alis januam verberabat, donec vel odio admitteretur ad paſtum, quē ipſa ſibi deberi credebat. Tractari ſe & demulceri libentiſſimè ferebat, præſertim ſi quis plumarum vertice arrepto pendentem circumferret, rotabatur illa, & demiſſa ſic iterum, ut portaretur, petebat. Poſthæc eam in ſcutella dorſo incubantem deponebant pro mortua, & ſi quando ex Majorum authoritate ſilentium Religioſum, ùt fit; laxaretur, velut *Ægyptium ſceletum*, & ferculum ambulans ab altero porrigebatur alteri; illa tamen oculis conniventibus, obſervabat, nè quod ſubiret periculum: nam ſi quis in ſe cultrum, & fuſcinulas ſtringeret (quod deditâ operâ fiebat) protinus illa ſurgebat in pedes, & avolabat; ac tum primùm in fornace aliſíve conſidens, quaſi ſuperato periculo geſtiens & garriens, mirè geſticulabatur, quódque id petulantia extrema faciebat, alis in altum elatis per terram currebat. Didicerat eum, qui ditioni *Cladrubienſi* præerat, fiſtulantem labijs, & ſervos aut ruſticos vocantem exprimere, quod iſta tam dextrè præſtabat, ut famuli recurrentes ad Dominum, quid vellet, rogarent. Tandem rigidiſſimâ quadam hieme in tecto *Cænobij* ſedentem *Monedulam duo Corvi* famentes aggreſſi, nec quicquam Auxilium *Patrum & Fratrum* implorantem, laceratam devorarunt.

Lupus familiaris cum Cane, Vulpe, & Marte.

Lupus caninus.

COEnobium *Cladrubienſe S. Benedicti* (ùt hactenus Lectores intelligere potuerunt) mirabili raritate volucres & animantes, fæliciſſimè educavit; ſingulare eſt, quod de *Lupo, & Canibus* teſtis oculatus & Religioſus ſuppeditat: fortè bubulcus, Sole ardente, in ſilvam armentum compulerat umbræ gratiâ; ibi in coryleto, *Vaccæ* quoddam animal informe, vix ſpithamâ longius inveniunt, & crebrâ ravium conſpiratione, ùt ſolent, terrorem ſignificant; accedit *Paſtor*, videt quadrupes animalculum, quod Mater modò effuderat, aut (quod etiam belluis ſæpe contigit) amiſerat, vel abortierat; defertur ad *Cænobium*, nemo quid eſſet poterat dicere, divinabatur; commodùm *Canicula* pepererat, & lactabat *Catulos*, cæteri amori, uno ſolo relicto, cui ſocius iſte ignotus apponitur. Procedente tem-

Digitized by Google

pore *Lupum* eſſe apparuit, qui ſeu lacte canino, ſeu *Socij*, quem *fratrem* eſſe putabat, ſeu aliorum *Canum* conſvetudine, omnis lupinæ feritatis oblitus evaſit humaniſſimus: primùm, jam à lacte depulſus ſocium *Canem* collactaneum ſuum ita diligebat, ut ejus deſiderium vix ferri poſſet, ejulatu maximo lugebat abſentem, neque niſi eo præſente & unà veſcente cibum guſtabat; denique totus tranſivit in *Canem*. Fecit ſibi deinde jam adultior conſvetudinem, *Sacerdotem*, qui *Koſtelecenſem Parochiam* ſacris procurabat, comitandi; currebat more Canum jam ſequens, jam præcurrens, & cùm aliquando *Paſtorij Canes & Moloſſi* occurrerent, quibus ille par non erat, ab humilitate mutuabatur conſilium, & humi ſtratus elatis in altum pedibus ab improbis iſtis telonarijs (*Canes* intelligo) nè quid vetitarum mercium ferret, viſitari ſeſe patienter ferebat, donec abirent; tum ille ſurgens quaſi confecto viſitationis negotio cæptum proſequebatur iter. Erat tum in *Cænobio Canis* alius, qui nonnunquam velut ex condicto, & lupum hunc, & & cæteros *Cænobij Canes* ad venationem vocabat; ibant in ſilvas, & ſæpe prædam ad *Cænobium* adferebant, ſæpe cruentato ore, ut devoraſſe intelligeres, redibant taciti; *Lupus* noſter *Anſeres* (præcipuè ſi quem ſegregem, & ſolitarium inveniſſet) conſectabatur; hunc ille, ut ſe cæteris moderatiorem oſtenderet, ad *Cocos in Culinam* deferebat, eorúmque permittebat arbitrio, & pro anſere aliud quidpiam referebat. Non tamen ſemper obſequentem Naturam, & in officio habere potuit, quin aliquando, quod erat, oſtenderet: contigit, ut fame premeretur, ergo dum *Canes* cæteri in ſilvam, *Lupus* ad vicinam Civitatem *Cladrubium* curſu contendit: quidquid ibi altilium per viam nactus eſt, ſtrangulavit, & in loco reliquit; tum primùm velut per otium ad pratum *Monaſterio* ſubjectum anſeres & gallinas attraxit, ibique toto die magnificè epulatus, pranſus eſt, & cœnavit. Porrò *domeſticos Anſeres*, *Gallinas* omnis generis, *porcellos &c.* noſcebat optimè, neque terrebat, ut viſo lupo neque loco cederent, neque ſe commoverent. Spectaculum erat jucundiſſimum hunc *Lupum*, & collactaneum *Canem*, tum *Martem & Vulpem* ex eadem patina veſcentes ſine omni murmure, aſpicere. *Lupus* tandem fortuito caſu ſaucius, cùm percurari non poſſet, miſericordiâ Venatoris nè diu cruciaretur, globo trajectus interijt.

Canes ſponte venaturã facientes.

Lupus, Martes, Canis & Vulpes amici.

Ad Caput 54. de Piſcibus L. I.

QVàm piſcoſi ſint *Bohemiæ Fluvij* multis jam antè documentis demonſtratum eſt: *Aquila fluvius in Reginohradecenſi Provincia* de principatu cum cæteris contendit, in quo quidquid eſt optimorum piſcium hoſpitatur libentiſſimè. Quà *Czaſtolovicio Koſtelecium* iter eſt, dextro viæ latere poſt pratum, *brachium* quoddam *Aquilæ* fluvij ſed aquâ ſtante, occurret, tot, tantis, támque varijs piſcibus refertum, ut nunquam, & nullo anni die *Piſcatores* fruſtrentur. Non ſemel ad piſcationem illam acceſſi; quantæ, DEUS bone, piſcium varietates! *nihil vidi magis*, ut comicè dicam. Iterum poſt *Koſtelecium*, cùm illam *Civitatulam Pragenſe Collegium* ditione teneret, in eodem *Aquilæ fluvio*, & *Salmones*, & cæteri nobiliſſimi Piſces, artificio, aquâ ſubtractâ, legebantur à nobis ùt flores. Fecerat Œconomiæ noſtræ Præfectus *R. P. Chriſtophorus Fiſcher* (heu nuper ſenectutis morbo nobis ereptus!) novum aquæ ſupra cataractas per prata deſcenſum, & defluxum, ut quoties luberet, fluvium in hunc novum alveum deduceret, ac derivaret; poſt multa ſpatia revertebatur in veterem alveum fluvius, & vetus alveus prætexebatur retibus, ut neque piſces ſurſum, neque deorſum effugium haberent; ita decepti nullâ affluente aquâ,

L. I.

Aquila fluv. piſcoſiſſim.

Artificium piſces in ſicco relinquendi.

quâ, & priore totâ defluente, *piſces* longiſſimo uſquè ad cataractas tractu relinquebantur in ſicco, & ùt dixeram legebantur ùt flores. In ijſdem cataractis rem lepidiſſimam in Vere Anni 1652. accidiſſe recordor, quæ initium dubium ac triſte, exitum habuit lætum ac fortunatum: nam cùm antè laudatus *P. Chriſtophorus Fiſcher* me præſente, & vidente, *cataractas* (de quibus modò dicebam) obiret, poſteáque inter trabes (quibus *cataractæ* coërcentur) otioſus ſuper malè aggreſtam terram conſiſteret, repentè *Agger* occultè ab Aquis pridem ſubtractus, dehiſcens ſubſidit, & *Pater* lumborum tenus in aquam decidit; territi accurrimus; *Piſcatores* benè madentem foras extrahunt, ſimúlque dum nos alij *Patrem* circumſiſtimus miſerantes, illi obſervatis Piſcium eo in loco motibus, applicant protinus retibus, ſexdecim grandes *Parmas*, vel *Barbones* pingves, & bene curatâ cute extrahunt poſt Partem, & in ripa (cum alijs minoribus Piſcium) deponunt in ripa; qui ſcilicet, dum *cataractæ* fierent à Lignatoribus, ſub ripa deprehenſi, poſtea negato exitu captivi diu hæſerant, & cùm aqua recens per commiſſuras trabium ſemper illis afflueret, & terrâ limoſâ velut congruo cibo veſci poſſent, anguſto licet & brevi loco, velut in ſagina claudebantur. At *Patris Fiſcheri* periculum in riſum vertit: quòd is convenienter nomini ſuo, nè cadere quidem in Aquam poſſet, quin *Piſces* caperet, & vel ſeipſum hami loco *Piſcibus* projeciſſet.

Fælix in Aquam lapſus

Fluvium ignobilem, & ut ità dicam, innominem *Cladrubienſes* commendant, & divino, ut par eſt, beneficio adſcribunt, quod omni anni tempore, tot *Piſces ad Abbatis* & hoſpitum, ac totius *Conventûs* Menſas ſuppeditet, ut nunquam vacuari piſcibus poſſet. Piſcium genera ſunt: grandes *Lucij* (undecim librarum jam reperti ſunt) *Carpiones*, *Percæ*, *Plani* piſcium (quos Bratfüſch appellant) *angvillæ*, *mugiles*, *gobij*, *auratæ*, *thymalli*, *muſtelæ fluviatiles*, *& minorum gentium piſces omnes.* Id mirandum maximè, quòd in eo fluviolo *Piſces* conveniant, qui alioquin diverſas aquas amant, & diverſos alveos conſectantur, ſaxoſos, foraminoſos, arenarios &c. Alterum, quòd fluviolus anguſtiſſimus, neque ultra dimidium milliare longus (quantum ex illo ad *Cœnobium* pertinet) tantos, & tam multiplices Piſcium populos, ſibi plerumque infeſtos contineat. *Joſephus Ulitzky Eques*, qui noſtrâ ætate, antiquâ pietate, ſua omnia *Cœnobio Cladrubienſi* donavit, *Uniones* etiam in hoc fluviolo natos, & à ſe collectos monſtrare ſolebat.

Fluvius ad Cœnobiũ Cladrubiẽſe pertinens mirabiliter fæcundus.

Ad C. 66. Lib. I. de Avibus.

NArraveram *Hirundines* à nobis Autumno diſcedere, ut ſciunt omnes, ac ſi quæ abire diſtulerint, hieme ingruente, cava arborum, rupium, & riparum ſubire, ſeſéque recondere; ſuggeſſit Amicus: ſcire ſe hominem ruſticum, qui mediâ hieme lignatum profectus, deſectam ingentem arborem Equis domum advexerit, atque ut ſiccaretur in hypocauſtum attraxerit; ſed en ex illius Trunci cavo complures *hirundines*, calore redanimatæ evolarunt, quæ intus nemine conſcio conſopitæ jacuerant.

R.P.E.W.

Hirundines hieme in cavo arboris latentes.

De Coturnicis in Bufonem memorabili converſione.

PRæclarè dictum eſt à *P. Syro* in Mimis: *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies;* propterea videlicet, quòd plurima addiſcantur tempore, & philoſophandi perverſum ſit genus, ſine obſervationum & experientiæ adminiculis de abditis in natura rebus diſſerere ac diſputare; qua de re divinè locutus eſt Philoſophiæ princeps *Ariſtoteles l. 8. de Generatione C. 10.* nam cùm dixiſſet, Apum generationem eſſe in obſcuro, ſubjicis: *nondum ſatis explorata quæ eveniunt, habemus.* quòd

Scientiæ experientijs inædificandæ.

Nota.

Digitized by Google

quòdſi quando ſatìs cognita habebuntur, tunc ſenſui magìs, quàm rationi credendum erit. Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, convenient cum ijs rebus, quæ ſenſu percipiuntur. Hæc *Ariſtoteles* damnans eum rationandi modum, quem nonnulli Philoſophorum Veterum & Novorum tenuerunt, arcana Naturæ ſolis ex ingenio natis ratiunculis, experientiâ non adhibitâ, explicantes; obſervatio igitur, & experientia, cùm acquirentur tempore, non malè, ùt dixi, *Syrus poſteriorum diem diſcipulum, priorem* verò *Magiſtrum* appellat. Sed ad propoſitum, & exempla Naturæ veniamus:

Ex Coturnice bufo.

Audieram ſæpius *Coturnicem* putridam, & cadaveroſam in *Bufonem* converti, eámque cauſam, memini, quoſdam prætexere, cur in cibis *Coturnicem* non attingant; deerat idoneus author tam audacis aſſerti. Inventus eſt tandem *Civis Plſnenſis* honoratus inter ſuos, *Lemannus* nomine, quem narrantem plurimi audiêre: habuiſſe domi ſuæ *Coturnicem* familiarem, cui nolam parvulam appendiſſet, eam *Coturnicem* poſteà amiſſam ex oculis, diu quæſitam non apparuiſſe; poſt longiſſimum tempus ex muro ſub ſcamno inſonuiſſe nolulam, & ſtudioſè quæſitam *Coturnicem* ab ancillis; ejus loco ex foramine grandem *Bufonem* prorepſiſſe, qui *nolam Coturnicis* in collo geſtabat. Ita cognitum ex *Coturnicis cadavere Bufonem* procreari.

Generationes ex putri

Ego narrationem hanc in dubium non revoco, ſed ajo, non ideo *Coturnices* menſis arcendas. Quid enim iſtud miri continet? quippe ex cadaveribus animantium, & dapibus quantumlibet delicatis dum putruerint, fœdiſſima quæque conſtat oriri, neque continuò à recentibus abſtinemus. *Optimi peſſima eſt corruptio*, ait Philoſophus, & ex ſpina humani cadaveris, ſerpentes & bufones naſci plerique Scriptores affirmant. Scio tamen *Coturnices* morbo *comitiali* tentari, ùt ſcribunt *Ornithologi*, atque etiam *menſtruis* laborare: accedente igitur *bufonino* putri ſemine & ſordibus, ac materiâ menſtruatæ *Coturnicis*, (ut de *ſerpentum & draconum* vulturinis & Aquilinis capitibus in *mundo ſubterraneo* ratiocinatur *Kircherus*) quàm facilè Natura, cadavere illo materiam ſuggerente, *bufonem* induere potuit, *nolâ*, dum generatur *bufo*, remanente.

Ad C. 69. Libro I. de Vulture, aut Accipitre Leporario.

Nidus Accipitris Leporarij ſpoliatur.

TUſcovienſi ditioni *Cladrubienſium* Præfectus homo ſagax, & ad rem attentus in ſcopuloſis ſilvis *Vulturis* grandem nidum ante non multos annos, in eóque pullos deprehendit; quibus cibû poſcentibus *Leporem* mater attulerat. *Leporem* illis Venator ſeu *Præfectus* abſtulit, & pulſis, nè edere poſſent, lignellis ora diſtendit; rurſus *Mater* alium *Leporem* attulit, rurſúsque iſte *Leporem* ſubtraxit; certabant, *Vultur* adferendo, *Venator* auferendo, ſic ut eâ induſtriâ *octo Lepores Vulturibus* ſubtraxerit, tum denique cùm pulli deficerent, furtorum ipſe ſatur, *Matrem* globo trajecit, nidúmque penitùs deſolavit.

Ad C. 33. Libri I.

Amochryſus.

AMochryſus, de quo citato Capite in Plſnenſi Provincia inter *Hoſtaunam, & Mutinam* (quarum illa ad *Trautmansdorfios Comites*, hæc ad Equites *de Widerſberg* pertinet) tantâ copiâ lucet, ut ex Amochryſo via ipſa conſtare videatur.

Cotes, & Carbones foſſiles.

In eadem Provincia ad Pagum *Hnievvnitz* (quem pagum olim Cœnobio Cladrubienſi *Comites de Guttenſtein* donavêre) *Carbones foſſiles* ingenti copiâ reperiuntur, nec inde procul paſſim in Agris eruuntur *Cotes* prẹſtantiſſimæ.

De Albi Flumine ad Caput XXIII. Libri I.

SCiunt omnes in *Bohemia* nati: *Albim*

Digitized by Google

bim eſſe Regem fluviorum noſtrorum, qui omnes cæteros *Bohemiæ* fluvios unà cùm nominibus ipſis devorat, ſéque unum pro omnibus propinans, ad *Mare Oceanum* per *Miſniam & Saxoniam* curſu deſcendit. Fuit mihi cum Illuſtriſſimo ex Procerum Ordine, & nobiliſſimo Domino *Wilhelmo de Talmberg* Joannis filio, & Joannis, qui ſupereſt, Patre, Viro apertiſſimi pectoris, & candidiſſimę mentis, vetus quondam amicitiæ uſus, ob quam eum in *Suchomaſt* ditione ſuâ morantem, adivi. Is me (quod percurioſum Antiquitatis noſtræ eſſe ſciret) ad quendam Neſtoreum ſenem, centum & plures annos numerantem, qui ob ſenectam lecto pridem affixus erat, ortus perilluſtri *Equitum Bechiniorum* proſapia, adduxit. Multa ex optimo iſto Sene familiariter percontando didici (velut de Majorum noſtrorum conſvetudinibus, moribus, de convivijs, & ludis, de Comitijs & Judicijs, de Stemmatis Nobilium, de Spectaculis &c. quibus ſuus apud me locus ſervatur) tum illud mirabile & memorabile, quod nunquam alibi legeram, nec fando audieram: *Albim in ipſa Bohemia propè devorari, & magnam ſui, & aquarum partem amittere;* ſenis colloquium, quoad meminiſſe poſſum, hoc loco recitabo: Quęrit ex me *Bechinius*: utrúmne *Litomericij* aliquando fuiſſem? reſpondi, fuiſſe me. Tum: an *Albim* fluentem & ejus decurſum obſervaſſem? hîc quoque annui. Ampliùs: an *Podiebradij, Brunduſij, Chvvaterubij, & ad Melnicum* jacentes cataractas vidiſſem, & conſideraſſem aliquando? dixi: mihi puero hæc omnia nota fuiſſe; adderet etiam, ſi vellet, *Reginobradecenſes* duplices, & alias plures aquarum *Cataractas per Bohemiam*, pręſertim in *Albi*. Quid igitur inquit, Tu Pater, majorem & auctiorem *Aquis Albim Reginobradecij*, aut *Podiebradij*, an *Litomericij* eſſe putas? ſine dubio, reſpondi, *Litomericij* auctior eſſe debet, cùm in progreſſu tot fluvijs augeatur. Atqui, ſubjicit ſenex negare non poteris, vel *Chvvaterubenſes in Muldava Cataractas*, aut tantùm, aut ampliùs Aquarum quàm *Litomericenſes* defundere, poſtquam etiam *Albi Muldava* plurimis fluvijs comitatus acceſſerit: revoca ad memoriam, quantus incedat *Reginohradecij*, quantus poſt *Podiebradium*, quàm triſti profunditate tumidus, quàm celer & turbidus! cùm interea *Litomericij in Cataractis* (ubi id maximè ſpectari poteſt) vix quatuor Vaſorum inſtar depleatur, atque ibidem æſtate & autumno curribus ſuperetur, & Vaccæ propè ſine natatu, *Albim* transmittant, quem altero tanto, aut etiam ter & quater majorem & auctiorem eſſe oporteret. Reſpondi ego: id forſitan *elevatione Cataractarum* fieri; riſit *ſenex*: nihil, ait, iſtud facit, nam etſi primùm *Cataractarum* altitudo Fluvio ſuperanda ſit, tamen, ubi poſteà continenti novarum aquarum affluxu aſcenderit ſuper cataractas, tantundem neceſſariò profundit, quantum accepit, habétque. *Dicam tibi Pater, quòd à Majoribus acceptum ſervo: Albim in ſubterraneos quosdam meatus in via deſcendere, & magnam aquæ partem illic perire.* Reſpondi: ſi id fieret, *corrotundationem* (ut Senecæ verbo utar) aquarum fore, atque ut *de Scylla & Charybdi* legimus, vortices in ipſo fluvio indicium facturos. *Do tibi hoc* inquit ſenex, ſi in ipſo alveo Abyſſus illa pateret; at Majores noſtri dicebant: partim in vetere *Albis alveo* (quà *Vetero-Boleslaviâ Mielnicum* iter eſt) partim ſub Inſulis (quæ à *Mielniko* deorſum in *Albi* ſparſæ ſunt) fieri jacturam illam Aquarum. His auditis ego quievi. Meâ nihil refert, quidquid *Lectores* (quorum arbitrijs omnia ſubmitto) ſtatuerint; memini tamen, mihi non ſemel Quæſtionem hanc *de exilitate Albis ad Litomericium* propoſitam;

Albis regius Bohemiæ fluvius.

Albim duobus in locis amitti.

ſitam; quæ facilè (ſi vera ſunt, quæ *ſenex Bechinius* ex Majorum authoritate narravit) ex hoc loco diſſolvitur.

Paralipomena L. III. Miſcellaneor: ad C. XVIII. De Incorruptione Cadaverum.

FUneſtum prorſus & tragicum Exemplum ad hanc rem Amici ſuppeditant: Erat antiquæ nobilitatis Equiti (Familiam in *Bohemia* notiſſimam nominare nolo) *Filius* perditiſſimis juvenis moribus, in *Pilſnenſi Diſtrictu*; *Pater* Vir optimus optimis monitis proficiebat nihil: aleator, ſcortator, potator, abactor, blaſphemus, perjurus, & nullius frugi filius, ad cumulum omnium ſcelerum, cùm paternas objurgationes ferre ampliùs non poſſet, *Patrem* interficere decrevit; neque id ſceleratum conſilium clam paravit, ſed ut belluæ iſtius rabiem intelligas, palam, & in via publica (horreſco referens) *Patrem ad duellum* ſecum ineundum provocavit; diu *prudens Pater* recuſavit conditionem, poſteà tamen fortaſſe ſperans rabioſum, ad præſentiam ſuam quieturum, ad armatum filium contendit, monet gravibus verbis, parricidio abſtineret, meminiſſet *quis & quid pater eſſet, quis filius.* Nihil profectum: videt in ſe ire filium, & intentare mortem; ergo irâ paternâ turbatus cùm armatus & ipſe veniſſet occupat, & filium primo manualis Sclopi ictu deturbat ex Equo, & & mittit ad Orcum, dictum illud clarâ voce ingeminans: *Honora Patrem tuum!* Jacuit diu inſepultus in publica via infælix *Filius*, cùm improbiſſimi juvenis contactu nemo vicinorum aut Viatorum manus ſuas conſcelerare vellerit; tandem, nè quid ad pœnam deeſſet, *Lupis* ceſſit; quibus quarta pars cadaveris erupta eſt, & in pagum *Tomaſthlag Sſvvambergenſi* Arci proximum allata ſervatur: eam ſe partem incorruptam cum parte pedis, multis præſentibus, vidiſſe & tractaſſe ante undecim annos, affirmavit mihi *Vir Religioſiſſimus P. Edmundus Wanner in Cœnobio Cladrubienſi Profeſſus*, quem toties in his *Additamentis* laudavi. Hanc verò incorruptionem ſcelerato cadaveri *DEUM* præſtare exiſtimo, ut omnes, quæ pœnæ divinitus parricidio conſtitutæ ſunt, intelligant, & qui vident, aut narrantes audiunt, perhorreſcant.

Filius ſceleſtus Patrem ad duellum provocat.

Occiditur à Patre.

Cadaveris pars incorrupta.

Ad L. III. Cap. 20. §. 2.

NArraveram Capite XX. *Ruſticis* in *Vetere Bohemia* magnas fuiſſe divitias; ex illis aureis *Bohemiæ* ſæculis cenſeri poteſt *Ruſticus* ille ad Novamdomum ætate noſtrâ, qui moriens Domino ſuo *Paulo Adamo Comiti Slavatæ* legavit *Coronam Beatæ Virginis MARIÆ*, quæ tota numiſmatis aureis, ſeu ducatis, ùt vocamus, conſtaret: fila erant auro texta, vices granorum agebant *numi aurei*, ſic inflexi, ut per eos fila tranſmitterentur; ubi *majora grana Roſarij* inter minorum decades interponuntur, ibi *aurei majores*, vulgò *duplones*, ſpectabantur. Divitem profectò *Ruſticus* ille & raram pietatem ſequebatur, qui, ſi jocari licet, *Deo* ſimul *ſervire potuerit, & mammonæ.*

Ruſtici Roſarium aureum.

Ex vetuſtis Bohemiæ opibus illud quoque deſcendit: *Anicula Pragenſis* ante non multos annos *Pragæ* moriens (de qua, nè ſomniare quidem eſſe divitem ullus potuit, quòd paupertatem omni vita præferret) *Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo*, quidquid haberet, legavit, ſolicitéque providit, ut ad Cæſarem omnia perferrentur. Ignorantur rerum pretia, ſed *Torquem* inter alia fuiſſe narrant, quæ altitudinem hominis longè ſuperaret, & obvolvere totum corpus poſſet; *Gratiſſimus Imperator totâ Pragâ* pulſu campanarum, & Sacrorum in Eccleſijs juſta funebria aniculæ illi peragi juſſit, & pretium repræſentavit.

Vetula hæredem rerum ſuarū Cæſarem inſtituit.

Ad C. VIII. Libri III. §. 2.

ARx munitiſſima loci naturâ *Bezdiezy*, habet etiam illud memo-

rabile

Digitized by Google

Montes duo qui ſibi voces remittunt.

rabile, quod Amicus addendum monuit: ex *Arce Bezdiezy* ad *Arcem Hauſkam*, dimidio & ampliùs grandi milliari diſtantem, ſi quis inde vel hinc illuc loquatur, non clamosâ, ſed mediocri voce, audire & audiri omnia tanto intervallo, & colloquia miſceri poſſe, nec intercipi voces colloquentium, ſed innoxiè à *Bezdezy ad Hauſkam*, & hinc rurſus ad *Bezdiezy* pervenire, idque ſæpenumero probatum. Facit iſtud dubio procul ſingularis ad vocis iter aptitudo ſubjectorum locorum, ut ex hiſce duobus Montibus quaſi per canalem voces provehantur. Ex ijsdem Arcibus *Hauska*, *& Bezdiezy* (dum has arces ante complures annos conſcendiſſem) à Senibus accepi: funiculos quoſdam, & fila ferrea, ætate Majorum in ſublimi protenſa fuiſſe, quæ ab alterius Arcis turri ad alteram pertingerent duplici ordine, ut Domini illarum altiſſimarum Arcium, *per cælum eunte Nuntio* (ùt de columnis Epiſtolas ferentibus Romanus Scriptor dixit) Amici, alteri alteros de conſilijs hoſtium certiores facere, in certum diem auxilia promittere, aut arma ſociare, & ſi quid aliud amicitiæ conteſtandæ faceret, & pericula indicare poſſent. Literæ funiculis alligatæ ultro citróque per anulos ferreos trahebantur, idque Arcibus pluribus commune fuiſſe in quibusdam Manu ſcriptis Codicibus invenio; inter arces *Dieczin & Blanckſtein* nominatim, inter *Ralsko & Dievvin*, in *Waldſtein*, *& Skaly*, inter *Skalkam*, *& Koſtialovv*, inter *Haſenburg & Libochovicz*, inter *Kumburg*, *& Pradlecz*, inter *Bradlecz*, *& Welíſs*, aliáſque Arces innumeras Commercium hoc interceſſiſſe traditur uſquè eò familiariter, ut ſe mutuò invitarent poculis, & præcipuè in *Troſky*, arcibus duabus viciniſſimis, lagenas ſibi vino plenas mitterent, ac remitterent.

Eadem fuit Majorum noſtrorum in hoſtium repentinis incurſibus ſolertia, qui nimirum pro Regni ſalute & incolumitate, velut *pro domo ſua*, toto pectore ſoliciti, id unum agebant, ut *Patriam florentiſſimam Regi ſuo præſtarent*, quod bonę gubernationis caput & finis eſt. Illi inquam Heroës inclyti ex antiquiſſimis Bohemiæ Familijs *Roſenbergijs*, *Landſteinys*, *Wartembergijs*, *& Waldſteinijs*, *Haſemburgicis*, *& Leonibus*, *Bercis*, *& Lippæis*, *Guttenſteinijs*, *Kolovvratæis*, *Slavatis*, *Nachodijs*. *Sternbergijs*, aliiſque octoginta Procerum familijs) cùm vis aliqua Regno fieret, jubebant nocte continuò ignibus ſignum dari; ac ſtatim ſeſe tota ſtipendiaria ad periculũ colligebat Militia; pervigilabant enim aliquot militum millia in *Strazijs*, *in Wartis* (plura hoc nomine loca in Bohemia fuerunt) in *Nachod*, *in Königſvvart*, *in Tetzen*, *&c.* & ex Arcibus Regijs ſigno dato, ùt dixi, concurrebant ad commune periculum propulſandum; ſed hæc in Libro *de Militia Veterum Bohemorum* accuratiùs ſi Divi annuerint, proſequemur. *Decad. II.*

Ad idem Caput Libri III. de Arcibus §.

ETſi Libro III. nihil memorabilium rerum omittere voluerim, quod ad *Arces* pertineret, quotidie tamen novæ aliæ veniunt in mentem, aut ab Amicis ſuggeruntur, ut nullum futurum finem exiſtimem. *Biſtricium* Urbecula eſt verſus Moravos fines, quæ *Kragiciorum Procerum* ditio multo tempore fuit; ea arcem habet perantiquam, & non ævi noſtri, ſed profectò (ſi quid ego intelligo) nulli vel hodie, etiam Principi aſpernandam: amplitudo Arcis, cubiculorum numerus, & ordines, elegantia tabulatorum, & fornicum, imaginum antiquiſſimarum Proceres noſtros, eorúmque Conjuges ad vivum repręſentantium Majeſtas, hoc ipſo anno & menſe, dum hæc Typis eduntur, adeò me ſuſpenſum tenuère, ut in parte fælicitatis reponam, hæc ſpectaviſſe. Non procul inde *Cænobium Minimorum*

Arx Biſtricenſis.

Eccleſia SS. Trinitatis Minimorũ.

rum eſt S. *Franciſci de Paula* vivente *SS. Fundatore Franciſco* erectum, cui lętiſſimum, altiſſimum, & magnificum *SS. Trinitatis Templum* vetere diruto, adędificavit multis millibus, *Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Comes Joachimus Slavata ſuæ Domus Gubernator.* Sed revertamur ad Arces; *Biſtricenſi Arce* omnibus ijs, quos attuli, titulis, ſplendidior eſt *Telczenſis;* at *Novodomenſis,* omnes, quas ibi *Comes* habet, *Arces* exſuperat. *Palatium, & Imagines Ducum, Regúmque* noſtrorum (quod univerſæ Bohemię, ut ſæpiùs antè monui, cimelium eſt) genuinè & autographicè expreſſæ, *Tabulata,* & cæteræ Imagines parietibus appenſæ, habitationis commoditates, propè *hortus* pulcherrimus, & in eo *Palatium* ingens, rotundum, & altiſſimâ concameratione, & teſtudine, quæ ſupernè uſquè ad tholum ſeu cuppulam arctatur, ſpectabile; muris omnibus plaſticè miro artificio exornatis, *Statuarium* varietate, & multitudine præſtans; tum in vicinia *Ambulacrum Columnarum, & Grotta,* ſeu *Specus* ſaxis, *conchis, gemmis, lapidis, Muſivo opere* compoſitis, imitatione naturæ conformatus; quæ omnia, ſi *Palatium* excipias, *Comes Joachimus,* ſuæ & hoſpitum voluntati paravit, ut in eadem Arce, ſive antiquitas, ſive novitas placeat, inveniant hoſpites quod mirentur.

Arx Novodomenſis.

Verbo: *Arces Procerum* antiquorum, *latitiâ & ordine* quodam cubiculorum (quæ plano paſſu adeuntur) *gratiâ* fornicum & feneſtrarum luce ab Arcibus novis ſuperantur; at viciſſim, *Novæ Arces* multitudine cubiculorum, varietate, habitationum Majeſtate, & altitudine ædificiorum, totius operis firmitate ab Antiquis vincuntur, quod maximè *de Crumlovienſi,* tum de hac *Novodomenſi, Telczenſi, Biſtricenſi, Libochovicenſi,* ac cæteris intelligi volo. *Novæ Arces* formoſæ ſunt, ad Regulas novæ ædificationis Italicæ conformatæ; *Veteres* ſplendido & divite opere perfectæ, & auro lucentes majoribus impenſis æternitati videntur exſtructæ.

Diſcrimen inter Arces Veteres, & Novas.

Zirovnicium, inter *Telczium & Novamdomum* ſita arx cum oppido vetus *Wencelicorum* & olim *Guttenſteiniorum* ditio; in qua plurima Antiquitatis monimenta viſuntur; antiquiſſimi lapides *Templariorum Crucibus* inciſi ad eos *Equites* olim arcem pertinuiſſe loquuntur, Arcem hanc *Sveci* permunitam abs ſe, diu tenuêre, & inde prædas egêre.

Zirownicenſis Arx.

In Indiculo Arcium prætermiſsâ, nî fallor eſt, *Arx Chlumecenſis* in provinciola *Wltavienſi* octo Pragâ milliaribus; quam olim munitiſſimam, æquè ut *Konopiſstium,* tota illa reſpiciebat vicinia; utraque hodie, ſi hoſtes ingruant, niſi in eorum caput ruinę cadant, contra vim tueri ſeſe nō poſſunt. Similis eſt alio in latere Bohemiæ arx *Koczaurov* & per Bohemiā pleręq; aliæ.

Chlumecium.

Konopiſſtium.

Arx Potenſtein in Reginohradecenſi Provincia, nominata jam pridem eſt: fuit prima ditio *Procerum Zampachiorum,* (cujus ſtirpis hæredem poſtremum, decorâ proceritate juvenem puer apud *Moravos* vidi) *Carolus IV. Imperator* ante annos 300. *Zampachios,* conſangvineorum Procerum auxilijs nexos, ad officium reduxit, & arcem hanc captam inſtauravit. *Fons* in ea arce profundiſſimus ſedet rupibus exciſus, qui ad vicinum fluvium pertendit. Memini me puero, in eum fontem ſæpius anates & anſeres leniter immiſſos, qui paulò pòſt procul ab Arce, in ſubjecto fluvio per ſubterraneos cuniculos apparebant.

Potenſtein.

Plures *Arces* recenſere, maximè ſi quis dejectas & deſertas ſibi nominari poſtulet, infiniti foret operis.

De Arce TecZnenſi.

INter Illuſtriſſimas ſtirpes, quas, pluribus vetuſtis Bohemiæ familijs fato ſuo extinctis, boni Cœlites & Genij ſubſtituêre nobis, & Patriæ inſeruerunt, & quodammodo inocularunt, *Illuſtriſſimi Comitis de Thuen* Romanæ origi-

Comites de Thuem originis Romanæ.

originis Proceres (ut ſuo loco probabitur) vel ob hoc nominandi videntur: quòd præter alia in *Bohemiam* merita, *Arces* ſuas non ſtare deſertas, ſed magnificè ab humo ſurgere, & ſplendidè in ſublime caput efferre juſſerint. *Illuſtriſſimus Comes Michaël de Thun* in Bohemia *Zebuſſicij*, non ita procul à *Sedlecenſi Cœnobio* Arcem pulcherrimam à fundamentis exſtruxit, cum mirifica omnium, qui eam Arcem luſtrarunt, commendatione. Optaré Arcis hujus fabricam poſſe deſcribere, ſed cùm illac iter nunquam habuerim, neque Amicum qui hanc mihi operam daret invenire potuerim, nimirum præterire & in commodiorem locum ac tempus cogor differre. At *Tetznenſem Arcem*, quam ſuperiore anno curioſè luſtravi, præterire non poſſum, & quanquam nolim deſcriptionem meam odioſâ comparatione corrumpere, affirmare tamen auſim: paucas ætate noſtrâ, conſtructas Arces in Patria reperiri, quæ *Tetznenſem* exſuperet: deeſt quibusdam arcibus debita loci altitudo, deeſt alijs aqua, obeſt vicinitas æmulorum Montium, obſunt alijs aquæ lacuſtres, deeſt ſoli firmitas, & durities cuniculis militaribus impervia, aliáque hujuſmodi, huic omnia inſunt, quæ deſiderari ſolent, arcium bona, & ſive firmitatem operis, ſive ſplendorem ædificationis, ſive hortorum & delitias exoptâris, invenies. Primùm, in alta rupe conſiſtit, & in viciniam omnem dominatur; imminet *Albi fluvio Arx* tam prono deſpectu, ut remigum, ut ſic dicam, varices numerare poſſit; videt ante ſe duorum fluviorum oſtia *Badenbachæ, & Pulſnicia*, qui in *Albim* cadentes nomen amittunt, eáque cauſſa videtur, cur antiqui *Bohemiæ Reges* in hoc limitaneo caſtro præſidium militare ſemper aluerint, nè videlicet *Miſnij* in *Bohemiam* invitis nobis aſcenderent; certè Svecico bello nupero oppugnata *Tetzna* in Cæſaris fide diu perſtitit, ac ſi paulùm obſtinatiores, & Martiales Præfectos habuiſſet, expugnari minimè potuiſſet. Quanquam ætate noſtrâ nemo amplius in *Arcibus*, quas ipſi demolimus, fiduciam & ſervitutem reponit ſuam; ſola habitationis opportunitas hodie ſpectatur. Arcis hujus novæ ædificatio loci Domino Illuſtriſſimo *Comiti Maximiliano de Thuen annos quindecim* conſumſit, & maximum Operariorum numerum occupavit: ſedet, ut dicebam, in rupe; quod, ut aptè, & cum decoro fieret, *ſex annos* in frangendis, & pertundendis duriſſimis rupibus & cautibus contriverunt *Opifices*, cùm nec pugillus terræ, ut ſic dicam, oſtendi potuerit, qui rupem pro ſolo non haberet; quod licet ædificio firmitatem ſummam adjiciat, magni tamen laboris eſt & neceſſaria illa rupium complanatio plurium annorum molimine vix tandem ſuperatur. Ipſe ad *Arcem* aſcenſum ex Civitate per ſectas rupes aperitur leni neque arduo nimis itinere ſic coæquatis rupibus, ut aſcenſus, quèm proximè fieri potuit, planitiem, & planum æquor imitaretur. Ex utroque viæ hujus latere, hinc & illinc muri aſcendunt altitudine ulnarum XII. minus uno quadrante; habétque ſiniſter murus arcus quinquaginta duos ad arcem uſque deductos; ſed ſingularem aſcenſui Majeſtatem ipſa *via hujus longitudo, & latitudo* conciliat: quippe latitudo ulnas examuſſim *quindecim*, longitudo ulnas *quadringentas & quinque* exæquat. Prima Arcis porta inferior, antè quàm aſcendere cœperis, Clypeis Dominorum depictis, exornata collucet; propè Portam veteri more Romano ſtant aræ *Indigetum Signis & Imaginibus Divorum* collucentes, ut ſive arcem in hac via ſuſpicias, ſive viam longiſſimam deſpicias ex arce, gratiſſimo ſpectaculo oculi paſcantur. Sed meliora quaſi de induſtria ſepoſita, poſt muros latent: nam Muri illi qui, ut modò dicebam, muniunt viam, dextrâ

Ædificatores Arcium

Deſcriptio Arcis Tetznenſis.

Via ad Arcem.

Nota: quædam ex his ut audio, immutata ſunt ob Eccleſiam S. Crucis viciniam, quæ nunc à fundamentis exſtruitur.

parte (verè dicere poſſum *penſilem*) *Hortum*, ſiniſtrâ Equorum Circos, & ut ita dicam, palæſtram (ubi quotidie matutinis horis exerceantur) includunt. Nunquam quidquam in hortorum genere in tam edito monte ſaxis affixum, & in locorum anguſtijs formoſius à me ſpectatum eſſe memini. *Nympharum Domus* & quæ Domum ſuſtinent columnæ, & quibus exornatur *Gratiarum* aliarúmque perſonarum Imagines, ſumma arte umbrarum, & procul jacentium regionum & oppidorum vivâ repræſentatione perfectæ, totum me quodammodo attonuerunt. Quid fontium artificioſæ deliciæ? præſertim *Iridum* quoties placuerit, ex Aquis, & roridis guttulis enata pulchritudo? aquæ tanta copia in rupibus, ut mergere hortum poſſint. At *Statua Neptuni*, *& Dij Deǽque lavantes* Statuariorum illuſtrium operâ, proportione & Cymmetriâ membrorum, geſtuum, & totius hominis flexu ita ſeſe commendant ſpectantibus, ut nihil niſi anima deeſſe videatur, corporibus certè (ſi ſaxum, humanum corpus eſſe poteſt) exteriùs, nihil video defuturum. His Aquaticis Numinibus ſubjecti ſunt Aquarum crateres, tum *piſcinulæ* illimibus aquis, quas uſquè ad fundum oculis explorare poteris, redundantes; in vivis hiſce aqvullis formoſiſſimi piſcium *auratæ*, *thymalli*, alicubi etiam *Siluri* ex vicino *Albi* flumine huc translati, luſitant; octoginta nonnunquam & 90. librarum tam familiariter humanam manum patiuntur *Auratæ*, ut panis candidi micas certatim è manibus ſi admoveris, rapiant, neque dubitent velut avium pulli hiantes, ex undis capitella proferre, & oſculo offerre. In floribus *Piſces* habitare dixeris: nam cùm inter areolas, & pulvillos florum, aquarum rivuli deducti ſint, adverſus hoſtes cunicularios (*talpas &c.*) aquis flores muniuntur, ac viciſſim velut *acies haſtata*, aquas & piſces permuniunt, & ut Poëta loquitur, *defendunt æſtatem*.

Hortus in arcis aditu.

Piſces in horto.

Florum raritates, & venuſtates mihi videre non contigit, iniquo enim floribus tempore, & Autumni fine, cùm minima floribus gratia, locum acceſſeram, ſed qui viderant, ſpecies *Roſaſarum*, mille varietates *Tuliparum*, tum etiam ſtirpes illas, & *pumillos frutices*, qui ab Italis imò ex transmarino orbe petuntur, plurimum commendabant. Habet idem Hortus *Meniana* quædam, & projecturas in alto, in ijſque aperta conclavia, ut ſive ad Solem apricandi, ſive meridiandi, ſive Solis radios declinandi, ſive ſe aſpectu *Horti*, *florum*, *aquarum*, *Albis fluminis*, ac totius viciniæ, & procul eminentium *Montium*, *& Scopulorum* grato horrore oblectandi, & recreandi, ſive etiam lucubrandi opportunitas hoſpitibus præbeatur. Antè quàm ab *horto* digrediar, nolo ſuâ laude fraudare *Artifices duos*, quorum præcipua opera tum in hortis, tum in Arce reliqua vivunt, vivéntque dum arti ſuus honos erit; Pictorem ab Italia Arcis Dominus habuit *Joſephum Bragalliam Bononienſem*, qui laboribus picturæ immortuus eſt; Statuarius artifex non modò in ſtatuis ſuis, ſed in ſeipſo vivit adhuc *Abrahamus Kitziger patriâ Tetznenſis*, quem ego (ſi quid intelligo) antiquæ manûs fœlicem imitatorem agnoſco. Sed jam Arcem ipſam ingrediamur: ea duplex & cum duplici area ſeſe offert, *Vetus* ſcilicet *& Nova*. Vetus ædificium præter altitudinem, deinde cubicula aliquot ſpatioſa, ſed obſcuritate triſtia, ùt antiquis mos fuit, jam alta, jam depreſſa, jam anguloſa, jam quadrata, & in varias, variáſque figuras pendentibus, hinc inde pergulis conformata, nihil habet magnopere viſendum. *Sacellum & fontem* excipe: illud juſtæ Eccleſię æquiparari poteſt: fornix altus & operis invicti. *Fons* è vivo ſaxo excíſus profunditate alveum vicini *Albis* attingit. unde illi per ſubterraneos meatus *aqua* recens infunditur. Separatur

vetus

Flores.

Menianum hujus horti

Pictoris & Statuarij nomina.

Arx vetus.

Digitized by Google

vetus Arx à nova ingenti & manufactâ foſsâ facilè duodecim pedes profunda, qualis etiam ante *Arcem novam* occurrit intrantibus; utraque foſſa, ſi id ageretur, aquâ poſſet impleri. *Pons ligneus* Arces haſce duas jungit, ad cujus pontis ingreſſum ex uno eóque non permadente ſaxo *ſtatua ingens*, veriùs *Monſtrum* ex tribus naturis compoſitum ſedet, *Aquas* ingenti copiâ in ſubjectam *Concham* ſaxeam ore, aliíſque membris profundens.

Arx nova.

Arcis novæ fabrica plus habet intus commodorum, quàm foris oſtentet: quod ego *Cubiculorum* nitorem, & ſplendorem, & ſi viciniam è feneſtris deſpicere lubeat innoxios & ſerenos cæli hauſtus, & quæ locorum altitudo oculis delicias facere ſolet, commemorem? pleraque conclavia pluribus è vitro feneſtris illuſtrantur; tabulata vivaciſſimis imaginibus collucent; parietes tabulis, quæ horrorem aliquem repræſentent, conteguntur. Omnia hæc commendat ſtantium, & in rupibus excavatarum officinarum cellæ, puta: culinariæ, penuariæ, vinariæ, cerevifiariæ, farinariæ, carnariæ, &c.

Officinæ ex ſaxis.

Pharmacopæi quoque, quod apparatu medicinarum paucis apud nos Civitatibus cedit; nihil, ùt in rupe, neque humidum, neque ſiccum nimis invenies. Operâ Gigantum exſtructam Arcem poſſes dicere, cùm montes montibus impoſitos, velut olim *Pelion Oſſæ* videamus: nam ubi hiatus aliquis, aut hiulcitas aliqua exſtruentibus Montem occurrerat, alio monte vel rupe, machinis, cochleis, aliíſque Mathematicorum artibus attracto, & in fundamenta dejecto locus complanabatur.

Difficultas ædificationis.

Sunt in ædificium attractæ moles ſaxeæ, præcipuè in angulis ædificij, ut plurimum menſarum, atque etiam cubiculorum magnitudinem æquent. Omnes hi lapides ex Montibus, qui *Grund* dicuntur exciſi infra *Tetznam* ex adverſa *Albis* ripa per flumen in citeriorem, devehi, tum in altum librari, ac tandem ſummo Artis ingenio in Arcis fundamentum leniter deponi debuerunt. At nihil ęquè admirationem movet quàm *Equorum Stabulum*, quod in Arcis infima parte palatio cuipiam aut Sacrario ſimile viſitur: duodecim columnæ ex ſolido ſaxo ſingulæ, octo ulnarum longitudine (ut baſim & capitella non metiamur) fornicem prææltum ſuſtentant; præſepia eodem ſaxo exciſa, lapidibus quadratis & ſectis conſtratum ſolum.

Equorum Stabulum.

Eques grandis è ſolido ſaxo velut *Pegaſus*, primoribus pedibus pendens in ſaltu nobili artificio naribus & ore in ſubjectum ingens è ſaxo lavacrum ſummo impetu & grato tumultu *Aquam* continenter effundit. De ſtationibus & pręſepibus tum de ſuperbis Equorum conatibus, de nationibus, & artibus ſupervacaneum eſt ſcribere: omnes qui in hoc grandi ſtabulo hoſpitantur in Equeſtri Schola exercitati cum gratia ſingulari, inſigni docilitatis argumento (cujus ipſe teſtis oculatus fui) peregerunt omnia, plerique eorum centum, trecentis, nonnulli etiam majore aureorum pretio comparati. Pone ſtabulum, *Aurigarum, & Equiſonum* habitationes aperiuntur, tum *penus Equilis, fabrile* cum fabro, frenorum apparatus, *Equiles medicina* ſuis quęque cubiculis omnia diſtincta ſervantur; alterâ ſtabuli parte *Canales* foras proſpectant, per quos quidquid è ſtabulo everritur, extra arcem in ſubjectam vallem foras ejicitur, atque inde commodo tempore ad lætificandos agros avehitur; quò fit, ut nihil olidum ab Equis, nihil quòd nares infeſtet ad *Arcem* perveniat. Hoc loco quærat aliquis: unde tanta aquarum vis & copia? unde limpiditas & puritas? unde tantus ſummâ vi ſe ſe trudentium aquarum in tam edito, Arcis monte impetus? quàm reſponſio mea facilis, tam deductio fuit improbi laboris: ex diſſito procul, altiſſimóque monte rivum integrum furati ſunt *Aquilegi*, quem per tubos, & canales partim ligneos, partim

Aurigarum cubilia.

Rivus ex monte deductus ad Arcem.

Digitized by Google

tim ut res poſcebat, plumbeos coa-ctum, infra *Pulſniciam* flumen ſine ulla commixtione aquarum impellunt, & in arcem immittunt. *Turre aquaticâ*, brevi ut molitur Dominus ad Pulſnicæ alveum exſtruenda, commodius ex proximo Aquę haurientur. Habetur alioqui in *Arce*, ùt jam dixi, inexhauſtus fons quem *Albis* per ſubterraneos meatus implet, habentur etiam ſaxis exciſa receptacula, ad Aquas pluvias, ſed hæc neceſſitati ſervantur; major enim ad hortos, aliáſque artificioſas delicias aquarum prodigalitas requiritur, ut quamvis non poſcas, occurrant.

Concha portentoſæ magnitudinis.

Venio nunc ad ultimum Artificum *Tetznenſium* conatum, *Concham* ſcilicet ingentis magnitudinis, quam *balneum Thetidis & Nympharum* jure meritò appellâris, hîc certè lavare, ùt eſt in *Epigrammatis Græcorum* commodiſſimè poſſunt. Nihil in hoc genere illuſtrius à me viſum conteſtor, multóſque audiri homines, ut ita dicam, *Ulyſſeos*, qui *terráſque*, *tractatúſque* Soli & ſali, per Italiam ædificationum Magiſtram, aliáſque Provincias diligenter, & cum animadverſione luſtrarunt, idem mecum disertè affirmantes, nullam à ſe viſam ampliorem. *Concha* uno è ſaxo conſtat portentoſæ magnitudinis circularis figuræ. Ut magnitudinem & pondus Lectores intelligant, conchæ peripheria & in orbem ſeſe inflectens ambitus quadraginta quinque *Pragenſes* ulnas, ſeu *90. Geometricos pedes* protenditur, unde Diameter 15. ulnas Pragenſes exſuperat; totam hanc machinam ex proportione fragmentorum, & fruſtris ſaxorum, Artifices colligunt ad pondus *mille ſexcentorum ſexaginta* & ampliùs *Centenariorum* aſcendere. Maximi laboris, & multorum annorum opus fuit: *Concham* primùm ex rupe, quæ in *Albis* crepidine propè in ipſo ſtat fluvio, excindere, tum purgato loco innoxiè, & leniter, nè quod detrimentum acciperet humi deponere; ubi iſtud poſt plurima conſilia, & ſæpe irritos Artificum conatus proceſſit, *Naves* admota ſunt. Hæ ſex erant numero inter ſe ingentibus catenis colligatæ, eâque ratione trabibus inſtratæ, ut pondus *Conchæ ſaxeæ* ad omnes ſex perveniret, & gravitas illa divideretur inter omnes; ſed itineris longinquitas (quippe uno *à Tetzna* milliari diſtat locus, & adverſo *Albi* navigandum erat) penè in deſperationem machinatores adduxit, quotidie tamen tempore, & ipſo conatu eruditiores fiebant manus, & tractatione *Conchæ* quotidiana & familiari, meliora & ſaniora expediebantur conſilia, adeò ut denique licet teſtudineo, & titubante gradu in altum flumen evaderent, jámque medium ferè iter navigatione confecerant, cùm ecce in vadum impingitur, continuò mutato pondere *Concha* uno navigiorum latere depreſſo in aquam pendet; parum certè abfuit, quin tota fluctibus mergeretur: fracta, lacerata, curvata retinacula, naves quædam hauſtæ, aliáque incommoda conſecuta, quibus malis victi deſponderunt animos, id tantùm conſilijs omnibus quæſitum, nè in alveo *Albis Concha* hæreret, ſed in ripam extraheretur, quod tandem poſt laborem aliquot dierum fæliciter effectum, atque ità ceſſante ob deſperationem Domino, ridentibus qui id futurum prædixerant, longiſſimo tempore conquievit. Poſt Annos duos, tréſve novis Inventionibus occurſantibus iterum operi admota eſt manus, & ſuccedente fæliciter negotio ſub Arcem *Concha* advecta, trochleis alióq; Artificum apparatu, Cylindris ſubjectis in hortum ſubarcenſem promota, id ſolùm ut in loco ſibi debito collocetur, expectat; *Concham* venientem *Comes* fælici ſucceſſu delectatus tormentis, & machinis muralibus, terrifico, ſed læto & auguſto boatu ſalutavit ex Arce. Hactenus *Ædificationum Tetznenſium* brevis deſcriptio, quas ſuperiore anno invitatus obivi,

Concha in debitum locum quâ ratione advecta ſit.

Arx Tetznenſis novis ſemper inventionibus exornatur.

Digitized by Google

obivi, & curioſiùs perluſtravi. Plura omiſſa (fateor) cuipiam poſt me venturo videri poterunt, quia quotidie nova ornamenta adduntur; ut mirum non ſit, tam pulchris Operibus Scriptores, ac me quoque fatigatum jam pridem finem reſpicere. *Hortus* ſubarcenſis hoc anno poſt abitum meum pro recipienda *Concha* in novas areas ac delicias diſponi cœptus eſt, ipſúmque flumen *Pulſnicium* per rotam hauſtoriam in multiplices foſſas, piſcinas, lacúsque recipiet.

Ad Idem Caput VIII. §. 2. Lib. III.

De Arce nova Cholticenſi, quæ nunc abſolvitur.

DIfficile opus eſt, ea quæ non videris, oratione deſcribere, *ſegnius irritant animos*, canit Poëta, *demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus:* cùm enim etiam ea, quæ ſenſibus percipiuntur ſtylo explicare paucis datum ſit, quâ ratione id quod neque videris, tam fæliciter verbis expingas, ut vera & viva rei imago legentibus offeratur? ſed Vir peramicus hac in re operam præſtitit mihi ipſo loci Domino *Illuſtriſſimo Romedio Comite de Thuen* adjuvante, & dictante ut alienis oculis, & literis ſatìs ſecurè confidere poſſim: *Arx Choltitz in Provincia Chrudimenſi* diu *Equitum Gersdorffiorum*, qui in Bohemia ante duo & ampliùs ſæcula conſederant, fuit; quæ cùm per alios, alióſque Dominos (ut fit apud nos) tandem ad *Comitem Romedium* emtione perveniſſet; is conſilio cum Fratribus, cæteriſque Amicis inito (*Patriæ amore*, ut ipſemet ad me ſcripſit, *& ad nominis Thuniani gloriam*) Arcem hoc loco præclaram aliquam & celebrem excitare, quæ nimirum familiæ memoriam conſervaret, conſtituit. Stabat in congerie ruderum *Vetus Arx;* imò dubium eſſe poterat, an ſtaret, cùm quotidie aliquâ ſui parte corrueret, prçſertim çdificium quoddam in area ſitum ruinam minitans, vix avibus, nè dicam Domino habitabile, multis etiam ipſum incendijs deformatum; & ambuſtum. Omnibus, quæ ſolo extabant, ut locus melioribus daretur, dejectis ædificationis laborem placuit auſpicari: primùm ab *Occidente* latiùs potiùs quàm altiùs (utpote in plano, & loci amplitudine maximâ) ædificari cœptum, duplici tantùm in altum conclavium ordine, fronte primâ murorum depreſſâ, ut qui conclavia illa inhabitarent, *Orientem Solem* ſemper videant, & nervo, & quaſi majali tempore foveantur. Occurrebat ab occidentali Arcis plaga rivus, qui ad vetuſtam quandam molam verſandam per foſſam ignobilem ducebatur; hac foſsâ obcæcatâ, & complanatâ foſſam quadrato lapide conſtratam, unde rivus, quaſi ex regno ſuo ſuperbiùs proflueret, fieri placuit. Rivus hic ſectus & diviſus complures piſcinulas, & piſcium vivaria vivis aquis infundit, tum iterum ad ſe rediens, & collectus ad maximam Arcis commoditatem varijs flexibus ab occidente in meridiem, hinc ad Orientem, tum ad Septemtrionem (ſub ponte egregij operis, per quem in Arcem ingreſſus patet) rursúsque inde in Orientem flexo itinere ſerpit. Hæc rivi deductio tam longo, & ſcrobs & foſſa fundo & lateribus omnibus ſecto & quadrato lapide permunita, multis Domino ſtetit impenſis. *Cellaria* ad Septentrionem Arcis partem deliteſcunt, quç licet ſcrobe illâ (de qua modo dicebam) longè demiſſiora ſint, tamen ob illam lapidum tam in fundo, quàm in lateribus defenſionem, nihil admittunt humoris, & ſemper reſiccata perſeverant. Eadem *Cellaria* inſuper ſecto in quadrum lapide conſtrata fornice præalto conteguntur, quem ad operis firmitatem & gratiam lapideæ columnæ ſuſtinent amplitudine tanta, ut brachiorum nexu ſtringi non poſſint; ponè *Cellarium* occurrit *Camera Glacialis*, unde çſtate vina refrigerentur, & reſpicerent quodammodo.

P. W. Cl. S. J.

Arx Choltice vetus dejecta.

Novæ Arcis ædificatio.

Rivi laborioſa & pretioſa deductio.

Cellaria.

Ad

Ad Arcem ejúsque porticus redeamus in altum: Primus in Arce conclavium *Ordo* arcuato fornicum opere conſtat, ſed ità Cameris & Conclavibus diviſa ſunt omnia, ut quisque cui aliquod œconomiæ demandatum eſt munus habeat ad manum, nec aliunde procul quàm ex *Camera* cubiculo ſuo adſita, petere ſit opus: itaq; & *Sacellanus* omnia ad res ſacras pertinentia in Camera ſua ſervat, *Stabuli Præfectus* ſua, *Promus Condus* ſua, *Cocus* ſua, *Cellarius* ſua &c. Quod ad ordinem & œconomiæ diſciplinam plurimum confert, ac præcipuè ad ſilentium, unde vociferationes nullæ, quas alioqui ex confuſione, naſci neceſſe eſt, eouſquè ut in arce nullâ concurſione ſit opus, quódque ampliùs eſt, præter Domini adventantis aut *hoſpitum Currus* nullus audiatur perſtrepens, cùm alij currus ſeu annonam, ſeu res alias apportent, foris extra arcem ad ipſas *Cameras Præfectorum* advehantur, & ex curribus deponantur. In hac Meridionali parte exſtructum eſt *Sacrarium* (ob amplitudinem rectiùs *Templum* appellaveris) mirâ venuſtate, & ſingulari architectonices ratione deſcriptum, *S. Romedij Tirolenſis Comitis* (cujus inſignes reliquias impetratas in Bohemiam Comes attulit) nomine conſecrandum. *Sacrario* conjuncta ſunt conclavia ampliora, ſeu ambulacra terræ proxima (*Stanze terrena* vocant Itali) ſine furnis, ſed non ſine incruſtationibus, & teſtudinibus, quæ ſimulatione antrorum & ſpecuum concamerantur, ut ex his plano pede in mœnia progreſſi hoſpites ſpatiando cùm libuerit, oblectentur.

Cubilia cũ Cameris.

SacellumS. Romedij.

Grottæ.

Ultimum, ſed in primo adhuc ordine Conclavium, quæ ad terram ſunt, *Equile* ſedet, cui, ubi ſuprema impoſita fuerit manus, neſcio an aliud, præſertim ob inventionis fælicitatem in vicinia ſit futurum præſtantius: *Stabulum* illud igitur quadratum fornice octangulari contegitur; cum fornicem *Gigantes quatuor* ſinguli ex uno ſaxo exciſi ſuſtentant, ac ſimul ore pleno aquas effundunt. Amplitudo & altitudo totius loci, feneſtrarum lucem admittentium quædam hilaritas, coronidum delicatæ ſuſpenſiones plurimum commendantur, illud Equorum ſtationibus percommodum, quod ſub ſingulis *Canales* occulti ſubterfluunt, qui quoties lubet aquis implentur, & quidquid humoris olidi, aut ſordium ab Equis proficiſci poteſt, quadam eluvione detergunt, & lavant; hujus ſtabuli quatuor partibus adſita ſunt *Aurigarum Conclavia*.

Equile.

Jam ad ſecundam Arcis Regionem quæ primæ ſuperſtat (*Contignationem* uſitatâ voce dicerem, niſi lapides timerem) veniamus: omnia laterculis & ſaxis, pleraque quadrato lapide (quem *Skrobatio* prope *Zeletinum* ab uno & medio milliari non parvis ſumtibus advehi oportuit) conſtant. In Orientem verſum ædificium portas Arcis aperit magnifici prorſus operis, & viſendi: earum altera ad Sacrarium, altera è regione ad præparata hoſpitibus conclavia ducit; ex partibus ſolidę uno è ſaxo perfectę columnæ *Manianũ* quoddã ſuſtinent, ex quo pectore ten⁹ ſpectatores emineant & delicientur. Exitus ſingulari artis gratiâ patet; porrò inferiorem & interiorem Arcis ingreſſum *duo Fauni* grandes baſibus ſuis inſiſtentes ſervant. *Gradus* in aſcenſu diverſis in locis multiplices varijs architectonum artibus exſtructi; id maximè ſpectabatur, ut lucis haberent quàm plurimum, útque ad ſcandendum faciles eſſent: qui Orientem ſpectant, ad atrium & palatium deducunt, qui ad Occidentem ad cubicula herilia, qui ad meridiem ad *hoſpitum conclavia* pereleganter inſtructa pertendunt, ijdem gradus eâ ratione dividuntur, ut hoſpitibus ſingulis ſine interventu alterius ſervitium præſtetur. Partem meridionalem hujus ſuperioris ædificij, maximam *Sacrarium* occu-

Arcis ingreſſus.

Gradus.

pat

par, cui in hac media regione plurima adhærent cubicula, *Chorus*, ut vocant, *Oratorium, & ambulacrum* ſeu *Galleria* optimo ſitu. Fabricam univerſam

Perſpectivæ.

ſpectabilem reddunt *Perſpectiva*, ut vocant, quarum quinque ſeſe ſimul objiciunt oculis longo ordine tot cubiculorum, & portarum foras exſtantium jucundo ſpectaculo. *Turres quatuor* mirificè ſplendorem & dignitatem quandam Arci conciliant: *duæ* horologijs (Germanico & Bohemico) *tertia Sacrarij* campanis, *quarta* domeſticis quibusdam uſibus deſtinatæ. Arx tota univerſim, licet habitationis commoditates potiſſimùm, Architecti reſpexerint, nihilominus etiam ad defenſionem ſubſervit, poteſtque volaticos hoſtium, & repentinos impetus ſi ingruant, utcumque ſuſtinere, cùm omni parte vel loricâ, vel ſolo paluſtri muniatur. Sed hęc omnia ſpatiantibus impedimento non ſunt: quippe ad Occidentem ſuper valla, quaſi ex ipſis mœnibus exiens aperitur

Hortus.

hortus minutis, & pygmæis arboribus conſitus, ubi & area ad luſum pyramidum aptata porrigitur, ex hac in *fera-*

Vivarium.

rum vivarium iter eſt, & exhinc in *hortum*, quem vocant, *deſertum*, quòd ſcilicet hoſpitibus ſolitudinis voluptatem, & delicias repræſentet, in quo oblectare ſe legendo, orando, abſcondere, & amitti poſſint ſi velint; protenditur hęc ſolitudo ad 75. orgias in longum, in latum 18. cum media viâ duplici ad eam ducente; quarum viarum alteram ſex orgijs latam *arbuſculæ prunorum* in quincuncem diſpoſitæ & propè ad regulam aſcendentes exornant, alteram verò duodecim orgias latam in marginibus duplici ordine tum *tiliæ*, tum arbores *ſorborum majores* à Sole defendunt. Supra illud de

Piſcinula auratarum.

quo modò dicebam, prunetum, *piſcinulam auratarum* invenies, cujus piſcinulæ latera lapide quadrato muniuntur; hanc *Piſcinam* rurſus prunetum excipit, tandémque rivus (de quo antè dixi) ex horto ſeſe evolvens & præcipitans non ſine grato, noctè præſertim, vel ſuſurro vel ſtrepitu, quem ex Conclavibus ſuis *loci Dominus* audit. Vix hujus horti ſingula in *Perſpectiva*,

Porticus hortenſis.

& oculorum terminatione ſuam habent porticum (quam Itali *Loge* vocant) earum altera ad montis radi-

Ornithoboſcium.

cem extenditur uſquè ad *Ornithotropium*, quod duplex eſt, *turturum* aliarumque hujusmodi avium, alterum *phaſianorum*. *& Perdicum*, in quo Aves iſtæ umbris ſuis quærunt contegi, & nihilominus vel latentes ſpectantur.

Cuniculi.

Colliculus ad occidentem aſſurgens *Cuniculis* deputatus eſt totus, in cujus apice turricula ſtat ad receptum ſi perterrefiant; quanquam & foſsâ aquis redundante, & quadrato in marginibus lapide velut coronâ cinguntur, & ſatis contra vim hoſtium ſuorum muniuntur. In eadem foſſa, nè quid vacuum & inutile ſineretur, minores quidam piſcium, præſertim funduli nidulantur, & ludunt. Ad Orientem rurſus *Petra* extat teſtudinibus, & limacibus deſtinata, quam etiam, ùt antè, foſſæ & rivi cingunt pleni piſci-

Vivarium ferarum.

culorum. In reditu ad Arcem è *Phaſianorum Domo*, poſt nemus arbuſcularum *Balneum duplex* aperitur, aliud *calidum*, aliud *laconicum* ſeu frigidum, utrumque rivo præterlabente, ut ſic loquar, viviſcit. Hîc villa quæ ad Orientem arci conjungitur, occurret, deinde *theriotrophium* ſeu *vivarium ferarum*, cujus antè memineram, latiſſimè patens: pro comperto habetur *centum quinquaginta majores feras* in eo claudi poſſe, & bene paſci ac vivere, cùm enim centum feræ in eo numerarentur, adhuc quinquaginta ſani curſus fuère collecti; *vivarium* paſcua multa continet, multos colles, ſilvas, & montes, duas item piſcinas triginta ſexagenarum carpionum capaces (ubi feræ natare poſſint) duas item alias minores *piſcinas* complectitur; adde copiam *ſilveſtrium fructuũ*, præcipuè *glandium, & vivæ aquæ* dulces rivos, tum uligines in quibus meridiari, vel apricari poſſint; *rivus Arcis* inſuper (quem antè deſcripſi) alijs etiam aquis

Tt auxi-

auctior totú ſe in vivarium infundit. Hactenus ab Amico miſſa deſcriptio, quam ego in loco meis verbis illuſtrare conatus ſum; hæc licet accuratiſſima ſit, obſcura tamen ſinè præſidio & auxilio oculorum evadit; proinde Lectorem meum ad fælicitatem hanc, quam ego ipſe non habui, ad ſpectandas res viſu digniſſimas, quoad poſſum, invito.

Ad Caput X. §. VIII. de Turribus.

T*Urribus, & turritis operibus* oblectari ſolitos *Majores* noſtros, ac ferè omnes illas ſuperiores ætates (ut erant animi maximi, & ad magnificentiam, æternitatémque referebant omnia) pridem in *Erneſti I.* vita probavi; ejus rei indicia, ſi quibus injuriæ hominum, aut temporum pepercerunt, in altiſſimis Arcibus hodiéque ſpectamus: de *Caroli IV.* turribus auro collucentibus, tum de alijs *Pragæ, Carlſteinæ*, alibíque dixi ſuis locis. *Neklankam* turrim Wiſſehradenſem à *Neklano* Duce conditam & Genealogicis Stemmatibus *Ducum* Noſtrorum depictam celebrabat Antiquitas. *Wratislaus* quoque *Bohemiæ Princeps* optimus in medio foro *Antiquæ Urbis Pragenſis*, ubi nunc *Curiam* ſpectamus A. 1073. Turrim ſtatuit *Wiſſehradenſi* altiorem, longéque elegantiorem. *Quadratis Turribus* hodierna ſæcula gaudent, Veteres *rotundas* amabant; talem exſtruxit *Raudnicenſibus Canonicis*, *Erneſtus I. Archiepiſcopus Pragenſis*, quam ſucceſſor ejus *Joannes* abſolvit. Omnium in Bohemia *Turrium* ob venuſtatem & artem, principatum tenuiſſe traditur *Turris Pragæ ad S. Clementem* ſtans ante Ponté Pragenſem, cujus neq; fundatorem, neq; architectú ſcire poſſum: quadrato conſtabat lapide, figuris varijs, emblematis & ſignis mirificè exornata, ut *Statuarij, Architecti*, cæteriq; in ſaxis occupati Artifices, hinc peterent exemplú ſibi, & qui *Pragam* venirent, *Turris* hujulce ichnographiam, Symmetriam, totámque effigiem ac deſcriptionem habere, & ſecum domum deferre conarentur. Cecidit antiquiſſima hæc Turris die S. *Priſcæ* Anno Domini 1466. cauſſam ruinæ, & quod vitium traxerit, nuſquam invêni.

Turres antiquæ.

Hagi A. 866.

Celeberrima Turris in Cœnobio S. Clement: Prag:

Ad Librum III. Caput X. §. III.

INter illuſtriora Bohemiæ Templa, quæ tempeſtate noſtrâ excitari videmus, primum ſibi expectatione multorum vendicat locum *Eccleſia Crucigerorum cum rubea Stella ad pedem Pontis Pragenſis* (ut Veteres loquebantur) conſtabit intus tota porphyretico marmore Bohemico, quod è *Dobrzichovicenſibus* fodinis defectum parietes Eccleſiæ conteget opere prorſus magnifico: *forma & figura* interioris Eccleſiæ exhibebit *Crucem* illius Ordinis ſacri; at in tholo Templi media in teſtudine, *rubea ſtella* fulgebit. Hoc Templi, noſtrâ ætate, decus, cùm nondum abſolutum perfectúmque ſit, alijs poſt me deſcribendum relinquo.

Eccleſia marmorea Pragæ.

LECTORI SALUTEM.

Terentianum eſt: *neſcio quid abſente nobis turbatum eſt domi*; abierat domo ad aliquot pauculos dies in ſuburbanum rus profectus *Libri* hujus *Author*, cùm illico tot & tam pingues errores, ſphalmata, & menda in has ultimàs philyras non irrepſerunt, ſed irruperunt, ut vel referre ſit triſte; potiora recitabimus, cætera nunc condonantur.

In dueraione Q q pag: 3. col: 3. pro honeſtiſſimis, lege: pro *honeſtiſſima*. In Duer: Rr 1. col: 2. galli Indicij. L: *Indici*. ib: uripydium pro *uropygium*. ib. col 4. R.P. Vanner, fac *Wannerer*. Rr 2. col. 1. quotidiana *illa*. L. *illi*. C. 2. id petulantia, fac *in petulantia*. ib. rarum, fac *narium*. ib. cæteri amori, fac *amoti*. col. 3. ferri pro *ferre*. Rr 3. C. 1. Partem, fac: *Patrem*. ib. poſſet pro *poſſit*. Col. 3. rationandi, fac *ratiocinandi*. ib. acquirentur pro *acquirantur*. col. 4. pulſis pro *pullis*. Rr. 4. col. 4. crupta, fac *erepta*. In Duern: S s. pag. 1. col. 1. columnis pro *columbis*. ib. col. 2. Kragiciorum, fac *Kragirziorum*. col. ſtatuarium, fac *Statuarum* ib. lapidis pro *lapidibus*. ib. voluntati, fac *voluptati*. col. 4. nexos pro *nixos*. Ss 2. col. 2. demolimus, fac *demolimur*. ib. aſcenſum, pro *aſcenſus*. col. 3. Cymmetria, fac *ſymmetriâ* ib. librarum, fac. ib. oſculo pro *oſcula*. con. 4. pumillos, fac *pumilos*. Ss 3. col. quod ego, fac *quid ego*. C. 2. Eques grandis, fac *Equus grandis*. col. 3. audiri pro *audivi*. Ss 4. col. 2. & nervo, fac *verno*. ib. tam longo, fac *tam longa*. ib. ad Septentrionem, pro *Septentrionalem* ib. reſpicerent, fac *reſpirent*. col. 3. converſione, fac *converſatione*. En quot errores peperit unius oſcitantia!

Digitized by Google

FACULTAS

REVERENDI PATRIS

PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

PER PROVINCIAM

BOHEMIÆ.

Cùm duos Miſcellaneorum Hiſtoricorum libros, SECUNDUM (qui de Bohemiæ Incolis tractat) & TERTIUM (qui ſingulorum Bohemiæ Diſtrictuum deſcriptionem continet) à P. BOHUSLAO BALBINO EX SOCIETATE NOSTRA conſcriptos, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA PRÆPOSITO GENERALI ad id mihi datâ, Facultatem concedo, ut prædicti duo Libri Typis mandentur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo officij mei munitas dedi. Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 21. Martij, 1680.

(L. S.)

WENCESLAUS SATTENWOLFF.

Digitized by Google

PROTESTATIO AUTHORIS.

ETſi non meminerim, me primis hiſce tribus MISCELLANEORUM LIBRIS unquam ulli hominum, SANCTI aut BEATI Titulum adjeciſſe, (nam is ſolâ & unâ Eccleſiæ authoritate deſertur) tamen Decretis Apoſtolicis obſequendo, rectâ mente profiteor: ſi quid ejuſmodi in his Libris meis inveniatur, privatâ, hiſtoricâ, & humanâ tantùm authoritate factum, aut ſcriptum eſſe, exceptis tantummodo ijs, quos jam priùs Apoſtolica, eadémque Romana Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Titulis honoravit.

Ità conteſtor

Pragæ in Collegio Soc: JESU ad S. Clementem Anno cIↃ IↃC LXXXI. 21. Octobr:

BOHUSLAUS BALBINUS
è Societate JESU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google